10572

50
16

TRACTATVS

DE INSTITVTIONE SACERDOTVM, QVI SVB EPISCOPIS ANIMARVM CVRAM GERVNT AVCTORE R. P. F. Petro de Soto, ordinis sancti Dominici, Professore S. Theologiæ.

CVM INDICE RERVM ET MATERIARVM COPIOSISSIMO.

Saluo in his omnibus iudicio & censura S. R. Eccle.



ANTVERPIAE,
Apud Philippum Nutium,
M. D. LXVI.
Cum Gratia & Priuilegio.

EPISTOLA REVE-

RENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, DOMINI OTHONIS CARDINALIS ET EPISCOPI AVgustani, Præpositi & Domini in Elwangē: in qua bonorum & malorum prępositorum & pastorum, ouium & hœdorum differentia & conditio, & in primis pastoralis officij periculosa cura & dispensandi ratio ex diuinis scripturis & sanctis patribus explicatur.

OTHO *miseratione diuina S.Rom.Ecclesiæ TT.S.Sabinæ presbyter Cardinalis & Episcopus Augustanus, Præpositus & Dominus Eluuaceñ.&c. Vniuersis & singulis Ecclesiarum Prælatis, Decanis, Capitulis, Camerarijs, Rectoribus, Plebanis, Viceplebanis, Vicarijs perpetuis, ceterisq; Presbyteris & Clericis per ciuitatem & diœcesin nostram Augustanam vbilibet constitutis, Salutem in domino.* Cùm duo sint in sancta dei Ecclesia Christianorum genera, alterum præpositorum & pastorum, alterum subditorum & ouium, honoratior quidem est, sed grauior tamen præpositorum & pastorum, quàm subditorum & ouium, omnium autem periculosissima malorum pastorum conditio. Primum enim qui Christiani sunt, sed non præpositi, faciliore itinere, et tanto fortasse expeditius, quãto minorem sarcinam portant, ad cælestem sibi destinatam patriam perueniunt. Præpositi verò & pastores, nõ solùm de vita sua, vt subditi, sed etiam de dispensatione & administratione pastoralis officij rationem deo reddere tenentur. Quod cùm facilius facere boni quàm mali

Genera Christianorum in Ecclesia.

poſsint, & malorum quidam, neque de vita, neque de diſpenſatione poſsint: omnium periculoſiſsima malorum cõditio ſit neceſſe eſt. Sed periculoſior tamen eorum qui turpem vitam ducentes, ſubditos etiam & oues, curæ ſuæ commiſſas, in his quæ ad ſalutem earum pertinent negligunt, quam eorum qui prauam vitam agentes, tamen ea quæ ad officium paſtorale & ſubditorum ſalutem perti-

Genera malorũ paſtorum tria. Primum. nent, diligenter adminiſtrant. Sunt autem tria genera malorum paſtorum, vnum eorum qui vitam turpem agentes, ea tamen quæ ſunt paſtoralis officij diligenter adminiſtrant, plebem ſibi ſubditam verbi Dei prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, correctione, conſolatione, ab erroribus reuocatione, & ſimilibus ad paſtorale offi-

Secundum. cium pertinentibus paſcunt: Alterũ eorum qui ad paſtorum officium aſſumpti, neq; bonæ vitæ exẽplo, neq; eorũ diſpenſatione quæ ad animarũ ſalutẽ pertinent, propter

Tertium. imperitiã aut negligentiã, oues ſuas paſcunt: Tertiũ eorũ

Matthæi 5. eſt, qui non per oſtium ſed aliunde intrantes paſtorũ ſibi officiũ aſſumunt, & tamen paſtores non ſunt, nec eſſe poſſunt. Ac de præpoſitis & paſtoribus bonis dicitur: Vos

Matth. 23. eſtis lumen mundi, nõ poteſt ciuitas ſuper montem conſtituta abſcondi, nec accendunt lucernã, & ponunt eã ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt: ſic luceat lumen veſtrum corã hominibus, vt videãt opera veſtra bona, & glorificent patrẽ veſtrum qui in cælis eſt. De malis verò præpoſitis & paſtoribus, quorũ vita turpis eſt, diſpenſatio verò bona, qui perſcribas & phariſæos repræſentantur, dicit dominus in Euan-

Matth. 23. gelio: Super cathedram Moyſi ſedent: quæ dicũt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim & non faciunt. De malis verò præpoſitis & paſtoribus, qui non ſolùm vita praua ſubditos ſcãdalizant, ſed etiam vel per inſcitiã, vel per malitiã non oues, ſed ſeipſos paſcunt, eaq;

quæ

quæ sunt pastoralis officij negligunt, Dominus per pro- Ezech. 34.
phetam dicit: Væ pastoribus Israel, qui pascunt se solos. Nunquid oues pascunt pastores? id est, nõ se pascunt pastores, sed oues. Ecce lac consumitis & lanis vos tegitis, & quod crassum est interficitis, & oues meas non pascitis, quod infirmatum est, nõ cõsolidastis, & quod ægrotũ, non sanastis, & quod contribulatũ est, non colligastis, & quod errabat, non reuocastis, & quod perijt, non inquisistis, & quod forte fuit, cõfecistis, & dispersæ sunt oues meæ, eò quòd non sit pastor. Qui semetipsos pascunt, non oues, hæc à populo quærunt, diuitias, fauorẽ, honores & laudes: quæ si cõsequantur, nõ solum nullã curã de ouibus gerunt, sed quaquà volunt aberrare patiuntur. Quales hodie multos reperias, qui sua tantum, nõ quæ Iesu Christi sunt quærentes, illa et similia in ore habent: Viuite (inquiunt ouibus) vt vultis, securi estote, Deus neminẽ perdit, tantummodo fidem christianã tenete, non perdet ille, quos redemit, nõ perdet pro quibus sanguinem suũ fudit, magna est misericordia Dei, qui omnia peccata vestra portat, nec opera vestra bona curat, nec mala pro quibus ipse satisfecit, vobis imputabit: impleamini cibo & vino, ad hoc enim à Deo creata sunt, vt istis perfruamini. Non enim impijs & paganis ea dedit, & vobis non dedit. Atq; hæc promittẽtes, videmus quantas turbas cõgregent, inter quas si paucos quosdã bonos offendant, tamen multitudinis fauorẽ sibi conciliant, diuitias & honorẽ sibi de plebe, nõ plebis salutem de cura sua quærentes, sed plebẽ potius ipsam quasi escam panis deuorantes. Atq; hi sanè
sunt, de quibus alius propheta dicit, Populus meus, qui Esaiæ 3.
beatos vos dicunt, seducunt vos, & semitam pedum vestrorum supplantant. Hactenus demonstratum est quid mali illi pastores diligant, deinceps quid negligant, ostenditur. Quod crassum est, dicit Dominus interficiunt, per

crassas oues, fortes in verbo Domini intelligimus: sed quomodo interficiũt? malè viuẽdo, malũ exemplũ præbendo. Attẽdit enim ouis etiã fortis præpositũ suũ malè viuẽtem, ac declinãs à regulis Domini, & intẽdens in hominẽ malè viuentem, incipit in corde suo dicere, si præpositus meus sic viuit, ego quid sum? an nõ faciam quod ille facit?

Quomodo pastor oues interficiat.

Nec quia fortis est ouis, vt à verbo Domini non declinet, & verba magis quàm vitam præpositi attẽdat, præpositus ipsæ malæ vitæ exemplo, quantum in ipso est, ouẽ quantumlibet etiam fortem nõ occidit: quia etiam si ouis mortua non sit, ipse tamen qui malè viuit, secundum prophetiam homicida dicendus est. Iam & in hoc negligens est præpositus & pastor malus, quia infirmas oues non confortat, & ægrotas non sanat, nec eas quæ contribulatæ & fractæ sunt, colligat.

Differentia inter infirmas et ægrotas oues.

Est autẽ inter infirmas & ægrotas oues ea differentia, quòd qui in operibus bonis feruere videntur, sed imminẽtes passiones tolerare se nolle aut non posse ostendunt, infirmi sunt. Qui verò aliqua mala cupiditate amatores mũdi, ab ipsis bonis operibus reuocantur, languidi sunt & ægroti. Infirmas igitur oues non cõfortant, qui in fide eas nõ assumunt, nec Christi passiones imitandas docent, sed felicitatem potius huius mundi promittunt, quam Deus mundo nõ promisit. Aegrotos non sanant, qui languentes morbo cupiditatis suæ remedijs ex sacra scriptura petitis non fouent, dissoluta paralytici membra non confortant, qui luxu diffluentes & vita dissolutos, increpationis nodo non astringunt, contribulatas verò & fractas non colligant, qui consolationis alligamentum non afferunt.

Quis pastor infirmas oues nõ confortet.

Quis pastor ægrotas oues nõ sanet.

Quis negligens pastor.

Similiter et negligens est malus præpositus et pastor, qui ouẽ quæ errat nõ reuocat, et eã quæ perit nõ inquirit. Errare dicuntur oues, quæ per hæreticorũ falsas doctrinas decipiũtur: pereunt autẽ, quæ iã deceptæ ab vnitate

Quæ oues errare dicantur.

Quæ pereant.

tate ecclesiæ deficiunt, & neglecta Catholica fide in erroribus hæreticorum perseuerant. Qui ergo oues inter manus latronum et dentes luporum furentium versantes, à morsibus eorum nõ liberant, nec pereuntes inquirunt, audiant dominum terrentem & dicentem: Quod errabat non reuocastis, & quod perijt, nõ inquisiuistis, & quod forte fuit, confecistis. Nam qui negligit errantem atque pereuntem, eum etiam qui fortis est, conficit. Si enim pastor infirmam ouem neglexerit, & errantem ab hæresi non reuocauerit, neque pereuntem inquisiuerit, tùm fortem etiam delectabit in hæresin ire, errare & perire.

Etsi autem boni & mali pastores in Catholica Ecclesia semper fuerint & ad finem vsq; seculi & domini iudicium permansuri sint (nam et Apostolorum temporibus tales fuerunt, inter quos & Apostolus falsos fratres, id est, malos præpositos & pastores genuit, Periculum inquiens esse in falsis fratribus, quos tamen à bonis per superbiam nõ separauit, sed per tolerantiã sustinuit:) quãto magis temporibus nostris necesse est vt sint? cùm de hoc tempore apertißimè dominus dicat, quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Sicut & in gregibus sunt boni & mali: boni, ouium nomine significantur, mali verò hœdi appellantur, sed commisti pariter pascunt, donec veniat princeps pastorum, qui dictus est vnus pastor: qui, quemadmodum ipse promisit, malos pastores à bonis, & oues ab hœdis separabit. Nobis enim imperauit congregationem, sibi autem reseruauit separationem, quia ille debet separare, qui nescit errare. Matth. 24.

Tamen bonorum pastorum ea etiam ratione melior est, q̃ malorum conditio: quia qui pastorale officium bene & ad salutem non tam suam q̃ subditarum & curæ suæ commissarum ouium administrant, mercedem dispensationis suæ à principe pastorum consequentur. Quod apostolus Petrus

Quæ mercès bonis pastoribus apud Deũ reposita sit.

1. Petri 5. Petrus ad omnes pastores loquens testatur, Pascite, inquiens, qui in vobis est gregem dei, prouidentes nõ coacte, sed spontanee secundum Deum, neq; turpis lucri gratia, sed voluntarie, neq; dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo: & cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.

Contrà verò, qui hæc quæ suprà per Prophetam enumerata sunt, vel diligẽdo vel negligendo faciunt aut omittunt, hoc ab ipso Domino terribiliter per Prophetam dicente, audiunt, Ecce ego ipse ad pastores veniã, & requiram gregem meum de manu eorum: quibus expedit, vt mola asinaria appendatur ad collum eorum: q̃ vt minimũ scãdalizẽt de populo meo. Et per eundem prophetam, Speculatorem dedi te domui Israel, et audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, nõ annunciaueris ei, neq; locutus fueris, vt auertatur à via sua impia & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Quemadmodum igitur mali præpositi & pastores, quia ex dispensatione sua lucrum & honorem captantes, et quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi quærentes, damnationem sibi acquirunt: ita boni præpositi & pastores ob id dispensationis suæ mercedem, vitæ æternæ retributionem à Deo accipiunt, quia ex administratione sua nõ lucrum & honorẽ, sed gregis dominici salutẽ quærũt: nõ q, commodum supplendæ necessitatis & honorem sibi exhibitum recipere & agnoscere non possint, nam & de bonis pastoribus Apostolus dicit, Quis plãtat vineam, et de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis nõ percipit? Propter quod etiã Apostolus qui hæc dicit, etsi manibus suis victũ quæsierit, nec quod debitũ sibi fuit acceperit: tamen fratribus necessitati et indigentiæ suæ succurrentibus gratias egit et dixit. Bene feciſtis com-

Ezech. 34.

Matth. 18.

Ezech. 3.

1. Cor. 9.

Philip. 4.

communicantes necessitatibus meis: Ego enim didici in quibus sum sufficiens esse, scio & abundare & penuriam pati: omnia possum in eo qui me confortat. Sed et honorē sibi exhibitum agnouit. Sicut Angelum, inquit, Dei suscepistis me. Testimoniū vobis perhibeo, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis & dedissetis mihi. Sed quia accipientes vnde sustentent necessitatem suam, et honorem ab ouibus sibi exhibitum agnoscentes, non hoc, vt commodum aut gloriā quærant, neq; vt ex necessitate aut amore inanis gloriæ videātur annūciare Euangeliū, faciunt, sed vt hominibus illuminādis lucem præbeāt verbi veritatis.

Ac proinde longè aliā pascendi gregis rationem ineunt boni q̄ mali præpositi & pastores. Boni siquidem infirmo dicunt, Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Nam hoc modo confortant infirmum, et ex infirmo faciunt firmum. Item, Expecta tentationes huius sæculi, sed ab omnibus eruet te Dominus, si ab illo nō recesserit retrò cor tuum. Nam ad cōfortandum cor tuum venit ille pati, venit mori, venit sputis liniri, venit spinis coronari, venit opprobria audire, venit postremò ligno configi: omnia hæc ille pro te, tu nihil pro illo. Itē admonent eum eius quod apostolus dicit, Omnes qui piè volunt in Christo viuere, persecutionē patiētur: indignas Christi passiones proponunt infirmo, illumq; attēdere iubēt ipsum, quæ nō rapuit, exoluentē. Similiter et scripturā proponūt dicentē, Flagellat autē omnem filium quem recipit. Fractū colligāt, dicētes ei, Præpara animā tuā ad tentationem. Item, fidelis deus, qui non vos sinet tentari supra quā ferre potestis. Quod eodē spiritu & sensu dicit psaltes, Potabis eos in lachrymis in mensura. Nam quod apostolus dicit, nō sinet tētari vos supra quā ferre potestis, hoc exprimit propheta dicens, in mensura. Errantes reuocāt, et pereūtes inquirunt

Modus quo bonus pastor gregē pascit.

Psalm. 68.

Hebr. 13.

Ecclesiast.

1. Cor. 10.

Psalm. 79.

1. Tim. 4.

etiã inuitos et nolẽtes, prædicãt verbũ, instãt importunè, et oportunè: oportunè volẽtib⁹, importunè nolẽtib⁹. Atq; ita pascẽtes oues suas boni pastores domino eas lucrantur in vitã æternã. Cõtrà verò, hæc ipsa negligẽtib⁹ malis pastoribus & sua magis q̃ quæ sunt Christi quærẽtibus, dispergũtur oues domini, eò q̃ non est pastor, & fiunt in comestũrã omnibus bestijs agri, furãtur lupi insidiantes, leones frementes, cũ oues nõ hærent pastori, eunt in bestias depredantes se, & de illarum morte saciari cupientes: errant in omnem montẽ et collem altũ, terreno tumore, et superbia sæculi, inter hæreticos, qui ouibus promittunt requiem et bona pascua, dispergũtur in omnẽ faciẽ terræ, quia ab Hæreticis seducti omnia terrena sectantur, & quæ in facie terræ lucent, ea amant & diligunt. Neq; verò quia prædictorũ duorum generũ mali pastores semper erunt, quorũ negligentia oues infirmæ nõ confortantur, ægrotæ nõ sanantur, cõtribulatæ et confractæ nõ colligantur, errãtes non reuocãtur, pereuntes non inquirũntur, idcirco de neglectarũ ouium salute desperandũ est. Etsi enim vnica mater superbia iã inde ab Apostolorũ tẽporibus, per vniuersam faciẽ terræ varias hæreses peperit, per quas deceptæ oues per vniuersam faciem terræ dispersæ fuerunt, errantes in omnẽ montẽ: tamen et multi semper fuerunt boni & Catholici pastores, quos vna mater Catholica ecclesia toto orbe diffusos produxit, quorũ diligẽtia hæreses extinctæ, et oues infirmæ confortatæ: ægrotæ corroboratæ: contribulatæ colligatæ: & pereũtes inquisitæ: et errãtes ad Catholicæ Ecclesiæ vnitatem reuocatæ fuerũt. Sic ab hæresi Arriana, Nestoriana, Macedoniana, Eutychiana deceptas, et iã in diuersis mũdi partib⁹ errãtes reuocârũt patres et pastores catholici in quatuor synodis, Nicæna, Constãtinopolitana, Ephesina, et Chalcedonẽsi. Sic oues à donatistis in Aphrica, et in Hispania,

Nunquam desunt in Ecclesia aliqui boni pastores.

ſpania, Gallia, Germania, alijsq; nationibus ab alijs hæreti
cis deceptæ, à patrib⁹ Aphricanorũ, Hiſpanicorũ, Gallico
rũ, Germanicorũ cõciliorũ, ab hæreticorũ erroribus libe
ratæ, et errãtes ad gregẽ domini reuocatæ fuerũt. Quin
potius Deus ſarmenta quæ præciſa fuerũt, & ramos fra-
ctos viti, quæ eſt eccleſia catholica, denuò inſerere dig-
natus eſt. Potẽs enim eſt Deus, vt inquit Apoſtolus, iterũ Rom. 10.
inſerere illos. Paſcunt homines paſtores, paſcit & Deus
paſtor: Paſce oues meas, inquit Chriſtus ad Apoſtolũ ſuũ
Petrũ. Rurſus hæc dicit dominus Deus per Prophetã, de Ezech. 34.
ſe ipſo paſtore: Ecce ego ſuper paſtores, et requirã oues
meas, et viſitabo eas ſicut viſitat paſtor gregẽ ſuũ, in pa-
ſcuis vberrimis paſcã eas &c. Et Chriſtus in Euangelio:
Ego ſum paſtor bonus, et cognoſco oues meas, et cogno- Ioan. 10.
ſcũt me meæ &c. Homines paſtores paſcũt oues, quia ver
bũ Dei et ſacramẽta, aliaq; quæ ad ſalutẽ neceſſaria ſunt,
ouibus diſpẽſant. Deus paſtor oues paſcit, quia verba ſua
& ſacramenta paſtoribus, ouibus diſpenſanda cõmittit.
Deũ paſtorẽ ſequũtur oues, quæ, quod paſtores homines
ex diuinis oraculis annunciant, faciunt. Homines paſtores
tam bonos q̃ malos ſequũtur oues, quæ, quod faciunt pa-
ſtores, ipſæ quoq; faciunt. Deũ igitur verũ paſtorem ſe-
quentur oues, nõ homines paſtores, niſi eadẽ, qui iubente
Deo dicunt, faciant. Quæ dicunt, inquit Chriſtus, facite,
quæ faciunt, facere nolite. Et hæc malis paſtoribus duorũ
priorũ generum cõmunia ſunt: illud vere alteri generi pa
ſtorum malorũ, qui nõ ſolùm turpiter viuũt, ſed etiã ſu-
perbia, ambitione, et auaritia corrupti, et eorũ quæ ad of
ficium paſtorale pertinẽt imperiti, regimini eccleſiarum
præficiuntur, propriũ eſt, quod de his B. Gregorius in pa
ſtorali ſuo ſcribit, Sunt, inquit, nõnulli, qui per ſpeciẽ re-
giminis gloriã affectãt et honores, videri doctores appe
tunt, tranſcendere ceteros cõcupiſcunt, atq; atteſtãte ve

ritate

ritate, primas salutationes in foro, primos recubitus in cænis, primas in conuentionibus quærunt cathedras: qui susceptũ curæ pastoralis officiũ ministrare tanto magis nequeunt, quanto ad huius humilitatis magisterium ex sola elatione peruenerunt: cõtra quos dominus per Prophetã queritur, dicens, Ipsi regnauerũt, sed nõ ex me: principes extiterũt, et ego ignoraui. Ex se autẽ, nõ ex arbitrio summi rectoris regnãt, qui nullis fulti virtutibus, nequaquã diuinitus vocati, sed sua cupidine accẽsi culmẽ regiminis rapiũt potiꝰ q̃ assequũtur: quos tamẽ intern⁹ iudex et prouehit et nõ agnoscit: quia quos permittẽdo tolerat, profectò per iudiciũ rationis ignorat. Vnde ad se quibusdã, et post miracula, venientibus, dicit, Recedite à me operarij iniquitatis, nescio qui estis vos. Horũ pastorũ hodie, proh dolor, magnus est in ecclesia numerus, qui scilicet prece, precio, et principũ cõmẽdatione magis q̃ vitæ aut doctrinæ et sciẽtiæ eorũ, quæ ad pastorale officiũ pertiment, cõtẽplatione ad episcopale culmẽ prouehũtur: de quibꝰ Pro-
Esa. 56. pheta dicit, Ipsi pastores ignorauerũt intelligẽtiã. Quos et domin⁹ detestatur, dicẽs, Et tenẽtes legẽ nescierũt me. Nesciri igitur se ab eis veritas queritur, et nescire se principatũ nesciẽtiũ se protestatur: quia qui ea quæ sunt dñi, nesciunt, à dño nesciuntur, A postolo attestãte, qui ait, Si quis autẽ ignorat, ignorabitur. Atq; hoc sanè genꝰ malorũ pastorũ à malis pastoribꝰ primi generis hoc differũt, q̃ pastoralis curæ periti, etiã si vitæ exẽplo oues offendãt, tamẽ quia periti sunt, verbo pascere posſũt: propter quod et dictũ est, Quæ dicũt facite, quæ autẽ faciũt, facere nolite: Hi autẽ etiã bene viuẽtes, tamẽ eorũ quæ ad curã pastoralẽ pertinẽt, imperiti, vt maxime vellẽt, tamẽ propter imperitiã oues pascere nõ possunt, ac tãto ouium etiã ip-
sorũ regimini subiectarum periculosior cõditio est, quia
Matth. 15. cæcæ ipsæ cæcum etiã ducẽ habẽt. Si autẽ cæcus cæco du-

catum

catum præbet, inquit Christus, ambo in foueam cadunt.

Tertiũ genꝰ malorũ pastorum est diabolꝰ, et ipsius organa hæretici, nã et ipsi pascendi officiũ sibi arrogãt, verbũ se Dei et sacramẽta ouibꝰ dispẽsare gloriãtes. Sed quorũ neq; dicta neq; facta sequẽda sunt (Nõ solũ enim mali, sed etiã falsi pastores sunt) hoc à pastoribꝰ malis superiorum duorũ generũ differẽtes, q; mali pastores qui per negligẽtiã et imperitiã nõ bene pascũt oues, tamẽ quia in catholica ecclesia sunt, etsi mali, tamen ecclesiæ pastores sunt. Huius autem tertij generis pastores, quoniam suo ipsorum iudicio condemnati, ab ecclesia abscissi sunt, pastores in ecclesia esse non possunt. Ac tales quidem sunt, de quibus dominus in Euangelio. Qui nõ intrat per ostiũ in ouile ouium, sed ascendit aliunde, fur est et latro. In prophetа Hieremia Dominus ait: Clamauit perdix, congregauit, quæ non peperit, faciens diuitias suas non cum iudicio.

Tertiũ genus malorũ pastorum.

Perdix diabolꝰ est, et organa ipsiꝰ hæretici. Nã hi cõgregãt, qnæ nõ pepererũt, faciẽtes diuitias suas nõ cum iudicio. Non enim illi creatores sunt, sed deceptores: creare enim nõ possũt. Qui spiritũ creatoris, qui est in ecclesia, nõ habent, ipsi extra ecclesiã positi, et suo ipsorũ iudicio cõdemnati, decipere possunt: nã hoc propriũ diaboli est, qui iã inde à creato mũdo conatꝰ fuit decipere: quẽ ex eo nati imitãtes hæretici, quid aliud q; decipiunt, et diuitias sine iudicio pariũt, id est, oues quas nõ pepererunt in suã potestatem rapiunt: nõ distinguẽtes quis isto, aut alio modo erret: Omnes errare volunt, quibuscunq; tandẽ modis errẽt. Etenim hæreticorum sectæ quãtumlibet diuersæ, et singulæ, etiã inter se diuisæ, oẽs tamẽ cũ duce suo diabolo in hoc conueniunt, vt oues Dñi errare, et à caulis suis in fauces luporũ, id est, suas abduci velint. Nõ dicit diabolꝰ, Donatistæ sunt, nõ Arriani: Lutherani sunt, nõ Zuinglianiani: Adiaphoristæ sunt, nõ Illiricani: Illiricani sunt, nõ Calumnistæ;

In quo omnes hæretici cõueniant.

uiniſtæ: ſiue in Oriẽte ſint, ſiue in Aphrica, ſiue in Helue tijs, ſiue in Saxonia. Oẽs enim ad eũ pertinẽt, cõgregantẽ et diuitias ouium quærentẽ ſine iudicio. Idola (inquit) ador et, meꝰ eſt, quãcunq; tandẽ hæreſin et ſectã amplectatur: In Arrianorũ hæreſi maneat, meꝰ eſt: Lutherum et omnes ex eo deſcẽdentes ſectas ſequatur, meus eſt: deſerta vnitate in quãcunq; hæreſin pergat, meus eſt. Congregat ergo ſine iudicio faciẽs diuitias ſuas ex deceptoribꝰ hæreticis et deceptis ouibꝰ. Sic et mancipia diaboli hæretici, Luther rus, Zuinglꝰ, Oecolãpadiꝰ, Caluinꝰ, Schuẽckfeldiꝰ, Oſiander, Maior, Illiricus, alijq; inter ſe diuiſi maximeq; diſcrepantes hæretici, nõ dicunt, Hic aut ille à mea doctrina diſſidet: ſed quoniã à catholica vnitate receſſerunt, et ad expugnandã catholicã nobis in hac cauſſa cõmuniter ſeruiunt, noſtri ſunt: et ad ſimilẽ modum, cum duce ſuo diabolo, ſub quo militãt, cõgregant quæ nõ pepererunt, facientes diuitias ſuas nõ cum iudicio. Sed quid in propheta ſequitur? In dimidio (inquit) dierum relinquẽt eum, et in nouiſſimis ſuis erit inſipiens. Quibus verbis prophetæ ſignificatur, hæreſes quãtumlibet fortes appareãt, tandem ex inſipientia eorũ deficere, et oues deceptas magiſtros ſuos hæreticos, tũc cum minimè ſperãt derelinquere, quia ſine iudicio eas acquiſiuerunt: atq; ita fit, vt hæretici, qui primum omnium ſapientiſſimi ſibi vidẽtur, in nouiſſimis ſuis fiãt inſipiẽtes, ſicut et pater eorũ diabolꝰ ab initio ſapiẽs ſibi videbatur, quãdo in paradiſo Euã decipiebat. Nã ſub ſerpentis forma ſapientior erat omnibꝰ beſtijs, aſtutꝰ videlicet, et acutus ad decipiendũ, verùm in nouiſſimis ſuis, detectis eius fraudibꝰ factus eſt inſipiens. Idẽ et hæreticis diaboli organis et mancipijs accidit. Siquidẽ qui ab initio omniũ ſibi ſapiẽtiſſimi viſi in nouiſſimis facti ſunt inſipientes. Arriꝰ ab initio ſapiẽs videbatur, at fraudibꝰ eius detectis à patribꝰ Nicæni cõcilij, factus et declaratus eſt inſipiens. Sic Neſtorius, Macedoniꝰ, Eutyches ab initio viſi

sunt sapiẽtes, in nouissimis autẽ insipientia eorũ à patrib⁹ Cõstantinopolitani, Ephesini et Chalcedon. conciliorũ, et aliorum hæreticorum in alijs cõcilijs fraus et stultitia patefacta est. Et hæreticorũ nostri etiã temporis vanitates et mendacia, nuper per illos ipsos et manifestata fuerunt, et posthac deo disponẽte toti orbi clari⁹ manifestabũtur. Nã vt perdix cõtentiosum animal, vt aucupes dicũt, cõtẽdendo capitur, ita et diabolus, et filij eius hæretici in multas sectas se diuidendo et cõtendendo capti, et tandẽ insipiẽtes facti nolunt cõtendere. Propter quod et oues, quas sine iudicio cõgregârunt, eos semper propter insipientiã suã dereliquerunt: quæsitas videlicet, reuocatas et reductas per veros, nõ falsos: bonos, nõ malos pastores (per q̃ ipsum adeò principẽ pastorum) qui quod perierat, requisiuerunt, quod abiectũ erat, reduxerunt, et quod cõfractũ fuerat, alligârunt, et quod infirmum erat, cõsolidârunt, et quod pingue et forte, custodierunt. Quod et oues nostris tẽporibus ab hæreticis deceptæ facient, cõtendentib⁹ inter se eorũ magistris, et in nouissimis suã insipientiã prodentib⁹ iam, et deinceps magis prodituris. Nã et ipse à bonis pastorib⁹ in caulas dominicas reuocatæ, falsos istos pastores, qui eas hactenus cõgregârunt, sed nõ pepererant, facientes diuitias suas non cum iudicio, derelinquent. Hactenus inter pastores & oues, et rursus pastorũ et ouium inter se differentiã, vtcunq; ex diuinis scripturis, sanctis patribus, et sacrosanctis cõcilijs demõstrauimus: in multis etiã tum verba tũ sententias eorũ, vt de hisipsis vnicuiq; iudicandi liberũ sit arbitriũ, integrè referentes. Ex quib⁹ omnibus iã (vt opinor) clarè intelligimus, id quod ab initio dicebamus, multò subditorũ et ouium q̃ præpositorũ et pastorũ securiorẽ esse cõditionẽ. Nam oues negligẽtia pastorum pereuntes, pro se tantùm rationem faciunt, & quã meruerunt pœnã dependunt. Pastores verò nõ solùm

Ouium cõditio securior conditione pastorum.

pro

pro se sed etiam pro ouib⁹ ratione ante tribunal Christi reddere coguntur: vt si falsi vel negligentes, vel imperiti fuerint, nec oues dominicas pauerint, vna cum deceptis ouib⁹ damnentur: sin ipsis male viuentib⁹, voluntate tamen dñi ouib⁹ annunciantibus, voce eorũ oues audierint, oues quidem ipsæ saluentur, pastores verò dãnentur: pastoribus verò, quæ sunt officij sui, ouib⁹ præstãtib⁹, sed ouib⁹ ea ip sa respuẽtibus, oues moriãtur, aïa verò pastorũ liberetur.

Notẽt hoc pastores.

Omnes igitur ecclesiæ præpositi et pastores in hoc vnũ attẽti esse debẽt, vt sic oues sibi subditas pascãt, vt de his ratione iustã Deo de dispẽsatione sua ĩ iudicio ipsius possint reddere: et semper in oculis et memoria habeãt quod dñs per prophetã sub nomine pastorũ Israel omnibus pastorib⁹ dicit. Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, et audies ex ore meo sermonem et præmõstrabis eis ex me. In eo cũ dixero peccatori, morte morieris, si nõ fueris locutus, vt impius caueat à via sua, ille facinorosus in suo facinore morietur, sanguinẽ autẽ eius de manu tua requiram. Tu autem si prænunciaueris facinoroso viam eam, vt auertatur ab ea, & non fuerit auersus à via sua, ille in facinore suo morietur, & tu animam tuam liberabis.

Ezech. 3.

Hæc nos de pastoribus bonis et malis fusius aliquãto ex diuinis scripturis, et earum veris interpretibus sanctis patrib⁹ et sanctorũ cõciliorum sanctionibus ac decretis cõmemorare voluimus, vt et nos, qui per dignationẽ dei nõ secundũ meritũ nostrũ inter eos numeramur, quibus dictũ est, Attẽdite vobis et vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiã dei, quã acquisiuit sanguine suo: et idcirco in eo etiam loco cõstituti, vn de periculosa deo reddenda est ratio, nosmetipsos officij nostri pastoralis cõmonefaciamus, et terrẽte deo terreamus, vt hoc ipsum ita administremus, vt deo de dispẽsatione nostra iustã et bonã, quod vtiq; bonorum pastorũ est, red-

Act. 20.

reddere rationẽ poßimus. Scim⁹ enim & à bonis & à malis rationẽ exacturũ Dominum: & bonos quidem bonam, malos autem malam esse reddituros. De morte ouis maligne malus pastor malam, bonus bonam reddet rationem.

Porrò ad administrandũ officiũ nostrũ pastorale, tria nobis necessaria esse videmus: scientiã curæ pastoralis, sacerdotes & ministros bonos, prudentes, & eadẽ scientia præditos, quos in partẽ solicitudinis & curarũ nostrarũ vocare poßimus, & formã institutionis curæ pastoralis. Scientiã à nobis exigit dñs per prophetã, dicẽs, Labia sacerdotis custodiũt sciẽtiã, & legẽ exquirũt de ore eius, quia Angelus dñi exercituũ est: hæc in cognitione veritatis cõsistit, quæ ex veteri & nouo Testamẽto, & ex sacris canonibus perdiscẽda est: quod & ornamenta põtificis in veteri testamento significârũt, inter quæ rationale erat, quod põtifex ferebat in pectore, in quo scriptũ erat, manifestatio & veritas. Hanc vt nobis spiritus sanctus, vnus & verus doctor veritatis infundat, nunquam orare cessamus. Sed nec vlli labori parcimus, quin & Apostoli præcepto Timotheo tradito parentes, lectioni semper & exhortationi attendamus & in his permaneamus, eius nunquã non memores, quod propheta dicit, Tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.

Tria necessaria ad bene administrandã curam pastoralem.

Malach. 2. Sciẽtia sacerdoti necessaria.

Exod. 25.

1. Tim. 4.

Oseæ. 4.

Prudentes sacerdotes & ministros ac diuinarũ scripturarũ sanctorumq; canonũ peritos, Scholæ catholicæ, in quib⁹ scientiæ pietatis docẽtur, producunt. Sed quoniam hoc tẽpore paucæ admodũ Scholæ in superiori Germania sunt, in quib⁹ ea, quæ ad animarũ curã pertinẽt, doceãtur aut discãtur, territa videlicet ab hoc genere studiorũ iuuẽtute, vt pauci iam sint, qui sacras literas discere, pauci etiã, qui ob penuriã discipulorũ, etiã si pij & docti sint, eas docere velint, Scholã in oppido nostro Dilingæ instituimus, in qua aliquot iam annis artes, quibus ad studia

pietatis peruenitur, præleguntur: ex qua quidē Schola, in qua & professores catholicos & studiosos multos nostris sumptibus fouemus, id quod maximè volumus, cōsequimur: nempe vt bona spes sit, ex nostra illa schola futuris temporibus multos prodituros, sicut & hactenus non pauci prodierunt, quos in partem curarum nostrarum vocatos parochijs nostræ Ecclesiæ præficere, & ad alia Ecclesiastica ministeria deputare possimus.

Cura & regimē animarū, quæ est ars artium, vt inquit Gregorius, quantū ad officium nostrū Episcopale attinet, in his quæ sunt ordinis Episcopalis, ordinationibus videlicet presbyterorū, diaconorū, Subdiaconorum, aliorūq; inferiorum ordinum collatione, in benedictionibus Abbatum, velationib⁹ virginum, cōfectione Chrismatis, Baptizatorum cōfirmatione, prædicatione verbi dei, & administratione sacramentorū (quæ duo presbyteris cum Episcopis sunt cōmunia) in exercēda itē Ecclesiastica Iurisdictione in personas, res, & causas ad Iurisdictionē Episcopalē pertinētes: quæ omnia qua ratione modoq; dispēsari debeāt, partim ex scriptis sanctorum patrum, partim ex his, quæ hac nostra tēpestate à doctissimis quibusdam, & ijsdē catholicis viris de hac re prodita sunt, discenda esse putamus: ac inter ea quæ de cura animarū tradiderūt sancti patres, diuina prorsus sunt, quæ passim apud d. Hieronimū, Augustinū, aliosq; Ecclesiasticos doctores, scripta reperiuntur: sed inter alia insigniora, quæ de hac re beat⁹ Gregori⁹ in pastorali suo, & Chrysostom⁹ in libro de sacerdotio scribunt. Sed & recentiorū in hoc genere multa extāt egregia scripta sub varijs titulis edita, maximè verò in catechismis, in quib⁹ oīa ferè, quæ ad curā animarū pertinēt, explicātur, & diuinarū scripturarū, sanctorum patrū, & sacrorum cōciliorum auctoritate ac testimonio cōfirmantur: inter quæ & vnū extat, quod à R.

P.D.

P.D.Petro à Soto Dñicani ordinis Theologo doctiß.tẽpore quo scholæ nostræ primari⁹ præfuit moderator,ore pronunciatũ,& à discipulis quibusdã ipsius in certas lectiones digestum,exceptũ est:in quo vir ille & verbo & opere ad docẽdum ea,quæ sunt pietatis potens, multa ad doctrinã sanam,& catholicã,multa ad officium pastorũ ecclesiæ,& reformandã eorũ totiusq; cleri vitã & mores pertinẽtia,tanto pietatis studio & tãto dicẽdi ordine cõposuit,vt dign⁹ nobis videatur hic liber,qui ad promouenda pietatis studia in publicum edatur, omnibusq; animarum curam vel iam administrantibus,vel in futurum administraturis communicetur,

Damus igitur vobis doctißimi simul & piẽtißimi,& nunq̃ satis laudati hui⁹ viri,de institutione sacerdotũ libru̇,omnibus qui curã animarum suscipiũt nõ solùm vtilẽ,sed etiã necessariũ,& in hoc ab auctore ipso discipulis suis,nobis idipsum ab eo petẽtibus,prælectũ,vt deinceps in hac nostra schola velut enchiridiõ quoddã esset, ex quo ad pietatẽ erudiẽda iuuẽt⁹ nõ solũ quæ christiano homini ad bonæ beatæq; vitæ institutionẽ,sed etiã ad sciẽtiã curæ pastoralis acquirẽdã necessaria sunt, discere posset.Nos igitur in hac Schola nostra educare volentes,quos ad regendas parochias mittere,& ad alia ministeria ecclesiastica deputare posimus,intentioni auctoris omnino satisfacere & q. de legendo isto libro in Schola nostra instituit,vt in posterum ita seruetur, decreuimus. Ideoq; & professorib⁹ Scholæ nostræ iniungem⁹,vt hunc librũ discipulis suis,maximè quos ad pietatẽ sumptib⁹ nostris institui volum⁹,perpetuo quodã ordine à principio vsq; ad finẽ legant,& finitũ rursus legere incipiant, atq; huiusmodi lectionẽ ad eundẽ modũ singulis annis cõtinuent:vt sic discipuli in his quæ ad scientiam pietatis,& in primis curæ pastoralis ac institutionis sacerdotalis pertẽ-

nent, sufficienter eruditi, sacris initiãdi in examine ordinandorũ ad sacros ordines admitti posſint. Ita enim à nobis certò cõstitutum est & examinatoribus nostris mandatũ, vt nõ alios ad sacros ordines suscipiẽdos admittãt, quàm quos prædicto modo instructos esse deprehẽderint.

Non tamẽ prohibemus, quin ex sanctorũ patrum aliorumq; de hac re catholicis scriptis ordinarium hoc suum studiũ adiuuare posſint. Neq; enim nos latet, nõ omnibus eadem conuenire, & sæpe quod quis ex lectione vnius alicuius libri capere non potest, facilius hoc ex alterius libri lectione consequi.

Vos autẽ omnes in dño hortamur, vt hũc aliosq; catholicos de hac re scriptos libros semper in manibus vestris habeatis: et ex ijs nõ solũ catholicã de officio sacerdotũ doctrinã discatis, sed etiã præceptis salutarib⁹ sanctorum patrũ, quæ in hoc etiã libro traduntur, admoniti, cõtinẽtiã, sobrietatẽ, aliasq; ecclesiasticis viris cõueniẽtes virtutes sequamini, et vitia eis cõtraria, incõtinẽtiã, scortationẽ, maximè verò indecentẽ cũ mulierib⁹ cohabitationẽ et cõcubinatũ, ebrietatẽ, aliaq; his similia vitia deuitetis: vt qui à nobis in partẽ solicitudinis nostræ pastoralis vocati estis, nõ vos ipsos, sed oues tã nostras quã vestras pascatis, nec malæ vitæ exẽplo corrũpatis: sed in hoc omni studio incũbatis, vt à parochijs ecclesiæ nostræ præfecti, oues nostras vobis cõmissas firmas custodire, infirmas cõfortare, ægrotas corroborare, cõfractas colligare, errãtes ab hæreticorũ erroribus reuocare, & pereuntes inquirere posſitis. Quæ si diligẽter, vt bonos pastores decet, præstiteritis, & ad hunc modũ oues nostras pauceritis, proculdubio coronam illam quæ bonis pastoribus à principe pastorũ repromissa est, cum magna gloria percipietis. Datum Dilingæ in Castro residentiæ nostræ Episcopalis. 15. Die Martij. 1558.

Index

INDEX LECTIONVM QVAE IN HOC TRACTATV CONTINENTVR.

Prima pars de institutione Sacerdotum.

Lectio prima. De præparatione ad hanc doctrinam tradendam & suscipiendam. folio 1

II. De diuisione & ordine eorum quæ tradenda sunt, & scientia necessaria ad ministeria sacerdotalia 4

III. De scientia eorũ quæ ad mores & vitam pertinent in genere. 7

IIII De cultu Dei in religione Christiana, origine & partib⁹ eius. 10

V De modo te ratione institutionis cultuũ in religione Christiana. 12

VI De eadem re. 15

VII De institutione sacramẽtorũ ecclesiæ, numero & ratione eorũ. 20

VIII De his quæ circa singula sacramẽta necessariò sunt cõsiderãda. 22

IX De primo & proprio sacramentorum effectu, gratia scilicet, & characlere. 24

De Baptismo.

Lectio prima. De his quæ ad integritatem baptismi pertinent. 27

II De effectu & significatione baptismi. 29

III De vera ratione remissionis peccatorũ quæ fit in baptismo. 30

IIII De virtute & excellẽtia baptismi, & dispositione suscipiẽtiũ. 32

V De nõ iterãdo baptismo, & necessitate ei⁹, & triplici baptis. 35

VI De baptismo paruulorum. 37

VII De ritibus & cæremoniis in sacramento baptismi superadditis ab ecclesia. 42

De Confirmatione. Lectio prima folio.

II De confirmatione. 44

De sacramento Eucharistiæ. Lectio prima.

II De materia & forma huius sacramenti. 50

III De vera significatione horũ verborũ & effectu: in qua maximè probatur veritas corporis domini in sacramento patrũ testimonio. 51

IIII De eodem, in qua maximè respondetur sanctorum verbis, quæ pro se adducunt Lutherani. 53

V De ratione cõuersionis panis in corpus Christi, & modo loquẽdi de ea. 56

VI Quomodo corpus Christi sit in Eucharistia. 60

VII De sacrificio altaris. 62

VIII De sumptione huius sacramenti, secundo videlicet vsu eius. 65

IX De necessitate Eucharistiæ. 70

X De vsu vtriusq; vel alterius speciei, & quibusdam alijs. 72

XI De fructu siue effectibus sacramenti Eucharistiæ. 74

XII De præparatione ad sacram Eucharistiam. 81
XIII De ministro huius sacramenti. 83
XIIII De ritibus superadditis vltra ea quæ ad integritatem sacramenti sunt necessaria. 86
XV De his quæ in celebratione Missæ superaddita sunt 89

De sacramento pœnitentiæ.

Lectio prima. De pœnitentia, quæ est virtus prior sacramento. 93
II De Partibus & diuersis actibus pœnitentiæ virtutis &c. 95
III De reatu peccati, qui manet transeunte actu. &c 98
IIII De necessitate pœnitentiæ ad remissionem peccati: 102
V De efficacia pœnitentiæ. 106
VI De restauratione bonorum quæ per peccatum amissa sunt. 109
VII Qualiter peccata dimissa redeant per sequens peccatum. 111
VIII De principio & origine pœnitentiæ &c. 114
IX De comparatione gratiæ diuinæ & actuum pœnitentiæ &c. 117
X De iustificatione impij. 121
XI Quid Lutherani sentiant de iustificatione impij &c. 125
XII De eadem materia. 129
XIII Quando & de quibus agenda pœnitentia. 133
XIIII De integritate ac perfectione contritionis. 137
XV De eadem re. 140
XVI De eodem argumento. 142
XVII De eadem materia. 146
XVIII De pœnitentia & remissione peccatorum venialium. 149

De Confessione.

Lectio prima: De necessitate confessionis, & institutione sacramenti pœnitentiæ ex auctoritate scripturæ. 153
II De eadem necessitate confessionis ex testimonijs patrum. 157
III De necessitate confessionis ex definitione cõciliorũ & sedis apostolicæ: de vtilitate eius, & veritate sacramenti pœnitentiæ. 161
IIII De materia, forma, & reliquis pertinentibus ad hoc sacramentum, & necessitate confessionis, atq; præcepto eius. 165
V De necessitate confessionis in speciali, & de eius ministro. 168
VI De ministro confessionis, & necessarijs illi. 173
VII De necessarijs conditionibus confessionis. 176
VIII De confessione informi. 181
IX De integritate confessionis. 185
X De integritate etiam confessionis. 188
XI De ratione secreti necessarij in confessione. 192

De satisfactione, tertia videlicet parte pœnitentiæ.

Lectio prima. folio 195

De

II De sacramentali satisfactione. 198

De purgatorio.

Lectio prima. De purgatorio & suffragijs mortuorum, ex consensu ecclesiæ vniuersalis præcipue. 203
II De purgatorio. 207
III De suffragijs defunctorum in speciali. 211

De clauibus Ecclesiæ. Lectio prima. 214
II De excommunicatione. 217
III De excommunicatione. 220
IIII De excommunicatione. 224

De indulgentijs. Lectio prima. 227
II De ratione indulgentiæ, efficacia, atq; valore. 232
III De his quæ requiruntur ad effectum indulgentiæ ex parte dantis, & ex parte suscipientis. 236

De sacramento extremæ vnctionis.

Lectio prima. De materia forma, & effectu eius. 240
II De ministro, & suscipiente, ac ceteris ad hoc sacramentum pertinentibus. 244

De sacramento Ordinis.

Lectio prima. De origine ordinum ecclesiasticorum. 246
II De singulorum ordinum officijs. 250
III De necessitate horum ordinum. 254
IIII De ratione & modo sacramenti ordinis. 256
V De materia & forma, ac reliquis ad hoc sacramẽtũ pertinẽtibus. 260
VI De quibusdã annexis & cõsequentibus sacramentũ ordinis. 264
VII De iure beneficij ecclesiastici, & simonia. 267

De Matrimonio.

Lectio prima. De vera in eo ratione sacramenti. 272
II In qua soluuntur quæ contra varietatem huius sacramenti adducuntur & dubitantur. 276
III De his quæ ad integritatem huius sacramenti necessaria sunt ex parte ipsius contractus. 279
IIII De his quæ sunt necessaria ex parte contrahentium. 283
V De impotentia. 285
VI De auctoritate ac ratione eorũ q̃ de ordine & voto dicta sunt. 289
VII De rationibus hæreticorum contra hæc dissoluendis. 294
VIII De reliquis duobus capitibus rationum hæreticorum. 299
IX De tribus alijs impedimentis matrimonij. 303
X De impedimento cognationis. 306
XI De cognatione spirituali & legali. 310
XII De indissolubilitate matrimonij. 312

XIII De indissolubilitate matrimonij quoad vinculum. 316
XIIII De superadditis integritati & veritati sacramenti matrimonij, & impedimentis non dirimentibus ipsum. 321
XV De bonis matrimonij. 324
XVI De cõtractu et vsu matrimonij, intẽtione, et peccatis circa hæc. 327
XVII De vera et propria matrimonij laude ac bonitate, et eius gradibus, ceterisq; ad omnes alios actus matrimonij pertinentibus. 331
XVIII De quibusdam consequentibus & adiunctis matrimonio. 333

Secunda pars.

De peccatorum discrimine, & ratione medendi vulneribus animæ, quatenus parochis necessaria sunt. Lectio prima.
De ratione & voluntate, primis actionum nostrarũ principijs. 337
II De actibus rationis practicæ & voluntatis. 339
III De reliquis omnibus potentijs humanorũ actuum principijs, & præcipue appetitivis, & actibus earum. 341
IIII De voluntario in humanis actibus omnibus, de habitibus, et prima diuisione humanorum actuum in bonos et malos. folio. 343
V De bonitate & malitia humanorum actuum. 344
VI De ratione peccati, & de discrimine venialis & mortalis. 346
VII De eodem, & distinctione peccatorum venialium. 348
VIII De peccato veniali appetitus sensitiui & primis motibus. 349
IX De peccato delectationis in cogitatione peccati. 352
X De differẽtia mortalis et venialis peccati ex obiecto siue sua specie. folio 355
XI De eodem specialius. 357

De ratione medendi peccatis, quatenus pertinet ad spirituales iudices. Lectio prima. folio 361
II De origine & causis peccatorum, & de prima earum, scilicet ignorantia, in speciali. 362
III De infirmitate. 365
IIII De vltima peccatorum origine, malitia scilicet. 367
V De remedijs et rattone medẽdi animarũ vulnerib⁹ in speciali. 370
VI De eadem re. 373

De vita Sacerdotum. Lectio prima. folio 375
II De moderato appetitu habendi. 378
III Quomodo circa bona ecclesiastica habere se debeant ministri ecclesiæ, & de reliquis contra auarittam. 380
IIII De his quæ ad temperantiam ministrorum ecclesiæ pertinent, & ceteris quæ ad pietatem & religionem. 383
V De his, ad quæ ex officio curæ animarũ tenentur sacerdotes. 386
VI De cognitione & cura ouium in speciali. 388

FINIS.

LE-

LECTIONES DE INSTITVTIONE INFERIORVM SACERDOTVM.

LECTIO PRIMA.

De præparatione ad hanc doctrinam tradendam, & suscipiendam.

TRADITVRI necessariam doctrinam inferioribus Sacerdotibus tria putamus meritò esse præmittenda, & mihi & vobis, auditores charissimi, in primis necessaria, & attentissimè cogitãda, vt hæc quæ aggredimur cum fructu, Deo agente, peragamus.

Primum igitur illud aduertamus, quòd cùm in omnibus actionibus, negotijs, & operibus, etiam mechanicarum artium, valde necessaria sit scientia cognitioque rerum circa quas versantur, sine qua nihil rectè perfici & ad finem perduci valet, hoc maximè sacerdotibus necessarium esse ostenditur, vt videlicet rerum quas administrant, & conditionis atque præparationis eas tradentium atque suscipientium cognitionem habeant: ostenditur, inquam, ex excellentia atque dignitate earum rerum quas administrant, quæ tantò reliquas omnes res humanas excedũt, quantò Spiritus sancti charismata & Christi sanguis preciosiora sunt & delicatiora omni auro, argento, & lapidibus preciosis. Primũ enim quod in manibus sacerdotum versatur sacramẽta Christi sunt, preciosissima scilicet vasa sanguinis sui, & spiritus sancti gratiæ: & quod illis omnibus agitur, salus animarum est, pro quibus ipse Christus sanguinem suum & vitam dedit. Tanto igitur maius & diligentius studium ad cognoscẽda quæ ad hoc pertinent est adhibendũ, quãto præstant hæc his, quę ab omnibus alijs hominibus tractantur. Nihil itaq; perniciosius Ecclesiæ, quàm ignorantia in ministris eius, vt meritò dici possit, Si lumẽ quod in te est, tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Matth. 6. Hoc est, si ministri Christi, qui, qua parte eius ministerio fun-

guntur, lux sunt populi, ignorent Dei legem, eius dona, & gratiam, rudes homines, quos illi illuminandos suscipiunt, quales erunt ad Deum diuinaque cognoscenda? Nonne tota Ecclesia & vniuersus populus in tenebris erunt? Considerandum
Malach. 2. itaque hoc loco, quod dominus per Malachiam loquitur: Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus domini exercituum est nuntius, videlicet Dei ad homines, à quo eius voluntatem cognoscere habeant. Et quia in hunc locum incidimus, libet parum in hoc principio quæ ibi Deus sacerdotibus loquitur ante oculos nostros proponere, si fortè vel nonnihil excitemur è tanto somno et obliuione muneris nostri, loci, & gradus, deniq; & Dei ipsius, cuius ministri sumus, & incipiamus cogitare quàm nobis necessaria sit Dei illa scientia, de qua & propheta & Christus in-
Osea 6. quiunt: Scientiam Dei volo plus quàm sacrificium. Igitur re-
Matth. 9. petamus à principio quod dominus per Malachiam hoc loco sacerdotibus loquitur, à terribili proculdubio maledictione & commination incipiens: Maledictus, inquit, dolosus, qui habens in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile domino, quia rex magnus ego sum, dicit dominus exercituū. Et nomen meum horribile in gentibus. Sed quorsum hæc, aut quibus dicantur iam audiamus. Et nunc ad vos mandatum hoc ô sacerdotes, ad vos, inquit, hæc maledictio: vobis magnitudo regni mei, & honor debitus nomini meo proponitur: vobis, inquam, quorum est & pro vobis, & pro populo sacrificia offerre, quorū est Deum placare, qui circa eius aras versamini. Cauete igitur ne debile aliquid, ne infirmum & indignum domino offeratis. Quæ admonitio eò pertinet, vt nouerimus nos studia nostra, vitam & operā Deo deuouisse, si non mendaciter, & falsò ministrorum eius nomen assumpsimus. Deo debemus nosipsos, & nostra omnia. Illi cuncta obtulimus cum eius ministerijs mancipati sumus, multò verius, quàm qui regum & summorum principum obsequijs intendunt. Rex, inquit, magnus ego sum, & horribile nomen meum in gentibus, Quod propterea ad vos sacerdotes dicitur, quod hoc primum in vita & cunctis actionibus vestris ostendi debet, & manifestum fieri omnibus. Non igitur cogitandum est nobis, quòd ad quietem carnis, & otium, atque ignauiam comparandam sacerdotij gradum susceperimus: sed ad vigilantissimè astandum, & indefessè ministrandum coram magno hoc rege, cuius vultui assistere opus est, & maiestatem reue-

reuereri. Quia itaque voto vouimus domino noſtra omnia, & maſculum habemus in grege, hoc eſt, robur animi & conſtantiam, vires q́ue intendendi & ſtudēdi rebus ſerijs (nec enim natura hoc nobis quod ceteris hominibus datū eſt denegauit) maledicti erimus ſi debile domino immolemus: hoc eſt, ſi torpore & negligentia reſoluti minus attendamus, minus ſciamus & nouerimus quæ contrectamus manibus, atque ideo negligenter & cum ſocordia coram Deo miniſtremus. Ad vos itaque meritò, inquit, mandatum hoc ô ſacerdotes, ſi vlli homines vlli negotio diligenter inuigilant, & ſi quæ ad vllius hominis obſequia pertinent diligenter inquirunt, & ſtudio agnoſcendæ voluntatis ſuorum principum inſtant, ad vos hoc maximè ô ſacerdotes pertinet, ne debiliora ſcilicet immolatis domino ſummo quidem, & æterno, & cæleſti, quàm immolant terrenis dominis ſerui ſui. Quare iā exhortatur dominus, & ſub comminatione ad pœnitentiam vocans inquit ſacerdotibus: Si nolueritis audire me, & ſi nolueritis ponere ſuper cor, vt detis gloriam nomini meo, ait dominus exercituum, mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris, quoniam non poſuiſtis ſuper cor. Quibus verbis adhuc acrius noſtra ſtimulatur negligentia, & excitatur ſtudiū diſcendi & intelligendi. Comminatur enim dominus egeſtatem atq; penuriam non tam temporalium bonorum, quàm reuera ſpiritualium diuitiarum & bonorum illorū, quibus verè corā Deo diuites efficimur, operum ſcilicet veræ pietatis & virtutis. Cōminatur denique quòd maledicet benedictionibus noſtris, hoc eſt, quòd omnis benedictio, omnis imprecatio bona, quę ſuper nos cùm initiaremur inclamata eſt ab ipſa ſponſa Chriſti Eccleſia, conuertetur ſocordia noſtra in maledictionem, & pro plenitudine ſpiritus, quam impoſitio illa manus ſignificat, plenitudinem peccati, & ſpiritualis ignominiæ habituri ſumus, deniq; & quòd benedictiones, quas non alijs imprecamur, in maledictionem conuertentur, nobis ſaltem, qui indignè Dei nomine benedicimus alijs, etſi non illis, quibus potens eſt dominus etiā per malos miniſtros ſua dona conferre: ſed & illis etiam nonnunquam nos in maledictionem vertuntur, cum abſque ſcientia, & diſcretione nos eis benedicimus. Atque omnium horum malorum cauſſa hæc vnica dicitur. Quia non poſuiſtis ſuper cor. hoc eſt, vt Hieronymus inquit, quia noluiſtis intelligere quæ dicūtur, quia ignoraſtis Deum, & eius voluntatem. Quare & acrius adhuc comminatur, Ecce ego proijciā vobis brachiū,

& dispergam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum, & assumet vos secū. Quid rogo potest horribilius cogitari? Quoniā enim sacerdotibus veteris legis ex hostijs sanctiora quæque deputata erant, armus videlicet dexter animaliū, & quædam alia, honor atque virtus sacerdotalis his significatur verbis, Proijcit enim dominus in faciem cum ignominia quadam ea ipsa quę in honorem erant sacerdotibus collata, vt sacrū vnguentum vertatur illis in contumeliam, vt regalis corona in opprobrium. Quod cùm iam ante oculos conspiciamus subsannantibus hæreticis atque irridentibus sacerdotij Ecclesiastici dignitatem, cur in aliam causſam hoc referimus, & non in socordiam nostram? ob quam ita punimur, vt etiam propter nos nomen ipsum Dei blasphemetur, non quidem inter gentes, sed inter baptizatos ipsos. Ad quam pœnam si non expergiscimur, id restat, vt in æternum hoc sustineamus opprobriū: Dispergam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum, & assumet vos secum. Quò rogo assumet? nisi in locum ipsum immunditiæ & stercorum? Super vultum, inquit, vestrū dispergam stercus, immunditiam cogitationum, turpitudinem operum & verborum, quibus delectabamini in solennitatibus, inquit, non meis, sed vestris. Dum enim inter meas etiam solennitates non puduit vos carnales vestras festiuitates miscere, & meis omnibus pessimè in vestram vtilitatem abuti, mea horribili sacrilegio feciſtis vestra: vestra, inquā, stercora & immundicias: Meritò igitur assumēt vos secum. Et scietis, inquit, quia misi ad vos mandatum istud, vt esset pactum meum cum Leui, dicit Dominus exercituum. Tunc, inquit, quando dispersero super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum, agnoscetis quod pactum, quàm firmum & stabile fœdus & testamentum constituī ego sacerdotibus, quàm inuiolabile, quanto custodiendum timore & reuerentia, quanta sanctitate tenendum: tunc, inquit, intelligetis, cùm cæperit vos tenere pudor & confusio immunditiæ vestræ. Quod si in æternum pati nolumus, patiamur iam voluntariè à nobis ipsis per pœnitentiam, vt agnito quàm longè simus à dignitate nostra, quàm inuoluti stercori festiuitatum nostrarum, resipiscamus, & iam tandem audiamus apertius sacerdotij leges à Deo. Sequitur enim, Pactum meum fuit cum eo, scilicet Leui, in quo omnes sacerdotes designantur, pactum, inquam, meum vitæ & pacis: dedi ei timorem meum, & timuit me, & à facie nominis mei pauebat. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius. In

pace

pace & æquitate ambulauit mecũ, & multos auertit ab iniquitate. Hæc sunt ornamenta sacerdotalia, hæ leges & opera, hic honor, hoc pactum vitæ & pacis: Quorum remiseritis peccata: Quidquid solueritis super terram, promissio scilicet ad reconciliandos homines Deo, ad viuificandas animas. Sed hoc timore Dei est retinendum, timore, inquam, quem non à nobis, sed ab eius spiritu habere possumus. Dedi, inquit, ei timorem meũ. exercendum verò cum scientia & doctrina scripturæ: vt scilicet & in corde nostro fulgeat spiritualis lux sacrorum verborum, & in ore adfluat diuina illa & spiritualis eloquentia sermonis Dei, qui sanat omnia. Sic enim demum exurgunt mortui, & reconciliantur inimici Deo: sic & sacerdotes dignè viuunt Deo, à peccatis auertũt homines. Lex, inquit, veritatis fuit in ore eius hãc loquebatur: & vnde, nisi ex abundantia cordis? Propterea iniquitas non fuit in labijs eius. Vnde demum fit, vt & his consonent opera: In pace & æquitate ambulauit mecum. & inde oriãtur fructus: Multos, inquit, auertit ab iniquitate. Et iam tãdem, quod à principio diximus, sequitur: Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. In quibus nunc multò melius aduertere possumus, quàm hæc diuinæ legis scientia necessaria sit sacerdotibus, quantoque Dei timore & studio quærenda, quando non nisi post tanta verborum pondera, post tantam grauitatem sententiarum ad hoc ventum est, vt diceretur: Labia sacerdotũ custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, populi scilicet & subditi, qui certè non minori iure ab eis salutarem doctrinam exigere possunt, quàm sacerdotes ab ijs stipendia illa, & temporalia sustentationis iura. Vbi tandem & quod sequitur audiamus, timentes ne meritò nobis conueniat: Vos autem recessistis de via, & scandalisastis plurimos in lege. Irritum fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum. Quid enim de via recedere aliud est, quàm studium omittere necessariæ scientiæ, qua deducendi sumus? Et quid in lege plurimos scandalizare, siue infirmos, vt septuaginta dixerunt, efficere, quàm ignorantia nostra & obliuione legem Dei in ore tenendi, ad minus eam amandam, minus cogitandam nostro hoc exemplo populos trahere? Quid denique pactum & testamentum Leui irritum facere, quàm ignorantia nostra diuina illa sacramenta testamenti, & fœderis Dei ad nos certissima sigilla indignè tractare, & indignis tradere? Propter quod (inquit) & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis, sicut non seruastis

stis vias meas, & accepistis faciem in lege, hoc est, secundum faciem, & non rectum iudicium iudicastis, personas potius quàm causas respicientes: aut superficiem potius quàm veritatem. Quod magis ad scientiam, de qua agimus, pertinet, & consonat verbo Christi reprehendentis in pharisæis hanc, vt ita dicamus, superficialem legis doctrinam: Nolite, inquit, iudicare secundū faciem, sed rectum iudicium iudicate. Expendamus igitur seriò hæc omnia apud nos, moueat animum nostrum tāta Dei auctoritas, vt scientiam sacerdotibus dignam non omittamus. Nam & hanc ipsam Oseæ illud verbum, cuius superius meminimus: Scientiam Dei volo plus quàm holocaustum, non minus coniunctam sacerdotij gradui, quàm sit ipsa sacrificij oblatio ostendit: vt tolerabilius sit sacerdoti non sacrificare, quàm non intentum esse diuinæ legis studijs. Vnde & rursum per eundem prophetam clamat Deus: Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi: & oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego. Hæc itaque Dominus Synagogæ propter sacerdotes, & sacerdotibus dicit; multò magis hoc dicturus Ecclesiæ, cuius primi meritò filij sacerdotes sunt, de quibus ibi dicitur: obliuiscar filiorum tuorū & ego. Sic enim mox sequitur: Secundum multitudinem eorū sic peccauerunt mihi. Gloriam eorum in ignominiam commutabo, peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem subleuabunt animas eorum. Quādiu enim non arguunt & increpant vitia, sua quodammodo ea efficiunt, & sibi incorporant, & erigere quodammodo ad peccata dicuntur quos non corrigunt: Vnde tandem dicitur: Et erit sicut populus, sic sacerdos. Quod certè summum malum est, cùm eo venitur, vt nihilo doctior, nihilo sanctior sacerdos sit, quàm populus. Assurgamus igitur ad legis Dei studia, ad salutarem quærendam scientiam, eamque in primis à vero Dei timore, ab illustratione eius, à lectione sacra petamus: quod primum omnium admonendum putauimus. Adiungamus iam secundum huic etiam principio necessarium.

Ioan. 7.

Osea 4.

Sacerdotes non possūt solo priuato studio quæ necessaria sunt discere.

Hæc sacerdotibus necessaria scientia non potest plenè & cōuenienter haberi sola priuata apud se lectione, sed necessaria est diligens auscultatio doctorū, studium, atque meditatio, humilis interrogatio & inquisitio: vt scilicet exemplo Christi, qui plenè instrui cupit, sedeat in medio doctorum, audiens illos & interrogans, similiter etiam & respondens. Quod ideo diximus, ne quis putet domi suæ secum agens, aut æditos de his rebus libros legens, bene instrui posse. Nam præterquam quòd S. Hieronymus

ronymus in epistola illa ad Paulinum de omnibus libris sacræ scripturæ, multis & sacræ scripturæ, & Ethnicorum exemplis probat doctorem necessariũ esse atque ductorem ad scripturæ sacræ scientiam habendam, apertè constat hunc modũ tradendi doctrinam verbo, & eam auditu discendi ab Apostolis obseruatum, & obseruari præceptum in Ecclesia, vt Paulus Timotheo suo dicit: Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere. Discipulũ necesse est esse huius doctrinæ, & viua doctoris voce, & doctoris ecclesiastici eam discere. Quare etiam nihil doctori ecclesiastico, atque adeò Episcopo, iuxta hanc Pauli admonitionem, diligentius obseruandum, quàm vt ecclesiasticam doctrinam tradat. Id quod nos iam eius nomine, auctoritate', & iussu agimus. Vt in hac schola habeant simpliciores sacerdotes mediocritati suæ conuenientem doctrinam. 2. ad Tim. 2

Tertium denique subijciamus in hoc etiam principio meritò obseruandum. Quòd integram & sufficientem huius rei doctrinam tradere non parum difficile est, sed adeò certè arduum, vt temerarium sit hoc promittere. Multa sunt & varia, lateque patent vniuersa quæ ad hoc pertinent: diuersæ in eis sententiæ, & nonnunquam in minutissimis versari oportet hæc tractantem. Quare non sine timore hoc opus aggredimur, considerantes illud Iacobi: Nolite plures magistri effici fratres scientes, quia maius iudicium sumitis. Sed audemus tandem vel hoc tentare diuinæ gratiæ auxilio cõfisi, & vestrarum orationum suffragia, auditores charissimi, postulantes. modò vos prius admonuerim, quòd hoc meo qualicunque labore nõ intendam integrã, & absolutam, & quæ sola sufficere possit sacerdotibus, doctrinã tradere: sed qua admoneamur omnes ad assiduam scripturæ & Patrum lectionem, ad agnoscendum quid nobis desit, ad conandum quotidiana exercitatione proficere. Iacobi 3. *Auctoris scopus atq; consilium.*

LECTIO SECVNDA.

De diuisione & ordine eorum quæ tradenda sunt, & scientia necessaria ad ministeria sacerdotalia.

VT IGITVR ordine in hac doctrina procedamus, quod maximam auditoribus lucē præbet, in sacerdote duo sunt præcipuè considerandа: alterum quod ad functionem ipsam & ministerium sacerdotale pertinet: alterum quod ad mores eius & reliquam vitā. Hæc duo meritò nobis docenda sunt, vt nouerint sacerdotes quid pertineat ad officium & actus ipsos sacerdotales: deinde quid ad ceteros mores, & reliquum agendæ vitæ ordinem. Hæc igitur sic digessimus, vt primum scientiam tradamus ad sacerdotale ministerium necessariam, deinde & eā qua cognoscatur quanta, & quæ sanctitas vitæ & morum illis conueniat. Quanquam enim hoc prius videretur tradendum, vt videlicet prius nouerint vitam suam componere sacerdotes, in postremum tamen locum illud reiecimus: quoniam tunc facilius poterunt quæ de eo dicenda sunt capi, & ratio illorum plenius intelligi post illa quæ de ministerio docenda sunt. Iam verò vt hæc duo suo ordine dilucidè tractentur & seorsim, prius est nobis de quolibet eorum in genere & in vniuersum dicendum, vt deinde ad singula circa vnumquodque doctrina progrediatur: vt videlicet in ipso limine totius huius ædificij formam quasi descriptam intueamur, & prægustemus quodammodo, libemusque cuncta quæ latius postea sunt explicanda. Quanta itaque, & quarum rerum scientia ad tractanda ministeria sacerdotalia opus sit, est in hoc principio ante oculos proponendū. Quod vt morem docendi sequentes faciamus, statuatur in primis nobis hæc certissima & vniuersalis propositio, omnium, quæ circa hoc dicenda sunt fundamentum.

Quanta et quarū rerū sciētia necessaria sit sacerdoti.

Prima propositio.

Tenetur quilibet ordinem aliquem aut gradum in Ecclesia habens scire quæ necessaria sunt ad ritè exercendos sui ordinis actus. Hæc propositio certissima ratione constat. Nec enim sine ratione dirigente humanus aliquis actus fieri potest, nec ratio rectè dirigere nisi per scientiam instructa: qui igitur caret scientia eorum quæ operatur, quid aliud quàm temerarius & stul-

stultus est? Hac etiam vtuntur omnes qui de hac re loquuntur tanquam certissimo fundamento: nostri quidem Theologi in distinctione 24. quarti Sententiarum: vbi b. Thomas quæstione 1. articulo 3. illam asserit. Periti etiam Canonum in 36. distinctione decreti, & nonnullis sequentibus: & Titulo de ætate & qualitate ordinãdorũ in Decretalibus. Vt verò ex ea quæ propositæ inquisitioni cõueniant deducamus, constituatur etiã altera propositio certissima de gradu atq; ordine sacerdotũ in Ecclesia.

Secunda propositio.

Sacerdotum simplicium gradus in Ecclesia à Christo domino in septuaginta duobus discipulis designatus est, cum potestate proculdubio in corpus Christi verum consecrandum, & clauium etiam in mysticum, non tamen cum plena & perfecta animarum cura, sed vt sub Episcopis in eorũ adiutorium, prout illi præscripserint, sui ordinis actus exerceant, siue animarum aliquam specialem curam habeant, siue non. Atque ita in Ecclesia hic sacerdotum ordo & gradus ab Apostolis vsque ad nos perseuerat, vt antiquorũ testimonio, & præsenti obseruatione constat. Hæc ostendit sacerdotibus quem locum & ordinem in Ecclesia teneant, id quod est semper præ oculis habendum. Et certè cùm nihil tranquillitati Ecclesiæ magis conducat, quàm vt quilibet gradum suum teneat, vt Paulus ad Rom. & in priori ad Corint. docet, valde profuerit vt quisque suum noscat gradum, & illum teneat. Ad hoc igitur probandum sufficiat auctoritas Anacleti, Apostoli Petri discipuli & successoris, vel Clemẽtis, vel ipsius Petri secundum alios, coadiutoris. Hic enim in epistola 3. de ecclesiasticis gradibus: Sacerdotũ, inquit, fratres, ordo bipartitus est, & sicut Dominus illũ constituit, à nullo debet perturbari: & hoc explicans tandem: Episcopi, inquit, Apostolorum, Presbyteri quoque 72. discipulorum locum tenent. Illam etiam Dionysius Areopagita Pauli discipulus in 6. cap. Eccles. hierarch. apertè asserit, tres gradus ministrorũm distinguens: Diaconorum, scilicet Presbyterorum, & Episcoporum. Primus tribuit purgare, presbyteris illuminare, perficere Episcopis. Vbi apertè distinguit hos gradus, & sub Episcopis collocat presbyteros: & per totũ illum librũ in sacramentis omnibus, & actibus episcopalibus sacerdotes inferiores astantes Episcopis inducit. Hoc deniq; ostendit quod Paulus Timotheo dicit: Presbiteri qui bene præsunt duplici honore digni sunt. Vbi inter reliquos Ecclesiæ gradus, quos sub Episcopi dispensatione collocat, presbyterorum etiam meminit. Quanquam nonnunquam aliter in antiquorum Patrum dictis scriptum in-

Quem gradũ & quã potestatẽ habeant simplices sacerdotes in Ecclesia.

Cap. 12.

Cap. 12.

1. Tim. 5.

teniatur,& aliquando fortè factum in pœnuria illa ministrorū primitiuæ Ecclesiæ, & summa omnium modestia, vt idem vel diceretur vel esset Presbyter & Episcopus, cùm Episcopi nullos sub se presbyteros haberent, nullusque alteri aut præesse cuperet, aut grauaretur subesse, de quo tamen alibi latius dicendum Habet itaque Episcopus hoc modo presbyteros sub se, siue in parochijs constitutos & curam gerentes animarum secundum præfixam sibi à Canonibus regulam, siue ad alia sacerdotalia opera destinatos, vt ad docendum, atque hæc aut alia agendum. Ipse tamen simpliciter & perfectè curam habet animarum: ipse sponsus est Ecclesiæ, alij amici & adiutores: quanquam habeant curati ordinariam potestatem, quod etiam ostendit perpetua illa dependentia presbyterorum ab Episcopis. Nam & ab ipsis ordinantur, & ordinati non omnia sacramenta administrant, nec omnes peragunt ecclesiasticos actus: & in ijs sacramentis & actibus, qui sibi permissi sunt ab Episcopis dependent. Nam sine vestibus & vasis ab eis consecratis non celebrant, neque Baptismum conferunt sine oleo ab ipsis cōsecrato, & in ipso sacramento Pœnitentiæ quædam sibi reseruant Episcopi. Quibus omnibus apertè ostenditur hæc presbyterorum sub Episcopis ordinatio, quam illi libenter suscipere, & de ea sibi congratulari meritò debent, quòd per hanc eis multo minor cura incumbit, & minor ab eis exigenda sit ratio.

Quid sacerdotem in speciali oporteat scire.

Ex hac igitur tam manifestè fundata propositione & præcedenti iam in speciali quid scire teneatur Sacerdos inferamus: id quod præmissa distinctione, quam beatus Thomas in illo loco quarti sentent. suprà citato posuit, faciemus. Nam sacerdotes possunt vti tantum potestate consecrandi, quam habent supra corpus Christi verum, cùm scilicet nullum alium actum sui ordinis exercere volunt, sicut multi monachorum ad hoc tantùm ordinantur vt celebrent, & diuina peragant officia: possunt etiā vti omnia sua potestate in omnium sacramentorum ipsis permissorum administratione, & animarum cura, siue ordinaria, siue delegata. Qua distinctione præmissa, tria inferimus ex supradictis probata.

Primum. Qui tantùm ad celebrandum ordinantur, siue hunc tantùm exercent actū sacerdotij, & ad hunc tantùm astricti volunt esse, satis est vt habeant scientiā integritatis & vsus huius sacramenti, & ceterorum quæ ad illud peragendum necessaria sunt. Ita b. Tho. supradicto loco & apertè ex dictis infertur.

Secun-

Secundum. Qui omnes sacerdotales actus exercere vult in Ecclesia, aut curam animarum habere, tenetur scire sequentia: Primò quæ ad integritatem & vsum sacramentorum pertinent, eorum præcipuè quæ administrat. Secundò, discernere mortalia peccata à venialibus, leuiora à grauioribus. Tertiò, mederi infirmitatibus animarum. Quartò denique, doctrinam fidei & morum communem, & necessariam populo. Hæc apertè ex supradictis sequuntur: quoniam hęc ad illos actus pertinent, quos ex officio suo exercent sacerdotes, maximè animarum curam habentes. Et primum quidem de sacramentis quæ administrãt, probat primum illud quod diximus de necessaria scientia eorum quæ ab vnoquoque exercentur. Duo verò reliqua ex eodem inferuntur. Nam sacramentum pœnitentiæ sine his administrari non potest: & de discretione quidem peccatorum apertum est: de medendi verò ratione Canon ille Concilij Lateranensis sub Innocentio tertio: Omnis vtriusque sexus, probat. Sacerdos, inquit, sit discretus & cautus, vt more periti medici superinfundat vinum & oleum, diligenter inquirens & peccatoris circũstantias & peccati, ex quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo ad sanandum ægrotum. Quæ verba sunt diligenter sacerdotibus consideranda. Quartum verò patet etiam: quoniam ad docendum populum tenetur parochus: nec sine quotidiano pane doctrinæ diutius possunt animæ viuere.

Quæ scire debeat sacerdos cui cũra animarũ gerenda.

Tertium igitur, quo iam territos præcedenti doctrina consolemur, id est. Quod hæc, quæ dicta sunt, non tenentur plenè & integrè sacerdotes inferiores nosse, ita scilicet, vt difficiliora dubia possint soluere, sed quantũ sibi ab Episcopo traditum, & quantum satis est ad ea quæ communiter accidunt iudicanda, & maiora dubia Episcopis & maioribus referenda. Hoc apertè ex secunda illa propositione sequitur, quæ ostendit proprium gradum sacerdotis, qui est proculdubio Episcopo subditum esse, & ab eo dirigi: ex quo multum consulitur infirmitati humanæ. Nec enim possunt omnes perfectè docti esse: & consulitur bene Ecclesiæ per maiorum, Episcoporum scilicet, plenam rerum necessariarum scientiam, ad quos inferiores gradus semper recurrunt, & prò temporum & negotiorum necessitatibus ab eis instruuntur. Hinc Gerson Cancellarius Parisiensis inter quasdã considerationes de statu Curatorum inquit, facili studio posse Curatos scire necessaria sibi. Et in Concilio Toletano 4.

Sacerdotes inferiores non tenẽtur perfectè scire ea quæ illis necessaria sunt.

Cap.

Cap.25.ita dicitur: Presbyteri cùm ordinantur in parochijs, libellum officialem ab Episcopo accipiant, vt instructi accedant. Concilium etiam generale sub Innocentio 3. Episcopis præcipit, vt sacerdotes diligenter instruant & informent per se, vel per viros idoneos super diuinis officijs & Ecclesiasticis sacramentis. Sic habes de qualitate & ætate ordinandorum in Decretalibus in cap. Cùm sit ars artium. Ex his quidem apertè patet Episcopos ad hoc teneri: & certè iuxta hæc Concilia deberet semper apud Episcopos de his rebus conueniens tradi doctrina: quòd Dei gratia iam hîc videmus: alij sibi prospiciant. Cæterùm si illi negligentes fuerint, non putent sacerdotes se ideo excusatos esse: nulla enim ratione excusari potest, qui necessaria suo ordini nō curat discere. Cæterùm Dionys. Carthu. libro de vita Curatorū, quem librum ideo, citamus, quoniam de hac quā tradimus doctrina diligenter scriptus est, & meritò ab his quos nunc docemus legendus, ille igitur ibi Art. 8. citatis quibusdam alijs, maximè primo capite Dist. 38. quod est in Concilio illo Toletano 4. & altero eadem dist. quod ibi tribuitur Augustino, sed non puto illius esse, verùm ex diuersis ab aliquo collectum, incipit verò: Quę ipsis sacerdotibus necessaria sunt &c. indicat assiduo studio illis opus esse, vt scilicet Homelias quæ per circulum anni conueniunt. Canones pœnitentiales, Psalterium, & quædam alia, quæ ibi referuntur, frequenter legant, & in illis versentur: & quanquam illa, quæ ex Decreto adducit, magis ad Episcopos pertineant, non tamen dubium esse debet etiam parochos teneri ad exhortandum populum, & admonendum de necessarijs ad salutem, & ad arguendum eorum vitia, quod sine scientia eorum quæ in his communia sunt, fieri non potest. Nos itaque putamus nullum debere verbis illis Gersonis ita adhærere, vt putet modico aut nullo studio posse satisfieri sacerdotali officio: sed opus est certè lectione assidua vtilium & moralium Doctorum, non tamen inquisitione rerū difficilium & arduarū, quod putamus Gersonem sensisse. Nam non est parum, posse mederi animabus pro diuersitate infirmitatum, sed necesse est Scripturæ & Patrum lectione, & exercitio etiam virtutum, & oratione, & interrogatione frequenti maiorum & exercitatorum hæc inquiri, quod nunc satis esse debet propositæ inquisitioni.

Episcopi per se aut alios idoneos debēt sacerdotes instituere.

LECTIO

LECTIO TERTIA.

De scientia eorum quæ ad mores & vitam pertinent in genere.

QVIA igitur quid circa ministeria sua scire teneantur sacerdotes dictum est, agè iam & de his quæ circa vitam & mores suos agnoscere debent in genere nũc dicamus. Quanquam igitur de hac, quæ ad vitam sacerdotũ pertinet scientia multa meritò dici possunt, breuiter tamẽ ad tria omnia reducemus. Primũ, quod in ingressu accessuq; ad sacerdotalẽ ordinem maximè obseruandum est, scilicet rectitudo Intentionis, & præsumptionis repressio. Secundum, quod in ipsa executione & exercitio ordinum præcipuè est considerandum, mundicia cordis, & ab omni, maximè mortali peccato perpetua animæ præseruatio. Tertiũ deniq;, quod sequatur iam hæc omnia, & vltimò curetur, est infirmitatis propriæ & imperfectionis vera cognitio. *Tria sunt sacerdotibus necessaria.*

Hæc tria tradit nobis sanctissimus ille pontifex Gregorius in libro suo Curæ pastoralis, quem omnibus de hac materia scriptis, quos videmus, meritò præponimus, & iudicamus primò omnium legendum esse diligenter à cunctis qui cupiunt institui rectè ad sacerdotalia officia. Ille igitur statim in principio quatuor consideranda proponit, quæ quatuor partibus illius libri pertractat: in quibus, quamuis præcipuè de Episcopis loquatur, tamen ceteros etiam instruit. Ex illis igitur vnum ad eam pertinet scientiam, de qua superiori lectione diximus: reliqua tria ad eam de qua nunc agimus morum scientiam. Sed ipsum iã audiamus. Ad culmen, inquit, regiminis considerandũ est qualiter quis veniat. En primum, de accessu scilicet & ingressu. Sequitur: Et rectè veniens qualiter viuat: hoc est secundum, de mundicia scilicet vitæ in sacrorum ordinum exercitatione. Addit: Et bene viuens qualiter doceat: hoc ad scientiam de qua dictum est pertinet. Sequitur quartum. Et rectè docens infirmitatem suam quanta consideratione cognoscat: de quibus certè sufficeret, si rectè expẽderetur supradicti libri lectio. Verùm vt imbecillioribus consulamus, illum sequentes, conabimur quædam fusius & hic, & in singulorum tractatione explicare. In accessu igitur ad sacerdotium meritò rectitudo intentionis pri-

Volenti initiari sacris recta intentio est necessaria.

Triplex intentio nõ recta volentis sacris initiari.

primò seruanda est, nam hæc in omnibus bonis operibus necessaria est, sine qua nullum est bonum opus. Rectæ verò intentioni tria opponuntur: intentio videlicet mala, præpostera siue inordinata, subdola & fallax: quæ b. Gregorius eo loco ostẽdit, de quibus breuiter sequentia notentur.

Primum. intentio mala, cùm scilicet intentione mali alicuius consequendi ad sacerdotium acceditur, non solùm ipsam sacerdotij susceptionem malam reddit & sacrilegam, sed proculdubio omnia sequentia opera maculat, quousque tandem illa purgetur & in melius commutetur. De hac exponit Augustinus illud Euangelij: Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuũ tenebrosum erit. Merito enim intentio oculus dicitur, quòd illa cetera omnia dirigat, in ipsum scopum & finem operis considerans & intuens.

Math. 6.

Secundum. Intentio præpostera in sacerdotij susceptione, & maximè in animarum cura subcunda, cùm scilicet propter honorem gradus, vel temporalium aut abundantiam aut sufficientiam sacerdotium susscipitur. Est autem hoc mortale & graue peccatum, aut certè illi proximum, & in apertum periculum & discrimen salutis trahens hominem. Hoc beatus Gregorius 1. cap. illius libri satis ostendit, & specialius probat b. Thomas in quæstio: 185. ait. 1. secunda secundæ. de Episcopatu quidem loquens, sed est eadem ratio in ceteris: ad quod sufficere debent

Math. 23.

Euangelij illa loca, in quibus appetitus iste reprehẽditur: Amãt primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis. Est etiam ad hoc apertissima ratio. Nam finis proculdubio præponitur medijs, & præ illis amatur, nec plus quæritur in medijs quàm quod fini sufficiat. Qui igitur sacerdos fit ob honorem aut diuitias, primò magis illas amat quàm spiritualia, quæ summa peruersitas est, & proculdubio mortalis: & necesse est, vt honore vel diuitijs acquisitis contemnat alia. Non hic damnamus mortalis peccati omnes motus humanæ infirmitatis. In his enim, modò deliberatio voluntatis non adiungatur, magis sunt necessitatis cuiusdam humanæ lapsus, siue quibus vix viuitur etiam à sanctis, quàm grauia peccata. Ceterùm si quis dixerit fieri posse, vt ita aliquis voluntate certa & deliberata propter diuitias aut honorem sacerdos fiat, proponens tamen implere quæ necessaria sunt sacerdotalis ordinis, atque ideo fortasis hic non mortaliter peccabit, nec illa finis essent dicenda sacerdotij, sed magis mouentia atque excitantia animũ, non contradicimus, nec anxiè volumus peccati mortales damnare sem-

per,

per, aut iudicare intentionis humanæ occultum, maximè proximorum, cùm nec Paulus propriæ conscientiæ secreta iudicet. Satis sit vt hoc intelligamus fugiendum, & quãto quis longius ab hoc appetitu fuerit, tanto purius se putet accedere: & quanto propius huic adhæserit, tantum intelligat se & à dignitate sacerdotij alienum, & in eo gradu versari cum discrimine salutis, qui cùm sanctus sit, non nisi sanctè suscipiendus est.

Tertium. Subdola & fallax intentio, de qua Gregorius 9. cap. primi illius libri inquit, quòd mens quandoque sibijpsi mentitur, & de bono opere fingit se amare quod non amat, non minus peccatum est, quàm ipsa mala, aut præpostera intenti, sed grauius & periculosius propter fallaciam & dolum, quo Deus maximè offenditur, etsi non irridetur, vt Paulus inquit, & homo sibi se maximè abscondit, cùm speciem prætendit sanctitatis. Est itaque hoc fugiendum nouissimorum temporum malum, vt Paulus admonet: Instabunt tempora periculosa: erunt homines amantes seipsos, cupidi, elati, & post cetera inquit: Speciem quidem sanctitatis habentes, virtutem autem eius abnegantes. Quod valde pertimescendum est, & curandum, ne intentio sit dupla & fallax, sed simplex. Hoc est enim illud Euangelij: Si oculus tuus fuerit simplex &c. Vnum aspiciamus, in illud tendamus, Deum scilicet: reliqua adijcientur, inquit Christus in Euangelio. Id non perfunctorie fiat & in speciem tantùm, sed discutiamus intentionem nostram, ne nobis conueniat illud Euangelij: Si lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Lumen intentio esse deberet: si illa est obscura, omnia erunt tenebræ. Non desunt signa vnde intentio agnosci possit, cùm se conatur abscondere, de quibus aliàs. Nunc satis sit illud Fulgentij in Homelia de Confessoribus sanctè & eleganter dictum: Vis nosse vbi est thesaurus tuus? attende quid ames: vis nosse quid amas? attende quid cogites: hoc est enim: vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Hæc de intentione. Iam de præsumptione fugienda dicendum, de qua hæc certa statuatur propositio.

2. Tim. 3.

Luca 11.

Math. 6.

Sacerdotium cum animarũ cura nõ sine præsumptione grauis & periculosa appeti potest. Hanc & Gregorius eo libro, & b. Thomas supradicto art. probant: & plena est scriptura sacra, & sanctorum doctrina reprehensionis huius: & apertissima ratio ostendit. Id enim quod sine magno adiutorio diuinæ gratiæ, & sine magno munere sanctitatis, & charitatis fieri re-

Præsumptuosum & periculosum appetere curam animarũ.

ctè

Cte non potest, à nullo est aggrediendum, nisi cui imponitur: talis verò est cura animarum. Est itaque in his quę imposita susçipienda sunt propter charitatem & obedientiã, non verò ambienda. Quod illud Pauli apertissimè testatur: Nemo sibi assumat honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: sic & Christus non semetipsum clarificauit vt pontifex fieret. Quem non hoc verbum & exemplum Christi deterreat? Inueniri fortè poterunt casus, vbi vel propter necessitatem, vel charitatem hoc appeteretur, sed nos certè id rarò putamus fieri posse iuxta patrum doctrinam. Est itaque hic appetitus regulariter mortale peccatum, appetitus inquam firmus, deliberatus, & certus, quo hæc quæruntur, petuntur, & exiguntur. Cùm verò hæc desideria insurgentia comprimuntur, aut certè superioris regulæ subijciuntur, nihilque agitur vt ille trahatur, vel vt aliter quam iustè operetur infirmitates sunt humanæ, fugiendæ tamen. Hæc itaque pertinent ad ingressum sacerdotij. Iam de his quę ad exercitationem spectant.

Ad Heb. 5.

Quãta mũdicia & puritas vitæ necessaria in executione Sacerdotij. Malach. 2.

Diximus magnam mundiciam & puritatem vitæ necessariam in executione Sacerdotij: id iam explicandum. Sanctitas ministeriorum & actuum sacerdotalium requirit proculdubio sanctitatem in ministro. Sunt enim illa talia vt nec pollui possint nec violari: sed qui immundus illa exercet, quantum in ipso est contaminat. Quare inquit Dionys. 1. Cap. Eccles. Hierar. immundis nec tangere symbola fas esse: vocat verò symbola sacramenta. Imò & Deum ipsum irridere & contemnere dicit in Epistola ad Demophilum, qui talia agit. Maledicam, inquit Dominus per Prophetam, benedictionibus vestris. Orationes enim, & reliqua immundorum Sacerdotum opera, quantum ex illis est, magis iram prouocant, vt Gregorius etiam dicit. Vbi considerandum posteriores doctores, qui specialia magis tractãt de hac re, diuersimodè locutos esse. Sunt qui putent eum qui in peccato exercet actus quoscunque ministerij Ecclesiastici, videlicet ordinis, etiam cuiuscunque minoris ordinis, aut certè Iurisdictionis, mortaliter peccare: quod b. Thom. in 4. dicit, & alijs etiam locis: quod certè satis rationi videretur consonum: exhibet enim se Christi & Ecclesiæ ministrum qui actus illos exercet: vnde se illi non conformans quantum in se est proculdubio eis infert contumeliam, & aufert etiam, quantum in ipso est, non modicum fructum animabus ipsis quem ex eius deuotione consequi possent. Iuxta quam sententiam, qui in peccato mortali est, & persoluit diuinum officium, aut Sacramentum

dist. 5. q. 2. art. 1. & dist. 24. q. 1. art. 3.

mentum quodcunque confert, immo duntaxat contingit, & denique cuiuscunque ordinis actum, vt ministet, exercet, peccat mortaliter: sicut etiam prælatus aut corrigens aut puniens subditum. Alij verò, quibus nimis videtur hoc durũ, tunc duntaxat putant mortaliter peccari à ministro, cùm Sacramenta dispensat, aut proprium aliquem actum sacro deputatum Ordini exercet vt ministet. Et hoc b. Thomas apertè asserit, iam doctior effectus, in tertia parte summæ. Itaque multi secundum hunc modum excipiendi sunt actus, in quibus non peccatur ab immundo. Secundum tamẽ omnes (quod certissimum esse debet) in omni administratione Sacramẽti siue contactu, qui proprius est ministris, peccat mortaliter immundus. Vnde & prædicans, & Baptisans cum solemnitate, vel tantum gestans venerabile sacramentum, grauissimo sacrilegio peccat, non verò Baptisans in necessitate vt priuatus: de quo latius aliàs dicendum, sed nunc proposito hoc satis sit. Iam ex hoc ita colligamus. Si hęc in peccato exercere peccatum est, ad quæ tamẽ exercenda semper paratus debet esse sacerdos, maximè curatus, & frequentissimè occurrunt casus in quibus facienda sunt, grauissimum est periculum existentium in peccato. Itaque dicamus hîc, quod Siricius Papa & Innocentius eodem ore dicunt: Si Sacerdotes veteris legis, cùm illa ministeria exercebant, & à consortio vxorũ, & ab omni cura rei familiaris sequestrati in templo permanebant: quid Sacerdotes nouæ legis acturi sunt, qui sua ministeria nunquam non exercent? Si Paulus ijs qui iuncti sunt matrimonio indicit ad tempus continentiam, vt orationi vacent: quales illi esse debent, quibus pro tota Ecclesia semper orandum est? Lutherani detestantur hos duos pontifices sanctissimos, quos dicunt hac ratione legem cælibatus indixisse: sed mentiuntur planè. Extant ante ipsos apertissima testimonia conciliorum & doctorum, ab ipsis etiam Apostolis, de hac lege cælibatus indicta: de qua re, quia postea dicturi sumus, nunc hoc assumamus, proposito nostro conueniens: quàm debeant à peccatis mortalibus immunes esse Sacerdotes, quos etiã ab aliòqui licitis sancti illi Pontifices, immo tã aperta ratio docet meritò abstinere. Huc pertinent cuncta illa, quæ in sacris Concilijs & Canonibus Sacerdotibus vel interdicuntur, vel præcipiuntur ad splendorẽ sui ordinis dignè seruandum: quæ etiam tenentur & scire & seruare, vt in speciali postea dicendum est.

Epistola. 1. ca. 7. 1. Epistola 2. c. 9 & 3. c. 1:

1. ad Cor. 7.

Iam ad Tertiũ, quod vltimò diximus requiri quasi post omnia Sacerdotij officia, propriæ scilicet infirmitatis diligens cir-

Quàm necessaria sit sacerdoti propriæ infirmitatis & imperfectionis cognitio.

cumspectio & certa cognitio. De hoc itaque vnũ duntaxat admonemus: quòd cognitio imperfectionis & infirmitatis propriæ, etsi omnibus Christianis summè necessaria sit, sacerdotibus tamen præ ceteris omnibus eo magis, quo maiora exercent in Ecclesia. Hoc b. Gregorius in 4. parte sui pastoralis, his maximè qui docent obseruandum admonet: ne dum alijs, inquit, prosunt, inde sibi noceant dum superbiunt. Nobis verò circa hæc, quò attentius considerentur, quandoquidem sunt omnibus valde necessaria, nõnihil immorari libet. Quòd igitur omni Christiano summè sit necessaria propriæ infirmitatis cognitio, hinc patet: quoniam, quum reuera in multis offendamus omnes, & omnes iustitiæ nostræ vt pannus menstruatæ sint, nõ aliud nobis est refugium, quã in nostri humili cognitione. Quod Chri-

Matth. 9. stus Dominus docet: Non est, inquiens, opus medico valentibus, sed malè habentibus. Qui ergo suam non agnoscit infirmitatem, huic Christus non est medicus. Bene itaque admonẽt, qui nullam, quantumuis magnam virtutem dicunt sine vera cognitione imperfecti sui alicuius esse momenti apud Deum. Iam tanto hoc sacerdotibus magis conuenit, quanto propinquiores

1. euit. 10. sunt Deo: Sanctificabor, inquit ipse, in his qui appropinquant mihi. Ceterum nulla, vt dictum est, sanctificatio præter hanc sui

Hebræ. 5. humilem cognitionem vera est. Meritò itaque Paulus inquit de sacerdote: Quoniam & ipse circundatus infirmitate: propterea debet sicut pro populo, ita & pro seipso offerre pro peccatis. Nihil magis in securitatem noxiam, & in timoris Dei obliuionem hominem ducit, quàm inter quotidiana sanctitatis officia infirmitatis suæ inconsideratio, propter quam assiduè & quotidie celebrantes & orantes videmus, sicuti in psalmo est, Tanquam vulneratos dormientes in sepulchris, quorum non est memor amplius, & ipsi de manu tua repulsa sunt, traditos videlicet in reprobrum sensum & miserabilem tepiditatem. Hæc igitur sint nobis in hoc principio proposita quasi totius operis quædam insinuatio, & veluti lineamenta quædam quæ sequamur. Hoc enim toto opere agendum est, vt quæ diximus scienda esse sacerdotibus doceamus: idque eo ipso ordine quo proposita sunt, iuxta quem in his quæ ad ministeria sacerdotalia pertinent (quæ primò docenda proposuimus) primum locum Sacramenta tenent, & meritò quidem: nam circa hæc præcipuè est tota sacerdotalis functio, immo & actiones ecclesiasticæ magna ex parte circa ea versantur. De his igitur iam agamus.

QVAR-

QVARTA LECTIO.

De cultu Dei in religione Christiana, origine & partibus eius.

Sacramẽta ad Dei cultum pertinent.

SACRAMENTA igitur hæc, quæ in Ecclesia traduntur & suscipiuntur sub rerum visibilium figuris, certum est ad cultum Dei pertinere, & reuera cultus quosdã esse proprios Christianæ Religionis, quemadmodum vnctiones illæ legis veteris, Baptisinata, & Sacrificia ad cultum pertinebant illius temporis. Vt itaque sacramenta plenè agnoscamus, à cultu ipso incipiendum est: in quo non minima pars doctrinæ sacræ, & Christianæ vitæ versatur. Nec dubium est in primis Christiano opus esse, vt quis sit verus Dei cultus, & in quibus rebus cõstituendus agnoscat. De hoc igitur vt, quàm perspicuè fieri à nobis potest, agamus, hoc statuatur vt certissimum quoddam fundamentum & basis eorum quæ dicenda sunt.

Religio & Dei cultus inter illa ad quæ iure naturali sumus obligati primum locũ tenet.

Inter ea ad quæ natura docet hominem iure ipso & ratione, qua homo est, obligatum esse (quæ sunt partes omnes iustitiæ, quibus & maioribus, & minoribus atque æqualibus debita reddimus, ea scilicet, quæ nobis ipsis, natura etiam duce, reddi volumus: vt Pietatem patriæ, Obseruantiam his qui virtute excellunt, Obedientiam principibus, & huiusmodi alia) certũ est Religionem (virtutem scilicet, qua supremæ illi atq; diuinæ naturæ deferimus, eiq́ue nos ipsos subijcimus: quod cum facimus, ipsam colere dicimur) primum locum tenere: id quod & certissima ratio, & manifestissima experientia, atq; totius humani generis historia manifestat. Quis enim nõ videat primò omnium debitores esse omnes homines Deo? à quo scilicet principium & originem habent: in quo viuimus, mouemur, & sumus: immo ex quo, & per quẽ omnia quæcunq; bona subsistunt: qui deniq; primum omniũ bonorum caussa: est summus pater, ex quo omnis paternitas: summus Dominus & Rex, per quem omnes regnant: summus benefactor, à quo omne bonum habemus, per quemcunq; demum, aut quacunq; ratione deriuetur. Vnde fit, vt quidquid honoris, obedientiæ, obseruantiæ, gratitudinis cuiquã debetur, id maximè & prima ratione Deo debeatur. Quis itaq;

non videt illum primò omnium colendum? quis non agnoscit primo bono & omniũ bonorum fonti nos maximè deuinctos? Nec obligari solùm iure ipso quo creaturæ sumus eius, sed necessitate etiam continua donorum eius ita in hoc contineri officio, vt sicut nullum est tempus quo non illius indigeamus auxilijs & donis, ita nullum sit tempus in quo ad eum colendum non admoneamur. Nec nos solùm, sed inferiora hæc omnia, si ratione pollerent, Deum perpetuò colerent, sicut nunc absque omni ratione non aliud agunt, quàm vt eum à quo sunt perpetuò glorificẽt: de quo Psalmus inquit, cùm cælestia & terrestria omnia ad Dei laudem excitat: Laudate, inquiens, Dominum sol & luna, omnes stellæ, cæli cælorum: quia ipse dixit & facta sunt, ipse mendauit & creata sunt: Et in fine tandem, non illius tantùm, sed & duorum sequentium Psalmorum, qui de hac omnium creaturarum in Deum laude sunt: Omnis, inquit, spiritus siue omne quod spirat, laudet Dominum: quod qualiter fiat, explicat alibi, cum inquit: Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate: Atque ideo prius dixerat: Omnia à te expectant vt des illis &c. Qui dat iumentis escam ipsorum. &: Oculi omnium in te sperant Domine &c. Iam verò in historia seculorum omnium quid apertius, quàm bonorũ & malorum, insipientium & sapientium perpetuus ille conatus colendi Deum? In scriptura quidem duo primi Adæ filij sacrificia offerunt, & Enos incepit inuocare Dominum: reliquos verò omnes illos Patriarchas & ante diluuium & post Noë, Abraham, & reliquos omnes primò omnium cultui Dei & sacrificijs constat fuisse intentos. In historia verò gentium quid celebrius, quàm cultus ille falsorum quidem, sed quos illi putabant veros Deos? Adeò cordibus hominum infixa est diuinitatis quædam cognitio & obseruantia, vt nescias quo pacto ardentiori quodam desiderio placendi Deo gentes omnes, quò magis errabant atque ei displicebant, eò instantius & quærebant quem colerent Deum, & multiplicabant cultus. Habemus huius in Scriptura sacra apertissima exempla: in libris Regum & Prophetarum: Deorum videlicet diuersarum gentium, quos etiam sæpe Israëlitæ ipsi coluerunt: contra quos tam frequentes sunt Prophetarũ admonitiones Isaiæ maximè & Hieremiæ. Et ex historia gentiũ Augustinus in libro de ciuitate Dei immẽsam Romanorum & aliarũ gentium multitudinem Deorũ colligit, & falsitatis cõuincit: sicut Lactãtius Firmianus lib. contra gentes: & Ciprianus Libro, quòd idola nõ sint dij, & multi aliorum patrũ, quibus opus fuit

Genesis. 4.

Isa. 46. & 41.

Hiere. 10.

Lib. 3. c. 11 & 12. & lib. 4. c. 8.

contra

contra idololatriã disputare, abundè docent, & ex omniũ gentium historia colligunt. Ex quibus omnibus satis ostenditur, quàm sit hoc cultus Dei desiderium infixum animis hominum, quantaq, Dei prouidentia id actum: vt scilicet boni, & qui eius munere veritatem agnouerunt, habeãt fidei suę certissima testimonia: mali verò atq, impij, vt Paulus inquit, sint inexcusabiles: quia cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerũt. *& lib. 6. Cap. 4.*

Hæc est itaque origo diuini cultus, hoc verum eius principium: quod ideo pluribus verbis proposuimus, vt iam quanta inde necessaria cognitu deducantur consideremus. Primò igitur apertè ostenditur Religionem hanc, virtutem scilicet, qua Deo debitum, & nobis necessarium cultum ipsi reddimus, virtutem esse inter humanas omnes, quas scilicet natura nos docet, primam & supremam, iustitiæ partem, qua videlicet primo & summo debito, quod scilicet Deo debemus, satisfacimus: nisi quòd (quia nunquam huic satisfacere possumus, nec quantum debemus ita reddere, vt putemus nos functos officio) hoc esse illam integrã & perfectam iustitiã non possumus dicere: Integrã (inquam) & perfectam non esse dicimus, non quòd deficiat à perfecta ratione debiti, sed deficit certè à perfecta ratione reddendi: cùm nec Deo quidquam reddere possimus quod ipsius non sit, quod non perfectus ipse habeat: vt meritò dictum sit in lib. Iob: Si iustè egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet? nec tandem à debito liberari. Est igitur Religio prima & summa iustitia, qua primo summoque Deo quod debemus reddimus: sed non integra: quia nunquam satisfacimus: reddimus enim Deo (vt verum dicamus) non quantum debemus, sed quãtum possumus, vt plurimum. Interim tamen hoc certò constet, non esse eam cum ceteris virtutibus confundendum: sed sicut pietatem, qua parentes & patriam colimus, ac obseruantia, obedientia, vel gratitudine separamus, & damus cuique suas partes, ita etiam hanc à ceteris separamus, & actus atque opera eius similiter: quanquam fateamur religionem (quæ superior & excelsior virtus est inter humanas) eas etiam mouere, eisque quodammodo imperare, dum ad finem suum, quem illa perpetuò intuetur, cultum videlicet reddendum Deo, illas ordinat, vt inferius latius ostendemus. *Iob. 35.*

Vt itaque de Religione propriè & distinctè loquamur, quod maximè huic propositio necessariũ est, duplices eius esse actus ex proximè dictis colligamus. Alij enim sunt proprij peculiaresque eius: illi scilicet, qui in nullum alium finem ordinantur *Actuũ re-*

Religionis alij proprij, alij communes.

quàm in colendum Deum, placandum scilicet, reuerendum, & similia: atque sola hac ratione laudabiles sunt, quòd in Dei honorem ordinati, nec aliud his quæritur: qualia sunt adoratio, oblatio sacrificij, & similia. Alij verò communes illi cum alijs virtutibus, qui ratione contraria agnosci possunt. Cùm enim aliud quæritur, honestum quidem & rationi consonum, in virtutis opere, quàm Deum colere, etsi id demum in Dei honorem ordinetur, nō Religionis proprius actus, sed alterius virtutis censendus est: sicut ieiunio & abstinentia propriè quidem mortificatio carnis quæritur, sed cùm hæc ordinantur in Dei gloriam,

Cap. 6.

ipsa iam etiam cultus quidam Dei sunt: Quomodo Aug. 10. de ciuitate Dei. & abstinentiam, & misericordiam, & denique omne bonum opus relatum in Deum sacrificium appellauit atque cultum: & in multis alijs locis sic loquitur: quod ex scriptura

Ad heb. 13.

etiam sumitur, dicente Paulo de beneficentia: Talibus enim hostijs promeretur Deus. Ita igitur omnia virtutum opera Religioni tribuamus, vt nō propterea propria illi sua negemus. Extenditur quidem ad reliquas omnes, & ad ipsas etiam propriè Christianas, quas Theologicas dicimus, Fidem scilicet, Spem, & Charitatem: in quibus Augustin. in Enchrid. ad Laurentium, cultum Dei propriè constituit, tanquam scilicet in vero fundamento: sed habet etiam sua propria opera, Fidem certè, Spem, & charitatem sequentia, & illis innixa, sine quibus nullus Dei verus cultus est.

Actus proprij Religionis aut interni aut externi sunt.

Iam verò & proprij Religionis actus duplices etiam sunt: alij enim interni: & hi quidem primi & præcipui, quibus scilicet mente tantùm Deum colimus, subijcientes ei affectus, sensum, & quidquid præcipuum in nobis est, animum etiam ipsum. Hi enim cultus sunt quos Deus primò requirit, dicēte Christo: Veri adoratores adorabunt Christū in spiritu & veritate. Spiritus

Ioan. 4.

est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Hos igitur interiores actus diligenter quidem b. Tho. in secundo illo 2. partis summæ suæ libro certè magnæ vtilitatis & doctrinæ, colligit certa ratione. Sunt enim hi Deuotio & Oratio. In quibus omnia quę ad meditationem contemplationemque, spiritualem compunctionem, gaudium spiritus, & eleuationem animi in Deum pertinent, clauduntur: & in primis fides, spes, & charitas. Vnde Deuotio omnis & Oratio, de quibus & Augustin: in principio Enchiridij illud Pauli exposuit: Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit: constituens inuocationem in spe & charitate: nam fidem (inquit) mox ipse Paulus

2. 2. q. 82. & 83.

Primi interiores & proprij Religionis actus sunt Deuotio

lus posuit ad inuocationem necessariam: Quomodo, inquiens, inuocabunt in quem non crediderunt? Sint itaque primi interiores & proprij Religionis actus Oratio & Deuotio: Sint Fides, Spes & Charitas, earū scilicet actus, credere videlicet, sperare, & amare, non quidem proprij Religionis actus, sed fundamentum illorū & finis: dicente Moyse: Nunc Israel, quid dominus deus tuus petit à te, nisi vt diligas dominū deum tuū, ac seruias ei in toto corde tuo, & illi adhæreas? ipse est enim vita tua. *& Oratio. ad Ro. 10.* *Deut. 10. & 30.*

Post hos sunt externi actus atque opera in Dei reuerentiam & cultum ordinata: quæ etsi præcedentibus minora, eorum tamen virtute Deo grata, & necessaria nobis sunt: vt, videlicet, quamdiu in hac vita induti carne sumus, corporis etiam operibus seruiamus Deo, & totum quod sumus referamus in ipsum. Proprij igitur exteriores Religionis actus, vt supradicto loco colligit etiam b. Tho. sunt Adoratio, motus videlicet corporis deum reuerentis: Sacrificij oblatio, aliarumque primitiarum & fructuum: Voti promissio: Iuramentum: Adiuratio: diuinaque laus. His enim omnibus Deum veneramur & agnoscimus, reddimusque illi debitam seruitutem. Reliqui verò actus aliarum virtutum in hunc finem ordinati, vt mortificatio carnis, & pietas in proximos, cultus quidem Dei sunt, nec minùs ei grati quàm alij, ceterum communes, nec religionis proprij: quod ea maximè ratione diligenter adnotamus, ne in his totā Religionem collocatam putemus, credentes non alia sacrificia, nō alios cultus exigi à Deo, in lege præcipuè noua Christi, quàm hæc aliarum virtutum opera. Hoc reuera magna ex parte plurimi hęreticorum nostri temporis agunt, de quo inferius plura dicemus: nunc satis sit ista adnotasse de partibus Religionis & diuini cultus, quæ ex eius origine deducta esse constat. *q. 84. vsq; ad. 91.* *Proprij exteriores Religionis actꝰ qui.*

Nunc ex eodem etiā principio intueamur quàm manifestum fiat in Ecclesia Christi verum & certissimum esse Dei cultum. Nec. n. fieri potest vt illa sit vera Ecclesia, in qua nō verè, & iuxta suam propriā certamq; voluntatē Deus colitur. Nec rursum credi vlla ratione potest, Christū Ecclesiā suam in re tā necessaria & tam graui deseruisse: vt illi scilicet non certū cultū Dei traderet. Quid. n. sine eo boni esse potest? Quomodo igitur Ecclesiā illam quā dilexit, & pro qua semetipsum tradidit, lauās eam lauacro aquę in verbo vitæ, vt exhiberet illam spōsam sibi, de qua dicit: Portæ inferi non præualebunt aduersus eam: &, Ego vobiscū sum vsq; ad consummationem seculi: cui promittit spiritum veritatis, qui maneat (inquit) vobiscum in ęternum, & docē- *In Ecclesia Christi est verus & certus Dei cultus.* *Ephe. 5.* *Mathæi. 16* *Mathæi. 28* *Ioannis 14.*

& docebit vos omnia, deferere potest Christus, vt circa cultum errans & incerta vagetur? Si Synagogam illam veterem: si amicos omnes suos nunquam deseruit, sed in primis illis voluntatem suam de se colendo ostendit, & hoc præcipuum amoris sui erga illos signum dedit, de quo Moyses inquit: Hæc est vestra
Deuter.4. sapientia & intellectus coram populis, vt audiētes vniuersa præcepta hæc dicant. En populus sapiens & intelligens, gens magna &c. Et ibidem: Quæ est enim alia gens sic inclyta, quę habeat cæremonias, iustaq; iudicia, & vniuersam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros? Vnde & paulò antè dixit: Scitis quod docuerim vos præcepta atq; iustitias, sicut mandauit mihi dominus: nulla ratione dubitare permittimur hoc maximè Ecclesiæ suæ contulisse: idq; ea præcipuè ratione, quòd cùm priore illa veteris legis abstulerit, cùm in Euāgelio inquit: Non quod intrat per os &c. Et cùm velum templi scinderetur,
Matth.15. necesse fuit vt eam instrueret quales iam cultus vellet: nec enim sine cultu constare potest vlla Religio, quanto minus Christiana? quæ quò verior est & firmior, eò necesse est vt & meliores, & certiores cultus habeat. Vt meritò in hoc principio debeat nobis istud statutum esse: Duo hæc nulla ratione separari posse,
Cultus verus Dei & vera Ecclesia separari nequeunt. cultum scilicet verum Dei, & veram Ecclesiam: sed necesse est alterum ex altero sequi: vt scilicet vbicunque est vera Ecclesia Christi, ibi sit verus Dei cultus, in quo necesse est verā Fidem, Spem, & Charitatem esse: & è contrario: Vbicunque est verus cultus, qui, vt diximus, maximè fide, spe, & charitate constat, ibi sit vera Ecclesia. Qualiter verò, & quales tradiderit Christus Ecclesiæ suæ cultus, est diligentius considerandum.

LECTIO QVINTA,

De *modo & ratione institutionis cultuum in religione Christiana.*

INQVIRENDVM igitur est diligenter quales cultus Christus dederit Ecclesiæ suæ, qua ratione & modo illos instituerit. Quæ certè consideratio in primis necessaria est semper quidem, sed nunc maximè, cùm à nouatoribus & hæreticis omnia confunduntur et reuocantur in dubium: & quidem longū tractatum

ctatum hoc exigeret, si vniuersa quæ ad id pertinent explicanda forent: sed nos tantùm cupimus quæ maximè necessaria sunt ad cõfirmandos animos infirmorũ in vera vnione & religione Catholicæ Ecclesiæ, idq; quàm breuissimè fieri potest insinuare.

Omnium itaque quæ circa hoc à nobis dici possunt, ex consideratione Ecclesiæ Christi, conditione videlicet & statu eius, atque gradu erga Deum sumenda est ratio. Nec enim dubitare potest Christum saluatorem nostrum, qui omnia ordinatissimè ita disponit, vt simul etiam suauissimè, iuxta conuenientem cuique naturæ rationem ea gubernet, hoc maximè erga Ecclesiam suam obseruasse, præcipueque in hac parte quæ ad cultum pertinet, &, vt vidimus, præcipua est studiosæ & Christianæ vitæ pars. Instituit igitur Saluator in Ecclesia sua, quam perfectissimam & instructissimam reddidit ad omne bonum opus, illos cultus, qui maximè conueniunt conditioni & statui eius: & instituit eos eo modo & ordine, quo maximè decebat Ecclesiam atque statum eius: vt in hac parte, & ceteris omnibus quæ ad Ecclesiam pertinent, apertè appareat, quòd ipsa sit vnica illa columba perfecta & immaculata, & summè à Christo dilecta. Habet hæc consideratio latissimum campum, & dignum multa attentione: sed fatemur nos impares esse & ad intelligendum, & ad explicandum ad plenum quod requirit hic locus. Satis igitur fit hoc ita proposuisse, & iam viam aperire volentibus hoc diutius considerare: quanto enim quisque perspicacius viderit pulchritudinem, perfectionem, & magnitudinem Ecclesiæ: quanto attentius perspexerit quem apud Deum familiaritatis & beneuolentiæ gradum illa obtinet, & quo iure atque titulo, tanto melius agnoscere poterit qua ratione, quo iure & ordine ea sit gubernanda. Sed iam ad specialia descendendum.

Cultus Ecclesiæ Christianæ eius statui debet respõdere.

Ecclesiæ Christianæ status & dignitas.

Statum igitur Ecclesiæ Christi constat & altissimũ, & perfectissimũ esse: multo certè altiorem statu illo Synagogę atq; veteris populi: quãto videlicet altior est & propinquior filius patri quàm seruus: quanto spiritus adoptionis & libertatis spiritui timoris & seruitutis præstat, Itaq; meritò Paulus inquit: Iã non est seruus, sed filius: quod si filius, & hæres per Deũ: & frequentissimè hunc locũ inculcat quasi præcipuum: Nõ accepistis spiritũ seruitutis iterũ in timore, sed spiritũ adoptionis filiorum. Immo Christus ipse in suis Apostolis omnibus dignis fidelibus inquit: Iam non dicam vos seruos, sed amicos. Itaq; hæc tanta Ecclesiæ erga Deum dignitas & altitudo meritò à Dionysio

Confertur status Ecclesiæ Christianæ cũ Synagoga.

Galat. 4.
Roman. 8.
Ioannis. 15.
Ca. 5. Ecclesiast.
Hierar.

Areopag. tanti fit, vt proximè credat eã accedere ad ipſam beatitudinis perfectionem: vt videlicet quantum in hac vita & exilio, hoc eſt, quamdiu grauamur hoc mortali corpore, fieri poteſt: tantum Chriſtiana perfectio appropinquat Deo: Atque ita mediam ponit Eccleſiam inter Synagogam illam & cæleſtem angelorum beatitudinem, ſuperiorem ſcilicet illa, & huic quaſi coniunctam & immediatam. Huic ergo ſtatui tribuitur libertas ſpiritus, de qua Paulus inquit: In libertatem vocati eſtis. Et rurſum: Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. Tribuitur etiam manifeſtatio & claritas, atq; reuelatio myſteriorum: Reuelata (ait idē) facie gloriam Dei ſpeculamur. Hęc enim filijs veraciter conueniunt: cùm è contrario Legi veteri ſeruitus & obſcuritas tribuatur: hęc enim durę ceruicis populo, & tempori illi conueniebāt. Vnde ſequitur imperfectio, & infantia quędam atque puerilitas in cognoſcendis myſterijs, diuinaque voluntate rectè penſanda & ſequenda, de quibus Paulus inquit: Cùm eſſemus paruuli, ſub elementis mundi huius eramus ſeruientes. Et rurſum: Lex pædagogus noſter fuit: ſicut è contrario ex libertate illa ſpiritus & illuſtratione ſequitur in Eccleſia & perfectio, & integritas ſenſuum, & operum: de quibus Paulus inquit: Nos ſpiritum Dei habemus, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Et: Quod impoſsibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum, vt iuſtificatio Legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum. Denique eoſque extollit fideles, vt iam extra corpus quodammodo & mundum eos conſtituat: vos, inquit, in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi tamen ſpiritus Chriſti habitat in vobis.

Galath. 5. *2. Cor 3.* *ibidem.* *Galat. 4.* *Galat. 3.* *1. Cor. 2.* *Roman. 8.* *Ibidem.*

Hęc itaq; tanta perfectio Eccleſię ſic conuenire cogitãda eſt ex ea parte qua in Chriſto regeneratur, & in eis qui in ea ad dignũ & perfectum peruenerunt ſtatum, in ſpiritualibus ſcilicet illis viris, quibus meritò illud Pauli cõuenit: In carne enim ambulantes non ſecundum carnem militamus: & illud rurſum: Licet is qui foris eſt homo noſter corrumpatur, tamen is qui intus eſt renouatur de die in diem. & poſt pauca: Nõ cõtemplantibus nobis quæ videntur. & denique: Cupio diſſolui & eſſe cũ Chriſto. In his itaque ſic cogitãda eſt Eccleſia perfecta & lucida, vt meminerimus eſſe etiam in illa infirmos adhuc paruulos, quibus idem Apoſtolus inquit: Tanquã paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi: quos & carnales vocat: Cùm enim (inquit) ſit in-

2. Cor. 10. *2. ad Corint. 4.* *ibidem.* *Philip. 1.* *Etſi ſtatus Eccleſiæ perfectus ſit, ſunt ta-*

sit inter vos zelus & contentio, nõne carnales estis? Quia enim diuina bonitas præuidit non esse huius mortalitatis, vt omnes perfecti sint in eodem sensu & scientia, hoc etiam voluit, vt nõ deesset nidus paruulis & lac in ipsa Ecclesia, neque continuò ab ea excluderetur qui non ad tantam perfectionem peruenıret, sed potius hac ratione & illi, quos ipse ad perfectionem dignã perduceret, haberent vnde sese deijcerent in aliorum infirmitate, & vnde proficerent, conferentes alijs auxilium: quorum vtrumque Paulus pulchrè complexus est: Si præoccupatus fuerit, inquiens, homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Denique & perfecti ipsi & spirituales, quanquam reuera tales sunt, quia tamen adhuc peregrinantur à Deo, & sub corpore mortis huius sunt, ex ea parte etiam se agnoscunt & infirmos, & captiuos sub lege peccati, vt ipse Paulus clamat, Ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Ex qua videlicet seruitute clamat: Quis me liberabit à corpore mortis huius &c.

men in ea etiam paruuli.

1. Cor. 3.

Ibidem

Galat. 6.

Hæc igitur sint nobis ante oculos proposita, vt deducamus iam ex eis quod ad institutionem cultus pertinet. Primò igitur certum est statui huic Ecclesiæ conuenire, vt interiores cultus deuotionis & orationis, fidei, spei, timoris & amoris in ea sint primi atque præcipui, primoque traditi, atque ideo diligentius & frequentius in ea explicentur & agnoscantur. Hinc enim Paul. legem ipsam Christianam legem fidei vocat, & à Lege factorum, quo nomine veterem Moysi vocat, discernit. Vbi est (inquit) gloriatio tua? Excluſa est, ait: Per quam legem? non per legem factorum, sed per legem fidei. Quo quid aliud significatur, quàm in Ecclesia Christi interiora illa opera, fidei scilicet, magis quàm externa cogitanda esse & consideranda: de quibus & meritò illud ipsius Pauli à multis Patribus intelligitur, & quidem propriè: Exerce teipsum ad pietatem: nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia. Pietas enim ibi reuera propriè ad cultum ipsum Dei, quem religionem etiam dicimus, referri debet: quod vt appareat non tantùm sensisse Apostolum, sed frequenter docuisse etiam. Quid aliud sonat, quod tam diligenter ad Rom. docet circa discretionem ciborum & dierum veteris legis, atq; circa modestiam non iudicandi neque contendendi de his, & libertate sequendi proprium sensum, quàm præcipuè interiorem cultũ cogitandum esse? Vnde concludit tandem omniá hac Apostolica

Statui Ecclesiæ conuenit inter nos cultus primos & præcipuos esse.

Roman. 3.

1. *Timot. 4*

Cap. 14.

senten-

sententia: Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia et pax, et gaudiũ in spiritu sancto: qui enim in hoc seruit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus. Denique huius seipsum exemplum præbet: Cum enim (inquit) liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt omnes lucrifacerem: Iudæis Iudæus: his qui sine lege erant, sine lege: Hæc quidem de corporeis et externis operibus. Ceterùm quæ ille commendat omnibus, quæ desiderat et Deum precatur, satis explicat vltimis illis capitibus epistolæ ad Roma. 12. videlicet cap. et sequentibus: quibus consonant multa alia eius loca, in quibus nõ quidem omittit externa, sed vrget quidem diligenter, sic tamen vt ab interioribus illis emanent, illa exerceant atque excitent: Spiritu (inquit) feruentes, spe gaudentes, orationi instantes, charitatem fraternitatis diligentes (quæ maximè ad interiora pertinent) & deinde: In tribulatione patientes, necessitatibus sanctorum cõmunicantes, hospitalitatem sectantes, & cetera, quæ ad externa. Lege denique Paulum: videbis quàm multus sit in exhortãdo ad orationem, ad gaudium spirituale, ad omnia denique interna exercitia animæ: Gaudete, inquit, in domino semper: iterum dico gaudete, dominus propè est, nihil solliciti sitis: sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarũ actione orationes vestræ innotescant apud Deum, & pax Dei, quæ exuperat omnem sensum &c. Patet itaque quem locum interiores cultus habeant in Ecclesia, & quàm propriè eius perfectioni conueniant.

1. Cor. 9.

Philip. 4.

Exteriores cultus in noua lege minimè esse negligendos.

Verùm ex eodem, non esse omittendos exteriores cultus, sed diligentissimè etiam curãdos, manifestè deducitur. Quia enim quam diu in hac vita viuimus, ad spiritualia non nisi per corporalia ascendimus, maximè verò post infirmitatem peccati, qua factũ est, vt magis implicati & cõstricti simus corporeis rebus, quarum memoria & affectu tã frequenter tenemur, necesse est nobis corporis ipsius & corporearũ rerum ministerio & auxilio ad spiritualia vti. Musica legimus excitatũ Prophetæ animũ 4. Regũ. 3. Psalm. 83. & eleuatum ad percipiendas diuinas reuelationes: Et in Psalmis Psalm. 62. frequenter legimus: Cor, inquit, meũ, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Et rursum: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum. Exteriores itaque cultus, quia ob hanc carnem quam gestamus necessarij sunt, minus proculdubio perfectis illis & spiritualibus necessarij erunt quàm infirmis & paruulis, quos in Ecclesia diximus esse. Interim tamen vtrisque conueniunt vel hac maximè

Externi cultꝰ magis necessarij sunt paruulis & infirmis

ximè ratione, vt inter se conueniant & conuiuant. Quia enim interiora illa abscondita sunt & soli Deo cognita, oportet verò vt nobis ipsis inuicem innotescamus, & fidē ipsam, interioraq; secundum quæ conuenire nos oportet in religione, manifestemus nobis inuicem, quod fieri nō potest nisi exterioribus operibus, ritibus scilicet & ceremonijs conueniamus. Vnde Paulus cùm de vnitate loquitur: Vna, inquit, fides, & vnum, ait, baptisma: quorum vnum ad interiora, secundum ad exteriora pertinet. Quod ibidem etiam magis ostendit: Sicut vocati (inquit) estis in vna spe vocationis vestræ: vnum corpus & vnus spiritus. Hinc est enim illa decantatissima Augustini auctoritas contra Faustum, vbi impletis veteris legis sacramentis, atque ideo ablatis, probat necessaria esse alia in noua lege: In nullum (inquiens) religionis nomen, seu verum seu falsum, coaguari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur: quorum sacramentorum (inquit) vis inenarrabiliter valet plurimùm: & ideo contempta sacrilegos facit. Impiè enim contemnitur, sine qua non potest perfici pietas.

quā pers-cius, vtriq; tamen communes sunt.

Ephes. 4.

Lib. 19. Cap. 11.

Institui itaque necesse est externos cultus in Ecclesia, sed qui illi conueniant, hoc est, perfectioni & libertati eius. Quare non multos, vt in lege veteri: non graues & molestos, sed paucos, & facillimos, qui videlicet libertati conueniant filiorum, & suauitati Christianæ legis. Quod Augustinus diligenter considerans libro illo contra Faustum de institutione sacramentorum nouæ legis, reiectis illis quæ in veteri erant. Instituta (inquit) sunt alia, virtute maiora vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam iustitia fidei reuelata, & vocatis filijs in libertatem, iugo seruitutis ablato, quod duro & carni dedito populo conueniebat. Vides itaque qualiter Augustinus ex libertate filiorum, & manifestatione iustitiæ fidei ostendat, qualia debeant esse externa Sacramenta. Vbi obserua quatuor digna consideratione, quæ nouæ legis sacramentis & cultibus tribuit August: vt scilicet sint pauca, facilia, vtilia, virtuteque maxima. Quod & alijs locis diligenter docet, præcipuè lib. de doctrina Christiana: qui locus non est hic omittendus: vbi & quædam addidit valde huic proposito conuenientia. Loquens enim de libertate Christianæ legis, Nec eorum (inquit) signorum, quæ iam intelligimus, operatione graui onerati sumus, sed quædam pauca pro multis, eademq; factu facillima, intellectu augustissima, & obseruatione castissima dominus & Aposto-

Cultus externos in noua lege conueniebat esse paucos, faciles, & magna virtutis.

19. Ca. 13.

Li. 3. Ca. 9.

Apostolica tradit doctrina: sicut est Baptismus, & celebratio
Epist.118. corporis domini. Idem etiam diligenter repetit in epistola prima ad Ianuarium, & tanquam principium quoddam constituit eorum quæ ad cultum pertinent. Primò itaq; (ait) tenere te volo, quod est huius disputationis caput Dominum nostrum Iesum Christum, sicut ipse in Euangelio loquitur, leui iugo nos subdidisse & sarcinę leui: vnde sacramẽtis numero pauciſsimis, obseruatione facillimis, significatione præstantisſimis, societatem noui populi colligauit. Hęc itaque de internis & externis cultibus, atque ratione, qua in Ecclesia institui debuerunt, sint dicta: quę verò de hoc reliqua sunt, sequenti loco cõsideremus.

LECTIO SEXTA.

De eadem re.

QVos oportuit in Ecclesia institui cultus in genere quidem proximè dictum est, nunc restabat vt ad speciales cultus progrederemur: sed prius est attentè considerandum, quomodo hi cultus instituti sunt: quibus scilicet legibus, præceptis, præmijs, vel pœnis: id quod etiam ex statu Ecclesię & perfectione eius deducendum est. Sicut enim alia conueniunt filijs, alia seruis, alia pueris, alia viris, alia rudibus, alia perspicacibus: ita etiam & alia ratione hi docendi sunt & gubernandi, quàm illi. Statui igitur Legis nouæ non tam præcepta & comminationes duræ conueniunt, quàm statui veteris, sed suaues exhortationes: non terrores, sed exempla suauissima & beneficia: non exterius descriptę leges, sed interiores spiritus sancti afflatus. Hoc enim, vt omittamus cętera, dulcissima illa promissione prophetica significauit dominus: Ecce dies veniunt, dicit dominus: Feriam domui Israël & domui Iuda fœdus nouum: non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, hoc est, Non ex terribili nube, turbine, caligine atque procella, & tubæ sonitu, sed in charitate potius, & in mansuetudine: non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris in die qua apprehendi manum eorum vt educerem eos de terra Aegypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum: non (ait) graue & importabilem legem, quæ magis ad subijciendum durum populum ordinabatur, non in comminatione pœnarum, qua

Statui nouæ legis magis conueniũt dulces exhortationes quàm duræ cõminationes, & præcepta.
Hiere.31.

hoc

hoc maximè agebam, vt dominus ostenderer fortis, zelotes &c. sed in exemplis potius & beneficijs, quibus veraciter pater manifestet. Vnde sequitur: Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israël. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Quibus verbis non aliud significatur quàm diuina inspiratio, qua persuadetur, & suauis efficitur nobis per gratiam diuina voluntas: vt scilicet impleatur dulciter, non ostendatur solùm exterius & oneret. Quod Paulus apertè docet, ministrationem mortis legem veterem vocans, nouam verò ministrationem vitæ: vnde & illam literam occidentem, hanc verò spiritum viuificātem vocat. Quare nihil magis proprium nouæ legi, qui rectè considerant intelligunt, quàm quòd non scripta, vt vetus, sed indita cordibus est à spiritu sancto. Ideoque lex spiritus vitæ dicitur. Sed hoc iam in his, de quibus nunc agimus, cultibus consideremus. 2. Cor. 3.

Igitur si rectè intuemur Christū Ecclesiæ auctorem, videbimus primò ipsum cum discipulis suis quos instituebat, & in illis nos omnes, exemplis magis egisse, & his interiores illos cultus commendasse. Legimus illum frequenter orasse, secessusque petijsse, & nocturnis quietis q; tēporibus pernoctasse in oratione, & frequenter in ea perseueraſſe: vnde tandem moti sunt discipuli ad cogitandum de oratione. Cùm enim esset in quodam loco orans, inquit Lucas, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis: Domine, doce nos orare: vnde & postea & antea frequenter de oratione docet: Quia oportet (inquit) semper orare, & non deficere: & tandem ipsam composuit formulam, se dignam, orandi patrem. Itaque & in his, & ceteris omnibus, quod semel dixit repetendum est nobis: Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Nam etiam externorum cultuum primò nobis exempla dedit, deinde addidit verba. De communibus quidem cultibus habemus ieiunium illud & carnis afflictiones: de proprijs verò: baptizari voluit: quia postea dicturus erat omnibus: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto &c. Itaque satis ostendit quàm suauiter, & reuera vt cum filijs agere vellet. Exemplis verò & doctrinę suæ spiritum sanctū adiungit, per quem, non quidem verbis aut externis operibus, sed illustratione interiore perficeretur in Euāgelica doctrina futuri aliorum doctores. Vnde post omnem suam, quam tradiderat, doctrinam ait: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, Non quòd nō

Capite. 11. *Luc. 18.* *Ioan. 15.*

Christus nō contentus Apostolos suos exemplis & verbis docuisse, dedit illis etiam spi-

posſit

ritu sancti cui⁹ interna illustratione magis quam verbo aut scripto docerentur.

posit illa docere, & discipulos aut capaces eorum reddere, aut certè illa eis committere quæ postea intelligerent, & plurima alia: sed voluit hoc aperto exemplo ostendere, magis Spiritus sancti interna illustratione, quàm verbis aut scriptis agendum esse cum filijs atque liberis.

Ex quo nobis est attentè considerandum, quantum errent horum temporum hæretici, qui statuentes sibi nullum cultum Dei recipiendum esse, nisi qui verbo eius sit traditus, nec enim (inquiunt) doctrinis aut mandatis hominum Deus colendus est, statim inferunt, Nihil quod in scripturis sacris non sit, admittendum esse in cultu Dei: non considerantes quanto latius sit verbum Dei quàm scriptura. Est enim verbum sermone traditum, est & sola interiori inspiratione: qui modus, vt visum est, proprius est nouæ legi & Ecclesiæ, atque eius filijs. Scripta quidem sunt ab Apostolis non pauca: sed vbi ergo inueniunt noui isti doctores Apostolos Ecclesiam, nosque omnes astrinxisse ad sola scripta sua? Aut vbi legerunt scripsisse Apostolos omnia quæ necessaria erant Ecclesiæ? Nonnè Paulus inquit post nonnulla scripta: Cetera cùm venero ipse disponam? Nonne scribit Thessalonicensibus? State & tenete traditiones quas didicistis siue per sermonem, siue per Epistolam nostram. Deniq; & Timotheo suo, quem tam diligenter instituit, vbi legimus omnia scripto tradidisse, aut mandasse vt scriberet? sed (potius inquit) formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & dilectione in Christo Iesu: Bonum depositum custodi. Et apertius: Quæ audisti (inquit) à me per multos testes, hæc commenda fidelibus qui idonei erunt alios docere. Verbo itaque potius, quàm scriptura instruxerunt Apostoli suos, & voluerunt in Ecclesia doctrinam seruari quasi depositum quoddam & sacrum, non spargendum ante porcos, aut tradendum canibus diripiendum. Cuius rei etiam antiquissimi patres, Apostolorum discipuli, & qui his proximi fuerunt, tam manifesti sunt testes, vt de hoc dubitasse, apertè sit totam cõuellere Ecclesiam: omittamus ceteros in aliud tempus. Dionysium illum Pauli discipulum in 1. capite Ecclesiast. Hierarchiæ audiamus: Substantia (inquit ille) sacerdotij nostri scriptura sacra est nobis diuinitus tradita: ac mox quid per scripturam sacram intelligat, explicat: Porrò huiusmodi plena venerationis eloquia dicimus, queque à beatissimis patribus nostris diuinis commendata sunt libris: ac præterea quæque ab eisdem sacratissimis viris sacratiori doctrina & cælesti Hierarchię propinqua didicerunt, ex animo in animum, medio

Verbũ Dei multo latiꝰ patet, quàm scriptura. De verbo Dei non scripto, & traditionibus.

1. Cor. 11.
2. ad Thess. 2.
2. Timot. 1.
2. Timo. 2.

medio interueniente verbo corporali, sed quod carnis excedat sensum, sine literis transfusa sunt. Atque ibi tandem ait quædã scriptis, quædam non scriptis institutionibus tradita: idque & propter Ethnicos, ne scilicet ab eis irriderentur sacra, & propter rerum ipsarum maiestatem factum dicit. Aduertant, itaque, quicunque veri cupiunt fideles esse, hunc doctrinę Euangelicæ modum: intelligant quod ad rationem vitæ attinet, post illa quæ communia sunt omnibus, & ratione naturæ cognoscũtur (qualia sunt decalogi mandata, atque dilectionis Dei & proximi, de quibus Christus frequenter loquitur, & tandem illa omnia claudit præcepto illo legis naturæ manifestissimo: Omnia quæcunque vultis vt vobis faciant homines, vos facite illis) Post hæc (inquam) omnia aduertant plura quærenda esse ex traditione atq; illustratione spiritus sancti quàm ex scripturis, præcipuè quę ad cultum pertinent: de his enim pauca legimus, & ea quidem ita scripta, vt non satis sufficiant & intelligendis sibi ipsis & implendis. De Baptismo vix vnum verbum habemus: Baptisantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Quæ autem in celebratione baptismatis, aut qua ratione agenda, vbi est scriptum? Quod si Deo non curandum quis putet quidquam vltra illa verba, quia non scriptum est, is certè multũ detrahit Ecclesiæ & Christo. Credendum est tantum ministerium sine vlla præparatione, denique solennitate & ritu, quę ad eius excitent venerationem traditum esse? Quòd si hoc indignum est & alienum ab humana conditione, quæ certè requirit, vt magna summaque mysteria magna etiã præparatione & solennitate exhibeantur, nonne meritò credendum est potius hoc traditum esse à Deo Ecclesię, quàm synagogę olim traditũ est quod ad ritus & sacrificia sua pertineret? Sed traditũ inter illa, & ab illo, de quo dictum est: Docebit vos omnia: traditum, inquam, à spiritu sancto Apostolis, & ab eis discipulis suis.

Quæ ad cultũ pertinęa magis ex traditione & spiritus sancti illustratione quàm ex scriptura petenda sunt.

Vbi & hoc etiam non est omittendum, quòd eadem ratione, status scilicet ECCLESIAE & dignitatis, fit, vt non solùm non scribi oporteat omnia, sed nec ita tradi, vt ex præscripto omnia fieri debeant. Clamant enim noui isti Euangelici, sub hoc nomine non aliud quàm Iudaismum quendam introducentes in Ecclesiam, scriptum esse: Non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis ex eo: vt omnia, videlicet, ex præscripto fieri debeant: Sed non aduertunt hoc propriè cõuenire seruis & rudioribus: vt scilicet nihil eorum arbitrio relinquatur, sed vt irrationalia quædã freno dirigantur à gubernante.

Status Ecclesiæ Christianæ non requirit vt omnia necessariò ex præscripto fiant.

Deuter. 4.

nante. Ideo inculcabantur tam frequenter illa: ideo scribebantur: quia nihil eorum prudentiæ & sensui relinquebat deus. At verò filijs suis, qui spiritu eius quotidie aguntur, quid opus erat omnia præscribi? Ecclesiæ Christi, cui datus est spiritus sanctus, vt maneat, inquit, vobiscum in æternum, qui sine scripto docet, cui tam facile est corda mouere, quid opus erat multis verbis? Certè illa magis relicta fuit gubernanda naturali illo lumine rationis, de quo meritò illud est: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Et in quibus hoc deficit, fide & inspiratione spiritus sancti: de quo Ioannes fidelibus inquit: Vnctio eius docet vos de omnibus. Et hoc reuera est à seruitutis iugo liberari, & in libertate viuere filiorum: sicut omnia præscripta esse docere, est seruituti subijcere Iudaicæ quos Christus liberos fecit. Nonne igitur verum est, istos nobis iugum imponere velle? Vt videlicet sine scripturæ atque literæ mortuæ mandato nihil agamus. Porrò vera Christiana libertas hæc est, vt & ratione naturali, quæ per spiritum sanctum illustrata non parũ efficax est ad cognoscendum Deum, & per veram fidem, ab ipso spiritu sancto & Ecclesiæ, & nobis traditam, Deum cognoscentes, in ipso inuocãdo & colendo, præter pauca quæ præscripta sunt, vtamur liberè illis rebus & signis, illis ritibus & cæremonijs id faciamus, quæ huic fidei consona sunt & eam testentur.

1. Ioan. 2.

Quã rationẽ & ordinem secuti sint Apostoli in colẽdo deũ & cognoscendis ac annunciandis fidei mysterijs. Actuũ 11. 10 & 11.

Quod vt apertius fiat & re ipsa cõstet, consideremus rationẽ & ordinem, quem Apostoli secuti sunt ab ipso mox Ecclesiæ ortu in colendo Deum, & agnoscendis & annunciandis fidei mysterijs. Nonne iam recepto spiritu sancto, & tot milibus ad fidẽ conuersis Apostolus Petrus dicebat? Quia nunquam commune gustaui &c. & nec dum audebat Euangelium prædicare gentibus, nisi spiritus dixisset vt iret cum illis quos Cornelius miserat. Nonne mirabatur cùm videret spiritus sancti gratiam super illos? & tunc demum cœpit intelligere, vt ipse fatetur, quod Dominus dixerat, Vos baptizabimini in spiritu sancto. Ex hoc ergo Petri exemplo ostẽditur spiritũ sanctum paulatim, & propriis temporum articulis reuelasse Ecclesiæ illiusque doctoribus quod cõueniret, quæ & ipsi docebant. Nec tamen hac tam assidua & familiari spiritus sancti reuelatione Apostoli facti sunt negligentiores in ijs omni studio & mutua collatione inquirendis, quæ expediret docere populum. Constat enim ipsos nihil omisisse, sed omni industria & solicitudine & conuenisse inter se, & inquisisse veritatẽ: vt in quæstione illa de seruandis lega-

legalibus cõstat fuisse actũ. Congregato diligenter cõcilio, in quo quãquam vt homines disputare videãtur & dei volũtatem inquirere, tãdem postea audacter pronũtiant. Visum est spiritui sancto & nobis. Vbi ad tempus aliquod dispensatiuè tradiderũt gẽtibus, vt à sanguine & suffocato abstinerẽt. Paulus etiam diuina reuelatione percepta, & à deo missus ad prædicandum, fatetur se Hierosolymam venisse ex reuelatione diuina, & cõtulisse seorsim cum præcipuis Apostolis Euãgelium quod prædicabat, ne fortè (inquit) in vanum currerem. Dicãt nobis vbi tũc præcepta erant omnia agenda, aut vbi tũc ipsi Apostoli omnia scripserũt. Ex his igitur paucis quæ diximus, multa alia, quæ nõ scripta sunt, cogitemus. Si tãtopere disputatũ est inter Apostolos, quia vnus Petrus ingressus fuit ad gentes, quia dicebãt quidam seruãdas esse cæremonias legis: si de hac re statuunt quod neque Christus eos docuerat, neq; in scriptura erat traditum (vt scilicet gẽtes abstinerẽt à suffocato & sanguine) gubernãte eos spiritu sancto in hoc, quomodo credendum est de ratione tradẽdi baptismũ de diuersis gradibus & ordine Ecclesiæ (de quibus Paulus loquitur presbyteros nominãs, diaconos, & Episcopos) nihil eos cogitasse, nihil definiuisse, nihil tradidisse Ecclesiæ? Quid ergo irrationabilius? Nulla itaq; ratione permittimur dubitare, nõ fuisse ab Apostolis de præcipuis partibus cultus Dei, & Ecclesiarum gubernatione multa esse definita & statuta, siue ea à Christo susceperint, siue postea familiari spiritus sancti instinctu didicerint. Quomodo Iacobo, quem Episcopum Hierosolymorum instituerant, permitterent scribere: Confitemini alterutrum peccata vestra: Infirmatur quis in vobis, inducet presbyteros Ecclesiæ? &c. vnde impositæ sunt manus Paulo & Barnabæ, postquam spiritus præceperat eos segregari in opus Euã. Euangelij, si nihil de hoc cõstitutum erat ab Apostolis? Vnde ad eos, quos Philippus diaconus baptizauerat in Samaria, missi sunt Petrus & Ioannes, qui manus imponerent, & susciperent spiritum sanctum, si nihil erat de hoc apud Apostolos constitutum? Hoc igitur Apostolos diligenter feciſſe, & traditiones suas cõmendasse verbo, testantur nobis eorum discipuli, & omnes illis proximi patres, ex quibus reliqui omnes acceperunt. Vnde Augustinus tandem epistola illa, quam superius citauimus, ad Ianuarium: Ea quæ per totum orbem seruat Ecclesia, vel ab Apostolis, vel à plenarijs Concilijs proculdubio tradita esse confirmat: & de his non magis licitum esse dubitare, quàm de scriptura ipsa. Ceterùm circa ea quæ in diuersis Ecclesijs

Actu. 15.

Galat. 2.

Act. 15.

Act. 8.

Quomodo intelligendū sit, relictā esse Ecclesiæ liberatē circa exteriores cultus.

diuersimodè fiunt, seruandum esse morem cuiusque Ecclesiæ asserit. Ex quibus constat libertatem hanc, quam diximus relictā Ecclesiæ circa externos cultus, sic intelligendam esse, vt nō ad quemlibet pertineat quodcunque velit agere, sed in primis præcipua capita tradita ab Apostolis: deinde ab inferioribus etiam, & sequentibus Episcopis quædam, non aliena ab Apostolis, sed consona his inter quos versabātur ordinata sunt: & deinceps, saluis his omnibus, & iuxta illa, manent quædam libera deuotioni fidelium. Celebramus passionem & resurrectionem domini, & aduentum spiritus sancti, & ieiunium quadragesimale: quæ quidem ab Apostolis tradita putat Augustinus supradicto loco, & ceteri patres. Iam alia diuersimodè obseruantur in diuersis prouincijs: abstinetur in quibusdam Ecclesijs omnibus sextis ferijs & sabbathis, in alijs non. Post hæc, quis dubitat licitum esse cuique pro deuotione sua addere ieiunia & abstinentias? sicut & peculiares aliquas solennitates & Ecclesiæ aliquot, & priuati homines retinere sibi possunt. De communione nihil præscripsit dominus, sed statuerunt nonnulla prælati: vt vel frequēter, vel ter in anno, vel semel saltem participes essent Sacramenti fideles: quibus saluis licet nobis aut frequentius, aut tardius ad communionem altaris accedere. Rursum luminarium accensio, concrematio incensi & fiunt in Ecclesijs, & pro deuotione cuiusque plus vel minus permittuntur: quia in his non aliud est quàm protestatio fidei nostræ, & ornatus quidam diuini cultus. Cur hoc tam acriter reprehenditur? Cur propter hoc ab vnitate receditur? Hæc exempli causſa posita sint, vt ex eis doctrina hæc de ratione cultus Dei in Ecclesia fieret manifestior. Nam de singulis in speciali est agendum in proprijs locis, quantum Dominus concesserit.

Vera Sacramenta, verus cultus, vera doctrina nō sunt nota indicantes Ecclesiā, sed per hanc illa cognoscuntur.

Hoc duntaxat non omittendum est, vbi conamur certam regulam & fundamentum cultus Dei in Ecclesia ostendere, quod ex dictis sequitur: quàm falsè, & reuera dolosè dicant hæretici veras notas atque signa, quibus Ecclesia Christi agnosci potest, esse verum vsum sacramentorum, & veram doctrinam: vt scilicet ibi sit vera Ecclesia, vbi Sacramenta prout Christus instituit traduntur: vbi vera doctrina Euangelij prædicatur. Est quidem hoc verissimum quod & proximis lectionibus docuimus, hæc coniunctissima esse, ita vt nunquam alterum ab altero separetur, vera Ecclesia, vera doctrina, vera sacramenta & cultus: sed, quod isti agunt vt illa nobis priora sint, cultus, sacramenta, doctrina, atque scriptura, quàm Ecclesia: vt illa prius agnoscamus

&

& prius cõstent nobis q̃ Ecclesia, hoc planè dicimus dolosum: atque ideo admonemus, quoniam hinc omnium controuersiarum pendet remedium: vt scilicet agnoscatur Ecclesia: qua non prius cognita, nihil potest firmum & stabile esse in Ecclesia. Si enim certum est & manifestè probatum, Ecclesiam esse veracẽ testem cultus Dei & scripturę sacræ, at q; veri eius intellectus & synceræ doctrinæ (nõ enim aliunde ista nobis cõstare possunt) Rursum, si omnes controuersiæ aut de cultu, aut de doctrina sunt (nec enim circa aliud vnquã cum hæreticis quæstiones habuit Ecclesia) quomodo poterit agnosci verus cultus, vera doctrina, nisi prius agnita vera Ecclesia? Quo modo verò prius agnosceretur, si verum est, quod ipsi dicunt, ex cultu vero & doctrina agnosci? Si igitur suprà dicta rectè consideremus, videbimus necesse esse vt primò omniũ agnoscatur vera Ecclesia: agnoscatur (inquã) ante cultũ, ante Sacramenta, ante ipsam scripturam: illa cognita, hæc omnia agnoscentur. Per illã quæ sit vera scriptura, quę sint vera sacramenta, & vsus eorũ, quæ vera doctrina & scripturæ sensus cognoscitur. Ecclesia enim sola est quę hæc omnia nobis indicare potest: nõ quòd superior sit Ecclesia aut Sacramentis, quibus sanctificatur: aut scriptura, quæ est diuina reuelatio ad eã missa. cui tenetur adhibere fidem, etiam si angelus de cęlo aliter euãgelizauerit. Non est superior Ecclesia istis: sed nobis est superior, nobis est mater, est magistra: illam iubet Christus nos audire, & per illã recipere & scripturã & sacramenta sua: & nisi hęc ciuitas supra montem posita sit, & lucerna super candelabrum nobis luceat, necesse est omnia incerta esse. Quæ enim Euãgelia habemus, nisi quæ illa tradit? Quæ Sacramenta? & quæ eorũ fides, nisi illa nos doceat? Quod cùm antiquissimi patres testentur, vnus nobis nunc sufficiat Irenæus. Qui in tertio libro aduersus Valentinianũ apertè ostendit nec scriptura, nec alia ratione præscribendum esse cõtra hæreticos, quàm testimonio Ecclesiarum, quæ ab Apostolis institutæ sunt & descendũt cõtinua successione. Cui suffragatur & Tertullianus in libro de præscriptionibus hæreticorũ. Et, vt tertius adsit testis, Augustinus contra epistolã fundamẽti apertissimè docet, infirmata auctoritate Ecclesię, infirmari etiã & scripturam. Cui ideo, inquit ille, credimus, quia Ecclesia hoc nos docet. Ex quibus, & certissimo reliquorum patrum testimonio, Ecclesiam constituamus nobis certam & manifestam: Congregationem fidelium omnium in vnione Apostolorum, & obedientia eorum Episcoporum, qui continua, non interrupta successione ab

Galath. 8.

Quid sit Ecclesia, quæq; eius signa, & eã esse cõspicuam ac manifestã.

ab eis descendunt & in vnione illa vnius vicarij Christi, successorisque Petri persistunt. Hæc sunt vera signa Ecclesiæ, omnibus sæculis post Christum Dominum cognita. Qua sic constituta & manifesta, nec de libris sacris, nec de doctrina, nec de Sacramentis vlla potest oriri dubitatio, quæ non facile terminetur, vel quæ multum nocere possit, modò ab hac vnitate non separemur. Id enim certissimum est, huic semper manifestæ & lucidæ Ecclesiæ promissum esse, quòd nunquam veritas cultus Dei atque doctrinæ in ea non sit manifesta: nec solùm illi vniuersæ Ecclesiæ, sed speciali cuicunque fidelium congregationi in hac permanenti vnione promissum est à Christo, quòd de omni & quacunque re petierint, fiet illis: vt meritò credere debeamus, aut non permissurum Deum vt in hac vnione permanentes errent, aut si ad eos humiliãdos, & ostendendum hominibus quàm sint infirmi, id fuerit permissum, non erit error ille pernicios⁹: sicut de errore Cypriani & Concilij Carthaginensis Augustinus sanctissimè docet libro de Baptismo cõtra Donatistas. Itaque dubitasse de huiusmodi aliqua re, fieri posset sine dispendio salutis: ceterùm separasse se ab Ecclesia, nulla ratione prudentium & modestorum hominum esse potest. Et, vt cetera omittamus, quis non videt, non minus contra Christi promissionem esse, asserere Ecclesiã posse aliquando non perspicuam & manifestam, atque in propatulo expositã fuisse, aut esse posse, quàm asserere ex toto interijsse? Certè si fieri potest vt in hac manifesta fidelium congregatione sub vno vicario Christi, & visibilibus sacramentis & ritibus, non sit aliquando manifesta, & certò vera doctrina, deficeret Ecclesia illa, cui Christus dicit: Super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi &c. Quid est illud? Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, quàm quòd nec occultari nec abscondi possit Ecclesia? Hæc itaque nobis sufficiant quasi quædã communia principia & vniuersalia fundamenta eorum quæ de Sacramentis, de quibus nobis primò agendum proposuimus in hac doctrina, tradenda sunt. De ipsis igitur iam, qualiter instituta sint, & quæ sit eorum ratio ex supradictis colligamus.

LECTIO

LECTIO SEPTIMA.

De Institutione Sacramentorum Ecclesiæ, numero, & ratione eorum.

VXTA ea igitur quæ dicta sunt iam, non erit difficile in speciali Sacramentorum Ecclesiæ institutione agnoscere. Asserimus itaque Septē quosdam cultus Dei exteriores, proprios nouæ legis tantùm institutos esse à Christo. Quod ex scriptura sacra, & Apostolorum traditione, atque certissima fide Ecclesiæ necessariò est fidelibus omnibus credendum. Quia enim etsi ad libertatem filiorum vocati sumus à Christo, tamen grauati sumus corpore, & multi sunt in Ecclesia paruuli, qui externis egent signis & exercitatione, omissis communibus illis cultibus eleemosynarum & reliquorum piorum operum: exceptis etiā illis actibus religionis externis, laude videlicet Dei & spiritualibus canticis, & reliquis omnibus quæ ratio naturalis ostendit, & ad decalogum pertinent, & communia sunt Iudæis & Christianis, docet nos hæc vera Ecclesiæ fides, instituisse Christum primò Baptisma sub inuocatione sanctæ trinitatis, quasi ianuam per quā ingrederentur omnes Ecclesiam, & primū cultum, de quo dicit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto: Confirmationē, propter quā dixit Apostolis: Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto: & Apostoli imponebāt manus super Baptizatos, & accipiebāt (inquit scriptura) Spiritū sanctum: Eucharistiam, corporis sui sacramentū, quam baptizati offerrent & sumerent: Hoc facite (inquiens) in meam cōmemorationem: Pœnitentiā & remissionem peccatorū post baptismū virtute clauiū: Quorum remiseritis peccata (inquiēs) remittūtur eis: & quidquid solueritis super terrā &c. Extremam vnctionē laborantibus cōferendam: dicente Iacobo: Infirmatur quis in vobis &c. Ordinem, traditionemq; spiritualis potestatis in Ecclesia: de qua Paulus inquit Timotheo suo: Noli negligere gratiā quæ in te est, quę data est tibi per prophetiā cū impositione manuum presbyterij: Matrimonii, quod à Deo in prima creatione institutum, Christus in noua lege renouat, Non audistis, inquiens, quia qui fecit hominem ab initio masculum & fœminam fecit eos? Et dixit, propter hoc &c. Et tandem concludit, Quod ergo Deus coniunxit, homo nō separet.

Septē cultus exterio res proprij nouæ legis instituti sunt à Christo, qui sunt septem sacramenta.

Ioan. 3.
Lucæ 24.
Actuum 8.
Ioan. 20.
Math. 18.
Iacobi 5.
Math. 19.

Quæ quidem ita nunc in principio proponimus simpliciter, quia cùm de singulis agetur, ostendemus iuxta supradicta, quàm certa sit fides singulorum. Nunc hoc sit satis, citatis his locis ostendi hos septem, quos diximus, cultus ex Apostolorum doctrina in Ecclesia susceptos. Ceterum in his septem nec ritus omnes, qui in eis peragendis obseruantur, nec omnis solennitas scriptura sacra commendata sunt: sed vel verbo, vel spiritus sancti illustratione à Christo. Apostolis tradita, vel certè ab eis conuenientè ratione & spiritus sancti magisterio instituta: & quædam etiam ab eorum discipulis & successoribus, sed consonè Apostolicæ doctrinæ, superaddita traduntur: quod quàm sit conueniens, ostensum est superius, & in singulis ostendetur inferius ita esse.

Quæ ratione sacramenta sint cultus Dei.

Nunc verò hęc septem, quę diximus, qualiter cultus Dei sint consideremus. Primò in eis est protestatio quædam exterioribus rebus fidei, atque inuocatio Dei: vt cùm baptizamus in nomine patris & filij & spiritus sancti, atque ita de reliquis, est in eis confessio quædam imperfectionis nostræ & peccati, spes cõsequendæ diuinæ gratiæ. Cùm enim baptizandum se quis exhibet & abluendum, fatetur se immundum, & certam spem habere verè spiritualis gratiæ & munditiæ consequendæ: atque hac ratione meritò cultus Dei dicuntur, opera videlicet nostra in DEI honorem ordinata, atque ita proprij religionis actus externi, in quo est vera ratio externorum cultuum. Sed illud etiam est in his considerandum, quòd habent DEI promissionem de gratia atque donis suis per ea consequendis. Nam Baptismo promittit Christus regni cælorum ingressum: & hac ratione magis sunt diuina quædam opera & instrumenta ad homines sanctificandos, vt beatus Thomas diligenter in hac materia notauit: qua ratione sunt multo perfectiores & excellentiores, quàm ea ratione qua à nobis fiunt: perfectiora, inquam, sunt Sacramenta hæc, quia Deus per illa operatur in nobis, quàm quia nos illa operamur. Reuera enim cùm nos Deum colere dicimur, & ex parte quadam facimus cùm vacamus actibus religionis, ipse multò verius nos colit, mundat, sanctificat, purificat, & hoc quidem in omnibus religionis operibus, multò verò magis in his septem, quæ, vt in singulis videbimus, efficacissimam habent diuinam virtutem in salutem animarũ nostrarum.

3. p. q. 60. art. 5.

Sacramẽta a Christo Instituta.

Instituta etiam hæc esse à solo Christo, non ab Apostolis vel Ecclesia, quod vera fides habet, ex his quæ diximus certa ratione

tione probari potest & explicari. Cùm enim, vt inbuit b. Thomas, non sit in hominum potestate positum, vt à Deo iustificemur & perficiamur, ita nec decernere quibus modis, aut quibus denique instrumentis id fiat, nostrum est, sed Dei: nec rursùm quæ Deo placent, & quales à nobis cultus exigit nos possumus, nisi ex eius voluntate cognoscere, de qua non nisi ab eo docendi sumus, meritò ab illo solo instituendi fuerunt Christiani cultus. Rursùm, quoniam in his gratiæ Christi instrumentis sola virtus passionis eius operatur, nec homines aliud sunt quàm ministri, in solo eius nomine perfici debent, atque à solo eo instituí. Nec enim dubitamus potuisse Christũ hæc hominibus instituenda cõmittere, & vt in eorum nomine traderentur, facere: sed ad conseruandã vnitatem, & continendos omnes in vna spe meritorum eius, sicut voluit vt Baptismus non Petri vel Pauli diceretur, sed Christi tãtùm, propter quod clamat Paulus: Nũquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Et rursum: Quid igitur est Apollo? Quid verò Paulus? ministri eius cui credidistis: ita etiam institutionẽ horũ sibi soli reseruauit. De hac certos fecit suos Apostolos, quòd illi docuerunt Ecclesiam. Docuit hæc diligenter Augustinus in locum illum Iohannis: Ipse est qui baptizat in spiritu sancto: quem diligenter secutus est b. Thom. in hac materia: vnde ibi collegit Ecclesiã nõ constituendã nec fundandã cõmissam fuisse hominibus à Christo, sed fundatam iam gubernandã. Cetertùm Ecclesiæ fundamenta fides sunt & sacramenta: quare sicut non aliã fidẽ homines tradere possunt, sed à solo CHRISTO tradita est, ita nec alia sacramenta, quàm ea quæ Christus tradidit: quæ etiã hac ratione, & propter mysticam aquã & sanguinẽ, quæ in cruce ex Christo fluxerunt, meritò dicimus ex latere Christi fluxisse, à quo fabricata est Ecclesia: quod in prima creatione in muliere ex latere Adam formata significabatur.

sto, non ab Apostolis aut Ecclesia instituta.

3. p. q. 64. art. 8.

1. Corint. 1

Ibidem 3.

Tractatu 5 in Ioannẽ.

Ioannis 1.

Supradicto loco ar. 3. & 4.

Ibidẽ art. 2 ad 3.

Illud igitur iam non est omittendum, quòd septem hæc ab Ecclesia & patribus meritò vocata sunt Sacramenta. Vbi, quoniã non desinunt calumniari & hæretici, & qui sibi videntur sapientes, est paucis aduertendum quid nomen Sacramenti propriè significet, & quare istis attributum.

Nomen itaque hoc, quod in vsu scripturæ, maximè noui testamenti frequens est, propriè quidem, iuxta graues latinos interpretes, arcanũ aliquod significat, & sacrum obseruandũ quodam modo & cælandum secreto quodam, vt scilicet non passim nec omnibus manifestetur, quod Græci mysterium dicunt.

Quid nomẽ Sacramenti propriè significet.

Ephes.3. Itaque vbi interpres noster in Paulo transtulit, Notum factum est mihi Sacramentum, Græci dicunt mysterium: loquitur verò
Ibidem. de gentium vocatione ad gratiam Christi. Et rursum, vbi dixit. Quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis: habēt illi, mysterij: vbi de incarnatione Christi loquitur. Scimus igitur & fatemur nomen sacramenti ad mysteria omnia fidei & scripturæ extendi: quare hac ratione non septem tantùm, sed innumera dicimus esse sacramēta in scriptura. Nam de vna Apocalypsi Ioannis Hieronymus dicit: tot habet sacramenta, quot verba. Iuxta hanc significationem intelligimus septem hęc, de quibus locuti sumus, meritò sacramenta esse dicenda. Latent enim in illis exterioribus cultibus baptismi, chrismatis &c. diuina & pretiosissima gratię Dei opera & dona: meritò itaque illa sunt mysteria & sacramenta. Nam & propter hoc beatus Augustinus in Epistola ad Marcellinum, quæ est numero quinta, dicit: Signa cùm ad res diuinas transferuntur Sacramenta ritè vocantur. Et libro 10. de ciuitate Dei cap. 5. Sacrificium visibile dicit inuisibilis sacrificij esse sacramentum, id est, sacrum signum. Hęc igitur septem, quia signa sunt, sacra sacrarum rerum, non dubitamus sacramenta quædam dicere: & quidem inter omnia fidei nostræ, post illa quæ ad diuinitatem & humanitatem Christi pertinent, & ad ipsas diuinas personas, omniū maximè. Hæc verò signa gratiæ & instrumenta dicimus septem esse sacramēta, nō plura, nec pauciora. Non quòd alia negemus esse sacramēta, sed negamus alios esse cultus à Deo institutos, & alia esse signa & instrumenta diuinæ gratiæ ad nos sanctificandos ex ipsius institutione, quàm hæc septem.

Definiunt igitur Sacramentum hoc modo sumptum diuersimodè Doctores, nec magnopere pertinet ad rem has enumerare definitiones. Duo propriè sunt horū sacramētorū, quòd sunt signa gratiæ, & quòd per ea Deus operatur in nobis gratiā: itaq; sunt instrumenta, & vt addamus tertium, quod ex superioribus patet, sunt à solo Christo instituta. Ex his igitur tribus defini-
d.1.4. tio sacramenti sumenda est. Magister itaque Sententiarū dixit:
Definitio Sacramēti prima. Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, hoc est, similitudo, ita vt eius imaginem gerat & causſa existat. In qua
2. definitione duo illa cōplexus est, signum, videlicet & causſam. Adduxit etiam ibidem alias ex verbis Augustini desumptas: scilicet, Sacramentum est in quo sub tegumento rerum visibilium
3. diuina virtus operatur salutem. Et illam etiam, quæ ex proximè dictis patet, quòd sit sacrę rei signum. Porrò Hugo de sancto

Vi-

Victore omnia complectens dixit: Sacramentum est naturale elementum exterius, oculis appositum, ex similitudine repræsentans, ex institutione significans, ex sanctificatione inuisibilē gratiam continens. In qua & significationem, & efficientiam, & institutionem Christi apponsunt: quæ tria quibuscunque verbis ponantur, naturam horum sacramentorum explicant. Itaque quod nonnulli posteriores dixerunt, Sacramentum est signum sensibile gratiam ex institutione diuina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris, satis distinctē hoc ipsum explicat. 4.

Ex hac verò definitione ratio huius numeri, atque ordo ipsorum Sacramentorum, & eorum necessitas facilè agnosci possunt. Cùm enim hæc sacramenta ad perficiendos nos in cultu Christianæ religionis ordinentur, & ad conferendum omnia quæ ad vitam spiritualem in religione Christiana necessaria sunt, conuenienter primò ponitur Baptismus, quo regeneramur in filios Dei & renascimur, dicente domino. Oportet vos nasci denuo. Deinde Confirmatio, qua ad perfectum statum & robur spirituale vitæ Christianæ perducimur: donec (inquit Christus) induamini virtute ex alto. Tertio loco Eucharistia est, in qua tanquam per cibum necessarium sustentamur in spirituali vita. Quartum locum meritò obtinet Pœnitentia: quæ medicina quædā est & restitutio pristinæ valetudinis, quæ per peccatum amittitur. Hanc sequitur extrema Vnctio, quæ ablatio est reliquiarū infirmitatis peccati, & plena cōfortatio animę in vltima infirmitate. Iā verò per Ordinem & Matrimoniū Ecclesiæ ipsi, hoc est, cōmunitati cōsulitur. Per Ordinē enim dantur Ecclesię gubernatores, quibus consulitur multitudini, dicēte scriptura: Cùm defecerit gubernator, dissipabitur populus. Matrimoniū verò subuenit naturali defectui mortalitatis, vt sit etiā propagatio carnalis in Ecclesia, sed sanctificata, dicataque Deo. Itaq; patet quàm plenè per hæc sit prouisum Ecclesię. Nō desunt quidē aliæ huius rei rationes, sed hęc magis placuit beato Thomæ in hac materia. Ex quo etiā facilè infert ordinem illorum & necessitatem: sunt enim prima illa tria eo ipso ordine quo posita sunt omnibus necessaria: Primū vt generatio, secundum vt augmentum, tertiū vt cibus. Iam post illa pœnitentia & extrema Vnctio sequuntur, sed non simpliciter sunt necessaria, verùm vt medicinæ tantùm, cùm inciderit infirmitas. Ordo verò & Matrimonium nulli priuato, sed Ecclesiæ sunt necessaria. Inter omnia verò dignitate & excellentia summum est Eucha-

De Sacramentorum ordine.

Ioan. 3.

3. p. q. 65.

De necessitate sacramentorum.

ristię

ristiæ sacramentum, ad quod reliqua omnia ordinãtur, & in quo consummantur. Qualiter verò ad hæc suscipienda teneamur omnes, & quibus præceptis, inferius circa singula dicendũ est. Illud igitur vltimò aggressuri, breuiter hoc loco putamus præmittendum, quod his quæ superius diximus consonũ est, quòd scilicet fides horum Sacramentorum non ex sola scriptura petenda est, sed ex doctrina Catholicæ Ecclesiæ. Sic enim superius ostendimus à Christo instituta esse, vt magis spiritus sancti interiori illustratione Apostolos de eis docuerit, & verbo eorũ, atque eadem spiritus sancti interiori illustratione Apostolos de eis docuerit, & verbo eorũ, atque eadem spiritus sancti vnctione Ecclesiam voluerit erudiri. Meritò igitur Lucius 3. Papa definiuit: Vniuersos qui de corpore vel sanguine Domini, vel de Baptismate, siue de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis sacramentis aliter sentire vel docere nũ metuunt, quàm sacra Romana Ecclesia prædicat & seruat, vinculo perpetui anathematis innodamus. Vide quàm hoc consonè patrum doctrinæ, de vnitate Ecclesiæ & Romanæ Ecclesiæ superioritate: vide quàm conuenienter illis quæ de traditione ab Apostolis proximè dicta sunt. Huic igitur tam necessariæ definitioni coniungamus Eugenij 4. & Concilij Florentini de sacramentis omnibus doctrinam, quam ibidem in Bulla vnionis Armeniorũ tradunt, docentes Ecclesiasticum & Romanæ Ecclesiæ sensum circa sacramenta: vbi de singulis cuncta quæ necessaria cognitu sunt complectuntur, extra quæ aliud quærere frustra putamus, vbi primò ita pronunciãt. Nouæ legis septem sunt sacramenta: Baptismus &c. quæ iam diximus, referemus verò, cùm de singulis agetur, quod ibi traditum est.

Fides sacramentorum nõ ex sola scriptura, sed ex doctrina Ecclesiæ petenda.

Ca. Ad abolendũ, de hæreticis, in decretal.

LECTIO OCTAVA.

De *his quæ circa singula sacramenta necessariò considerãda sunt.*

In omni sacramento necessariò

EX his itaque, quæ de definitione & numero Sacramentorum dicta sunt, non est difficile inferre & discernere quæ sint circa singula Sacramenta considerãda.

Primò in quolibet Sacramento signa ipsa sensibilia sunt, res videlicet aliquæ corporeæ siue actus sensibiles, & verba, omnia

eia à Christo instituta: Baptizantes (inquit) in nomine Patris &c. Vtrumque explicauit, & rem & verba. Ex his igitur duobus, rebus scilicet & verbis, sacramentalia signa integrantur: id quod conuenientissimum esse docet b. Tho. 3. parte Conuenit enim hoc ipsi causæ sanctificanti & operanti in sacramentis, quæ est verbum incarnatum, hoc est, ex duobus compositum, humana scilicet natura & diuina. Conuenit etiam & nobis qui sanctificamur, qui cùm ex corpore simus & anima, per res corporeas quæ sunt in sacramentis tangitur corpus, per verbum verò anima excitatur. Tertiò denique & hoc conuenit certiori, euidentiori & expressiori significationi sacramentorũ. Vt enim non tantùm diuina nobis sono quodam vocis significentur, sed insculpantur quodam modo & affigantur, opus fuit rebus corporeis, veluti aqua aut oleo: quæ cùm adhibentur corpori visibiliter, significant diuinas gratiæ operationes. Quoniam verò res istæ confusius & minus explicitè significant, vtendum fuit verbis, quæ, vt Augustinus inquit in 2. de doctrina Christ: obtinent principatum significandi, & per ea quidquid volumus distinctius significamus, quàm per alia signa. Meritò igitur res vocarunt Theologi materiam, verba formam sacramentorum, vt sicut nos ex corpore & anima componimur, ita & sacramenta. Sint itaque res vt corpus, verba tanquam anima. De quibus hoc certum sit, ad veritatem & integritatem Sacramentorum necessarias esse res quas Christus instituit, & verba quę addidit, ita vt si aliquid horum mutetur, verè nõ conficiatur sacramentũ: si non adhibeatur aqua, non est Baptismus, quidquid aliud, etiamsi abluere possit, adhibeatur. Ceterùm quia in verbis maior est adhibenda consideratio, in quibus mutatio facilior esse potest, sequentia de illis in communi notentur. Primùm. Verba instituta à Christo sic necessaria sunt, vt integritas sensus seruetur, non verò idioma, aut quæcunque alia conuenientia, vel etiã præcepta ipsa grammaticę. Verba enim propter sensum intelligimus necessaria: vnde in diuersas linguas translata eadem verba dicũtur propter sensum eundem, qui si seruetur, etiam incõgruè, satis est ad integritatem sacramenti: atque ita respondemus calumniantibus hæreticis, quòd vtamur catholici verbis quasi carminibus incantatorijs. Id enim falsissimũ est. Cùm non verbis, sed sensui inhæreamus. Quod verò illi volunt verba sacramentalia intelligenda esse de promissione diuina, quæ prædicanda & fide acceptanda est, non insusurranda, vt dicunt, falsum est, quãquam nos non negemus promissiones Christi de Sacramẽtis

est res sensibilis & verbũ, hoc est, materia & forma. ar. 3. q. 60.

Quanta sit necessitas verborũ in sacramentorum formis, quantãq; mutationem patiantur.

tis docendas esse diligenter, ad perfectionem tamen Sacramentorum & integritatem id necessarium esse omnino negamus.

1. Corin. 1. Paulus docebat promissiones Baptismi, alij baptizabant: nec ex prædicatione Pauli & aliorum lotione fiebat Baptismus, vt il le apertè ostendit: falsum igitur est, & sibi contradicit, velle res esse determinatas à Christo, & certas, quibus vtendum sit in sacramentis, & non verba similiter: cùm præcipuè illa sint anima quodam modo Sacramentorum. Ex his itaque multa colligi possunt de corruptione, vel transpositione, vel additione, vel diminutione, vel interruptione etiam, quæ in proferendis verbis cõtingere possunt. Si enim hęc non auferant sensum, perficitur sacramentum: quod b. Thomas latius explicat 3. parte. Vt verò qualiter in his mutationibus peccetur intelligi possit, quod sequitur est aduertendum.

Art. 7. & 8. q. 60.

Mutatio verborum quocunque modo fiat, si quidem intentione mutandi ritum Ecclesiæ fit, grauissimum est schisma, & non paruum etiam periculum defectus veritatis sacramentorũ. Nam apertè b. Tho. asserit eum qui mutat ritum Ecclesiæ non perficere sacramentum, cùm iam nõ intendat quod Ecclesia. Et quanquam fieri posset, vt hæreticus ab Ecclesia segregatus intendat facere quod instituit Christus, & ita iam Ecclesiæ conformetur, & perficiat sacramentum, valde tamẽ timenda est in mutatione verborum aliena intentio ab Ecclesia. Moderni hæretici in Baptismo nihil mutãt, nisi fortè alicubi idioma, quod, vt diximus, manente sensu non impedit. Ceterùm satis patet quòd in his mutationibus, si ex proposito fiant, quacunque intentione, graue peccatum est: imò si ex negligentia culpabili: nam in re tam graui adhibenda est circumspectio, vt beatus Thomas supradictis locis inquit.

Mutare verba in formis Sacramentorum quàm periculosum & graue peccatum.

Requiritur & tertio loco in Sacramentis minister. Sic enim in quibusdam Sacramentis apertè patet: ea enim Christus dispẽsanda cõmisit non omnibus, sicut de Absolutione inquit Apostolis suis: Quidquid solueritis super terram. Quare meritò in singulis Sacramentis quærendum quis sit necessarius minister: nec enim idem in omnibus Sacramentis minister est.

In omni Sacramento necessarius est legitimus minister.

Quarto etiam loco considerandus est suscipiens ipse. Nam in quibusdam Sacramentis ita determinati sunt suscipientes, vt non omnes sint eorum capaces: vt in sacramẽto Ordinis patet: in quo illud Pauli locum habet: Mulierem in Ecclesia loqui nõ permitto, nec dominari in virum. Ita etiam in ceteris Sacramẽtis requirendum, quis scilicet sit eorum capax. In his etiã duo-

In vnoquoque sacramento considerandũ quis sit Sa-

bus,

bus, suscipiente videlicet & ministro necessaria est certa dispositio & præparatio, siue vt perficiatur Sacramentum, siue vt sancte & recte, & cum fructu administretur & suscipiatur: de quibus simul dicendum. *crementi capax.*

¶ Hæc itaque quatuor meritò inter exteriora & visibilia quę in sacramentis sunt computantur: iam quę restant pertinent ad inuisibilia ipsa & occulta sacramentorum: inter quæ primum est res significata per Sacramentum. Sunt enim vt diximus, signa sensibilia: & hoc certè maximè considerandum est nouæ legis tempore & in statu gratię reuelatę. Nam, vt Augustinquit 3. de doctrina Christiana, seruitus quædam est, magis legis veteris quàm gratiæ, signa venerari nō intellecta: imò & quædam, inquit ille, mors & interitus rationis, cuius est rerum cognitio. Quare valde profuerit in sacramentalibus signis res significatas attendere: de quibus in communi nunc breuiter id tantū dicendū, quòd sacramenta nostra tria potissimū significāt. Primò causſam & originem sanctificationis nostræ, quæ Christus est, & eius passio atque meritū, & respectu huius sacramenta reme moratiua signa sunt. Secundò ipsam sanctificationem nostram, quam, vt mox dicemus, operantur: atque ita sunt signa indicatiua præsentium. Tertiò denique & finem ipsum, ad quem per ea ordinamur ostendunt: respectu cuius meritò prognostica quædam signa dicuntur, vt. b. Thomas inquit. Quæ omnia facilè in baptismate ostenduntur. Aqua passionē Christi, & ea quæ ex latere eius effluxerūt significat, deinde ablutionem & mundiciā animæ, vt Paulus dicit de Christo: Dilexit Ecclesiam suā, & tradidit semetipsum pro ea, lauans eam lauacro aquæ &c. Deniq; & immersio ipsa atque emersio resurrectionem Christi, & eam quam speramus futuram renouationem significant: de qua Paulus apertè loquitur: Consepulti sumus Christo per Baptismū, vt sicut ipse surrexit à mortuis, ita nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. *Quæ præterea in Sacramentis considerada.* *Supradicta q. art. 5.* *Ephes. 5.* *Roman. 6.*

Est denique in Sacramentis effectus eorum proprius considerādus, qui meritò in ipsis maximū locum obtineat. Nam, vt diximus, sunt causſæ gratię, ad quam omnia alia ordinantur: sed hoc in sequentem lectionem relinquimus. Ceterum & in quolibet Sacramento sunt adhuc considerandi ritus & cæremonię, quæ ab Ecclesia superaddita sunt, quæ proculdubio non frustra & vanè, sed certa & necessaria ratione introducta esse ex proximis lectionibus satis constat, nec sine auctoritate

&

& traditione Apostolica, vel spiritus sancti peculiari inspiratione: de quibus cùm suprà dixerimus, illud sufficiat huic loco,
1.Cor.11. quòd Paulus Corinthijs scribens quædam ordinat de sacramẽto Eucharistiæ: & cetera (inquit) cùm venero ipse disponam. Et
1.Cor.14. deinde de modo prophetandi in Ecclesia præcepit nõnulla. Et in vniuersum (inquit) omnia honestè & ordinatè fiant in vobis, & ad ædificationem. In quibus præcipuè de his ritibus conferendi Sacramenta, & exercendi reliquos Ecclesiasticos actus apertè cõstat Paulum loqui: At verò nisi statuerentur circa singula ritus & cæremoniæ, non possent ordinatè administrari, sequente vnoquoque quod sibi aut leuiter, aut post nonnullã deliberationem conuenientius videretur. De his itaque maximè intelligendũ quod ex Augustino suprà citauimus. Quæ per totum orbem terrarum seruantur in Ecclesia, insolentissimæ insaniæ esse aut omittere, aut in dubium reuocare. Qui ritus, cùm necessarij sint & rationabiles, habent & suam significationem & virtutem ex parte aliqua: de quibus meritò agendum. Itaque hæc sunt in summa in singulis Sacramentis consideranda eo ipso ordine quo proposita sunt. Materia, forma, minister, suscipiẽs, & vtriusque dispositio, significatio & effectus atque operatio ipsius, denique ritus & cæremoniæ ab Ecclesia institutæ. Ex quibus omnibus, sicut de quibusdam iam diximus, quædam requiruntur ad integritatem sacramenti, alia ad rectam administrationem, vel fructum consequendum ex sacramento: quæ etiam considerandæ sunt: vt scilicet discernamus alia ab alijs.

In Epistola 1. ad Ianuarium.

Summa eorũ, quæ in singulis sacramentis cõsideranda.

LECTIO NONA.

De primo & proprio sacramentorum effectu, gratia scilicet & charactere.

Sacramẽta nouæ legis ex se, siue ex opere operato

QVIA, vt dictum est, & manifesta ratio ostendit, præcipuum in sacramentis est gratia, ad quam cõferendam instituta sunt à Christo, de hac sequentia breuiter adnotentur.

Primum. Sacramenta nouæ legis efficacia esse ex se, & gratiam causare virtute ipsis à Christo communicata, certissima fide tenẽdum est: quod hæretici moderni absque vlla ratione reijciũt, bla-

blasphemantes certè. Quod quidem Baptismus paruulorum, quem certa fides non dubitat à quocunque datum paruulum iustificare, apertè ostendit, & Paulus confirmat, Saluos (inquiens) nos fecit per lauacrũ regenerationis & renouationis. Et hęc est præcipua sacramentorum nouæ legis & veteris differentia, vt Magister in 1. dist. 4. dicit. Et id confirmant Pauli verba, quibus sacramenta veteris legis infirma & egena elementa vocat. Nec hæreticorum calumnia vllam habet apparentiam, cùm dicunt hoc Paulum dixisse de eis postquam euacuata fuerant à Christo: id enim ostendit Paulus ipse falsum esse in Epistola ad Hebręos, vbi apertè ait ideo euacuata sacramẽta illa & mutata, quia infirma & inutilia: non è contrario, ideo infirma, quia mutata. Reprobatio (ait) fit prioris mandati propter inutilitatem eius & infirmitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit Lex. Vnde & postea dicit ritus illos in cibis, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis neminem posse saluare. Vnde tandem inquit, Christus ingrediens in mundum ait: Sacrificium & oblationem noluisti &c. Ex quibus apertè Catholici collegerunt in noua lege & in sacramentis eius virtutem esse gratiæ caussatiuam: ne videlicet sint sicut veteris legis infirma & egena elementa: quod conuenientissimè Theologi explicarunt per illa verba, ex opere operato: quibus opponunt, ex opere operante. Vt enim explicitè hoc tam necessarium fidei dogma declaretur, dixerunt tam Sacramenta illa veteris Legis, quàm quæcunque alia pietatis opera vel officia tanti apud Deum esse meriti, tantæ vtilitatis nobis, quanta deuotio est & spiritus sancti impulsio, qua illa opera fiunt. Igitur ex operante ipso virtutem habent, quanquam illa sit in eo ex spiritu sancto. Ceterùm nostra Sacramenta, non vt dispositus est qui confert, neque qui recipit, sed ex Christi Domini promissione & virtute eis collata operantur: quod in Baptismo puerorum, vt diximus, manifestum est, & inde ad cetera etiam transferendum, nisi quòd adulti possunt nonnunquam impedimentum & obicem gratiæ habere, quo stat, vt non consequantur effectum: de quo postea dicendum. Nunc id satis sit contra hæreticos, quòd ex hac doctrina nihil derogamus Christo, sed potius tribuimus illi, confitentes ipsum esse qui operatur in sacramentis, & spiritum sanctum: sed eis vtuntur tanquam instrumentis. Non ergo à Christo transferimus in sacramenta virtutem, sed agnoscimus mysteria quibus nos voluit saluos facere, prædicantes apertè, non esse eius potentiam alligatam sacramentis: potest enim si-

gratiã cõferunt, non autẽ sacramẽta veteris legis. *Titum 3.* *Ad Gal. 4.*

Heb. 7. *Ibidem. 9.* *Ibidem 10.*

ne eis cùm voluerit operari: sed asserimus illa esse certa quædam signa & instrumenta gratiæ suæ. Et ex hac certissima doctrina colligitur vera differentia & distinctio, qua sacramenta à ceteris omnibus Christianæ religionis operibus differunt, & præstant inter exteriora omnia. Quia alia, etsi bona, etsi sancta, etsi habentia promissionem dei, non tamen operantur nisi ex dispositione & merito operantium: vt eleemosyna, ieiunium, oratio, & cetera omnia Christiana officia. Ea verò quæ sacramenta dicimus, ex virtute Christi in eis & per ea operantis vtilia sunt nobis. Itaque & genere & differentia proprijs agnoscenda sunt sacramenta: quantùm ad genus sunt exteriores actus religionis, cultus scilicet & cæremoniæ: ex differentia sunt gratiæ caussatiua & operatiua ex se, & non ex nobis, sicut alia bona opera.

Gratia sacramẽtorũ multo est copiosior, quàm gratia virtutũ & donorũ spiritus sancti.

Secundum circa hoc cõsiderandum est, quòd non solùm Sacramenta gratiam caussant, sed etiam hęc sacramentorum gratia est multò abundantior & plenior, quàm gratia virtutum & donorum illorum septem, quæ tribuuntur spiritui sancto, quę omnia ad opera Christianæ religionis ordinantur. Igitur nõ solùm per sacramenta vel confertur de nouo, vel augetur sanctitas, & consequenter datur gratia ad omnia opera virtutum & donorum spiritus sancti exequenda, quod semper fit in gratiæ collatione, sed confertur per ea plenissimum quoddam & superabundans auxilium gratiæ ad omnia Christiana opera & fines sacramentorum. Quæ consideratio, quam b. Thomas diligentissimè docuit 3. parte, præcipuè debet commendari, ad afficiendos homines & trahendos ad participanda sacramenta. Nec opus est hoc magis probare, quàm fide ipsorum sacramẽtorum docetur: Baptismus enim nõ tantùm iustificat, & ad bona opera exercenda regenerat hominem: sed tantam confert gratiam, vt perfectè homo consepeliatur Christo & moriatur præteritis omnibus peccatis, & resurgat etiam ad operanda tanta virtutum opera, quanta & qualia decent verum membrum Christi: & ita de ceteris sacramentis.

q. 62. ar. 2.

Quomodo sacramẽta sint caussa gratiæ.

Tertium considerandum est, quòd de modo, quo sacramenta gratiã caussant, est inter Catholicos doctores nonnulla diuersitas, salua tamen certissima fide suprà dicta, quòd ex opere operato eam operantur. Alij enim ita intelligunt hoc fieri, quòd Christus & spiritus sanctus ipsi adsunt ex promissione sua cùm sacramenta adhibentur, & operantur in animis hos effectus, sed id propter sacramenta ipsa. Non est hæc sententia reijcienda tãquam aliena à fide, sed illa certè multo probabilior est, quòd

Christus

Christus ipse & spiritus sanctus vtantur sacramentis sicut artifex instrumentis, vt verè dici possit, sacerdotem absoluentem peccatum remittere, aquam Baptismatis animam abluere, non minus, quàm vel calamum scribere, vel ferram scamnum facere, sed id virtute artificis mouentis: quod b. Tho. sequutus est in hac materia: & hoc consonat verbis scripturæ, Saluos nos fecit per lauacrum &c. Dignificat etiam sacramenta, nec aliquid habet impossibilitatis, sed dignationis diuinæ: cui cum possibilia sint omnia, hoc modo vult per sacramenta nos iustificare, & res corporeas erigere, vt operentur in animas. *supradicta q. art. 1.*

Quartum denique non est prętermittendum, quòd videlicet ita asserimus hanc virtutem Sacramentorum, vt tamen apertè doceamus necessariam esse in adultis dispositionem propriam, & actum liberi arbitrij cooperantem gratiæ & sacramentis. Atque ita hęretici apertè cõuincuntur nobis imponere, qui dicunt nos ex hac prædicata sacramentorum virtute occasionem dare negligentiæ & socordiæ, quasi absque bono aliquo motu animæ nostræ sacramenta operentur. In paruulis quidem hoc credit tota Ecclesia, sed de adultis nullus, qui prudenter loquitur, hoc asserit. Hæc est b. Thomæ sententia manifestissima prima secundæ & tertia parte, vbi ait adulto non remitti peccata, etiam in Baptismo, sine actuali mutatione animi, quę fit per pœnitentiam: & de remissione venealium loquens eodem loco, ait nec gratiam dari nec augeri, nec peccatum remitti adultis, etiam veniale, sine motu cordis & præparatione. Idque illud verbũ Petri Apostoli confirmat: Pœnitentiam agite, & Baptizetur vnusquisque vestrũm. Beatus etiam Bonauentura in 4. sentent. idem diligenter cõfirmat: & Alexander de Ales, de hoc agẽs in summa. Et hi omnes ex verbis Augustini in multis locis, & specialiter tractatu 72. super Ioannem, hoc probant, vbi ait: non iustificari nos sine nobis. Debuerunt itaque noui isti doctores prius legere eos qui inter scholasticos probabilioris sententiæ habentur, & tunc reprehendere. Sed hæc dicta sint, vt eorum pateat negligentia & arrogantia. In speciali verò circa singula sacramenta quæ restant dicemus. *Ad consequendã sacramentorũ gratiam necessaria est in adultis propria dispositio & actus liberi arbitrij. q. 113. ar. 3. q. 86. ar. 2. q. 87. 3. part. Act. 2. dist. 17. q. 2. 4. part. q. 72.*

Quia verò tribuitur nonnullis sacramentis quidam specialis effectus, scilicet character, qui in antiquioribus Doctoribus nõ reperitur, propter quod de eo aliqui dubitant, de eo sequentia breuiter sunt annotanda.

Primum. Certa fidei regula tenet quędam sacramẽta spiritualem potestatem actiuam vel passiuam dare. Illa scilicet, qui-

bus ſuſcipientes deputantur ad quædam Chriſtiani cultus opera vel exercenda vel ſuſcipienda: idque etiam ſi ab indignis ſuſcipiantur credendum eſt effici: ſicut ſacramentum Ordinis, etiam indignè ſuſceptum ſpiritualem poteſtatem confert ordinato: ita Baptiſmus in peccato ſuſceptus ſuſcipientem reddit habilem ad participanda ſacramenta: hoc de Baptiſmate ab hæretico & inter hæreticos ſuſcepto & Eccleſia definiuit, & b. Auguſtin. contra Donatiſtas defendit. Hæc verò poteſtas proculdubio à ſuprema illa Chriſti poteſtate deriuatur, & eam habentem configurat ipſi. Quare meritò à poſterioribus appellatus eſt Character, quod ſignificat cõfiguratiuum quoddam ſignum ſiue formam: idque etiam ſimilitudine ſumpta ex his quæ fiunt in Repub: explicant. Nam qui deputantur ad opus aliquod, puta militiæ, inſigniuntur nota, quam Characterem vocant: & hac ſimilitudine vſus eſt Auguſt: diſputans contra Donatiſtas, lib. 2. contra Parmen: ca. 13. dicens quòd ſicut figuram regis monetæ impreſſam à falſario cognitam probat lex, etſi falſarium damnet: & militiæ Characterẽ (ſic enim inquit) ab infideli milite impreſſum non repetit verus Rex, ſed agnoſcit: ita etiam Baptiſmus ab hæreticis datus non repetendus eſt in Eccleſia. Vbi etſi Auguſtinus Characterem ipſum ſacramentum Baptiſini magis vocauit, quàm effectum aliquem eius, quare ex eo loco non conuincimus Auguſtinum Characterem aliquem interiorem in ſacramentis imprimi aſſerere, quia tamen res ipſa certa eſt, dari ſcilicet eam poteſtatem, ſuſcipiendum eſt etiam hoc nomen tanquã doctrinæ Eccleſiaſticæ conueniens & in ea receptum, vt patet in cap. Maiores, de Baptiſmo. Vbi Innocentius 3. Characterem imprimi dicit etiam quibus non confertur gratia.

Secundò etiam aduertendũ, ex his quæ diximus facilè agnoſci poſſe, quæ ſint hæc ſacramenta Characterem efficientia. Illa enim tantùm ſunt, per quę ad alios actus, extra ipſum ſacramentum ſcilicet exercendos, ſpecialiter deputãtur ſuſcipientes. Sunt igitur hæc tria tantum, Baptiſmus, per quem capaces efficimur aliorum ſacramentorum, Cõfirmatio, per quam ad profitendam fidem armamur, Ordo, per quem traditur poteſtas præcipui ſacramenti, & aliorum etiam adminiſtrandorum. In reliquis verò iſtud non eſt, vt facilè eſt videre. Vnde & character hic quia cõſecratio quædam eſt deriuata à Chriſto, indelebiliter manet: & ideo illa ſacramenta iterari non debent, Quæ omnia latius b. Thomas proſequitur. q. 63.

Quia tamen ex hoc nonnulli graues ſcholaſtica reliquis quatuor

tuor sacramentis tribuunt ornatum quendam, quasi illa indignè susceptа operentur in anima non quidem gratiam, non tamen omnino nihil, sed dispositionem quandam putarunt ea producere, quæ ornet etiam aliqua ex parte animam: de hoc satis sit admonere, quòd nulla certa ratione conuincitur ponendam esse rem aliquam, quæ ornet vel disponat ad gratiam. Itaque eadem facilitate qua asseritur, reijci potest. Quare non est hæc doctrina tanti facienda, vt præcedens: & melius est illud omnino omittere, quod neque scriptura, nec ratione certa, nec probabili auctoritate ostenditur.

DE BAPTISMO.

LECTIO PRIMA.

De his quæ ad integritatem eius pertinent.

PRIMVM IGITVR Sacramentorum omnium Baptismus est, ita à Christo primò omnium institutus, & ab Apostolis prædicatus, primò etiam in Ecclesia habitus in vsu: & vtriusque horum in Euangelio & actis Apostolorum frequens mentio fit: de quo ordine proposito agendum est.

Est itaque Baptismi materia & elementum aqua ex institutione Christi: nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. *Ioannis 3.* Forma verò siue verbū. Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, ex eadem institutione domini: Baptizantes eos in nomine patris & filij &c. vbi vtriusque etiam meminit. *Matth. 28.* Nam in verbo, Baptizantes, quod lotionem significat, manifestè aqua ostenditur, de qua re Theologi in 4. dist. 3. & b. Tho. 3. parte explicat quę necessaria sunt Ex quibus, reiectis disputationibus, sequentia notentur. *q. 66.*

Primum. Aqua necessaria in Baptismo est, ea quæ nomine aquæ communiter accipitur: siue ea elementum sit, siue corpus aliquod magis compositum & mixtum. Quare sola illa transmutatio siue naturalis siue artificialis, quæ speciem mutat aquæ, veritatem sacramenti aufert, & nulla alia. Nam vt b. Thomas inquit, & in sulphureis aquis, aut quibuscunque alijs, quali- *De materia Baptismi.*

tercunque alteratis, fit Baptismus: nō verò in liquoribus ex herbis resolutis, aut quibuscunq; alijs. Hoc itaque elementum propter communitatem & abundantiam, & propter naturales suas proprietates, & mysticas etiam significationes, ad hoc Sacramētum maximæ necessitatis ab ipso Deo electum est.

De Forma baptismi. Secundum. Forma etiam, siue verba ipsa à Deo instituta, de necessitate duo opus est vt significent: actum videlicet ipsum, & principalem primamq; causam Baptismatis, scilicet sanctissimam Trinitatem, & hoc verbis communibus, quibus hæ personæ diuinæ significantur in scriptura. Ob defectum primi, si verbum, Baptizo, omittatur, inquit Alexander 3. cap. 1. de Baptismo, non est sacramentum: si quis videlicet immergat dicens tantum in nomine patris & filij & spiritus sancti: quia videlicet non explicatur actus ipse, vt b. Thomas inquit supradicta q. Si verò hic significetur omissa persona ministri, nihil aufertur veritati sacramenti, vt in Baptismo Græcorum: Baptizetur seruus Christi: sed omissio Baptizati, si videlicet pronomen illud, te non dicatur, aufert veritatem Baptismi, vt b. Thom. 3. d. 4. inquit aperta ratione. Est enim determinatio actus baptizandi ad eum qui baptizatur. Si tamen illud pluraliter proferatur cùm simul multi baptizantur, quod in necessitate fieri potest, ad veritatem sacra-
Mr. 5. q. 67 menti sufficit, vt idem inquit. Est tamen in his attentè considerandum, ne quid horum verborum, Ego te baptizo in nomine patris & filij & spiritus sancti, mutetur. Nam etiam si ad mutationem sensus non pertineat, non sine periculo grauis peccati fieri potest. Propter defectum secundi non putatur certò verum baptisma in nomine genitoris & geniti, vel in nomine Christi, nisi speciali dispensatione Dei, qualis fuisse creditur in primitiua Ecclesia. Hæc sunt tuta & certa: etsi alia sint disputabilia.

Definitio baptismi. Rectè igitur ex his Magister definiuit sacramentū Baptismi dist. 3. 4. Quòd sit ablutio corporis exterior sub præscripta forma verborum. Nec enim aqua, nec verba sacramentum sunt, sed vsus ipse in vtriusque coniunctione, vt Augustin. exponit illud Ioannis: Mundi estis propter sermonem &c. quòd scilicet in accessu verbi ad aquam, vel ablutione ipsa consummetur sanctificatio. Aliæ etiam definitiones si quæ dantur, iuxta hanc sunt intelligendæ: vt est illa Hugonis de S. Victore. Quòd sit aqua abluendis animabus sanctificata per verbum. Vel certè dantur secundum effectus sacramenti, vt à Damasceno, Dionysio & alijs.

Hinc

Hinc etiã patet ad sacramenti necessitatem sufficere immersionem siue vnam siue trinam, vel aspersionem. Quolibet enim modo sacramentum est. Sed peccatur proculdubio grauiter, vt inquit b. Thom. art. 7. illius q. in omissione consuetudinis Ecclesiæ. Et hæc de materia & forma, iam ad reliqua.

De immergendo aut aspergẽdo illo qui baptizatur seruandam ecclesiæ cõsuetudinẽ.

Minister quidem proprius huius sacramenti sacerdos est, & nullus eo inferior, ne Diaconus quidem, vt Gelasius inquit in cap. Diacones. 93. d. cuius rationẽ b. Tho. q. 67. vbi de hoc agit, conuenientissimam reddit. Baptismus enim proximus est Eucharistiæ, nempe per quem ad illam acceditur. Quare ad eundem pertinet ministrum: idque ex institutione ipsa Christi. Vnde etsi Episcopi possint illud ministrare, & ad hoc Apostoli à Christo missi sint: Docete omnes gentes, baptizãtes eos in &c. tamen Paulus apertè ostendit nõ esse proprium eorum munus: Non misit me Christus baptizare, inquit. Ceterùm in articulo necessitatis non esse certum ministrum tota intellexit Ecclesia: ne videlicet vlli desit tam necessarium remedium. Itaque & Laici & fœminæ conferunt hoc sacramentum: sicut Vrbanus Papa inquit ca. super quibus. 30. q. 3. Et non baptizatus etiam, vt Nicolaus Papa respondet in ea: à quodam Iudæo. de consecrat. dist. 4. quanquam Augustinus id sub dubio reliquerit. Ex quo colligitur etiam, quòd extra necessitatem ab his verum sacramentum perficitur: sed vt b. Thom. illius quæst. art. 5. inquit, grauiter, & proculdubio mortaliter peccatur, si ab his extra necessitatem celebretur: sicut si à pluribus simul totum conferretur sacramentum. Nec enim dubium est peccare eos, sed baptismus propterea non est nullus, si modò, vt diximus, vterque & verba proferat & immergat. Nam à pluribus partialiter agentibus, vno videlicet immergente, altero proferente verba, non fit sacramentum: sicut hinc etiam patet nullum se posse baptizare: deesset enim minister.

De ministro baptismi. Articulo 2.

I. Cor. I.

De suscipiente verò hoc tãtùm dicendum est, quòd capax est eius omnis iam natus, siue paruulus siue adultus sit: vt art. 11. quæst. 68. inquit Tho. Nam ex verbo illo Euangelij: Nisi quis renatus fuerit &c. Augustinus rectè colligit neminem renasci, qui non fuerit natus: cùm tamen in periculo vel caput, vel quodcunque etiam membrum extra vterum apparens perfundi debeat, & ibi baptismus celebrari: vbi, si postea perfectè nascereturqui periclitabatur, repeti debet sacramentum sub conditione, inquit b. Tho. Iam verò in hoc casu, si prodeunte capite illud perfundatur cùm verbis baptismi, quia principale membrũ

De eo qui Baptismũ suscipit.

est, non dubitatur verum perfici sacramentum, nec repetendum esse. In alijs verò inferioribus & infirmioribus membris est meritò dubium, & ideo cùm in eis fit, reiterandus est.

In vtroque verò, ministro, scilicet & suscipiente, dispositio certa requiritur: & alia quidem ad veritatem sacramenti, alia ad rectum vsum, vel ad fructum consequendum: de quibus breuiter sequentia adnotentur.

Quid requiratur in ministro baptismi.

Primum. In ministro ad veritatem sacramenti necessaria est intentio faciendi quod Christus & Ecclesia instituit. Nam cùm minister rationalis sit, & opus ipsum multis de causis fieri possit, necessarium est vt ex intentione eius ad hunc finem applicetur: quæ est ratio b. Thomæ art. 8. q. 64. probans in omnibus alijs sacramentis etiam hoc requiri. Rectitudo verò intentionis, vt scilicet non solùm velit quod Christus præcepit facere, sed id etiam recta intentione non ob malum aliquem finem faciat, necessaria tantum est vt ille non peccet.

Quid requiratur in susciptẽte baptismum.

Secundum. In susciptente etiam adulto ad veritatem sacramenti necessaria proculdubio est intentio suscipiendi sacramẽtum, vt art. 7. q. 68. b. Thom. inquit: & hęc est ecclesiæ definitio, vt patet in capite. Maiores. de baptismo, omissis disputationibus. Ex quo etiam certissimum est, baptismum phrenetico vel mente alienato, qui nunquam antea consensit, datum, nullum esse, vt art. 12. illius q. inquit b. Tho. Solet quidem in periculis, cum dubium aliquod est de intentione periclitantis, vel certum est eum voluisse, dari baptismus: non tamen perficitur sine vlla adulti voluntate vel præterita vel interpretatiua. Recta verò fides, sicut & propositum non peccandi & mutandi vitam, in susciptiente necessaria sunt, vt ille fructum consequatur baptismatis, & minister non peccet. Quod illud Petri Apostoli probat: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm. Et Augustinus in lib. de fide & operibus efficaciss. conuicit contra hæreticos hoc negantes. Non sunt tamen prædicta necessaria ad integritatem sacramenti.

Quid requiratur ad baptismum parulorum.

Tertium. In pueris, & qui nũquam vsum rationis habuerunt, quos tamen certa fides baptizari posse docet, vt infra dicemus, ad integritatem quidem sacramenti nulla, nec interpretatiua, nec parentum voluntas necessaria est: cùm sacramentum solùm perficiatur in eis virtute Christi. Sed ad rectum vsum sacramenti, voluntas parentum, vel eorum quibus commissi sunt, & quædam susceptorum professio, & quodam modo fideiusio necessaria est: de quibus inferius dicemus.

LECTIO

De effectu & significatione baptismatis.

QVAE dicta sunt sufficerent quidem ad perficiendum sacramentum, & rectè etiam administrandum, maximè si accederent cæremoniæ ecclesiasticæ, de quibus suo loco dicemus: non tamen putamus illa sufficere sacerdoti administranti hoc sacramentum. Nec enim satis est scire quomodo perficiatur sacramentum, sed oportet etiam cognoscere dignitatem & effectum, & reliqua mysteria eius ne in illud incidat Euangelij: Nolite sanctum dare canibus, nec mittatis margaritas vestras, id est, pcios̃a Dei dona, ante porcos: ne fortè cõculcẽt eas pedibus suis. Opus igitur est vt ipse estimare sciat, & alios docere possit quãti sit æstimandum sacramentum. Quare meritò reprehendendi sunt qui hæc solùm tradunt, quæ ad praxin quandam pertinent, & sacerdotem quasi mechanicum artificem faciunt. Dicenda sunt ergo iam duo, scilicet effectus & significatio baptismi, & ea quidam simul, cum reuera in omni sacramento idem sint hæc duo. Efficiunt enim quod significant. *Nota.*

De effectu itaque baptismatis hoc sit certissimum fundamẽtum. Primum & proprium effectum eius esse plenã atque perfectam peccatorum omnium remissionem. Quod August. & in Enchridio cap. 43. & in libris de peccatorũ meritis & remissione, vbi hoc diligentissimè pertractat, apertè dicit & frequẽter. Peccatorum inquam omniũ, siue originalis, siue etiam actualiũ omnium quotquot in adultis esse possunt. Perfectã verò & plenã, inquit b. August. vt intelligamus nullo peccato post baptismum aliquem teneri: Qui effectus huius sacramẽti significatur primò ipsa lotione aquæ, de qua Ezechiel: Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini &c. Et multo apertius hoc significat ipsa forma: Ego te baptizo &c. Circa quam hoc etiam cõsiderandũ est, quod, quia dicitur, baptizo te, absolutè significatur totius hominis ablutio, non corporis tantum: & quia dicitur, in nomine patris &c. significatur supercœlestis & diuina plenè mundatio. Nam, In nomine, dupliciter intelligi potest: aut enim vt idem sit, quod, tanquam minister & potestate accepta à *Primus ac proprius baptismi effectus est plena omniũ peccatorũ remissio. lib. 2. Cap. 27. Ezech. 36.*

patre & filio &c. vel in nomine, hoc est, sub inuocatione, & in
ad Coll. 3. honorem ac laudē nominis Dei, vt Paulus inquit: Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine domini nostri Iesu Christi, gratias agētes Deo & patri per ipsum. Significant ergo hæc verba perfectè mundari baptizatum virtute diuina, atque ad inuocationem Dei ipsius: quare & in laudē eius & gloriam. Et hoc de primo effectu, qui meritò fundamentū est omnium, & conuenit baptismo maximè, vt August. in illo loco Enchiridij dicit, vt est configuratio quædam mortis & sepulturæ Christi: vt sicut Paulus inquit, æstimemus nos mortuos esse peccato, sicut ipse mortuus est similitudini carnis peccati. Est itaque baptismus verum illud rubrum mare sanguine
ad Ro. 6. Christi aspersum, vbi Aegyptij omnes & peccata submergūtur.

Secundus effectus baptismi est gratiæ diuinæ ac virtutum donatio.

Secundus effectus Baptismi est gratiæ Dei & virtutum omnium collatio: quem etiam aqua ipsa virtute sua, quia fœcundat & perspicua est, significat: vt videlicet non sit anima nostra sterilis, vt terra sine aqua, sed inebriata potius & infusa & potens germinare. Vnde & Paulus inquit de hoc sacramento, quòd sit lauachrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abundè.

ad Titū. 3.

Tertius effectus baptismi est Christo tāquam capiti vniri atq; inseri.

Tertius effectus huius sacramenti, vnde & præcedentes omnes, est vera vnio ad Christū vt caput nostrum, & insertio quædam: de qua Paulus inquit: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Et ipse dominus: Ego sum vitis, & vos palmites. Ex quo meritò possumus dicere per hoc sacramentum in nobis effici & produci omnes effectus passionis & redemptionis Christi, quidquid videlicet in scriptura sacra legimus ipsum passione sua effecisse in mundo: quos Augustinus diligenter colligit lib. 1. de peccatorum meritis & remissione. Venit enim ille viuificare, saluare, liberare, illuminare, redimere à morte, ab infirmitate, à seruitute, captiuitate & tenebris: quæ omnia per baptismum efficiuntur. Venit etiam adoptare nos in filios Dei, & regnum cæleste aperire nobis: vnde & meritò dicere possumus effectus proprios baptismi esse adoptionem filiorum, de qua dicitur, Nisi quis renatus fuerit: veram Dei cognitionem, de qua etiam ibi loquitur, Non potest (inquit) videre regnum Dei: spiritus sancti participationem, & perductionē ad regnum ipsum cæleste: quos in ipso quem Christus suscepit baptismo aperte significatos videmus. Apertum est cœlum, descendit spiritus sanctus, manifestata est tota Trinitas. Nec dubitandum ista omnia significari exterioribus signis, aquæ videlicet

ad Gal. 3. Cap. 27. & 28.

Ioan 3.

Matth. 3.

licet ablutione & verbis, quæ proculdubio diuinam promissionem nobis significant, immo totius Trinitatis operationem in nomine patris &c. nos regenerantis, & ad hæreditatem celestem vocantis.

Suscipiendo baptismũ colitur Deus.

Hic etiam quod superius in communi diximus de sacramentis in speciali commemorandum est. Diximus enim sacramenta esse cultus quibus nos deum colimus, & instrumenta quædam & causas quibus nos Deus iustificat: ita igitur omnia hæc quæ dicta sunt accipiantur. Nam nos suscipientes baptismum, & submittentes nos illi cum fide horum effectuum, fatemur nos immundos, priuatos vita Dei, cælesti hæreditate expulsos & exules, Deũ verò esse qui sua bonitate & gratia nos hoc agnoscentes mundat & regenerat &c. Et quid aliud hoc est quàm verus Dei cultus? qui maximè confessione peccati & agnitione diuinæ gratiæ perficitur: Sacrificium Deo spiritus contribulatus: Sacrificium laudis honorificauit me: & multa huiusmodi. Iam verò nos sic ipsum colentes mundat & perficit, vt dictum est. Itaque hæc significatio sacramenti duplex est, altera, cùm à nobis ordinatur in Deum: altera, cùm ab illo nobis confertur. Vtraque tamen eius ordinatione & institutione tenetur & creditur à nobis. Hæc quidem diximus breuissimè, quantum vt intelligi possint satis est. Ceterùm debent Ecclesiæ ministri diligenter hos effectus docere populum, & in eis docendis sunt certè & ex Scriptura sacra, & ex doctrina Patrum multa, & quidem efficacissima desumenda, vt non tantùm doceatur veritas, sed infigatur etiam animis, & afficiantur auditores. Habes tamen ex his quæ hic dicta sunt, quasi capitali locorum quæ tractanda sunt: significationem scilicet verborum huius sacramenti, & aquæ proprietates: Ex quibus analogia ad spiritualia sumitur, quòd nimirum commorimur & consepelimur Christo: quòd inserimur illi, quòd adoptamur in filios: vbi mysteria illa baptismatis Christi, qualiter scilicet in eo noster baptismus & effectus eius, vbi inchoatus est & significatus, sunt explicata.

LECTIO

LECTIO TERTIA.

De vera ratione remißionis peccatorum quæ fit in Baptiſmo.



Oſſent quidem quæ diximus ſufficere, vt virtus ſacramenti Baptiſmatis vtcunque agnoſceretur, ſed propter errores præſentes notanda ſunt iam ſequentia, vel potius inferenda ex ſuprà dictis: & primò quidem ipſum effectum remiſsionis peccatorum explicemus, vt manifeſtentur errores: deinde virtutem conſiderabimus, & modũ quo operatur Sacramentum.

Error Lutheranorũ circa primũ effectũ Baptiſmi cõfutatur. Rom. 7. & 6.

Circa primum igitur ex his quæ de primo effectu Sacramenti diximus infertur, Falſiſsimum eſſe & nulla ratione nixum errorem Lutheri & ſequacium, in Baptiſmo non verè remitti peccatum originale, nec verè nos ab eo liberari per ipſum: quod pertinaciter adhuc aſſerunt, adducti hac ſola ratione, quod Paulus clamat ſe in membris ſuis habere legẽ peccati, & carne ſeruire peccato: & omnibus dicit, Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore: oſtendens videlicet eſſe adhuc in nobis peccatum: quæ omnia ſunt tam dilucidè explicata ab Auguſtino & patribus, vt nullum poſsint nec debeant mouere. Et certè mirandum eſt quod Lutherani auctoritatem Auguſtini ſequi ſe putent, vel velint ab alijs putari, cùm vnius Auguſtini ſententia de hac re ita ſit manifeſta, & ita ipſe contraria omnia, quæ videri poſſunt, dilucidet, vt nullum relinqui poſsit dubium de ſenſu eius & totius Eccleſiæ. Igitur Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſ. cap. 27. & 28. apertè oſtendit, quòd ſoluto reatu originalis peccati per baptiſmum, quidquid ſcilicet in nobis eſt, quod nos remorari poteſt à vitæ æternę conſecutione, quod nos indignos Dei amicitia & gratia efficit, & dignos pœna & damnatione, atque odio Dei: totum enim hoc aufertur: & ideo plenè dicitur remitti peccatum. Cuius verba, vt nullus ſit tergiuerſationi locus, hic ſunt inſerenda. Sic igitur in fine 27. cap. inquit: Illud namque præcipuè propter quæſtiones, quæ de hac re motæ ſunt vel moueri adhuc poſſunt, attendere ac meminiſſe debemus, tantummodo peccatorum omnium plenam perfectamque remiſsionem baptiſmo fieri: hominis verò ipſius qualitatem

litatem non totam continuò commutari. Et mox lex in principio sequentis Capitis de lege peccati sic dicit : Hæc autem lex peccati, quod etiam peccatum appellat Apostolus . Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendū desiderijs eius, non sic manet in membris eorum qui ex aqua & spiritu sancto renati sunt, tanquam non sit eius facta remissio , vbi omnino plena & perfecta fit remissio peccatorū, omnibus inimicitijs interfectis , quibus separabamur à Deo: sed manet in vetustate carnis tanquam superatum & peremptum , si non illicitis consensionibus quodammodo reuiuiscat. Hæc Augustinus. Manet igitur ipsa concupiscentia in regeneratis, quæ est, vt ita nunc dicamus, materiale originalis peccati . Manet itaque rebellio carnis, manent propensiones illæ ad illicita & contraria spiritui , propter quas etiam in baptizatis caro concupiscit aduersus spiritum : Sed hæc omnia manent ita infirmata per gratiam baptismi, vt sint magis baptizatis ad exercitium virtutis & meritum, quàm ad damnationem, si non illi consentiatur , vt ex loco proximo Augustini patet: cuius de hac re sententia frequētissimè etiam inculcata non potest obscura esse, quam & primo libro de nuptijs & concupiscentia à 23. c. vsque ad 27. pluribus explicat, ostendens manere quidem concupiscentiam actu , sed non reatum eius: sicut ê contrario manet in peccato actuali, puta homicidij, reatus, transeunte actu: vbi frequenter repetit vniuersorum factam esse remissionem peccatorum in baptismate, exponens etiam apertè , qualiter à Paulo concupiscentia hæc peccatum vocetur: ita inquiens cap. illo 23 . Sic autem vocatur peccatum (loquitur verò de concupiscentia) quia peccato facta est, cùm iam in regeneratis non sit ipsa peccatum: sicut vocatur lingua locutio quam facit lingua , & manus scriptura quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum , quia peccatum , si vincit , facit : sicut frigus pigrum vocatur, non quòd à pigris fiat, sed quòd pigros faciat . Et vt apertius fiat horum mendacium , vide Pelagianos hoc pro probro obiecisse Catholicis, quòd dicerent peccatum in baptismo non omnino remitti , sed ex parte . Quibus Augustinus respondet libro 3. contra duas Epistolas Pelagianorū, cap. 3. Mentiuntur, insidiantur, tergiuersantur, non hoc dicimus. Et inter cetera, quæ ad purgandos Catholicos ab hac suspicione ibi dicit, ita loquitur: Baptismus igitur abluit quidem peccata omnia, prorsus omnia , factorum, dictorum, cogitatorum, siue originalia siue addita, siue quæ ignoranter siue quę scienter admissa sunt: sed non aufert infirmitatē,

Quo sensu concupiscētia in baptisatis vocetur peccatum.

cui

cui regeneratus resistit. Hæc Augustinus. Manet itaque hæc infirmitas & concupiscentia, donec tandem virtute ipsius baptismatis absorbeatur mortale hoc & carnale corpus, & fiat spirituale. Quare baptismus meritò prima regeneratio dicitur. Nam in Euangelio inquit Christus, In regeneratione, cùm sederit filius hominis &c. de resurrectione loquens. vt illa sit secunda regeneratio, quæ reuera virtute baptismatis confertur, insertionis scilicet illius & vnionis cum Christo, de qua diximus, vt Augustinus probat libro 1. de nuptijs & concupisc. capite 33. & sequenti. Vnde Paulus inquit: Quòd si spiritus Christi habitat in vobis (hoc pertinet ad vnionem) qui suscitauit IESVM à mortuis, viuificabit mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius. Et iterum ibidem regeneratis dicit: Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit, siue (vt Augustinus legit) vita, propter iustificationem. Vbi etiam est hoc obseruandum, quòd tam perfectè peccata remitti dicimus, vt nulli pœnæ aut satisfactioni astrictus maneat qui baptizatur, si mox decesserit: tamen mors illa & ceteræ pœnæ, quibus in Adam puniti sumus, non auferuntur, sicut nec ipsi Adam ablatæ fuerunt, quanquam remisso peccato: & certè inter has pœnas computari debet rebellio hæc carnis. Illæ igitur reliquæ omnes pœnæ manent quidem in nobis triplici de causa, vt beat. Thom. ex hoc loco Augustini collegit quæst. 69. 3. partis, vbi de his effectibus loquitur art. 3. quæ meritò notandæ sunt: vt scilicet conformemur Christo baptizati in illo, qui sine peccato morti & doloribus subditus fuit, vt exerceamur ad meritum & humiliationem, deniq; vt fides permaneat. Si enim, inquit Augustinus, visibiliter liberarentur baptizati omnes à morte & incommodis omnibus, iam non fide crederetur baptismus, nec propter futurum sæculum baptizarentur tantùm homines, vt illo loco Augustinus inquit. Vanus igitur est error ille Lutheranorum, & confutatur certissimis auctoritatibus suprà citatis: Mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris: & Paulus: Lauans eam lauachro aquæ in verbo vitæ: &: Existimate vos mortuos esse peccato.

Romanos 8.

Lib. 2. de peccato: merit. & remiss. cap. 30. & sequentibus.

Ezech. 36.

Ephes. 5.

Per baptismũ verè iustificamur.

Ex eisdem etiam, quæ de effectu baptismatis diximus, manifestè sequitur nos veraciter iustos fieri per eum. Saluos nos fecit per lauacrum, audimus Paulum dicentem. Et rursum: Lauachrum regenerationis & renouationis vocat, non certè alia ratione, nisi quia renouamur & regeneramur. Ceterùm quia de hac vera renouatione & iustificatione Lutherus & sui valde errant,

rant, nullum agnoscentes veram mutationem, sed solùm non imputationem peccati, dicemus de hoc in proprio loco, cùm de iustificatione impij circa sacramentum pœnitentiæ agemus. Quod ad hunc locum attinet, circa hunc baptismi effectũ, qui etiam est in paruulis: nam renouantur & illi & regenerantur, sufficiat nobis quod Augustinus, manifestè quidem lib. 1. de. peccatis, meritis & remiss. Cap. 9. inquit, Christum illuminationem, iustificationemque nostram intrinsecus operari: dat enim (inquit) sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis: & in multis quidem locis, maximè secundo de peccato. merit. & remiss. fatetur non esse in nobis, quamdiu hic viuimus, consummatam & perfectam iustitiam: qualis scilicet est in beatis: sed per baptismum quidem inchoari in nobis renouationem & purgationem à peccatis, in qua Paulus nos admonet semper proficiendum esse: atque ita docet manere in nobis iustitiam, etsi reliquum sit semper aliquid vetustatis. Sicut igitur de peccatorum remissione dictum est, ita de hac iustificatione & renouatione nunc dicimus, inchoatur cùm baptizamur, & virtute ipsius baptismatis in ea proficimus, vsquequo tandem ad perfectam renouationem virtute ipsius baptismatis perueniamus: Quod Paulus apertè dicit illis verbis. Christus dilexit Ecclesiam suam &c. lauans eam lauachro aquæ in verbo vitæ, donec exhibeat sibi illam non habentem maculam neque rugam: quod in vltima resurrectione fit, vsque ad quam lauat eam in verbo vitæ &c. Igitur credenda est vera & interior mutatio per occultissimam gratiam infusam per Baptismum paruulis, sicut ab Augustino primo de peccato. merit. & remiss. diximus confirmatum & probatum esse ex his verbis quibus in scriptura dicimur in Christo iustificari. Ex hoc tandem colligendum quanta sit, quàmque diuturna baptismi virtus, de qua & ipse Augustinus incunctanter asserit primò de nuptijs & concupiscentia, quòd non tantùm præterita, sed futura omnia peccata remittit, quæ vel infirmitate, vel ignorantia, & denique quocunque alio modo fiunt: non (inquit) quòd Baptismus repetendus sit. sed quòd ex baptismo fiat, vt ipsæ orationes & eleemosynæ, quibus leuiora remittuntur, prosint: & pœnitentiam, qua maiora etiam post Baptismum condonantur, propter baptismum inquit Deo esse acceptam. Durat igitur perpetuò virtus baptismi in hac vita. Et quanquam per peccata grauiora innocentia illa baptismi amittatur, manemus tamen adhuc capaces sacramentorum,

Capite 7.

Ephes. 5.

per

per quæ illa remittuntur. Vbi hic cauendus etiam est error Lutheranorum quorundam, dicentium peccata futura ita remitti per baptismum, vt non sit opus alio remedio, sed sola rememoratione baptismatis: quod quàm sit falsum, apertissimum est ex alijs sacramentis institutis in illorum peccatorum remedium, de quibus postea. Et hæc de effectibus baptismi sufficiãt. Quod verò ad rationem illam iustificationis sola imputatione iustitiæ Christi pertinet, inferius, cùm de sacramento pœnitentiæ agemus, explicabitur, quàm sit noua hæc sententia aliena à sensu scripturæ & patrum.

LECTIO QVARTA.

De virtute & excellentia Baptismi & dispositione suscipientium.

SEcvt lectione proxima ex fide quæ est de effectibus Baptismi intulimus contra errores, quibus tantis baptismi effectibus ab hæreticis detrahitur, ita nunc inferamus contra errores, quibus virtuti & excellentię baptismatis derogant. Igitur ex illis scripturæ locis, quæ adduximus, infertur errorem esse apertissimum, dicere quòd Baptismus tantùm est signum remissionis peccatorum & mortificationis, atq; vnionis cũ Christo, quòd noui hęretici affirmant in speciali de Baptismo, sicut superius diximus de omnibus Sacramẽtis, & eisdem rationibus cõfutatur. Saluos nos fecit baptisma, inquit Petrus &c. Quia tamen ex hoc errore in plures alios incidunt contra baptismum, fuit specialiter notãdus. Et quidem alij hęretici baptismũ tantũ dicunt signũ professionis nostræ, & militiæ Christianæ tesserã. Quidam verò, quòd videantur magis honorare baptismum, non tantùm signum professionis nostræ dicũt, sed promissionis diuinę & gratię nobis collatę quasi sigillum quoddam appendens: vnde tandem apertè fatentur nonnulli eorum, Baptismum nihil cõferre, nisi his qui fide suscipiũt: nec alũ putant esse vsum Baptismi, quàm vt eo fides excitetur. Quod quàm sit falsum, inferius, cum de Baptismo paruulorum agemus, apparebit. Hoc solum nunc sufficiat, vt videamus quantus sit ille error nihil tribuens

Baptismus non est tãtũ signum remissionis peccatorũ. 1. Petri. 3. Caluinus in institu.

Philippus Melanc. in locis &c. Caluinus.

Petrus & Paulus ei tribuant efficaciam salutis nostræ, & quòd hoc asserentes aut Baptismum paruulorum negare coguntur, vel certè nomine tantùm illud admittere, & de paruulorum salute dubitare, vt Caluinus apertè dubitat, diuinę tantùm prouidentiæ putans relinquendam salutem eorum: quasi non sit certissima fides, per Baptismum paruulis ab omni originali culpa mundatos adoptari in filios Dei: quòd si in filios, & in hęredes: de quo suo loco dicemus.

Ex eodem etiam errore concedunt, quòd apertè sequitur, Baptismum non esse maioris virtutis, quàm fuit Circumcisio: imò reuera, si de salute paruulorum non reddit nos certos Baptismus, minoris etiam virtutis est: sed hoc interim omittamus: iam de adultis loquamur. Certè ratio illa & auctoritas Pauli, quibus gratiæ legis nouæ, & sacramentorum Christi excellentia supra veterem legem, & eius sacramenta docetur, apertè illud falsum esse conuincit: Regnauit mors ab Adam vsque ad Moisen. Et: Lex subintrauit, vt abundaret delictum. Hæc de lege, & proculdubio de omnibus quæ in illa erant. Iam de gratia. Vbi autem (inquit) abundauit delictum, superabundauit gratia: Et quod postea de effectu Baptismi loquitur ad hoc propositum. Quid igitur? Peccabimus quia non sumus sub lege, sed sub gratia? Et huic obiectioni respondens, ita inquit. Absit: Si enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? An ignoratis fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Et post multa de Baptismi virtute tandem ait: Vetus homo noster crucifixus est, vt destruatur corpus peccati. Ex quibus omnibus satis patet multo maiorem virtutem esse baptismatis, quàm circumcisionis. Concedit tamen vera fides & patrum auctoritas in circũcisione remissa fuisse peccata omnia, & originale & actuale, & gratiam collatam, vt inter ceteros Augustinus probat lib. 4. de Baptismo contra Donatist. & in epistola ad Maximum Donatistam, & alijs locis: idque ex verbis scripturę: Masculus, cuius præputij caro &c. Et tamen sanior sententia habet circumcisionem tantùm signaculum fuisse, nec virtutem habuisse aliã: sed Deum operatum in ea propter fidem redemptionis Christi, quæ in Abraham fuit & patribus, quam circumcisio significabat: Quod, quia verbis Pauli valde consonat, magis probamus. Sic enim ille de circumcisione loquitur: Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei. Itaque signaculum tantùm iustitiæ illam dicit, & fidei quæ fuit in Abraham.

Multo maior virtus baptismi, quàm olim circũcisionis.

Rom. 5.

Rom. 6.

Cap. 24. Epistol. 203.

Sed quocunque modo id sit, nec enim de ea re contendere opus est, gratia illa procul dubio circumcisionis multo est inferior gratia Baptismi: & ideo meritò commutata in Baptismum, De quo Paulus inquit: Circumcisi estis, non in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi: consepulti ei in Baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei.

Lege alius fuit Baptismus Ioannis, quàm Christi.

Ceterùm multo crassior & apertior est error ille ex eodem etiam primo errore manans, ex quo Lutherani asserunt idem esse sacramentum Baptismi, quod conferebatur à Ioanne & à Christo: cùm tamen omnium patrum certissima sit fides, Baptismum Ioannis non fuisse Sacramentum, sed assuefactionem quandam & excitationem per prædicationem & pœnitentiam ad Sacramentum Baptismi: quod ipse Ioannes etiam apertè testatus est: Ego Baptizo vos aqua. In quo loco Chrysostomus Homel. 15. & 16. & ceteri omnes patres hoc intelligunt, & efficacissimè probant ex illo Pauli opere, de quo Actuum 10. habetur: vbi confessi, ad Pauli interrogationem, se baptizatos tantùm baptismo Ioannis, baptizati sunt rursum. Nec est opus referre, quàm apertè hanc scripturam deprauent. Inciderunt verò in hunc errorem, quia sacramẽtum baptismi Christi tantùm putant esse signum gratiæ, & non causſam. Itaque sicut Iudæi, vt Christum repellerent, Ioannem conabantur extollere, ita hi, quia minus tribuunt baptismo Christi, coguntur illi æquare Ioannis baptismum: quod satis ostendit quantus sit ille primus error, ex quo in tantum incidunt. Nam, vt omittamus reliqua omnia, quis non videt in scriptura & doctrina patrum, quantũ discrimen sit inter baptismum Ioannis & Christi? quàm frequenter baptismus Ioannis ille appellatur? Christi verò baptismus nunquam vel Petri vel Pauli, nec alicuius ministri dictus est. Quod Augustinus diligenter tractatu 5. super Ioannẽ ostendit: vbi plura hæc apertissimè probantia vide. Baptismum quoque Ioannis nec necessarium ad salutem, nec sufficientem ibi docet: Christi verò baptismo vtrunque horum conuenit: Quare in baptismo Ioannis & sanctitas eius, & deuotio accedentium quærebatur: in hoc verò nihil ministri sanctitas, sed virtus sacramenti operatur. Denique post baptismum Ioannis baptizati sunt multi, quia Ioannis tantùm erat: sed post baptismum datũ à Iuda nullus baptizatus est, quia non Iudę sed Christi erat baptismus. Hæc omnia eo loco Augustinus. Quæ cùm tam consona sint scripturæ & toti reliquæ fidei, mirandum est

quòd

quòd tam vanè ab hæreticis reijciantur, nec ob aliud, quàm vt non plus tribuant baptismo, quàm prædicationi Euangelij: quod primus eorum Magister tam falsò asseruit, & illi multo proteruius sequuntur.

Vltimò tandem circa hos baptismi effectus opus est de dispositione necessaria ad eos suscipiendos etiam admonere. Est igitur notandum quòd, sicut in communi diximus, exigunt singula Sacramenta proprias dispositiones & præparationes in accedentibus: quare etsi ex virtute propria operentur, non tamen sine dispositione recipientium, cùm illi adulti sunt: sine dispositione inquam, qua illi se ad gratiam recipiendam coaptent. Igitur certa est & tuta sententia, nullum adultum & rationis compotem sine fide & vera pœnitentia effectum Sacramenti baptismi consequi. Primum probat verbum Christi: Qui crediderit & baptizatus fuerit. Secundum confirmat illud Petri actuum 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm. Pœnitentiam verò, non qualis sit à peccantibus grauiter post baptismum intelligimus: nam, vt Ambrosius inquit, gemitum non requirit, sed verum propositum mutationis vitæ: verum inquam, & dilectioni Dei super omnia coniunctum. Si igitur horum defectus gratia baptismi priuat suscipientem, multo magis si in eius susceptione peccatum committatur. Meritò itaque beatus Thomas q. 69. 3. partis quadruplicem fictionem, qua impeditur baptismi effectus numerat. Primam infidelitatem: secundam, cuiuscunque peccati propositum: tertiam, schisma, aut reiectionem eorum, quæ Ecclesia seruat in hoc sacramento: quartam denique, indeuotionem, quæ (vt ille inquit) proculdubio intelligenda est in defectu verę dispositionis animę, veriq; desiderij gratię. Quare & art. 4. 6. 8. quæst. meritò docet, permanentibus in proposito peccati non esse dandum sacramentum baptismi, quod Augustinus egit in libro de fide & operibus. Vnde hoc est etiam cõsiderandum diligenter his, quorum est eos admittere, cùm adulti accedũt ad baptismum. Patet enim ex tota Ecclesiæ antiquitate, statuta esse temporum spacia, in quibus adulti & instruantur in fide & vita Christiana, & probentur, an vera & plena intentione ad sacramentum veniant. Hinc erant in Ecclesia olim scrutinia illa catechumenorum, & multa alia ad eorum disciplinam pertinentia, quod proculdubio nunc omittere sine graui peccato nõ licet. Non (inquã) licet omittere, vt minimũ, quod

Quæ dispositio sit adultis sumentibus baptismum necessaria ad percipiẽdũ effectũ baptismi.

Art. 9. Quatuor modis sine fructu & indignè percipitur baptismus.

boni viri arbitrio iudicabitur sufficere ad instructionē & probationem baptizandi, idque cessante periculo. Nam existentibus in periculo subueniendum est quoties opus fuerit, voluntate eorum de suscipiendo baptismo aut apertè cognita, vel saltem probabili coniectura. Quæ ideo hoc loco adnotanda putauimus, quoniam, cùm nunc inter catholicos raro accidat adultos baptizari, cùm id contingit euenire, omittitur sæpius vera illa instructio & probatio, quod nō sine graui peccato fieri posse putamus. Aduertant igitur ministri.

Baptismus fictè susceptus remota fictione operatur. cap.12.

Non est tamen prætermittendum, quòd quanquam baptismus fictè & indignè susceptus non prosit, quandoque etiā noceat propter peccatum sacrilegij, quod ibi committitur, tamen b. Augustinus rationabiliter asseruit lib.1. de baptis. contra Donatistas, quòd recedēte fictione, mutata videlicet volūtate illa, cum qua quis in peccato accessit ad baptismum, incipit sacramentum ipsum operari, non minus (inquit ille) quàm si cùm susciperetur adesset illa pœnitentia. Quam piam quidem, & dignam Dei misericordia sentētiam tota Ecclesia sequitur. Neq; opus esset resipiscenti post baptismum aliud, quàm illud peccatum cōfiteri & detestari. Addit b. Thom. q.69. *art.10.* rationem huius conuenientissimam: vt videlicet non minus sit efficax dei operatio in sacramentis, quàm naturæ virtus in rebus naturalibus. Sicut igitur natura ablato impedimento opus suum perficit, vt cùm generatur graue, si adsit impediens descensum deorsum, eo ablato mox sequitur descensus. Ita in sacramentis. Et quanquam hæc sententia in reliquis omnibus sacramentis non sit ita recepta, potest tamen rationabiliter credi, cùm sit in omnibus eadem ratio: vt ita nullus sine spe consolationis doleat de amissa gratia sacramenti, sed credat quòd, etsi cùm suscepit non satis fuerit dispositus, nunquam tamen exclusus est à fructu ipsius, quādiu illum defectum supplere potest.

Hoc dicimus in Eucharistia, hoc in ceteris omnibus. Nec opus est inquirere qua virtute sacramenti hoc fiat, sed simpliciter fateri, Deum id operari in anima propter sacramentum quod susceptum fuerat.

LECTIO

LECTIO QVINTA.

De *non iterando Baptismo, & necessitate eius, ac triplici Baptismate.*

DVo tantùm restant dicenda de hoc Sacramento, quæ necessaria sunt, & ex suprà dictis inferuntur. Primum de iteratione eius: Secundum de necessitate.

Cur baptismus nō sit iterandus.

De primo igitur est certissima fidei sententia, sacramentum Baptismi nō posse iterari, quod est, alicui rursum cōferri, postquā semel integrè datum est & perfectū. Hoc enim conuenit huic sacramento ex sua propria natura. Cuius b. Thom. quatuor adfert rationes. Quia videlicet est vera & spiritualis generatio: generari verò semel tantùm contingit. Vnde b. Augustinus in illud verbum Nicodemi: Potest homo iterare in ventrem matris intrare, & nasci? merito (inquit) hoc dicendū de Baptismo. Non enim rursum in ventrem illum aquę semel baptizatus redire potest. Deinde, baptismus est plena & integra configuratio mortis & passionis Christi, quæ semel tantùm peracta est Vnde ad Hebræos 6. Paulus rebaptizatores vocat crucifixores Christi: & hæ sunt duæ potissimæ rationes: in quibus aduertendum est, in Sacramentis & eorum effectibus magis esse considerandum modum significandi atque efficiendi sacramentorum, quàm rem ipsam significatam. In pœnitentia, in Eucharistia eadem passio Christi significatur, & applicatur etiam animæ, quæ in Baptismo: sed in illis vt medicina & cibus, quorum est frequenter sumi: in hoc vt virtus generatiua, quæ circa vnū tantùm semel operatur.

q. 66. art. 9. 3. partis.

Character baptismi nunquam deletur.

Character etiam qui imprimitur in hoc sacramento, qui cōsecratio quædam est & deputatio hominis ad susciplenda sacramenta, perpetuò manet, sicut omnis consecratio, quàmdiu manet res consecrata: & ideo non repetenda. Denique & peccatum illud, in cuius remedium proprie & proximè hoc sacramentum est institutum, originale scilicet, non potest repeti circa aliquē: pro alijs enim peccatis alia sunt remedia. In hac igitur re ministris baptismi diligenter considerandum, ne in alteram partem nimij sint. Repetere baptismum semel ritè peractum graue peccatum est. Ceterum cùm certum est omissum esse aliquid

Quãdo baptismus cũ conditione repetẽdus.

de necessarijs, manifestum est repetendum esse. Cùm igitur dubium aliquod de integritate baptismi oritur, melius est cum conditione repetere baptismum (si nõ es baptizatus &c.) quàm periculo salutis committere hominem, maximè paruulum, cui non est aliud remedium. Nam peccatum illud reiterationis baptismatis non committitur, cùm ex intentione non fit. Verùm nec facile ex minimo quoque dubio fieri debet (nec enim sine irreuerentia sacramenti id fit) sed cùm à sapientibus probabile dubium iudicatur, tutius est repetere baptismum. Ita superius diximus in difficultate partus faciendum, cùm membrum aliquod apparens perfunditur.

Baptismus est necessarius tanquã remediũ, et non solùm quia præceptus.

De secundo, necessitate videlicet huius sacramenti, hoc statuatur certissimum, istud sacramentũ esse necessarium nõ tantùm ex precepto quodam Dei, sed vt remedium. Inter hęc verò tanta est differentia, vt quod in remedium datur necessarium sit his etiam, quibus vel annuntiari non potest, vel certè non est annuntiatum: sicut paruulis, & his etiam, qui nunquam audierunt Euangelium, necessarius est baptismus, pereuntque eius defectu: non quia transgrediuntur præceptum, sed quia omittunt remedium: sicut Beda illud verbum: Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit peribit &c. quia pactum Domini irritum fecit, de originali peccato exponit: pactũ (inquit) quod Adam positum erat, illo transgrediente transgressi omnes sumus, hoc est, rei propter illam transgressionem effecti. Quòd igitur baptismus remedium sit necessarium, verbum illud Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum D E I, aperte probat. In quo verbo Augustinus putat institutum baptismum atque præceptum. Ex quo (inquit lib. 1. de anima & eius origine, cap. 9.) dictũ est: Nisi quis renatus &c. nemo fit membrum Christi, nisi baptismate Christi. Et quanquã de hac re, quando scilicet fuerit Baptismus institutus, diuersitas aliqua sit, & b. Thom. q. 63. mediũ tenens dixit institutum baptismum vel quando Christus fuit baptizatus, vel quando hoc dictum est: sed necessitatem vtendi eo, non nisi post passionem & resurrectionem fuisse impositam hominibus. Sed cùm Augustinus (vt citamus) dicat: Ex quo dictum est: Nisi quis &c. potest meritò hoc intelligi, legẽ quidem illam tunc fuisse latam (nec enim dubitari potest ita à Christo dictum fuisse) ceterum promulgatio ipsa legis plena, quæ vt obliget necessaria est, non videtur ante resurrectionem Christi & prædicationem Apostolorum facta.

Art. 2.

Sed

Sed quoniam tria baptismata à doctoribus distinguuntur, necessaria quidem & certa ratione, aquæ scilicet, spiritus, & sanguinis: Vt enim beatus Thomas inquit art. 11. illius 66. q. & martyrium, & certa voluntas baptismum suscipiendi, atque cõuersio in Deum configurant & vniunt Christo crucifixo & passo, sicut ipsum sacramentum, quod non alia ratione quæritur, nisi vt incorporentur homines Christo: hinc verò videtur necessitati baptismatis nonnihil detrahi: ideo est diligenter circa hoc cõsiderandum, quid certa fide tenendum sit. *Triplex est baptismus.*

Mors igitur pro Christo perpessa sufficit pro culdubio ad salutem, vt Augustinus frequenter certa auctoritate probat. Nam loco illo primi libri de anima & eius origine, cùm dixit: nemo fit membrum Christi, nisi baptismo Christi, mox addidit, vel morte pro Christi. Id quod probat, quia sicut dictum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto: ita etiam dicitur ab ipso Christo: Qui perdiderit animam suã propter me, inueniet eam. quod eo loco & libro 4. de baptismo contra Donatistas confirmat exemplo latronis cum Christo crucifixi, Cypriani; auctoritate in Epistola de baptizandis hæreticis ad Iubaianum, qui latronem inter martyres computat, & suo sanguine baptizatum dicit. Et quanquam eo loco de origine animæ Augustinolit vt certum haberi illum non baptizatum, nã aut aqua ipsa, quæ de latere Christi fluxit, aut certè antequam crucifigeretur baptizari potuit. Et etiam secundo libro Retractatio. cap. 18. tandem in latrone hoc non probari, passionem videlicet supplere vicem baptismatis, cùm non constet illum non fuisse baptizatum. apertè fatetur de salute tamen eius, imò de magna quadam & excellenti gloria apud Christum, & ipsa saluatoris verba, & reliqua quæ scripta sunt dubitare non sinunt: quare & ipse Augustinillo loco de origine animę de illo ita loquitur, eleganter quidem & efficaciter. Tanto namque pondere appensum est, tantumque valuit apud Deum, qui hæc nouit appendere, quòd confessus est Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro domino crucifixus. Tunc enim fides eius de ligno floruit, quando discipulorum marcuit. Illi enim desperauerunt de moriente, ille sperauit in commorientem. Refugerunt illi auctorem vitæ, rogauit ille consortem pœnæ. Dofuerunt illi tanquã hominis mortem, credidit ille regnaturum esse post mortẽ. Deseruerunt illi sponsorem salutis, honorauit ille sociũ crucis. Inuenta est in eo mensura martyris, qui tũc in Christum credidit, quãdo defecerunt qui futuri erãt martyres. *De baptismo sanguinis. Cap. 22.*

Hæc Augustinus eo loco de insigni martyrio huius latronis. Itaque sicut nec de ipsius salute fides dubitare permittit, ita nec de his, qui pro Christo mortem patiuntur: quod vltra supradictum locum confirmat ipse Augustinus cap. 13. 7. de ciuitate Dei. Et hæc quidem de baptismo sanguinis. De spiritus baptismate iam dicendum.

De baptismo spiritus. Quòd igitur vera conuersio in Deum, verumque baptismi propositum sufficiat similiter ad salutem, certissima etiam fide credendum esse probat Augustinus vt cetera omittamus, primò 22. illo cap. lib. 4. de baptis. cõtra Donatistas. de latrone quidem loquens, sed certa auctoritate Pauli: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quod non dubitat ille etiã sine visibili sacramento sufficere, & sequentibus omnibus illius lib. ca. adultis solam conuersionem non minus prodesse putat, quàm paruulis solum sacramentum: quandoquidem cõstat duo hæc, sacramentum & conuersionem cordis ab inuicem separari. Secũdò etiam manifestius & efficacius hoc probat lib. quæstionum super Leuiticum cap. 83. vbi adductis exemplis Ioannis Baptistæ, qui prius (inquit) baptizator quã baptizatus fuit, & Moysi, qui visibiliter sacerdotes sanctificabat, cùm ipse prius visibiliter sanctificatus non legatur, tandem sic concludit. Proinde colligitur inuisibilem sanctificationẽ quibusdam adfuisse atque profuisse sine visibilibus sacramentis: visibilem verò sanctificationem, quæ fit per visibilia sacramenta, posse adesse, non posse prodesse sine inuisibili sanctificatione. Nulla itaque ratione dubitari debet, conuersionem veram cordis sufficere ad salutem: atque ita non quodcunque propositum baptismi, non quale cum affectu peccati haberi potest, sed efficax quidem & cum mutatione vitæ coniunctum ad salutem sufficere dicimus. Semper tamen in omnibus his locis meritò quidem addidit Augustinus sufficere propositum hoc, quando angustijs temporũ mysterium baptismi celebrari non potest. Ita dixit lib. illo de baptis. & in altero loco Leuitici addidit: Non tamen ideo sacramentum visibile contemnendum est: nam contemptor eius inuisibiliter sanctificari nullo modo potest. Confirmans hoc exẽplo Cornelij & eorum qui cum eo baptizati sunt, cùm prius in eos spiritus sanctus descendisset.

An et quomodo propositũ baptismi su-

Ex his igitur constat qualiter alia intelligenda sunt Augustini verba, quæ ille frequenter repetit, & quæ nonnullos turbarunt. Ait enim ille frequenter, catechumenos sine baptismo nõ saluari: vnde tractat. 10. in Ioannem, Nullus (inquit) regnum cælorum

lorum videbit oneratus peccatis: quia nisi cui remissa fuerint, nō regnabit cum Christo: dimitti autem ei non possunt, nisi renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto. Hoc quidem Catechumenis dicit. Tempus (inquit) est vt vos exhorter, qui adhuc estis Catechumeni, qui sic credidistis in Christum, vt vestra peccata portetis. Denique eodem tractatu multa dicit in hanc sententiam, & tractatu 13. apertius. Quantumcunque (inquit) Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, non illi dimittitur nisi cùm venerit ad Baptismum: quæ certè videntur prius dictis de proposito Baptismi contradicere, quamobrem nonnulli coacti sunt reijcere illa: & certè auctor ipse libri de Ecclesiasticis dogmat, fortè ex his locis Augustini, durè nimis collegit cap. 74. Baptizatis (inquiens) tātùm iter salutis esse credim⁹ nullū catechumenorū, quāuis in bonis operib⁹ defunctū, vitam æternam habere credimus, excepto martyrio, vbi tota baptismi sacramenta complentur, hæc ille. Vbi quoniam solum martyrium excepit, & de Catechumenis locutus est, videtur propositum Baptismi non putasse sufficere: sed quidquid ille credidit, illud est certa fide tenendum, quod superius diximus. Augustinus verò in illis locis his tantùm loquitur Catechumenis, qui baptismum propria voluntate differebant: quod ex cōtextu ipsius, & ex antiquæ Ecclesiæ consuetudine satis cōstat. Illos enim exhortatur vt ad baptismum veniant, & negligentes redarguit, his dicit quòd sua peccata secum portant. In antiqua enim illa Ecclesia constat multos diu distulisse baptismū, dum scilicet timebant post baptismum inquinari peccatis, aut aliquo affectu peccati tenebantur, sperantes per baptismum tandem sibi omnia remittenda fore, quod Patres illi frequenter arguebant, proponentes ante oculos improuisa pericula mortis & huiusmodi alia. Vnde & eos qui in lecto ægritudinis baptismum suscipiebāt, quasi timore mortis, ad ministeria Ecclesiastica non admittebant: pœna hac excitantes omnes ad maturè suscipiendum baptismum. Vide Chrysost. Homelia 1. in acta Apostolorum, & 13. in Epistolam ad Hebræos, vbi multa in reprehensionem huius dilationis baptismi loquitur. Hoc igitur August. agebat, cùm catechumenis salutem negabat: quod etiā ipsum nomen, vsusque illius in Ecclesia ostendit. Nam catechumeni omnes quotquot nomen dederāt & instruebantur vocati sunt: qui verò iā baptismum postulabant, competentes dicebantur: quod ipse August. lib. de vtilitate credendi ad Honoratū dicit. Ex qua nominū diuersitate etiā illud cōstat, quòd altiorqui-

scipiendi sufficiat.

dam gradus erat competentium, quàm catechumenorum. Illis ergo (vt nomina omittamus) si verum, vt explicauimus, propositum baptismi fuit, si per eos non stetit vt non baptizentur, nullo modo salutem defuisse credendum est. Quod etiam Amb. de obitu Valentiniani, tanquam certissimum affirmare non dubitat, salutem scilicet non deesse illi minori Valentiniano inopinatè sublato: quia ad baptismum iam anhelabat: Ille (inquiēs) gratiam quam desiderabat non amisit, quanquam ego, quem regeneraturus eram amisi: desiderauerat enim ille ab Ambrosio baptizari.

Ex his igitur omnibus constat adultis tria hæc esse remedia salutis, ita vt quodlibet sine alio sufficiat: sed nihilominus præceptum Baptismi tunc manet, quando ex conuersione cordis iustificatus quis est, sed solùm vt præceptum. Quod August. tracta. illis in Ioannem exemplo ipsius Christi probat. Non est dubium teneri omnes ad baptismum ex præcepto, qui illius capaces sunt, & ipsum audierunt. Etsi igitur ex vera conuersione in Deum cùm facultas baptismi nō aderat, non dubitemus fieri membrum Christi qui ita conuertitur, si tamen postea oportunitas adsit baptismi, tenetur illud suscipere, nec est dubium omissionem eius, aut certè nimiam absque vlla ratione dilationem graue peccatum esse, quo ipsa baptismatis gratia amittitur sicut per alia peccata. Eadem ratione dubitandum non est eum qui pro Christo lethaliter vulneratus est, si superuiuat & posit, baptizandum esse, vt huic præcepto satisfaciat: alioqui tanquam eius contemptor damnabitur. Hæc igitur nobis de baptismate adultorum dicta sint. Iam restat vt de Baptismo paruulorum agamus.

LECTIO SEXTA.

De *Baptismo paruulorum.*

Errores Manichæorum & Pelagianorū circa baptismum paruulorū.

CIRCA paruulorum Baptismum sunt diligenter cauendi multi huius temporis errores, in quos necesse fuit incidere eos qui ab vnitate Ecclesiæ se separārunt. Vt igitur extrema errantium, inter quæ media est catholica fides, agnoscamus. Primi circa baptismum paruulorum Manichæi & Pelagiani errarunt, quanquā illi ex diametro pugnarent, vt August. scribit

bit 2.lib.contra duas Epistolas Pelag. Vtrique (inquit) Baptisinum euacuant, & crudelissimè paruulis auferunt. Manichæi enim aquam baptisinatis dicunt superfluam esse, tanquam videlicet immundam, nec prodesse baptisinum alicui malo auferendo ab homine, cùm illud natura sit hominis & non vitium: quos non est opus vt nunc arguamus: cùm necessitatem aquæ ac emundationem auctoritas Christi probat: Qui crediderit & baptizatus fuerit &c. Pelagiani verò in altero extremo nullum peccatum paruulos habere contendunt, atque ideo neque egere baptisinate, & (vt plurimum) egere eo fatentur, vt perueniãt ad regnum, non verò vt remittãtur eis peccata, quæ non habẽt, aut liberentur à damnatione, cuius non tenentur reatu. Contra hos Augustinus multis locis efficacissimè disputat in omnib⁹ ferè libris contra Pelagianos, & in primis lib. de peccatorum merit. & remiss. probans certis auctoritatibus scripturæ egere omnes, etiam paruulos, saluatore Christo, & ideo sub peccatis esse: confirmans hoc ipsum consuetudine & auctoritate totius Ecclesiæ: quæ in remissionem peccatorum eos baptizat, & exufflat ab eis contrarias potestates. Hic ergo error à tota Ecclesia iam olim ab eo tempore damnatus fuit & in concilio Mileuitano, & in alijs pluribus. Huic errori proximè accessit error Vincentij cuiusdam, de quo inferius. Iam ad nostrorum temporum errores accedamus. *cap. 1. & 2.*

Error Anabaptistarũ cõfutatur.

Primus igitur error Anabaptistarum crudelissimè negantiũ baptisinum conferendum esse paruulis, reijciendus est, vt iam olim à principio ipso Ecclesiæ ab antiquissimis patribus reiectus eadem certa ratione, qua Pelagij error, idque maximè vniuersalis Ecclesiæ auctoritate. Vt enim Augustinus libro 4. de Baptisino contra Donatistas dicit, hæc vniuersalis Ecclesiæ auctoritas apertè probat hanc fuisse Apostolicam traditionem. Non desunt & rationes & auctoritates scripturæ, præcipuè illa de circumcisione, quam ibi Augustinus adfert, quæ paruulis dabatur, eratque eis in salutẽ: sed verus scripturæ & fidei interpres est hęc auctoritas Ecclesię vniuersalis, cui debemus præcipuè inniti, de qua ipse Augustinus plura lib. 1. de Baptisino paruulorũ capit. 16. & multis sequentibus, vbi probat eos inter fideles & pœnitentes cõputari: & libro 3. auctoritatem Cypriani citat hoc etiã vt cõpertissimum asserentis, & nullum expectandum diem aut horam definitione cõmunis concilij Carthaginensis. respondentis. Est hoc in Epistola 8. libro 3. Dionysius vltimo capite de Eccles. Hierarch. traditionẽ hãc dicit Apostolicam. *cap. 24.* *cap. 5.*

licam. Origenes super Epistolam ad Romanos idem asserit, & Bernardus sermone 67. super cantica vt manifestum errorem damnat, negare paruulis baptismum. Ortus est hic error ex fontibus Lutheri, qui in baptismo fidem exigit, vt ad salutem sit efficax: quare illum sequentes ægrè certè ab hoc possunt errore discedere.

Alius error circa baptismum paruulorũ.

Secundus igitur error huic proximus, pariter etiam reijciendus, est eorum, qui asserunt non remitti eis peccatum, vel simpliciter eos non renouari & regenerari, sicut videlicet adulti regenerantur consequunturque peccatorum remissionem. In quem errorem multi Lutheranorum contra Anabaptistas disputantes inciderunt, quia non sunt innixi vero fundamẽto, Ecclesiæ scilicet auctoritati. Quicunque igitur non simpliciter confitetur baptizatis paruulis peccatum remitti, omnesque si in ea ætate discesserint saluari, virtuteque spiritus sancti iustificari & renouari in baptismo, proculdubio hæreticus est: damnatũ est enim hoc iam olim in Pelagianis, vt patet in concilio Mileuitano cap. 2. & Augustinus hoc ipsum cõtra Pelagianos frequẽtissimè docet: nam lib. 1. de baptismo paruulorum: neminẽ (inquit) qui ad Christum per baptismum venit vera fides & sana doctrina putat exceptum à gratia remissionis peccatorum. Idẽ etiam libro 2. contra Pelagium & Celestium asserit secundum regulam vniuersalis Ecclesiæ & sententias Euangelij esse confitendum. Et quanquam illis locis Augustinus contra Pelagianos, & concilium etiam Mileuitanum contra eosdem hoc agant, vt probent illos subiectos peccato, non verò remitti eis peccata, hoc tamen magis confirmãt quod dicimus. Nec enim de ea re dubium erat, remitti scilicet peccatum si esset, quare hoc definito, quòd scilicet esset peccatum in paruulis, etiam hoc vt certius definierunt, remitti scilicet in baptismo. Scripsit Caluinus baptismum collatum pueris signum tantum esse, quo Deus consolatur parentes, & sub prouidentia sua ita illos suscipit, vt si ex eis aliqui, quos ipse ad vitam præordinauit æternã, ex hac vita ante demigrent quàm adoleuerint, virtute Spiritus sancti eos renouat: si verò adoleuerint, admoneãtur & exercitentur ad renouationem, cuius tessera donati sunt ab infantia. In quibus verbis plures certè sunt errores quàm sententiæ, vt appareat in quæ deuia incidant deserentes vnitatem. Nam, vt ceteros omittamus, qui satis ex dictis possunt colligi, hic est maximus, quòd non omnes baptizatos paruulos ante adultam ætatem decedentes certò putat saluari, sed quos Deus (inquit)

cap. 8.

Error Caluini circa baptismum puerorum.

præ-

præuidit & præordinauit: de nullius itaq; salute possumus esse certi, quo nihil absurdius potest cogitari.

Innuit etiam eo loco prodesse tantùm baptismum prolibus fidelium, qui etiam apertissimus error est. Putant enim (sensu quidem suo) circumcisionem paruulis datam non aliud fuisse, quàm confirmationem promissionis factæ parentibus, atq; ita hæreditarium quiddam à fidelibus parentibus in paruulos: idemque de baptismo cogitare audent, qui circumcisioni succedit. Sed cõtra hunc errorem sufficiat auctoritas Euangelij: Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. & quæ suprà dicta sunt de efficacia baptismi: Nam ex illa auctoritate ita b. Augustinus in Epist. 23. ad Bonifacium argumentatur: Non (inquit) dictum est, nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut offerentium aut ministrantium fide, sed ex aqua & spiritu sancto. Valet itaque Baptismus & per se sufficiens est, si Turcæ aut cuiuslibet infidelis filius baptizetur, quanquã in hac re b. Thom. q. 69. 3. partis probabiliter putet non esse æquum, vt renitentibus parentibus, sub quorum cura videlicet atque disciplina puer adhuc manet, baptizetur paruulus: quoniam nec Ecclesiæ consuetudo hoc habet, nec rationi naturali consentaneum est, nec Deo placuit per gratiam ordinem naturę infringi: valet nihilominus & est verus baptismus: cùm tamen iuxta hunc dogmatistam, etiam si pater consentiret infidelis, tamen non prodesset Baptismus filio, cùm pater nõ pertineat ad promissionem: opus itaq; est virtutem baptismi asserere, quam quia ille negat, in hæc omnia incidit. Quid rogo aliud hæc sunt, quàm credere baptismum non aliud esse, quàm signum quoddam aut prædicationis Euangelij, aut fidei ipsius? vt scilicet illo tantùm admoneamur, aut consoletur nos Deus, sed omnem virtutem illi auferre, fideiq; tantùm aut suscipientiũ aut aliorũ omnia tribuere? quod (vt diximus) Lutherus primus ausus est dicere. Deniq; quantum hic error distat ab Anabaptistis? aut quomodo ex eo non facilè persuadebitur aut omittendum baptismum paruulorum, aut pro minimo certè habendum? Aut vnde nouus hic doctor colligere potest spiritum sanctum non mox in ipso baptismo paruulos renouare, sed postea hoc efficere, cùm è vita migrãt? Suscipit (inquit) illos in suã prouidentiam renouãdos postea. Cur non iam in ipso baptismate? quãdoquidem postea fieri nõ negas? Sed eos tantùm inquit renouari, quos Deus præordinauit ad vitam. Quare non potius dicemus eos paruulos, quos Deus ad vitam præordinauit, & ante adultã ætatem auferre voluit,

luit, ad baptiſmum adduxiſſe? Nam quos in hac ætate è vitâ ſublatos videmus ſine baptiſmo, certum eſt non præordinatos fuiſſe ad vitam à Deo. Non igitur de baptizatis pueris vlla ratione dubitandum eſt, niſi totam Eccleſiæ auctoritatem contemnere velimus. Et hoc maximè mirandum eſt in hac tam noua ſententia, quòd nulla neceſſaria ratione tam voluntariè aſſeratur. Nam ſi dicat nulla auctoritate ſcripturæ probari contrarium, pari ratione cogetur Baptiſmum negare paruulorum: quòd ſi illud confitetur, eadem ratione & remitti eis peccata ſimpliciter confiteri debet.

Paruuli ſine proprio actu fidei per baptiſmũ regenerãtur.

Quartus error iſtis proximus eſt Lutheri & quorundam ſequacium eius, aſſerentium fieri poſſe, vt paruuli illi nondum capaces rationis credant, Deo id in mentibus eorum operante: quaſi ſine fidei actu non ſufficeret eis Sacramentum. Contra quod manifeſta eſt Eccleſiæ auctoritas, quæ exigit fidei confeſsionem, qua oſtendit eo modo illos credere, quo confitentur: non videlicet actu ſuo proprio, ſed ipſius Eccleſiæ, & Sacramento. Sic enim b. Auguſtinus in Epiſtola illa ad Bonifacium ſuprà citata exponit intelligendum eſſe, quòd paruuli dicuntur credere, hoc eſt, ſacramentum fidei ſuſcipere. Nam accelerari in eis vſum rationis, quod hic voluit, ſicut nulla auctoritate probatur, ita meritò reijciendum eſt: cùm etiam huius aſſertionis nulla alia neceſsitas ſit, quàm vt ineptam illam ſententiam, quòd ſola fides & baptiſmus, aut alia Sacramenta iuſtificent, ſequantur. Nobis verò contra vtrumque errorem id ſit ſatis, quòd cùm paruuli alterius actu, Adæ ſcilicet, rei ſint, & gratia Chriſti multò efficacior ſit in his quibus cõmunicatur, quàm peccatum Adæ, vt ad Rom. 5. Apoſtolus probat, meritò Chriſti virtute eos ab illo reatu ſine vllo ſuo proprio actu liberari credamus. Nam per baptiſmum Chriſti non dubium eſt participes effici eius gratiæ, ſicut per natiuitatem participes ſunt corruptionis Adæ.

Paruulis baptiſatis non eſt danda Euchariſtia.

Quintus etiam error fugiendus eſt, aſſerentium neceſſariũ eſſe Sacramentum Euchariſtiæ paruulis, quaſi non ſufficiat baptiſmus, contra illud: Qui crediderit & baptizatus fuerit &c. Quem errorem & Græci & Bohemi hodie ſequentes, paruulis recens baptizatis infundunt in os Euchariſtiam, aſſerentes etiã hanc conſuetudinem fuiſſe in primitiua Eccleſia, idque ex Auguſt. atque Cypria. confirmantes: de qua re, quia inferius de Euchariſtia dicturi ſumus, nunc ſatis ſit hoc admonere, quòd illa conſuetudo nullibi probatur fuiſſe vniuerſalis, nec certè

tanquam

tanquam necessaria ad salutem legitur vsquam Eucharistia paruulis data: & est hæc sententia manifestè contra baptismi efficaciam & gratiam ipsam Christi. Quis dubitat per baptismum incorporari Christo baptizatum, atque ita factum participem corporis & sanguinis eius? Hæc verò cũ Christo vnio quomodo non sufficit ad salutem? Ad illa verò, quæ ex Augustino & Euangelio proferuntur: Nisi manducaueritis carnem &c. suo loco, vbi de sacramento Eucharistiæ agemus, respondebitur.

Tanta necessitas baptismi, vt etiã Christianorum infantes sine illo in fide parentũ non saluentur.

Cauenda est etiam misericors quorundam sententia aut coniectura, non enim durius volumus eam reprehendere, cùm sit Catholicorum & piorum: est tamen noua & in Ecclesia inaudita opinio, & ad alterum extremum declinans. Asserunt enim bi periclitantibus paruulis fidem parentum, & oblationẽ Deo factam sufficere ad salutem, idque pietate quadam: ne videlicet nulla illis, relinquatur spes salutis: addentes etiam, quòd cùm ante institutionem baptismi in lege naturæ sufficerit pro paruulis parentum fides, siue vt plurimum aliqua oblatio aut protestatio eius, quod beatus Gregorius videtur asserere in locum illum Iob. 2. Quare non in vulua mortuus sum &c. meritò (inquiunt) & modò hoc sufficere debet. Nec enim æquum est, vt per gratiam Christi restricta sit salus hominibus, vt careant aliqui remedio, qui prius habuerunt, paruuli scilicet isti, qui antequam nascantur, vel postquam nati sunt baptizari non possunt. Et quanquam hoc non certò afferant qui ita docent, sed vt dubium misericordiæ Dei relinquendum esse, & in ea sperandum: tamẽ, vt diximus, hoc est iam extremum aliud volentium paruulis nunquam deesse remedium, cùm Anabaptistæ nunquam adesse putent. Tenenda est igitur media & Catholica sententia, quam certè antiqui omnes Patres citra dubitationem asserunt, sine Sacramento baptismi paruulis nullum locum esse salutis. Nam antiqui omnes patres de paruulis sine baptismo decedentibus loquentes apertè dicunt nullum eis superesse remedium: vbi etsi hanc nouam coniecturam apertè illi non damnent, illud tamen certissimum esse constat, eos de hac nec cogitasse: quare vt minimum, sicut diximus, nouitas quædam est in Ecclesia. Fuit quidem August. tempore Vincentius quidam Victor, qui ausus est dicere pro paruulis sine baptismo defunctis offerendum esse Deo sacrificium altaris atq; orationes, & sperãdam illis salutem. Hunc August. 4. lib. redarguit, vbi 1. lib. cap. 9. tandem ita inquit. De Baptismo non præscribatur saluatoris præcepto, & non baptizatis paruulis ne-

mo speret regnum cælorum, si non perueniant ad Baptismatis sacramentum. Et rursum 3. lib. contra eundem colligens illius
Capite 12. errores, hunc sextum ponit: Infantes antequam baptizantur morte præuentos peruenire posse ad originalium indulgentiã peccatorum: & decimum dicit, Offerendum esse pro eis sacrificium altaris. Et manifestius de his loquens lib. de bono perseuerantiæ, Nullum putat eis superesse remedium, quos subtrahi contingit ante baptismum, etiam properantibus parentibus & ministris, atque adeo desiderantibus etiam Baptismum illis. Et hoc ipsum etiam Cyprian. in Epistol. illa ad Fidum ex Concilio 60. Episcoporum docet: omni videlicet die & tempore baptizandos paruulos: quoniam (inquit) nullum est eis aliud remedium. Quod etiam in Consilio Florentino, de quo superius mentionem fecimus, non quidem eo loco, vbi de sacramentis agitur, sed in bulla vnionis Græcorum & Armeniorum apertè docetur. Circa pueros verò (dicitur ibi) propter periculũ mortis, quod potest sæpè contingere, cùm ipsis non possit alio remedio subueniri, nisi per sacramentum baptismi, admonet nõ esse differendum per 40. aut 80. dies, sed quam primum fieri potest debet conferri. Hæc itaque est certa doctrina omnium doctorum, qui nihil cogitarunt de pietate ista, quæ proculdubio necessitatẽ aufert baptismi, & contradicit illis verbis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. Nam, vt cetera omittamus, quæ ex eo loco inferri possunt, quid si paruulus ille in periculo Deo oblatus postea nascatur, & supersit tres aut quatuor annos, nec tamen baptizetur? putabimus eum non fore saluũ? Absit. Nam si semel liberatus est, cùm sine pœnitentia sint dona Dei, non priuabitur salute sine peccato, quod illo tempore committere nõn potest. Necesse erit ergo fateri non renatum ex aqua & spiritu sancto saluari, atque ita non necessarium sacramentũ, baptismi. Nec in his locus conceditur coniecturis humanis vbi diuinæ gratiæ tantùm dona tractamus. Illud itaque quod ex Gregorio adfertur, & similia, non aliud, si rectè pensentur probant, quàm & ante institutam circumcisionem, & post etiam, fœminis, quæ eius capaces non erant, aliquod relictum fuisse à Deo remedium. Quod vt ita esse concedamus, in noua lege constat nõ renatis nullum esse ostensum à Christo remedium. Asseruit hæreticus ille VVicleph, ita referente Thoma VValdense lib. 2. de sacramentis: cap. 99. paruulum, qui deficiente aqua cùm iam ad baptismum adduceretur mortuus est, non certò damnari. Potest (inquit) Deus illum saluare, potest &

non

non saluare, sed neutram partem audeo definire, vocans etiam stolidos & præsumptuosos, qui eum damnant. Contra hoc in concilio Constantiensi inter centum viginti duos errores, quos ipso Thoma teste collegit, quintus hic est: Definiētes paruulos fidelium sine sacramentali baptismo decedentes non fore saluādos, sunt in hoc stolidi & præsumptuosi. Sufficiat itaque nobis hic sensus tam manifestus Ecclesiæ & antiquæ & recentioris.

Hic etiam cauendę sunt nouę doctrinę paruulis non baptizatis aliquid salutis relinquentes, vel negantes veraciter eos damnari, contra illud Pauli: Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem. Ambrosius Catharinus Minorensis Episcopus, lib. de statu puerorum sine sacramento decedentium, asserit illos beneficio quidem Christi resuscitatos ad immortalem vitam integram & perfectam naturam recepturos solo dono illo originali visioneque diuina carentem, sed quæ nullo modo eis afflictioni, aut tristitiæ futura sit, quare & à morte secunda liberos futuros post diem iudicij, quam ille intelligit donorum naturæ priuationem, itaque sine afflictione vlla aut tristitia in fœlici quadam & beata vita perpetuò permansuros. Huius voluimus meminisse, vt à nouitatibus dehortemur & deterreamus omnes. Mittamus igitur nunc quanta contineat hęc sententia noua & aliena à Patrum omnium doctrina, immo certa fide & auctoritate improbabilia de morte prima & secunda: id tantùm quod ad hunc locum attinet, considerandum attentè, quod Augustinus ex illo verbo Pauli suprà citato: Per vnius delictum in omnes in condemnationem, necessariò inferri putauit paruulos nō baptizatos damnari, sed mitissima (inquit) omnium damnatione. Ita lib. 1. de peccatorum meritis & remissione. Quod postea & illis tribus libris, & pluribus alijs locis frequentissimè docet. Nam suprà dicto primo lib. de animæ origine ita dixit: Nemo promittat paruulis non baptizatis inter damnationem regnumque cælorum quietis vel fœlicitatis cuiuslibet aut vbilibet quasi medium locum. Quæ quidem si rectè considerentur, omnino conuincunt sub peccato illo originali perpetuò manere illos, atque ita sub ira Dei, dicēte Christo: Qui non credit in filium hominis, ira Dei manet super illum: quod vt frequenter Augustinus probat, paruulis per baptismum conuenit, vt scilicet inter credentes computentur. Itaque sub ira Dei sunt, sub peccato, & sub potestate diaboli in æternum: quomodo igitur à morte secunda liberat eos Catharinus? Sed quia ille fatetur Augustini hanc esse sententiam, &

Noua doctrina Ambrosij Catharini cauenda de paruulis sine baptismo morientibus.

cap. 16. Paruuli sine baptismo morientes dānantur.

magnam eius auctoritatem, sed maiorem esse Pontificũ & Ecclesiæ de cathedra docentium: audiamus quid ipse Augustinus ex auctoritate Zozimi Pontificis referat in epistola ad Optatum. Citata enim eius auctoritate contra Pelagianos de necessitate redemptionis Christi, sub qua omnes nascimur, ita dicit: Illud propagatione contractum chirographum rumpitur, scilicet per Christum (de hoc enim loquitur) in quo nullus omnino natorum, antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius. Igitur post hæc ita infert Augustinus: In his enim verbis Apostolicæ sedis tam antiqua atque fundata, certa & clara est Catholica fides, vt nephas sit de illa dubitare Christianum. Nephas itaque est dubitare non baptizatum paruulum, non factum participem Christi sub chirographo damnationis esse. Omittamus nunc, an pœnam sensus sint habituri aut ignem: de quo Auctor illius lib. de fide ad Petrum (qui certè non est Augustini) liberius definiuit: illud certò constare debet, illos in damnatione esse & sub ira dei, atque ita sub secunda morte, dicente Ioanne in Apocalyp. Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima. In his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo. Illi igitur qui non regnant cum Christo, sub secunda morte sunt. Videat Catharinus an regnent paruuli cum Christo. Concludamus igitur iam hæc omnia certissima fide, quam Augustinus confitetur, & nouitates omnes Pelagij, & Caluini, & Catharini reijcit. Ita igitur ille inquit libro de bono perseuerantiæ: Absit vt causam paruulorum sic relinquamus, vt esse nobis dicamus incertum, vtrum in Christo regenerati, si moriantur paruuli, transeant in æternam salutem (Ecce contra Caluinum) non regenerati autem transeant in mortem secundam (ecce cõtra Pelagium, contra Vincentium, contra Catharinum).

Cap. 20.

Cap. 12.

Baptismus sanguinis etiã paruulis ad salutẽ sufficit.

Illud hoc loco non est omittendum, ne contingat ex suprà dictis aliquem errare, quòd Baptismus ille sanguinis non minus paruulis ad salutem sufficit, quàm adultis. Nam Christus Dominus dixit: qui perdiderit animam suam. Non verò, qui tradiderit, quasi libero arbitrio opus sit. Baptizantur in suo sanguine paruuli: quod Ecclesia de sanctis innocentibus apertè docet, & patres omnes. Vide Bernardum in sermone illius festi efficaciter hoc probantem, denique & Augustinum & Cyprianũ, si tamen illius est liber ille de cardinalibus operibus Christi: notissimi sunt de hac re sermones Ecclesiæ, quibus hoc docent populum: ita vt nulla ratione dubitandum sit hoc certissi-

Nõ est nobis liberum

tissimum esse fidei dogma.

Vltimò & illud vitandum est, quod nonnulli specie quadam pietatis putárunt conuenire, vt paruulis baptizatis, cùm ad ætatem adultam venerint, liberum fiat baptisinum & fide tenere vel non: quasi videlicet non verè tenerentur ex his, quæ circa eos nondum capaces facta sunt per Ecclesiam. Ita enim docuit Erasmus. Sed hic proculdubio est apertissimus error, qui facilè subuerteret totam Ecclesiam, quanquam fortè non ille hoc putauerit: certum tamen est ex illis quę ipsorum nomine, & in eorum salutem gesta sunt, illos obligari, etiam in humano iudicio.

Sponsionem nostro nomine factã in baptismo approbare aut vesci. dere.

LECTIO SEPTIMA.

De ritibus & cæremonijs in sacramento Baptismi supperadditis ab Ecclesia.

RESTAT iam circa sacramentum baptismi de ijs quę superaddidit Ecclesia nonnihil admonere: de quibus in genere breuiter notentur sequentia, deinde in specie circa singula poterit facilius nonnihil adnotari.

Sit igitur hoc primũ circa ista, quòd quanquam ad integritatem baptismi sufficiant ea quæ dicta sunt, quæ non est dubium ex Christi institutione esse, superaddita tamen sunt multa ab Ecclesia: idque non priuata aliqua auctoritate, sed Apostolica traditione, quã illi proculdubio ex familiari spiritus sancti instinctu, & diligenti etiam, quãtum credi potest, consideratione tradiderunt Ecclesiæ: id quod primò auctoritas antiquorum omnium asserit patrũ, vt in speciali ostendemus, deinde ipsa probat experientia. Nam, vt suprà etiam diximus, quidquid vniuersaliter, omnibus videlicet locis & temporibus, seruat Ecclesia, id ab Apostolis necesse est profici. sci: Alioqui agnosci posset quo loco aut tẽpore illa cæperint: talia verò sunt hæc in celebratione baptismi superaddita. Est illorum mẽtio apud antiquos patres ab ipsis Apostolorum discipulis vsque ad nos: tam videlicet apud Græcos, quàm apud Latinos: ex quo tanquam certissimo fundamento reliqua, quæ ad hoc pertinent, inferenda sunt.

Etsi cæremoniæ ad baptismi integritatẽ nõ sint necessariæ, seruandæ tamẽ sunt ob Apostolicam traditionem.

Primum. Ritus omnes isti quos vocat beatus Thomas & nõnulli alij nõ quidem sacramenta, sed sacramentalia potius, quasi adiuncta sacramentis, cõuenientissima ratione & necessaria sunt

instituta. Nec enim ab Apostolis, multò minus à spiritu sancto eorum doctore potuit aliquid aut superfluum aut irrationale esse: quare etiam si ea nō satis intelligere valeamus, credendum tamen est magnam in eis esse sapientiam, multò certè maiorem, quàm quæ in cæremonijs & cultu antiquæ legis fuit. Nec est omnium (inquit Origenes in Homelia super Numeros) tantam sapientiam agnoscere. Ceterùm b. Thom. q. 66. 3. partis tribus potissimum rationibus docet hæc instituta. Primùm videlicet ad excitandam reuerentiam & deuotionem fidelium erga hoc sacramentum, quod si absque cæremonia vbicunque celebraretur, facilè veniret in contemptum. Nunc verò omnibus illis superadditis excitantur animi fidelium ad magnum aliquid cogitandum de hoc Sacramento, & ita ad reuerenter & deuotè illud suscipiendum. Deinde faciunt hæc maximè ad institutionem simplicium & paruulorum: vt videlicet non tantùm verbis, sed rebus quibusdam & operibus doceantur de virtute & effectibus sacramenti. Denique adhibentur ad cohibendam dæmonis malitiam & impetrandam diuinam gratiam. Nam orationibus illis & diuinis verbis quæ præmittuntur, non dubitandum est diuinum auxilium impetrari, quo inimici comprimantur & præparentur animi: hæc enim omnia simul valde conueniunt naturæ & ingenio humano, propter quæ instituta sunt: vt videlicet non subitò ad id quod summum est accedamus, sed multis & verbis & operibus instruamur, excitemur & præparemur: quare hæc omnia meritò parturientis Ecclesię, atque adeò edentis filios enixus quidam & conatus dicendi sunt, quibus illa humanæ infirmitati consulens, & in futurum timens nobis ne gratiam illam adoptionis amittamus, & cum DEO & nobiscum agit: quod certè valde est considerandum & commendandum fidelibus. Ex quo etiam ipse b. Thom. q. 71. art. 3. 3. partis, vbi de ritibus istis baptismi in speciali agit, ista non tantùm significatiua esse asserit, sed efficacia etiam, non certè quantum ipsum sacramentum, quod vltimum effectum operatur, sed quātum necessarium est ad præparationem animæ: quod profectò conuenientissimè creditur: Nec enim Ecclesiæ preces, & tanti conatus tanta auctoritate ordinati vani esse possunt. Inter illa verò Ecclesia orat Deum pro præparatione suscipientium: quare credendum est id impetrari. Ex quibus vltimò tandem infertur apertè, quàm meritò hæc in Ecclesia retinenda sunt & venerāda. & quàm reprehendendi qui ea contemnunt, aut pro suo arbitrio mutant. Vnde non dubiū est apud doctores graue peccatum

Art. 10. Quare institutæ sunt cæremoniæ baptismi.

catum schismatis esse, propria auctoritate aliquid horum omittere. Introductio enim noui ritus in Ecclesia pertinet procul dubio ad scisionem: contra id quod Paulus inquit: Vt idipsum dicatis omnes, & non sit in vobis schisma. Quod si nõ omnino animo nouũ ritum introducendi hæc aut mutarentur aut omitterentur, esset nihilominus inobedientiæ aut contemptus Ecclesiæ peccatum: idque cùm insignis & notabilis est mutatio: in quibus magis vel minus, pro gradu videlicet aut negligentiæ aut contemptus, peccatur. Igitur sequenda est ab omnibus propriæ suæ Ecclesiæ regula. Est enim nonnulla in his diuersitas, in qua illud Augustini locum habet: quòd suo sensu abundat quælibet regio. Nam & in hac diuersitate prouinciarum est etiam summa quædam concordia, vt iam in speciali patebit. 1.Cor.1.

Singulæ cæremoniæ baptismi veterũ testimonio confirmãtur.

Hoc igitur in communi exposito, circa singula explicanda & confirmanda debent ministri huius sacramenti diligenter immorari, quod antiquiores Patres legimus fecisse, ex quibus sequentia colliguntur perpetuò seruata esse in Ecclesia. Primum: Traditio solennis baptismi duobus tantùm diebus, Paschæ & Pentecostes: extra quos infantibus quidem, & his qui in periculo erant tantùm tradebatur Baptismus. De quo ante mille duocentos annos Syricius Papa in Epist. ad Cumerium Tarraconẽsium Episcopum cap. 2. & Leo in Epist. ad vniuersos Episcopos per Siciliam latissimum perhibent testimonium, confirmantes hoc ab Apostolis traditum in Ecclesia, & prohibentes aliter fieri. Vnde in Baptismo certè adultorum extra periculum esset id omnino seruandum. Habetur etiam ex illis aquam benedicendam & exorcisandam esse, & consecrandam etiam. Ita Ambros. lib. 1. de sacramentis cap. 5. & Cyprianus lib. 1. epistolarum epist. 12. Oportet verò mundari & sanctificari aquam primùm à sacerdote, vt possit baptismo suo peccata hominis qui baptizatur abluere: quia per Ezechielem prophetam dominus dicit: Et aspergam super vos aquam mundam &c. Et Dionysius ipse Pauli discipulus ca. 2. de Ecclesia. Hierarch. de chrismate aquæ miscẽdo apertam facit mentionem. Exorcismos etiam, quibus cõtraria potestas exufflatur: & impositionem manuum: & impressionem crucis: intinctionem narium & aurium saliua, & salis in os immisionem seruata esse constat & explicata ab omnibus illis patribus. Est de his omnibus testimonium apud Origenem homelia 6. super Ezechielem, apud Ambro. 1. & 2. lib. de Sacramentis, & libro de his qui initiantur mysterijs, & apud Augustinum est istorum aperta mentio. Vnde ipse lib. 1. de peccato originali

ginali cõtra Celestium & Pelagium capite 4. ex his probat paruulos etiam peccatum originale habere, ita inquiens: Ipsa Ecclesiæ Sacramenta, quæ tam antiquę traditionis auctoritas conseruat, vt ea isti, quamuis in paruulis existiment simulatoriè potius quàm veraciter fieri, non tamen audent aperta improbatione respuere &c. vbi etiam abrenũtiationis apertam mentionem fecit, sicut & lib. 1 de nuptijs & concup. capite 2. & lib. 2. capite 18. de quo etiam Ambros. & Dionysius supradictis locis: sicut & de confessione fidei etiam à paruulis per susceptores præstita: cuius etiam meminit Augustinus lib. de peccatorum meritis & remiss. vt suprà citauimus, propter quod vocat paruulos credentes & pœnitentes.

De nominis etiam traditione & susceptoribus siue in paruulis siue in adultis loquitur Dionys. cap. 2. & vltimo Eccle. Hierarch. De vnctione ante Baptismum ipse ibidem: Et Ambros. lib. 1 de Sacramentis capite 2. Inunctus (ait) es vt athleta. De vnctione verò verticis chrismate idem Ambrosius lib. de his qui mysterijs initiantur capite 6. & de veste candida ibidem capite 7. Sunt præterea multa alia antiquorum patrum de his omnibus apertissima testimonia, quorum nonnulla Gratianus citat de consecratione distinct. 4. Rabanus etiam lib. 1. de instituti. Clerico. inter cætera multa de omnibus Ecclesiast. ritib. etiam de Baptismo ferè hæc omnia tradit à 26. capite vsque ad 29. Ex quibus omnibus patet quanta sit consonantia in his ab ipsis Ecclesiæ initijs vsque ad nos. Est quidem in nonnullis diuersitas. Nam Ambrosius in illis lib. de Sacramentis loquitur de lotione pedum post Baptismum, quã dicit seruari in Ecclesia Mediolanensi, non in Romana. Dionysius etiam toto corpore dicit inungi baptisandos. Ceterum, vt satis constat, in his omnibus quę nunc seruantur conueniunt antiqui omnes, quanquam nõnulla etiam in desuetudinem abierunt: sicut illud, quod certum est vbique seruatum, de communione baptizatorum: consummabatur enim totus baptismi ritus in sumptione Eucharistiæ, vt Dionys. ait, in adultis ad minus, & certè in nonnullis Ecclesijs etiam in paruulis: de quo, cùm de hoc sacramento agetur dicemus: proculdubio tamen, cùm adulti baptizantur conueniet etiam hoc obseruare, sicut multa alia circa adultos, quæ minus seruantur propter raritatem. Tanta denique est consonãtia in his omnibus, vt verbũ ipsum, Baptizo, quod nec latinum est, nec extra hoc Sacramentum intelligitur à latinis, semper fuerit seruatũ in Ecclesia latina, cùm apertius diceretur, abluo,

vt Augu-

vt Augustinus inquit, hoc obseruãs lib 6. cont. Iulianum cap. 4. Nec omittendum est id, quod circa baptismum adultorum obseruauit omnis antiquitas, de quo superius nonnulla mentio facta est, vt aliquanto tempore Catechumeni essent, & instruerentur de fide, quanquam quandoque diutius tenebantur, quãdoque citius admittebantur, multi etiam longo tempore sua voluntate inter Catechumenos manebant. Vnde factum est, vt suprà diximus, vt Catechumeni dicerentur qui tantùm instrui de fide petierant, aut ad hoc erant admissi: qui verò iam petebant baptismum, & admissi erant vt in proxima solennitate baptizarentur, competentes vocati sunt, vt Rabanus suprà dicto loco inquit: quod, vt superius etiam ostendimus, non parum proderit ad intelligendum doctrinam antiquorum. Hoc igitur nunc etiam in adultis seruandum esset. Nam in eis nulla horum mutatio facta est nisi in consideratione, quòd quæ rarò fiunt minus curentur. Vix etiam in agendis ipsis (quas vocat) de modo adultos baptizandi agitur. Hæc igitur satis nunc esse debent ad confirmandos, contra hæreticos etiam, ritus ipsos baptismi. Ceterùm latius explicare horum omnium significationes & rationes, & id scripturæ auctoritatibus & doctrina Patrum confirmare, & cõuertere ad exhortationem fidelium, omnino pertinet ad doctores & pastores, & ipsos qui tradunt sacramenta: sed nunc, cùm necessaria maximè tradimus, non est locus latius de his agendi. Expediret certè & ante celebrationem baptismi & post paratas habere exhortationes circa hæc, & tradendæ essent simplicioribus sacerdotibus ab Episcopis. Nec tamen aliorum negligentiæ alios, quantùm putamus, excusat. Ad ista igitur, quæ in baptismo seruantur explicanda & suauiter ostendenda populis est pulcherrimus locus Ezech. 16. cap. Vbi Deus primò improperat natiuitatis maculas: In die qua nata es aqua non es lota, nec sale salita. & deinde: Laui te aqua, vnxi te oleo, vestiui te discoloribus. & multa beneficiorum dei commendantur, quæ videtur Ecclesia omnibus illis ritibus ostendere.

DE CONFIRMATIONE.

LECTIO PRIMA.

POST SACRAMENTVM Baptismi meritò proximum est vt de sacramento cõfirmationis dicamus, quod ordine secundum est, vt suprà diximus. Et quoniam hoc sacramentum non tantum impugnatur, sed etiam blasphematur ab hæreticis, ante omnia probandum est quòd si verum sacramentum nouæ legis: verum (inquam) non nomine solùm, sed effectu & institutione, quæ sunt duo maximè propria sacramentis. Asserimus igitur confirmationem esse sacramentũ institutum à Christo, atque ita efficaciter gratiam causſare. Et quoniam illi clamant nullum vocandum esse sacramentum, quod non habeat Dei promissionem & verbum, vt illi dicunt, nos, iuxta ea quæ suprà dicta sunt de traditionibus absque scriptura, dicimus veritatem huius sacramenti probari ex scriptura iuncta Ecclesiæ sensui atque traditioni Apostolicæ: hæc enim est vera interpres scripturæ, quæ ex testimonio consono succedentium sibi patrũ ab Apostolis vsque ad nos sumenda est. Itaque de hoc sacramẽto habetur testimonium in actis Apostolorum, atque in fine Euangelij Lucæ. Nam Apostolis baptizatis iam (vt creditur) &, vt minimum, veram consecutis remissionem peccatorũ & Dei gratiam, quos & misit prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, tandem inquit: Ego mittam promissum patris mei in vos. Vos autem sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Sic Lucas in fine sui Euangelij, cui consonat quod 2. cap. actuum Apostolorum scribit: Præcepit eis, vt expectarent promissionem patris &c. Quod & consequenter secundo capite impletum scribens, spiritum sanctum descendisse in linguis igneis in ipsos narrat: &, vt ex omnibus sequentibus patet, non tantùm externa illa dona virtutemque linguarum & miraculorum, sed etiam cognitionem mysteriorum & ipsius scripturæ, quantum negotio Euangelicæ prædicationis

Cõfirmationẽ esse verũ nouæ legis sacramentũ docetur variis testimonijs.

Cap. 8.

tionis opus erat,& quod maius omnibus est, robur animi constantiamque firmiorem cordis,& feruorem deuotionis illis cõtulit, quibus nec populi irrisionem, nec minas principum formidarent,qui prius ad sonitum folij volantis territi erant. Hæc qui legit,nonne apertè videt confirmatos illos fuisse,& ex pueris atque infantibus subitò euasisse in viros, perfectamq; consecutos fuisse Christianæ vitæ integritatem? quæ omnia reuera sunt huius sacramenti operationes in nobis,quas tunc consecuti sunt Apostoli visibili miraculo spiritus illius vehementis & ignearum linguarum: quare & ab eodem instructi sunt hanc spiritus confirmationem necessariam esse fidelibus omnibus: atque ideo legimus de Petro & Ioanne missis Samariam,ad eos videlicet,quos Philippus diaconus baptizauerat,qui tamen nõdum spiritum sanctum susceperant. Orauerunt (ait) pro ipsis, & imposuerũt eis manus,& spiritum sanctum acceperunt.quod ipsum hodie fit ab Episcopis in sacramento confirmationis.Vbi etiam plura ostenduntur, quæ ad huius sacramenti veritatem & necessitatem pertinent. Nam apertè ibi patet hanc impositionem manus à solis Apostolis factam, quod postea Eusebius papa apertè dicit.Nam & Symon hanc voluit potestatem ab Apostolis emere.Hoc etiam 19.cap.apertius ostenditur in facto Pauli,qui prius iussit baptizari, & baptizatis imponebat manus, & accipiebant spiritum sanctum. Patet itaque iam ab ipsis Apostolis hoc in vsu fuisse in Ecclesia, vt baptizati, qui quidem ab inferioribus baptizabantur, postea confirmarentur & consummarentur à summis. Et tunc quidem,quando visibilibus miraculis suam testabatur spiritus sanctus præsentiam, non putabant Apostoli opus esse alijs externis signis, & hoc quidem agente in eis ipso spiritu sancto,qui omnia docebat.Ceterùm docuisse eos discipulos suos,quibus Ecclesias commiserunt, quanta obseruanda essent in eis qui initiabantur mysterijs,& qualiter post baptismum perficiendi consummandique essent, & quibus vtẽdum esset sensibilibus rebus, & qua ratione, nullo modo dubitare permittimur,nisi velimus credere parum curasse Apostolos institutionem Ecclesiarum:quo quid indignius virtute eorum, & Christi in suam Ecclesiam cura & sollicitudine. Huius habemus certissima testimonia, quæ omnia nimis prolixum esset referre:sufficiant pauca,quibus apertè ostendatur consensus patrum ab ipsis quos Apostoli docuerũt.Clemens Petri successor Epistola 4 apertè dicit post baptismum necesse fore consignari ab Episcopo, hoc est, septiformem gratiam spiritus susc ipere:

Patrum quædã ex plurimis de cõfirmationis sacramẽto testimonia.

quia aliter perfectus Christianus esse non potest. Vrbanus deinde illi consentiens, sine impositione manuum Episcoporũ nullum inueniri plenum Christianum dicit. Fabianus quoque 18. à Petro Epistola 2. de ipsa cõfectione chrismatis à Christo Apostolis præcepta aperte loquitur. Eusebius vigesimus à Petro, manuum impositionis sacramentum magna veneratione tenendum esse asserit. Dionys. Areop. 4. cap. de Ecclesia. Hierarch. de confectione chrismatis siue vnguenti apertè loquitur, & de cõsignatione qua baptizati ab Episcopo cõsummabantur. Melch. Papa ante concilium Nicænum omnibus Episcopis Hispaniæ etiam scribit maius hoc esse sacramentum quàm baptismi. B. etiam Ambrosius de his qui initiantur mysterijs cap. 6. de hoc sacramento apertè loquens inquit, Signauit te Deus Pater, confirmauit te Christus: vbi verba ipsa formę huius sacramenti ponit. Et lib. 2. de sacramentis: Post fontem (inquit) superest vt perfectio fiat, quam dicit fieri in accessione spiritus sancti. Sunt apud Augustinum Hieronymum & ferè omnes alios locupletissima testimonia huius sacramenti, quę non est opus referre. Sed quia hæretici asserunt Augustinum hoc sacramentum negare, vt qui tantùm duo ponunt, & Caluinus affirmat ipsum dicere tantùm esse orationem quandam, vt isti aperti mendacij & impositionis conuincantur, duo hæc loca Augustini commendentur memoriæ. Primò, lib. 2. contra Petilianum capite 104. exponens illud: Sicut vnguentum in capite, ita inquit: Hoc vnguento sacramentum Chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus. Quid potest apertius dici? aut quomodo non meritò mendaces dicendi sunt, aut nolle verum scire, qui contrarium dicunt? Secundo, 5. lib. de baptismo contra Donatistas cap. 20. referens, aut potius refellens asserentes Deum non exaudire peccatores, & ideo sacramenta ab ipsis data repetenda. Audit (inquit) Deus homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponit. Ecce quàm apertè hoc inter sacramenta ponat. Quod igitur Caluinus ex 3. lib. cap. 16. citat dicentem Augustinum Manus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest: quid est enim aliud quàm oratio super hominem. Attẽdat quòd in hoc proximo loco post baptismũ posuit oleum, deinde Eucharistiam, & quarto loco manus impositionem: quare meritò intelligi potest impositio illa manuum pertinere ad absolutionem quandam & reconciliationem, qua Ecclesiæ qui extra eam bapti-

Cap. 2.

Responsio ad Caluini obiectionẽ contra hoc sacramẽtũ.

baptizati erant reconciliabantur. Et quidem eo ipso loco, quem ille citat de sacramento hoc, quod impositionis manuum vocat, apertè loquitur, referens qualiter per impositionem manuum daretur spiritus sanctus, & hoc ipsum apertè sacramentum vocat, sed quia & alijs rationibus imponebantur manus, & hac maxime, vt reconciliarentur Ecclesiæ, dicit impositionem manuũ repeti posse: sed non certam illam, qua dabatur spiritus sanctus, sed alteram, qua reconciliabantur, de qua dicit quòd oratio tantùm est. Hoc quidem dicimus probabiliter, credentes Augustinum non putasse sacramentum confirmationis iterari posse, cuius cõtrarium certissimum est in Ecclesia. Si cui autem hoc respõsum non placet, sed credit Augustinum ita sensisse, cùm tamen Ecclesia aliter sentiat, nos non contendimus. Illud respondemus Caluino, ex eo verbo: Manus impositio nõ est aliud quàm oratio super hominem, non sequitur non esse sacramentum: sed sicut ipse audiuit Augustinum ibi dicentem, Oratio est tantùm &c. audiat eundem ibi dicentem: Cùm ergo aliud sit sacramentum, quod habere etiam Symon Magus potuit, aliud operatio ipsius spiritus &c. & videat ibi ex toto contextu de illa impositione manuum, quæ ab Apostolis fiebat illum loqui, eamque dicere sacramentum.

Ex horum igitur omnium patrum consensu apertè videmus hoc esse verum sacramentum, atque ideo à Christo institutum: in quibus omnibus est valde considerandum, quòd hoc non tanquam dubium proferunt aut confirmant, sed ex eo potius tãquam certissimo inferunt alia contra errores. Itaque constat huius sacramenti veritatem adeò certam fuisse in antiqua Ecclesia, vt nec de ea fuerit dubitatum: quod confirmat etiam illud Ecclesiasticæ historiæ lib. 6. cap. 34. vbi Eusebius ex Cornelio Papa antiquiore Augustino & contemporaneo Cypriano, de Nouato hæretico dicit, quòd in lecto & periculo mortis baptizatus fuerit, nec signaculo chrismatis consignatus: vnde nec vnquam spiritum sanctum potuit promereri.

De institutione cõfirmationis.

De institutione verò huius Sacramenti id certum est, à Christo promissam esse confirmationem Apostolis, Ioannis 16. & Actuum primo, vt diximus, & in ipso festo Pentecostes exhibitam, quam intelligunt patres omnes esse huius Sacramenti veritatem, vt Melchiades loco citato apertè dicit: & ex eo tempore constat Apostolos vsos fuisse in baptizatis hoc Sacramento, vt ex locis supradictis patet. Vnde b. Thom. q. 72. art. 1. in quo

in quo de hoc Sacramento loquitur, probabiliter docet illam promissionem fuisse institutionem eius, si non manifestam aut plenam, certè insinuatam esse eo loco. Nec dubitandum est aut verbo aut inspiratione interiori Apostolos fuisse plenè de hoc instructos, vt ex his, quæ à principio diximus, satis constat: non enim temerè in Ecclesia hæc recepta sunt.

Hoc sacramẽtum cõfirmationis nũc impositionis manus, nũc chrismatis appellatur.

Infertur etiam secundò, hoc sacramentum vocari quandoque impositionis manus, quandoque chrismatis. Et primum quidem nomen manifestè inde sortitũ est, quòd ita legimus Apostolos tradidisse, vt locis citatis patuit. Chrismatis verò Sacramentum, quòd hęc sit propria materia eius, vt mox dicetur. Nec putandum est illos, qui vocârunt Sacramentum hoc impositionis manus, sine chrismate illud contulisse. Nam vt b. Thom. art. 2. illius q. inquit, ex verbis Dionys. Areop. patet Apostolos vsos fuisse chrismate, quod Fabianus Papa loco citato dicit Apostolos tradidisse, & recepisse à Christo vt conficeretur. Hinc, quod prætermittendum non est, conuincitur Caluinus non vnius, sed multiplicis mendacij, qui dicit hanc impositionem manus ortam esse ex antiqua consuetudine Ecclesiæ, qua qui in infantia baptizati erant, post ætatem adultam instructi de fide profitebantur illam, atque tunc (inquit) ad maiorem huius professionis solennitatem habebant Episcopi hanc impositionem manus: quod cùm ille nulla antiquitatis auctoritate probet, nec certè probari possit, meritò dicendus est illud confinxisse. Nam quod ex Leone citat & Augustin. dicentibus baptizatos ab hæreticis recipiendos per impositionem manus, non de hoc Sacramento intelligendum putamus nec de illa professione fidei, de qua ipse loquitur, sed de reconciliatione & pœnitentia quadam, qua ex hæresi conuersi admittebantur ad ecclesiam, vt superius insinuauimus. Quod si illud non placet, (nec enim vt certum id asserimus) hoc saltem negari non potest, nullam in his, nec in antiquitate Ecclesiæ de hac fidei professione mentionem esse: nam & hoc accedit ad errorem illum, quem superius de Baptismo reiecimus, quasi his qui in infantia baptizati sunt, liberum sit permittendum acceptare fidem aut non. Sunt quidem illi diligenter instruendi, & si quid aliud iudicabit Ecclesia necessarium, ita agendum, vt tamen agnoscant illi ex prima illa baptismatis susceptione & professione teneri se ad fidem & professionem Christianam.

Falsa sentẽtia Caluini de manus impositione.

LECTIO

LECTIO SECVNDA.

De Confirmatione.



Icvt ex illis testimonijs patrum veritas huius Sacramenti ostensa est, ita ex eisdem cuncta quæ pertinēt ad illud facilè agnoscemus, idque eo ordine quē in baptismo seruauimus & proposuimus in principio agendum est.

Cõfirmationis materia.

Materia igitur huius Sacramenti & elementum est Chrisma ab Episcopo consecratum. Chrisma (inq̃) ex oleo oliuarum & balsamo confectum: quod Fabianus loco suprà citato apertè dicit: & Innocentius primus in Epistola ad Decentium Episcopum Euglibinum cap. 3. de consecratione ab Episcopo adhibenda. Rationes verò istorum probabiles adfert b. Thom. 2. & 3. art. illius prædictæ quæstionis. Sunt enim conuenientia illa significationi & effectui huius Sacramenti, vt statim dicemus.

Forma cõfirmationis

Forma verò verba illa sunt, quibus vtuntur Episcopi: Consigno te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine patris & filij & spiritus sancti. quorum, vt suprà diximus, nonnulla est memoria apud Ambros. Significant verò hæc & ipsum actum exteriorem, & effectum huius sacramēti, vt art. 4. inquit b. Thom. Ex quo apertè patet vsum Chrismatis in hoc Sacramento esse consignationem frontis, de qua apertè loquūtur antiquiores, & b. Thom. art. 9. eius adfert conuenientem rationem. Obseruandum tamen circa vtrunque horum, quòd ista tenenda sunt vt tradita & seruata in Ecclesia, nec vertenda in quæstionem, neque aliquid asserendum nisi certa auctoritate Ecclesiæ, quæ circa hoc non extat alia, quàm quæ dicta est: Vnde b. Thomas art. 2. illius q. asserit Apostolis nō esse datum hoc sacramentum à Christo, sed rem ipsius sacramenti: sic tamen, vt putet etiam ignem illum & linguas suppleſſe vicem olei & balsami. Apostoli etiam quando sola manuum impositione illud tradiderunt, speciali Dei instinctu id fecisse credendi sunt, atq; ita visibilia illa signa attestantia spiritus sancti descensum in eos quos confirmabat, vel supplebant vicem materiæ, vel certè attestabantur Deum sine illa effectum conferre sacramenti.

Operatio & effectus confirmationis.

Ex his duobus iam tertium sequitur, quis scilicet sit effectus huius sacramenti: est enim augmentū gratię baptismatis: & collatio

latio fortitudinis neceſſariæ ad ſuperanda contraria omnia profeſsioni Chriſtianæ. Itaque intellexerunt ſupradictis locis patres hoc ſacramentum id conferre baptizatis omnibus, quod in deſcenſu ſpiritus ſancti collatum eſt Apoſtolis: non quidem in eo gradu, nec in ea manifeſtatione, ſed certè quantum neceſſarium eſt ad vitam Chriſtianam: de quo pulchrè Melchiad. in epiſt. illa ad omnes Epiſcopos Hiſpaniæ loquens, & traditione Apoſtolorum ac conſenſu Eccleſiarum hoc probans, aſſerit in hoc ſacramento quodam modo armari Chriſtianum militem neceſſarijs armis ad bella illa, ad quæ deſtinatus & ſignatus fuerat in baptiſmo. Et rurſum: adoptatū in filium, & ſplendidæ hæreditatis cœleſtis promiſsione donatum ſuſcipere in hoc ſacramento tutorem & ductorem ſpiritum ſanctum. Tandem & ille, & ceteri omnes, vt viſum eſt, hoc Sacramentum dicunt eſſe cōſummationem & perfectionem baptiſmatis, ſine quo etiam (inquit Clemens) nec perfectus Chriſtianus eſſe poteſt, nec ſpiritum ſanctum promereri dixit Dionyſius Alexandrinus, vt ſuperius citauimus. *Nota.* Quod intelligendum eſt non ad remiſsionem peccatorum: nam ita datur ſpiritus ſanctus in baptiſmo, ſed ad robur & conſummationem, qui eſt proprius effectus huius ſacramenti. Atque iſtud eſt propter quod clamant contra nos hęretici, quaſi detrahamus ſacramento baptiſmatis & ſcripturæ, quod tanta auctoritate Chriſti conſtat in ea efficax eſſe, quod tamen (vt inquiunt) nos aſſerimus non ſufficere ſine Chriſmate. His reſpondet Melchiad. ſuprà dicto loco. Nam baptiſmum quidem nō negat ſufficere his qui cum illo ſublati ſunt, ſed pugnaturis hoc neceſſarium eſſe. Dicemus verò inferius nōnihil de neceſsitate. Ceterum, vt ora hæreticorum obturentur, intrepidè dicendum eſt hoc ſacramentum perfectius eſſe baptiſmo & dignius, quantum attinet ad gratiæ perfectionem, & cōſummationem eorū quæ pertinent ad profeſsionem Chriſtianę vitæ. Quis dubitat Apoſtolos maius donum gratiæ accepiſſe in deſcenſu ſpiritus ſancti quàm cùm baptizarentur? Quia itaque preſupponit hoc ſacramentū baptiſmi operationem, vbi plena eſt remiſsio peccatorū, quod ad hoc attinet, nō iſtud preferimus baptiſmo, ſed ſimpliciter dicimus illud maius eſſe in perfectione gratię, eo quòd conferat gratiā, & perficiat incepta in baptiſmo. Nec hic Chriſto derogamus, aut ipſum ſibijpſi opponimꝰ, ſed conſideramus donorū ſuorum diuerſitatem, gradum, & progreſſum. In baptiſmo nos generat, in confirmatione nos ad perfectum augmentum perducit. Ibi recipit ad militiam, hic munit armis.

Quaratione ſacramentū cōfirmationis ſit dignius baptiſmo.

Diſtinctio baptiſmi

armis. Ibi ad cæleſtem hæreditatem teſtamento nos vocat, hîc pupillis tutorem dat ſpiritum ſanctum. Igitur in baptiſmo efficacior eſt remiſsio peccatorum, hîc maius auxilium virtutum & gratiæ ad bona opera perficienda & aduerſa ſuperanda. Vnde b. Thomas art. 7. illius quæſt. dicit hoc ſacramẽtum gratiam illam gratos nos reddentem Deo augere, ſi iam eſt: aut, ſi nõdum eſt, de nouo conferre: & ita auget illam gratiam, quæ per baptiſmũ data eſt, & illam extendit per nouum auxilium Dei ad cuncta vel agenda vel ſuſtinenda, quæ pro Chriſto ſuſtinenda ſunt. Sit igitur in baptiſmo plenior remiſsio peccatorum (hæc eſt enim proprius eius effectus) in cõfirmatione autem abundantius robur virtutis. Ex quibus facilè eſt reſpondere argumentis hæreticorum, quæ contra hoc ſacramentum obijciunt. Non negamus virtutem baptiſmi, non dicimus illud non ſufficere ad ſalutem, ſed hoc etiam ſacramentum Dei miſericordia præparatum poſt baptiſmum pugnaturis.

& confirmationis ab effectu.

Iuxta hęc etiam explicanda eſt myſtica ſignificatio huius Sacramenti, & ea populis proponẽda frequenter. Significãt enim ſacramenta omnia Chriſti quod efficiunt, & efficiũt quod ſignificant. Igitur oleum pinguedinem deuotionis, lucem fidei: balſamum verò optimi odoris exempla ſanctitatis vitæ ſignificat: ad quæ omnia per hoc Sacramentum virtus datur. Verba etiam ipſa Sacramentalia, vt b. Thomas inquit ſuprà citato loco, duo ſignificant: Conſignationem ſcilicet cruce, quæ eſt quaſi traditio, vt ille inquit, vexilli regis noſtri & ſigni militaris: deinde eius confirmationem & robur Spiritus ſancti.

Myſticæ ſignificatio confirmationis.

Ex quibus etiam ſacramentũ characterem imprimere ſequitur: quod b. Thomas ſupradicta q. art. 5. aſſerit, & eadem ratione probatur, qua de baptiſmo hoc oſtẽſum eſt. Datur enim ſpiritualis quædam poteſtas aggrediendi vniuerſa Chriſtiana opera, & ipſum martyrium. Et ſicut in baptiſmo datur poteſtas quædam paſsiua, hoc eſt, facultas recipiendi ſacramenta, ita in hoc datur poteſtas actiua ad agenda quæ diximus, & ad ea quodammodo conſecratur homo: quare & iterari non poteſt, & indelebilis eſt character ille, iuxta ea quę de baptiſmo dicta ſunt. Quòd etiam, ſi rem expẽdamus, poteſtas hęc quę datur & robur manifeſta ſunt, nomen characteris ſatis indicat: maximè ſi cõſideremus quod de charactere militari Auguſtinus dicit: quod tanquã Eccleſiaſticam doctrinam auctoritas Eugenij papæ & Concilij illius Florentini ſuſcipere cogit. Ibi enim ſic dicitur: Inter hæc ſacramenta tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quę characterem

Confirmatio imprimit characterem, atque ideo repetenda non eſt.

racterem, id est, spirituale quoddam signum à ceteris distinctiuum imprimunt in anima indelebile: vnde in eadem persona nō iterantur. Hæc est Ecclesiæ doctrina. Si quis ex verbo Augustini, quod proxima lectione citatum est à Caluino, contendat ipsum putasse iterari posse hoc sacramentum, dixímus fortè Augustinum de hoc non intellexisse sacramento: quod si intellexit, non est mirum si in hac re aliter iudicauerit Ecclesia. Nec enim singula quæ circa hoc sacramentum sunt, æquè manifesta sunt in Ecclesia.

Solus Episcopus est confirmationis minister.

De ministro verò huius sacramenti constat ex pluribus suprà citatis auctoritatibus, præcipuè Innocentij, Melchiadis & Clementis, esse solum Episcopum: id quod auctoritate illa actuum 8. probant & 19. Quod etiam confirmat Gregorius in epistola quadam, quæ habetur 95. dist. cap. Peruenit. Quanquam ibi permittat hoc in absentia Episcoporum propter scandalum sacerdotibus simplicibus: hæc tamen tanti pontificis dispensatio nec trahenda est in exemplum, nec facilè improbanda. Certè alij, & plures quidem aliter egerunt, idque receptum est magis in Ecclesia. Nec in his, quæ non tam certò constituta sunt, debent pij offendi, quasi ideo minus cōstet nostra religio secuti sunt quod dictum est. Quòd Gregorius putauit in illo casu se posse dispensare, credendum est Deo non fuisse ingratum. Ceterùm sequi debemus quod magis regulare est. Vnde Eugenius in Concilio Florentino in doctrina illa Armenijs tradita circa sacramenta, de hoc articulo hoc tantùm dicit, quod legitur per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili & vrgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per Episcopū confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum, quo loco vide cetera, quæ de materia & forma, ministro & effectu huius sacramenti dicta sunt, auctoritate Ecclesiæ esse confirmata. Nec in hac materia omnium æqualis certitudo nobis quærenda est. Veritatem huius sacramenti, materiam videlicet & formam, quod ad essentialia attinet, habemus fide dignis testimonijs esse ex consensu Ecclesiæ. De ministro verò, quod specialiter quandoque factum est, sicut & alia quæ inquiri possunt, melius est relinquere Deo & Ecclesiæ, si quando illa videat opus esse ampliori explicatione, & eam legitima auctoritate ac debita inquisitione tradidit.

Omnis baptizatus siue adultus siue infans con-

Quis verò sit capax huius sacramēti ex suprà dictis deducitur. Omnis videlicet baptizatus, etiam infans, vt b. Thom inquit. Quare ne pueris quidem aut infantibus est denegandum hoc sacramen-

sacramentū. Imò addit b. Tho. dist. 7. 4. vbi de hoc sacramento à magistro & ceteris agitur, debere cōferri pueris, idque satius esse & vtilius, quia videlicet nō possunt obicem opponere gratiæ huius sacramenti, & ideo certius eam suscipiunt, qua postea conuenienti tempore vtentur. Et quanquam hoc sacramento armentur militaturi sub Christo, hæc militia neque sexus neque ætatis discrimen nouit. Vicerunt pueri & puellæ, & celeberrima martyria tulerunt pro Christo. Et vt hoc etiam, quod inter ritus sacramenti huius dicendum erat, non prætermittamus, mos antiquæ Ecclesiæ hic fuit, vt statim post baptismum traderetur hoc sacramentū, & coniungerentur hæc duo, quorum alterum inchoatio, alterum perfectio est. Id apertè patet in Ambrosio suprà dictis locis, & omnis antiquitas idem ostendit, vt patet quoque apud Rabanum lib. 1. de institut. Clerico. quod etiam tenet & probat Thomas VValdensis, qui primus de his omnibus contra errores Bohemorum & disputauit, & omnia ferè antiquitatis testimonia collegit, maximè in duobus libris de sacramentis & sacramentalibus, in quorum secundo cap. 55. & 56. de hoc sacramento scribit.

firmari po test. *Art. 6. & 8 prædictæ q. q. 3. art. 2.* *Cap. 30.*

Nunc de dispositione & præparatione animi suscipientis hoc sacramentū non est prætermittendum, quanquā hoc sit cōmune huic cū ceteris sacramentis. Tenetur enim suscipiens, si adultus est, ita accedere, vt impedimentū non opponat gratiæ spiritus sancti. Quare nō contritus tātùm de peccatis, si post baptismum aliqua commisit, sed etiam confessus præcipitur accedere: imò & ieiunus in concilio Aurelianensi cap. 3. vt Gratianus citat de consec. dist. 5, ca. Vt ieiuni. quanquā inter impressa concilia hoc non habeatur. Et de ieiunio quidem, vsu constat abrogatum esse: de confessione tamen est omnino tenendum ratione hac potissimum, quam b. Tho. suprà dicto loco adfert: quoniam confirmatio ex se requirit proculdubio præcedentē gratiam sacramentalem: non enim confirmari potest quod actu nō est. Itaq; amissa per peccatum gratia baptismatis, nec per pœnitentiā recuperata, indignè sumitur hoc sacramentum & sacrilegè. Igitur suscepturi sacramentū hoc exhortandi sunt primò, si adulti sunt, ad munditiam conscientiæ & puram præmittendam confessionem, deinde ad desiderium augmenti gratiæ & plenitudinem illam spiritus sancti: quod agendum est cum eis ostensis effectibus sacramenti, & orationibus & ritibus Ecclesiæ quæ circa hoc sacramentum seruari & adhiberi solent.

Qua animæ præparatione adulti accedere debeant ad confirmationem.

De ministro etiā, Episcopo nimirū, in concilio Meldensi, vt

Quāta ra

uerentia Episcopus hoc sacramentū cōferre debeat.

Gratianus citat de cōsecrat. dist. 5. cap. vt Episcopis, præcipitur, vt ieiunus etiam illud conferat casu necessitatis cessante. Quod quanquā vbi nō est in vsu non sit admodum curandum, ostendit tamen quāta deuotione & reuerentia sit tradendum, sicut & susciendū hoc sacramentum: ita vt quod de ministris aliorū sacramentorum dictum est, de hoc etiā sit intelligendum. Peccant enim si non sanctè sanctatractent.

Quanta sit huius sacramenti necessitas.

De necessitate denique huius sacramenti non est tacendum, quæ non est proculdubio tanta, quanta baptismi (cùm ille remedium sit sufficiens ad salutem) est tamen necessitas præcepti, quod satis ex testimonijs suprà citatis, Clementis & Melchiad. patet. Vbi considerandum, Melchiadem asserere morituris nō esse necessarium, sed pugnaturis tantùm. Quod tamen proculdubio intelligēdum est si oportunitas desit: nam si adest, morituris tradendum est, vt b. Thomas ex Hugone de S. Victore suprà dictis locis asserit. Est tamen nonnihil dubij, an sit ita præceptum hoc sacramentum, vt sola omissio, præter contemptum tamen, reum faciat. Certum quidem est, quòd si ex contemptu omittatur esse peccatum, ceterum sine contemptu multi putāt non esse. Nos tamen credimus cōtrarium magis consentaneū auctoritatibus patrum, & dignitati ipsius sacramenti. Dicunt sine illo neminem esse perfectum Christianum, nec inter perfectos sedem habere posse (inquit Clemēs) si voluntas & nō necessitas excludat. Volūtaria verò omissio eius quod necessariū est ad perfectionem Christiani & gratiæ, non video quomodo non sit mortalis. Quare & de nimia dilatione huius sacramēti, & de omissione exhortādi sunt fideles omnes ad pœnitentiā.

Ritus & cæremonia cōfirmationis.

Vltimò deniq; de ritu atq; cæremonijs, quæ circa hoc sacramentū seruat Ecclesia, id tātùm satis sit dicere, quòd ritus huius sacramenti proculdubio ab Apostolis habetur magna ex parte, & per manus cōstat à principio vsq; ad nos deriuatū: quidquid videlicet fit circa consecrationē vnguēti, de qua Dionys. 4. & 5. cap. de Eccles. Hierarc. refert ferè quę hodie seruātur. Igitur, vt b. Tho. art. 12. prædictę quęst. inquit, nō dubitandū est à spiritu sancto esse quidquid circa hoc fit in Ecclesia, sicut etiam illud est, quod tenēdus est ab alijs qui cōfirmatur, tanquā scilicet' infirmus & nōdū adult' in Christo, vt b. Tho. inquit art. 10. eiusdē quęst. vnde & cōtrahitur spiritualis cognatio, sicut in baptismo. Quę omnia, vt diximus de ritib' baptismi, diligēter exponēda sunt populo, & frequēter admonēdi ex illis de puritate & sanctitate vitę, ad quā tenētur ex horū Sacramentorū susceptione.

DE

DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

LECTIO PRIMA.

QVIA, vt ex suprà dictis patet, Sacramentum Eucharistię tertium locum obtinet generatione & vsu tanquam alimentum, vt cibus in vita corporea, de eo nunc agendum.

Sacramẽti Eucharistiæ institutio.

Primò igitur omnium institutio huius Sacramenti manifestissimè à Mathæo 26. Marco 14. & Luca 22. & à Paulo 1. Corinth. 11. describitur facta in vltima illa cæna. Nec tum ibi Christus instituit quod postea fieret, sed etiam perfecit tunc hoc Sacramentum, & perficiendũ mandauit perpetuò Ecclesiæ. Et quia de verbis institutionis huius postea plura dicenda sunt, nunc satis sit, quòd ex illis apertè sequitur, hoc esse verum & proprium Ecclesiæ & legis gratiæ sacramentum. Sunt enim in eo sensibilia & exteriora signa, est significatio & operatio gratię, est Christi institutio: quæ omnia loca illa citata ostendunt. Nec tantum Sacramentum hoc est, & vnum, non plura, propter vnicam significationem & effectum, ad quæ diuersa illa signa sacramenti ordinãtur, sed & potissimum & excellentissimum esse inter omnia sacramenta ipsa ostendit institutio. Non enim in eo aliquid tantum virtutis Christi, vt in ceteris, sed totus ipse Christus continetur. Vnde in lege veteri pluribus figuris significatum & promissum fuit, & in lege noua pluribus etiam nominibus exprimitur: quæ omnia ostendunt immensam quandam huius Sacramenti excellentiam, de qua re breuiter notentur sequentia.

Eucharistia est excellentissimũ Sacramentũ.

Inter omnes figuras veteris legis hoc sacramentum adumbrantes potissima est celebratio Paschatis.

Primum. Inter figuras omnes, veteris legis hoc sacramentũ adumbrantes, multas quidem & varias, immolatio illa phasę & celebratio paschatis potissima est, vt b. Thomas art. 6. q. 73. quæ tota est de his quæ nunc agimus, probat. Aliæ enim figuræ vel materiam respiciunt, vt panis & vinum Melchisedech: vel Christum ipsum contentũ & immolatum pro nobis, vt sacrificia omnia agnorum, vitulorum &c. vel certè effectum aliquem huius sacramenti in nobis, vt subcinericius panis Heliæ *scha-*

& manna. Ceterum in Phase illo omnia simul mysteria huius sacramenti præfigurata sunt: Ibi panis azimus, ibi agnus immaculatus, ibi redemptio à seruitute. Quare nostrum sacramentum propriè illi respondet & succedit, sicut baptismus circumcisioni. Ideo meritò cùm illud consummaretur hoc institutum est vt b. Thom. art. 5. citatæ quæst. 3. partis inquit. Præterea hoc cõueniebat, vt maximè commẽdaretur nobis hoc summum mysterium, & tunc traderetur Christus sub figuris absconditus, cùm secundum præsentiam corporalem absens erat futurus, vt ibidem beatus Thomas inquit.

Varia huius Sacramenti nomina.

Secundum. Propter excellentiam & magnitudinem huius Sacramenti sunt etiam diuersa eius nomina. Vocatur enim Eucharistia, quia Christum continet, & nos ipsi vnit: Synaxis vel communio, qua inuicem vnimur vt commembra: Viaticum, quia cibus est, quo in huius vitæ via sustentamur, & præcipuè cùm ex ea discessuri sumus ad Deum. Semper enim in Ecclesia hoc obseruatum fuit, vt non sine hoc Sacramento ex hac vita discederent fideles. Dicitur & Sacrificium, quia Christum continet vt pro nobis oblatum in cruce, ideoque mentio fit & consecratio sanguinis pro nobis effusi, & quia reuera datum est Ecclesiæ, vt offerat DEO in Sacrificium debitæ seruitutis, de quo postea. Augustinus etiam libro 2. de peccatorum merit: & remiss. in Punicis Ecclesijs dicit vocatum esse vitã, idque proprijssimè. Ipse etiam libro 2. de doctrina Christiana vocat Sacramentum celebrationis corporis & sanguinis. Vocatur & à Græcis nonnunquam Metalepsis, hoc est, assumptio. Quibus omnibus nominibus conantur omnes explicare huius sacramenti excellentiam, quæ tanta est, vt nec satis illis omnibus explicetur. Nam quod assumptionem vocant & transformationem, & ad mysterium ipsum quod continet, Christum scilicet incarnatum, vbi & homo est in DEVM formatus, & Deus in hominem sine vlla confusione naturæ: & ad effectum, quo nos in DEVM transformat, referunt: & ita cetera omnia nomina admirabilem quandam dignitatem & gratiam huius Sacramenti præ se ferunt, vnde quadam antonomasia dictum est Eucharistia. Necessitatem etiam vsumque indicant alia nomina, vt Viaticum & Communio &c. Illud verò & obseruandum & cauendum, quòd ab hæreticis nunc solum appellatur Cæna dominica, quod nomen & habet studium quoddam nouitatis, & præter hoc non minimè deceptionis. Primò enim, quod maximum est, volunt hoc nomine intelligi hoc sacramen-

Hæretici hoc Sacramentũ appellãt cænã dominicã, sed dolosè.

mentum non nisi in ipsa sumptione & manducatione perfici, vnde multa absurdè illi mutârunt, de quibus postea. Secundò etiam hoc nomine detrahitur illi consuetudini totius Ecclesiæ, qua non nisi à ieiunis, & tertia aut sexta hora hoc sacramentum celebratur. Ab hoc igitur nomine vel omnino abstinendum, vt cùm hæreticis nec nomina habeamus communia, vt Hieronymus inquit, vel modicè & sobriè eo vtendum, vt scilicet nec in sola sumptione perfici, nec quoties sumendum est consecrandam esse asseramus.

Quantũ differat hoc sacramentum à ceteris.

Tertium etiam ex ipsa institutione sequitur, quanta differentia sit huius sacramenti à ceteris. Primò igitur cetera sacramenta perficiuntur in vsu & applicatione materiæ ad suscipientem, qui exprimitur verbis formæ: hoc verò perficitur in consecratione materiæ, quæ pariter significatur verbis ipsius. Ex quo etiam secundum efficitur, vt cetera sacramenta omnem suum effectum habeant in suscipiente, hoc verò primum effectum habet in ipsa materia. Vbi etiam termini, quibus vtuntur doctores, seruandi sunt, qui à Magistro & ceteris ex sententijs Prosperi, quas ille ex Augustino collegit, sumuntur. Distinguunt enim duos Sacramentorum effectus: Proximum videlicet & primum, in quo non sistit operatio sacramentalis: & vltimum, gratiam scilicet ipsam sacramentalem. Primum vocant rem & Sacramentum, secũdum rem tantùm. Quoniam primus ille effectus significatur sacramento visibili, respectu cuius est res: sed ipsa ordinatur ad vlteriorem alium effectum, propter quem videlicet institutum est sacramentum, qui meritò res tantùm dicitur, quia non ad alium vlterius ordinatur, cui in altero extremo opponitur Sacramentum tantùm, signa videlicet ipsa efficacia, vt dictum est in baptismo. Itaque Sacramentum tantùm, ablutio est: res & sacramẽtum, hoc est, primus effectus est character siue potestas illa recipiendorum sacramentorum, & cõsignatio in familiam Christi: gratia verò plenæ remissionis peccatorum est: res tãtùm & vltimus effectus. Hic igitur sacramentum tantùm exteriora signa sunt: res & sacramentum, siue primum quod efficitur corpus Christi est ibi contentum ante omnem vsum & sumptione: vltimus verò effectus, siue res tãtùm vnio est corporis Christi quæ fit per gratiam, & hoc duntaxat in suscipiente. Ex quo tandem fit, vt in hoc sacramento non tantùm illa pars materiæ consecretur, quæ in vsum venit, vel tunc dũtaxat sacra sit, cùm ea vtimur, sicut in omnibus alijs sacramentis, sed tota proculdubio materia circa quam profe-

runtur verba, & toto tempore quo id manet quod consecratum est, ad sacramentum pertinet, & sacramentum est. Vbi deprehenditur hæreticorum recentiorum error, de quo inferius plura, qui non putant hoc sacramentum esse, aut aliquid sanctitatis continere, nisi cùm sumitur. Et hæ quidem differentiæ, vt inferius patebit, ex vsu ipso Ecclesiæ simul cum institutione Christi apertè sequuntur.

LECTIO SECVNDA.

De *materia & forma huius Sacramenti.*

IAM igitur præfixo ordine sequamur cuncta quæ pertinent ad hoc Sacramentum. Primum verò est materia & forma, res scilicet exterior siue elementum, & verba huius sacramenti.

Materia Eucharistiæ panis triticeus et vinũ vitis.

De materia igitur ex supra dictis Euangelistarum verbis apertè patet, quòd sit panis & vinum, idque præter alias rationes, quæ ad alios pertinent articulos, hac potissimum ratione, quòd hæc duo sunt, quibus communiter homines ad refectionem vtuntur: suntque maximè ad eam necessaria, & quæ certè facilè possunt vbique haberi, sicut aqua, qua communiter ad ablutionem vtimur, materia est baptismi. Vbi circa singula horum notandum. Primò de pane, quòd proculdubio ad veritatem Sacramenti huius panis triticeus necessarius est, ita videlicet tota Ecclesia semper intelligente, quòd panem quo communiter vtuntur homines, Christus in vltima illa cæna sumpserit in manus, atque ita illum instituit materiam huius sacramenti, ipsum consecrans. Quo certissimum fit, ex nulla alia materia panem confectum sufficere ad veritatem huius sacramenti, vt beatus Thomas inquit, & omnes, dist. 8. quarti. In quo, sicut in præcedentibus sacramentis diximus, tenenda sunt certa, & relinquenda incerta. Vnde, quanquam sint diuersæ sententiæ doctorum de spelta, farre, at similagine, hoc primum est certum, vtetem materia dubia & incerta grauiter peccare, quocunque modo id fiat: siue scilicet ex natura & specie ipsa, siue ex corruptione dubium oriatur. Et ideo secundum etiam certum est, tutius in his casibus repeti sacramenta & perfici. Illud etiam est certius, oportere esse panem decoctum, & frustra

Ar. 3. 74. 1. Grauiter peccat qui in hoc sacramento vtitur materia dubia.

verti

verti in quæstionem de massa: & multò magis alienum esse, disputare an sit alterius speciei, an non. Siue enim panis species sit aliqua naturalis siue artificiatum aliquod, ille est materia huius sacramenti, quem homines panem vocãt: Panem (inquam) communis refectionis reuera ex tritico,

Ex quibus etiam de vino patet, non aliam speciem requirendam esse, quàm vt sit verum vinum vitis. Vnde acetum nullo modo materia est huius sacramenti, cùm tamen mustum etiam permittatur ab antiquis Canonibus exprimi & consecrari. Intelligunt enim reuera ibi esse speciem vini, quanquam nondũ plenè decocti. Ceterùm in aceto per corruptionem propriarum qualitatũ soluta est natura speciei. Notat verò beatus Thomas, non esse determinatam quantitatem, quæ sit de sacramenti necessitate, circa materiam præsertim, cùm nec determinatus sit numerus potentium sumere. Nec certè obstat quòd in consecratione sanguinis dicatur, Calix, maximè cùm ibi secundum tropum sumatur calix pro contento in calice, quod est, Hic est sanguis meus. Hæc igitur dicta sunt quantum ad necessitatem sacramenti pertinet. De ritibus verò suo loco dicendum erit. *Supradicta q. art. 2.*

Forma verò huius sacramẽti, siue verbum, cuius virtute perficitur, illud procul dubio est, quo Christus dominus ipsum primò perfecit: id quod ex ipsis verbis Euangelij, & Pauli præcipuè colligitur, cùm iubet Christus discipulos facere quod ipse fecit, Hoc facite &c. Nec tamen discipulos tantùm, sed eorum successores quoque perpetuò in Ecclesia hoc facere iussit: donec veniat, inquit Paulus. Igitur meritò habet Ecclesiæ sensus, illa verba esse necessaria ad integritatem huius sacramẽti, quibus significatur perfectè consecratio materiæ: illa verò, quibus significatur vsus, proferenda quidem sunt, non tamen vt necessaria. Igitur consecrationis panis forma necessaria tantum illa verba sunt, Hoc est enim corpus meum. quanquam particula, enim, non vt necessaria consecrationi, sed ex præcepto addenda sit: quia illa vtitur tota Ecclesia: etsi non legatur in scriptura, quod de alijs quoque verbis postea ostendetur. Quanquã enim sine illa integer sit sensus: tenemur tamen in re tam graui nec iota præterire eorum quæ Ecclesia nobis tradit. Nam etiam si non animo nouum inducendi ritum, quod est grauissimũ schisma, sed quacunque demùm ratione fiat, non est parui faciendum. De quo diximus cùm in communi loqueremur de sacramentis, Ceterùm verba hæc: accipite & manducate: nullo modo dicenda sunt ad formam pertinere. Sequeretur enim *Forma cõsecrationis panis.*

non debere consecrari hoc sacramentum, nisi traderetur: debet enim effici quod significatur in sacramentis. Quare Lutherani, qui hunc nouum ritum & alienum in Ecclesiam introducunt, vt in traditione consecretur, hoc maximà amplectuntur, dicentes hæc omnia à Christo prolata esse. Catholicus verò Ecclesiæ sensus est, his verbis, accipite &c. præceptum fuisse vsum & manducationem consecrati iam corporis Christi: Ceterum cõsecrationem verbis eam significãtibus peractam, quę Christus Dominus protulisse traditur, non quidẽ antea vel postea quàm tradidit sed inter tradendum: cùm scilicet teneret panem in manibus: Ita vt, sicut b. Thom. diligenter notat, verba illa non eo ordine sint accipienda, quo ab Euangelistis descripta sunt, sed ita, vt intelligamus tunc hæc verba, videlicet: Hoc est corpus meum. Christum protulisse, cùm benediceret, postea verò tradidisse. Vnde solis his verbis non dubitandum est confici hoc sacramentum, etiam si nihil præcedentium addatur, & significationem compleri eorum ex intentione proferentis: quæ omnia eo art. diligentissimè b. Thom. docet. Et hoc modo intelligendi sunt catholici omnes: quia nonnulli videntur sentire illa verba. Accipite &c. pertinere ad formam. Intelligatur ergo secundum ritum & statutum Ecclesiæ dicenda esse omnia. Verum illa, Accipite & manducate &c. vel bibite &c. vt à Christo dicta referuntur, quasi materialiter non vt sacramenti pars, sed Euangelicæ historiæ: alia verò quæ ibi dicuntur, verissima sunt forma, id quod satis ostendit, quòd accipite & manducate, non ita dicuntur, vt simul efficiatur quod dicitur: non enim datur vt accipiatur tunc, nec minus consecratur etiam si nunquam postea daretur. Igitur respiciunt quidem hæc verba illud, sed vt vsum, & aliquid posterius consecratione.

Art. 1. 78. q.

De forma consecrationis sanguinis.

Circa verba verò consecrationis sanguinis illud etiam considerandũ est, quod quanquã disputatur à quibusdam & in dubiũ vertatur, aut asseratur etiam sufficere duntaxat priora verba, videlicet: hic est calix sanguinis mei, tuta tamen & certa sententia est, omnia vsque, in remissionem peccatorum, esse necessaria verba consecrationis sanguinis. Id quod ipsa Ecclesiæ consuetudo ostendit, quæ & apud Græcos, & apud Latinos semper obtinuit, vt omnia illa verba, aut certè similia proferantur eodẽ modo & ritu. Et quanquam non hæc omnia apud Euangelistas legamus, quoniam illi non tradiderunt formas sacramentorum, quas (vt inquit b. Dionysius de Ecclesiast. Hierarchia) in primitiua Ecclesia oportebat absconditas reseruari, ne irriderentur ab infi-

ab infidelibus: tamen non dubitamus illa omnia verba tradita ab Apostolis Ecclesiæ, quæ etiam ex alijs locis Euangelij colligi possunt. Quæ omnia Innocentius tertius ita definit in cap. cùm Marthæ. de celebratione missæ. Ratio verò satis conueniens, & quæ sufficere debet, quare tanta sunt addita in consecratione sanguinis, est, quam b. Tho. art. 3. q. 78. in solutione ad secundum & septimum argumentum affert. Quoniam cùm sanguis consecretur ad expressiorem significationem passionis Christi, meritò debet fieri mentio expressior & effusionis ipsius sanguinis & fructus eius. Quāquam igitur Christus dominus (vt Paulus inquit) dixerit in cōsecratione corporis: quòd pro vobis tradetur, illud tamen Ecclesia ab Apostolis edocta non accepit vt formæ partem. Ecclesia inquā vniuersalis: quāquam fortè in aliqua Ecclesia fuerit ita seruata. Ceterum in cōsecratione sanguinis tota semper Ecclesia hæc verba habuit ad expressius, vt diximus, significandam passionem Christi. Quę b. Thom. supradicto loco diligentius declarat inter soluenda argumenta, & sunt diligenter intelligenda à ministris huius sacramenti. Duo igitur significant præter conuersionem vini in sanguinem. Primum effusionem ipsius sanguinis, cùm dicitur: qui pro vobis & pro multis effundetur. vbi pro vobis, Iudæos videtur respicere, vel ipsos præsentes Christi discipulos: multis verò, quòd dicitur, respicit reliquos omnes ad finem sęculi. Pro vobis igitur, vel Iudæis vel credentibus: & pro multis, credituris omnibus. Consonant itaque hæc verba illis in Ioanne. Quia moriturus erat non tantùm pro gente, sed vt filios Dei qui dispersi erant congregaret. In reliquis significatur effectus fructusque sanguinis Christi effusi pro nobis, qui tres præcipuè sunt. Cōsecutio videlicet cælestis hæreditatis & beatitudinis, quæ significatur illis verbis: noui & æterni testamenti. Testamentum enim propriè est dispositio de hęreditate, quę quidem dispositio non aliud est, quàm diuinæ promissiones Euangelicæ, quæ sanguine Christi effusi confirmatæ & roboratæ sunt: morte videlicet (vt Paulus inquit) testatoris. Nouum verò est hoc testamentum respectu veteris, quia nouis hominibus de nouo manifestatum est. Aeternum verò, ordinatione & consilio diuino & duratione. Est itaque sensus. Hic sanguis est, quo noua illa dispositio Dei & promissio, qua ad cælestem hæreditatem admittendi sunt homines, confirmatur, fitque rata, & vt ita dicamus, irreuocabilis. Quę quidem dispositio æterna est, & antiquior figuris veteris testamenti, sed explicatione

Verba consecrationis Calicis exponuntur.

Cap. II.

1.

& manifestatione noua. Secundus effectus est ipsa iustificatio, quæ per fidem Christi est, & præcedit proculdubio priorem illum effectum, & hic significatur cùm dicitur: Mysteriũ fidei, quod est, hic sanguis, hæc eius effusio, hoc testamentum, mysterium est, hoc est, absconditum & secretum, quod fide agnoscitur, & fide manifestatur: mysterium etiam fidei est hic sanguis, hoc est, iustificatio ipsa hominis, quæ fide illa, quæ per dilectionem operatur, percipitur: Nam, vt Paulus inquit, Iustitia Dei ex fide Iesu Christi in omnes & super omnes. Vltimus denique effectus remissio peccatorum est, qui duos etiam illos præcedit. Habemus enim, inquit Paulus, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, habemus (inquit) fiduciam de remissione peccatorum, habemus & institutionem, habemus denique ius hæreditatis. Nec dubitandum est hæc omnia specialiter in nobis hoc sacramẽtum efficere, cùm participes eius efficimur.

Rom. 3. 3.

LECTIO TERTIA.

De vera significatione horum verborum, & effectu: in qua maximè probatur veritas corporis domini in Sacramento patrum testimonio.

QVAE sit verborum horum omnium plena & integra significatio: Hoc est corpus meum, & hic est calix &c. simul & effectus illorum, nunc agendum est. Cùm enim, vt suprà diximus, verba sacramentorum id efficiant quod significant: simul de effectu & significatione, quæ idem sunt, meritò dicendũ est.

Duo igitur sunt, quæ Ecclesia circa hoc certissima habet. Primum, his verbis significari veram præsentiam carnis Christi & sanguinis, atque adeò totius ipsius Christi. Alterum, significari etiam, non esse ibi substantiam panis vel vini, atque ideo duo ista effici credit vera fides, vt scilicet corpus Christi sit præsens veraciter & substantialiter, panis verò substantia nullo modo. Et quia hæc certissima fides hoc maximè tempore ab hæreticis impugnatur, peruertitur, & blasphematur, ab alijs quidem aperte, ab alijs verò occultius & dolosius: est à Catholicis dili-

gen-

genter confirmanda. Tria itaque postulat hic articulus. Primũ, quæ sit fides certissima Ecclesiæ de veritate corporis Christi in hoc Sacramento. Secũdum, quis modus & ratio illius, & quantum cognosci possit. Tertium denique, quæ ratio loquendi, & quæ verba, quibus hoc explicari debet. Quæ omnia diligenter tradita sunt à patribus, & à posterioribus doctoribus diligentius expensa, maximè post exortas hæreses.

De primo igitur, quoniã Ecclesia apertè intelligit ex verbis Christi in institutione huius sacramenti, & eiusdem apud Ioannem, 6. cap. & Pauli 1. ad Corint. in hoc sacramento realiter & veraciter, & non sicut in signo tantùm esse corpus & sanguinem Christi, & quoniam agitur de vero horum verborum sensu, quem hæretici peruertunt dicentes secundum tropum, quo signum pro signato solet accipi, hæc accipienda esse, Hoc est corpus meum &c. (quorum primus Berengarius fuit, & post ip sum alij, vsque ad modernos, Oecolampadium, Zuinglium, & magnam partem omnium præsentium hæreticorum) contra eos agendum est ex auctoritatibus & sensu communi Patrum. Sic enim docet Augustinus 3. de doctrina Christiana, sensum scripturæ ambiguum, etsi ex circumstantia præcedentium & sequentium colligi posset, maximè tamen ex regulis fidei sumendum esse. Quare & hoc diligenter curárunt antiquiores doctores. Magister scilicet sententiarum dist. 10. & sequentibus alijs, & Gratianus de consecratione dist. 2. & nunc posteriores alij. De hoc ergo vt certissimum habeatur, omnem Ecclesiam ab Apostolis vsque nunc, ita veritatem huius Sacramenti tenuisse, & docuisse: vt quàm primum aliquis aliter docuisse fuerit deprehensus, mox ipsum damnauerit. Itaq; nõ verbis tantùm, sed re ipsa etiam constare, hãc semper fuisse veram fidem Ecclesiæ. Deducit hoc latius Ioannes Roffensis Episcopus magnæ pietatis Anglus, & glorioſus nostri temporis martyr, in libris 5. quos de hoc ædidit contra Oecolampadiũ, maximè in proœmijs trium posteriorum librorũ. Vbi adfert corroborationes fidei huius dignas spiritu martyris. Sed quod attinet ad hoc propositum, refert ille multorum, & omnium ferè doctrina insignium in Ecclesia ab Apostolis vsque ad nos, quos in quinq; tricenarios annorum diuidit, sententiã. Qui omnes manifestissimè hoc tenent & docent. Nobis verò satis sit quod cuiq; Catholico sufficere debet, quinq; aut sex omni exceptione maiorũ testimonia adferre, quib⁹ fidẽ quilibet Catholicus, & certè quilibet prudens potius tribuat, q̃ Luthero & suis om-

Cap. 10. & 11.

Ambrosius. omnibus. Igitur primus sit Ambrosius, qui de hac re apertissimè loquens & frequentissimè hanc fidem inculcans, nullo dolo hæreticorum potest obscurari, in omnibus ferè libris suis de sacramentis, lib. de his qui initiantur mysteriis, cap. 9. & 4. de sacramentis. cap. 4. & 5. & tribus capitibus, 5. lib. & libro 6. 1. cap. vbi frequenter affirmat verum corpus Christi sumi in hoc Sacramento, sicut verum ex virgine assumptum est, & hoc certissima fide tenendum: & rursum, ante consecrationem panem ibi esse, & post consecrationem ex pane fieri carnem Christi. Id quod ex ipso verbo Christi probat, quod & efficax & verum ita est, vt nulla ratione de eo dubitandum sit. Negârunt nonnulli hæretici libros hos esse Ambrosij, sed certè & phrasis & spiritus per omnia consonat ceteris libris Ambrosij. Secundus testis sit Chrysostomus in multis quidem locis, sed præcipuè Homelia 60. & sequenti ad populum, quarum titulus est de sumentibus indignè sancta mysteria. Vbi de hac fide loquens: parcamus, inquit, Deo, neque contradicamus, licet vel cogitationibus vel oculis nostris videatur aduersari quod dicitur. Ipsius, inquit, sermo infallibilis est, sensus noster facilè seducitur, quoniam igitur verbum dicit, Hoc est corpus meum. oculis ipsum fidei aspiciatur. Multa denique ibi in hanc sententiam. Et Homelia 44. & 45. super Ioannem, in expositione sexti capitis. Vbi apertè exponit quædam ibi dici de Christo secundum diuinitatem, videlicet, Ego sum panis viuus qui de cælo descendi. Alia de eo vt in hoc sacramento est: Panis quem ego dabo caro mea est, quam dabo pro mundi vita. August. etiam in præfatione Psalmi 33. in prima & secunda concione, exponens titulū Psalmi, & quod 1. Regum 21. de Dauide scriptum est, quod portabatur in manibus, siue, vt ille legit, ferebat se in manibus: dicit homini illud impossibile fuisse, soli verò Christo conuenire: ferebatur enim, inquit, ille in manibus suis quādo commendans corpus suum dicebat, Hoc est corpus meum, quod nôrūt, inquit, fideles. Cyrillus etiam lib. 4. super Ioānem 13. & 14. cap. de veritate carnis Christi in hoc sacramento, fructuque eius, & charitate Christi hæc nobis donante, apertissimè loquitur. Vnde & in Concilio Ephesino cōtra Nestorium, auctoritate quidem pontificis, sed ipso Cyrillo maximè agente congregato, nondum exorto errore aliquo contra veritatem huius sacramenti, sed tantum contra vnitatem personæ Christi, quem Nestorius dicebat duos fuisse, alium Deum, alium hominem, gratia coniunctos: in epistola quam scribunt ad Nesto-

Chrysostomus.

Augustin⁹.

Cyrillus.

Concilium Ephesinū.

storium Patres, apertè testantur in altari nos sumere non carnem aliquam communem, aut puri hominis: sed veram verbi ipsius carnem, quam de virgine traxit. Vbi magis videntur ex certissima ista fide veritatis corporis Christi arguere errorem Nestorij, quàm hoc confirmare quasi in dubium reuocatum. Denique ex Græcis Theophilactus in expositione 6. cap. Ioannis, & aliorum locorum Euangelij de institutione sacramenti apertissimè hoc docet, & Damascen. vnus ex Græcis veteribus lib. 4. de orthodoxa fide cap. 14. Et ex Latinis Hilarius, magnæ existens auctoritatis, in libro 8. de Trinitate. Non tantùm asserit veritatem corporis Christi in hoc sacramento, sed ex illa arguit contra Arrianos negantes vnitatem naturæ substantialem inter patrem & filium, cùm per hoc sacramentum non tantum secundum voluntatem, inquit, sed substantialiter vniamur nos Christo, vbi diligenter admonet, negandum sensum nostrum, & verbis diuinis credendum. Et adductis illis verbis, Caro mea verè est cibus, de veritate, inquit, corporis & sanguinis eius nõ est relictus ambigendi locus, cum ipsius Domini professione, & fide nostra. Caro eius verè est & sanguis. Sufficiant hi tam fide digni testes, nam ceteri omnes, præcipuè antiquiores, non opus est vt sigillatim citentur, videlicet Dionysius Areopagita, Origenes, Hieronymus, Cyprian⁹, Ireneus, & ipsi primi Apostolorum discipuli, Ignatius & Clemens. Gregorius etiam Pontifex his posterior, quanquam & ipse antiquissimus: qui vbi de hoc sacramento loquuntur, idem quod suprà dicti apertissimè testantur. Dionysius quidem 3. cap. Eccle. Hierarch. Origenes Homilia 13. super Exodum. Hierony. ad Hedibiã q. 2. Cyprian. in expositione orationis dominicæ. Gregorius Homilia 22. in Euangelium videlicet Ioannis de resurrectione Domini, vna Sabbathi Maria Magdalenæ &c. apertè enim dicunt, Corpus Christi nos sumere veraciter. Vbi primò considerandum, quòd sensus hic germanior est magis proprius verborũ Christi, Hoc est Corpus meum, & hic est sanguis &c. Non est enim dubium magis propriè hæc exponi de vera realique existentia corporis Christi, quàm de figuratiua tãtùm. Iam quando nec certa fides, nec euidens ratio cogit impropriè scripturam exponi, non est cur improprias locutiones fingamus: idque maximè obseruandum vbi hist oricè aliquid describitur. Quare reprehenduntur qui paradisum terrestrem aut formationem mulieris referunt ad mysticos sensus. Sic itaq; in his verbis, in quibus Euãgelistę hist oriã describunt, & Christus Dominus simpliciter loquitur.

Theophilactus.
Damascenus.
Hilarius.
En quanta nubes testium.
Dionysius.
Origenes.
Hieronymus.
Cyprianus.
Gregorius.

Cùm

Cùm igitur dicunt hæretici ex scriptura non satis ostendi hanc realem præsentiam Christi: respõdemus illis, quòd multo minus ex scriptura ostenditur cõtrarium. Nec est certè in hoc sensu alia difficultas, quàm quòd iuxta illum, maximum quoddam & ineffabile miraculum ponimus, At verò nihil indecens, nihil non maximè conueniens Deo, nihil non dignum statu nouæ legis. Itaque in hoc credendo nihil aliud quàm ambiguitas quædam (similis illi Capharnaitarum, quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?) excogitari potest.

Idem etiam dicimus de verbis doctorum. Cùm enim de hoc sacramento loquuntur. Videntur nonnunquam minus apertè & distertè hanc realem præsentiã corporis Christi docere: quod nihil veræ fidei detrahit apud eos qui syncerè Ecclesiam sequuntur. Si enim, vt Roffensis prudenter adnotauit, Patres nõ scirent hanc esse certissimam fidem, si agnoscerent aut dubiũ aliquod circa hoc esse in Ecclesia, aut contrarium veritati esse, cùm maximum periculum imminere viderent simplicioribus: si hoc, inquam, crederent: debuerant admonere, vt ab hoc errore cauerent, qui certè maximus esset. Nunc autem cùm ita loquuntur, vt ex plano sensu & simplici suorum verborum realis illa præsentia Christi, atque vera, non figuratiua intelligatur, neque admonent populum aliter esse intelligendũ: nónne manifestant se hoc voluisse docere? Nec enim ipsis tantùm imputandum foret, si non diligenter auerterent ab errore populum, qui ex eorum verbis sequebatur, sed ipse Christus & spiritus sanctus minus visi essent curare suam Ecclesiam.

Expende pie lector hanc rationem.

Deinde quorsum opus erat tã frequẽti admonitione, vt renũciemus sensui nostro, & omni humanæ rationi, in hoc sacramẽto? Quid opus erat tam seriò agere ad corroborandam fidem, quãdoquidem, si sola figura est hic corporis Christi, nullũ erat miraculũ maius quàm in alijs sacramentis: Imò multo minus?

Huc etiam accedit quòd frequenter à patribus cũ hic locus tractatur, afferuntur exempla transmutationum ex scriptura, vt virgæ Moysi in colubrum, & similia: quòd item de efficacia & virtute diuini verbi tanta præfantur, vt videre est maximè apud Ambrosium libro de sacramentis. Si enim solùm vt in signo hic est Christus: nulla transmutatio, nulla opus est verbi efficacia cùm dicitur: Hoc est corpus meum.

Hæc itaque omnia, si rectè pensentur, iuncta scripturæ & patrum verbis, efficiunt apud veros fideles vt nullus relinquatur ambiguitati locus.

LECTIO

LECTIO QVARTA.

De eodem, in qua maximè respondetur sanctorum verbis quæ pro se adducunt Lutherani.

QVIA verò etiam patrum verba peruertunt hæretici, sicut & scripturas: nec desunt eis in sanctorum scriptis multa, quæ vel videantur sensum suum confirmare, vel quæ certè trahi possint ab eis: vnde & Augustini verba in Psalm. 98. Non hoc corpus quod videtis, māducaturi estis &c. & de verbis Domini: Corpus in quo resurrexit Christus in vno loco est, veritas eius vbique citant in magnam confirmationem suæ hæresis: quanquam autem à Magistro dist. 10. exposita sint, & à b. Thom. & ceteris: & nonnulla alia similia, aut fortè quæ apertiora videantur, ex Augustino habent, ne tamen offendamur eiusmodi verbis, considerandæ sunt sequentia.

Primum: auctoritates doctorum ad ea quæ fidei sunt confirmanda adducuntur à nobis, non quatenus sententiam suam aut sensum illi explicant: sed quatenus perhibent testimonium fidei Ecclesiæ, ostendentes videlicet quid à maiorum memoria acceperint, & quid indubitanter in Ecclesia susceptum retentumque fuerit: atque ita omnia quæ suprà diximus ex doctoribus, accipienda sunt: non enim referunt suas opiniones, sed certam fidem & indubitatam docent. Vnde quanquam auctoritates doctorum magis sint probabilia media in theologia, quàm certa & efficacia: sensus tamen Ecclesiæ, qui testimonio communi eorum probatur, est efficacissimum omnium medium, & vera resolutio fidei & theologiæ. Sic enim Augustinus nos docet frequenter. Vide 3. lib. de peccatorum meritis & remissione cap. 7. vbi cùm patrum testimonia adduxisset originale peccatum asserentium, tandem ita inquit: Hæc non ideo commemoraui, quòd disputatorum quorumlibet sententijs tanquam canonica auctoritate nitamur, sed vt appareat ab initio vsque ad præsens tempus, quo ista nouitas orta est, hoc de originali peccato apud Ecclesiæ fidem tanta constantia custoditum &c.

Hic vides quomodo à patrũ auctoritate argumentari liceat.

Quoniam verò hic sensus Ecclesiæ tam necessarius est, vt

In omni

in

dubio ad sensum Ecclesiæ necessariò cõfugiendum. Nota.

in omni dubio ad illum confugiendum sit, dicimus eum (Deo ita ordinante) nunquam obscurum fuisse aut ambiguum, sed vt lucernam supra montem positum non tantũ verbis, sed reipsa & opere illuxisse omnibus quos sua superbia nõ excæcauit. Nõ enim dubij erant Catholici doctores etiam ante Nicænũ concilium de æqualitate Filij cum Patre. vt Athanasius, Alexander & similes Pont. Ita de ceteris. Hoc ergo dogma de veritate corporis domini non ex ambiguis verbis doctorum à nobis habetur, sed ex ipsa perpetua successione Ecclesiæ, quod non minus ostenditur in damnatione contrariarum hæreseon, quàm in ipsa assertione veritatis. Constat enim totis mille annis ita prædicatam corporis Christi veritatem in sacramento, vt cùm primùm tempore Leonis 9. ante quingentos annos Berengarius Andegauensis archidiaconus cœpisset hoc negare, & tantùm tanquam in signo hic esse Christum asserere, summa diligentia mox damnatus fuerit. Congregato ab ipso Leone concilio Vercellensi, & (eo postea redeunte ad eandem hæresin) tribus alijs Concilijs (Turonensi videlicet ab Ildebrando coacto, & Romanis duobus, altero à Nicolao secundo, & altero à Gregorio septimo, ipso videlicet Ildebrãdo) damnatio illa confirmata est, & habetur reuocatio facta sub Nicolao secundo in cap. Ego Berengarius. de consecratione dist. 2. Scribentibus diligentissimè his temporibus contra hunc errorem Lanphranco Archiepiscopo Cantuarien si, & Guimando Auersano Archiepisco po, & Anselmo etiam, atque alijs viris doctissimis. Et quia hic error semel exortus semper aut occultius aut manifestius pullulauit, damnatus est etiam in Concilio Lateranensi ab Innocẽtio 3. vt habetur capite Firmiter. de summa Trinitate & fide Catholi. Rursum in Concilio Constantiensi, quod tantæ auctoritatis est, quantę & vtilitatis ad tam diuturnum extirpandum schisma. Inter ceteros enim errores VVicleph tres primi, qui ibi damnantur, sunt de hoc articulo, vt patet sessione 8. In Concilijs etiam modernioribus Florentino & Tridentino nostro rursum renouata est hæc damnatio.

Berẽgarius primus veritatẽ corporis Christi in Eucharistia negãs statim damnatus est.

Itaque cùm primis mille annis non appareat de hac re certatum esse, posterioribus verò quingentis videamus nunquam Ecclesiam tacuisse, nec cessasse ab impugnandis hæreticis hoc negantibus: re ipsa patet hanc fuisse semper Ecclesiæ doctrinam, & hoc intellexisse patres omnes. Quod quàm sit efficax argumentum ad confirmandam hanc fidem, audiamus ex Augustin. sententia. Sic enim aduersus Pelagianos in 3. lib. de pecca-

tor.

cor.merit.& remiſſ.cap.6.citato Hieronymo ad probandũ peccatum originale, ita loquitur: Hunc doctiſsimum virum ſi facilè interrogare poſſemus quàm multos vtriuſque linguæ diuinarũ ſcripturarum tractatores & Chriſtianarum diſputationum ſcriptores cõmemoraret, qui non aliud, ex quo Chriſti Eccleſia eſt conſtituta, ſenſerunt, nõ aliud à maioribus acceperunt, nõ aliud poſtea reliquerunt: ego quidem, quamuis longè pauciora egerim, nõ memini me aliud audiſſe à Chriſtianis qui vtrunq; teſtamentum recipiunt, non memini me aliud legiſſe apud eos quos de his rebus aliquid ſcribentes legere potui, qui canonicas ſcripturas ſequerentur. Vnde nobis hoc negotiũ repente emerſerit neſcio: hæc ille. Idem meritò Berengario illi dici tunc potuit, cùm modum illum exiſtendi tanquã in ſigno cœpiſſet excogitare. Idem etiam ijs qui nunc tam frequenter eius damnatam hæreſin exuſcitant multo rationabilius reſpondetur.

Tria in legẽdis patribus diligenter obſeruãda. Primum.

Quia igitur conſona doctrina patrum tantę auctoritatis eſt ad confirmandam fidem, ſecundo loco opus eſt de quibuſdam admonere, quæ in eis legendis obſeruanda ſunt, ne labamur & nos vt hęretici & ſimpliciores multi illos ſequentes labuntur. Multa quidem ſunt hæc, ſed nobis nunc tria occurrunt huic proposito conuenientia. Primum, quòd cum aut ſemper aut ferè veritas Catholica incedat inter duo extrema hæreticorum, non ſolùm patres, ſed & ipſa ſcriptura, cùm vnum extremum hęreſis arguunt, & in illud impugnandum toti intenti ſunt: videntur quandoque in alterum declinare: ita agente natura intellectus noſtri, quæ cum ſimul non poſsit multorum meminiſſe, quò magis vni intendit, eò aliorum magis obliuiſcitur: quod & data opera nonnunquam actum credimus, vt ſcilicet lectores abſtraherent ab omni quod poterat tardare eorum animos ne id quod agebant caperent. Sicut enim (vt verbi gratia dicimus) cùm verba illa adducimus, anima mea in manibus meis ſemper, quæ probant arbitrij libertatem, & illud, Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui: iam videtur neceſsitas gratiæ tolli: & rurſus, cùm aſſeritur neceſsitas gratiæ: Sine me nihil poteſtis facere, ipſius eſt velle & perficere, videtur negari lib. arb. Ita exemplo patere poteſt in hæreſi Arrij & Sabellij. Nam ſecunda orta eſt ex primæ condemnatione. Ita Pelagiana ex condemnatione Manicheæ, & ex verbis Auguſtini quæ contra Manicheos dixit, & aliorum patrum. Eodem modo nunc Lutherus fecit in his quæ contra Pelagianos dicta ſunt, præcipuè ab Auguſtino. Vnde & ipſe Auguſtin. legit & reſpondit his quæ Pelagius ex

ipso citabat ad negandam necessitatem gratiæ, vt patet in lib. de
Secundum. natura & gratia. Obseruandum secundò etiam est, non solùm cùm vnum extremum hæresis impugnatur, sed etiam cùm alia diuersa dogmata asseruntur, aut loca exponuntur scripturæ in alios sensus dicta: contingit patres ita loqui, vt videantur negare aut in dubium vertere id quod alibi certum esse docuerunt: vt in hoc ipso proposito & in loco supràdicto apertissimè videri potest. Nam illud verbum Christi: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, (quod nonnulli exponunt de hoc sacramento, sed non propriè nec germanè, vt contextus ostendit) cùm Augustinus exponeret de verbis Domini (oblitus quodammodo huius sacramenti de quo cùm intelligendus non esset ille locus, tunc non oportebat loqui) exposuit de præsentia spirituali per gratiam & veritatem, ac impletionem promissionum, atque continuum auxilium: Surrsum, inquit, est dominus, corpus in quo resurrexit in vno loco est, veritas vbique diffunditur: hæc dicit Augustinus. Ex quo clamant moderni hæretici eum negasse veritatem huius sacramenti, cuius fortè tunc
Tertium. nec meminit Augustinus, nec certè oportebat. Tertiò denique non est omittendum, quòd patres de his quæ citra controuersiam omnem suo tempore erant aut nihil, aut certè tam pauca locuti sunt, vt vix ex eorum scriptis possit agnosci certò doctrina & sensus Ecclesiæ, nec erat opus confirmare multis ea de quibus nullus dubitabat, nec oportebat pluribus ea declarari, quæ manifestissima erant. Itaque vix de eis loquuntur, nisi cùm ad alia explicanda aut confirmanda opus erat eorum exemplo vti, aut ex eis illa quæ in controuersiam veniebant confirmare. Inferius audiemus Augustinum de Sacramento ordinis loquentem solùm vt ex eo exemplum sumat ad confirmandum valere baptismum datum ab hæreticis: nec esse repetendum. Ita superius etiam vidimus eum de sacramento confirmationis locutum. Et reuera illa efficaciora sunt ad confirmandum quæ ita simpliciter dicta ab eis sunt, vt nec putauerint ea in dubium venire posse. Sic Augustinus ipse confirmat peccati originalis doctrinam ex verbis Cypriani, quæ loquitur de non differendo baptismum paruulorum per certos dies. Si igitur consideremus antiquas hæreses, constat nunquam primis illis quingentis annis circa cultum & sacramenta quidquam fuisse vocatum in controuersiam. Primæ enim illæ hæreses de Deo ipso & mysterio trinitatis & incarnationis fuerunt: inquirentibus alijs originem & principium mali, alijs vnitatem diuinam, alijs

vnionem

vnionem illam diuinæ & humanæ naturæ. Ceterum Sacramenta, diuinus cultus, & quæ ad mores pertinebant apud omnes citra controuersiam seruabantur, aut eodem modo, aut parum dissimili. Cœpit quidem quæstio illa de Baptismo hæreticorum moueri, sed ex ea patet, & ex his quæ contra Pelagianos Augustinus loquitur, ritus eosdem fuisse apud omnes, immo hos ipsos qui nunc seruantur. Itaque si hæc considerentur, non videbitur mirum si de his non apertissima reperiantur testimonia apud patres.

Patres aliquãdo præterquædã certa fidei mysteria noluerũt aperta scribere.

Sed illud etiam aduertendum, quædam ex intentione ab eis occultata fuisse, quòd scilicet nõ expediat omnia omnibus manifestari. Loquebantur nonnunquam communia Catechumenis & hæreticis etiam, quibus non erant committenda sacratiora mysteria: vnde fit vt videatur posterioribus eos non ea sensisse, quę proculdubio senserunt. August. de hac corporis Christi præsentia in Sacramento, in præfatione Psalmi 33. quem citauimus: fideles, ait, norunt quid contineatur: quod & alijs pluribus locis legimus ipsum dixisse. Dionysius etiam in princip. Eccles. Hierarch. idem annotauit fecisse Apostolos in mysterijs celebrandis & tradendis. Hæc igitur obseruanda in lectione patrum, vt scilicet ea quæ in expugnanda vna hæresi dixerunt, non statim interpretemur & trahamus in aliud extremum. Dicta enim sunt in quantum necessaria fuerunt ad illud impugnandum. Nam ita seipsum exponit August. Rursum, dicta de aliquo dogmate exempli gratia adducto, & cùm de illo non agitur, exponamus & intelligamus per ea quæ cùm ex professo & maiori attentione de eo dogmate loquuntur, dicta sunt. Similiter etiam idem attendamus, si quando non aperire sed occultare potius voluerunt mysteria. Ista si coniungamus dictis in proxima lectione, & si absque effectu & nimio in vnam sententiam fauore legamus Patres tam in hac materia, quàm in alijs: non erit difficile agnoscere quid senserint, vel certè non tribuere eis quod non senserunt. Igitur ita illis locis August. respondendum est. Psalmi videlicet 98. Non corpus quod videtis manducaturi estis. Prima enim hæresis statim sub ipsis initijs doctrinæ huius sacramenti exorta illa fuit, de qua Ioannis 6. Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? durus est hic sermo. Intelligebant enim illi carnaliter ore se esuros & dilaniaturos membra ipsa & carnem Christi. Cum igitur contra hoc extremum loquitur Christus, Verba (inquit) quę ego loquor, spiritus & vita sunt, id est, spiritualiter dicta sunt

Respondetur ad priorẽ locum ex Augustino adductum.

& intelligenda. Vnde statim in aliud extremum inciditur, vt videatur dici, spiritualiter & in figura tantùm manducandum carnem Christi. Augustinus enim in illo ipso loco super Ioannem tractatu 27. exponens illud, Caro non prodest quidquam, dicit, caro vt illi intellexerunt: carnem quippe suâ intellexerunt quomodo in cadauere laniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Quia igitur in illo Psalmo contra hunc tam crassum sensum loquitur, dicit, non corpus quod videtis manducaturi estis, sub hac scilicet forma. Nam in eo ipso loco (vt apertius videatur hæreticorum peruersitas) dixit hæc verba, De carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipsa carne hic ambulauit, ipsam carnem manducãdam ad salutem nobis dedit. Nemo autem, inquit, illam carnem manducet, nisi prius adorauerit: Vbi apertè & veritatem carnis Christi docet & adorationem, quam hodie pertinaciter hæretici negãt. Illud etiam quod hæretici magno cum applausu citant ex Epistola ad Bonifacium, scilicet 23. vbi inquit vocari hoc sacramentũ corpus Christi & sanguinem secundum quendam modum, nam sacramenta dixerat prius plerunque ipsarum rerum quarum sacramẽta sunt nomina accipere: Intelligamus vt exemplum positum esse extra propriam materiam & iuxta ea quæ in proprijs locis dixerat intelligendum. Et quod dicit, quodãmodo vocari corpus Christi sacramentum: ad ipsas species referamus, quæ secundum tropum nonnunquam dicuntur corpus Christi, vt inferius dicetur. Sacramentum itaque apud August. exteriores illæ res & signa dicuntur, quæ ibi sunt, primum, quidem panis & vinum, deinde verò accidentia eorum quæ reliqua manent. Hæc Augustinus verisimè dicit non esse corpus Christi, sed vocari tantùm secundum tropum quendam: & huc fortè pertinet quod aliquando dixit lib. contra Adamantum. Non dubitauit Dominus dicere: Hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui: non enim sunt illa signa corporis Christi quæ videntur ostendi cùm dicitur, Hoc, ceterùm substantiam ibi contentam corpus Christi esse non negauit Augustinus: quod alibi tam apertè confessus est. Et ita denique nihil ex Augustino vel ex alijs patribus adferre possunt, quod turbare debeat nos in solida hac fide constitutos, etiam si aliquando non intelligamus. Nec opus est vt nos semper iactemus de perfecto intellectu doctrinę Patrum, qui fortè nos latet: sed semper dicamus, quocunq; modo sit hoc intelligendum, tamen certi de doctrina Ecclesiæ nõ dubitamus nõ aliter sensisse orthodoxos patres, aut si senserunt, se correxisse,

Respondetur ad alterũ locum D. Augustini.

Nota quòd nõ oportet omnes omnia intelligere.

correxisse, si quidem in vera fide Ecclesię semper permāserunt.

Confirmata itaque fide hæc de veritate corporis Domini, expedit & probabiles illas rationes atque persuasiuas adferre, quibus ostenditur quàm hoc sit conueniens, vt Christus seipsum nobis relinqueret in hoc sacramento verè quidem sed occultè. Nam rationes hæ etsi non demonstrent vel efficaciter probēt, tamen non parum ædificant & mouent atque afficiunt voluntatem, & valde confirmant fidem. Adducit b. Thomas tres, ad quas pleræque omnes quæ adduci possent, sunt referendæ. *Rationib⁹ probabilibus ostenditur Christi ostendi præsentia. art.1.75.q.*

Prima sumitur ex perfectione status legis nouæ: conuenit enim vt perfectius multò & verius Christum, eius passionem & meritum habeamus sub lege gratiæ, quàm habuerunt Iudæi in lege veteri. Antiqui verò illi hæc omnia in signis & figuris habebant: cōuenit ergo vt nos in veritate & re habeamus. Possunt hæc latius deduci & confirmari, maximè Dionysij Areopagit. auctoritate, qui, vt à principio huius tractatus diximus, 5. cap. Eccles. Hierarchiæ docet verisimè quidem & propriè Ecclesiam mediam esse inter Synagogam & supernam Hierusalem, & ideo vtriusque participem. Itaque tanta meritò credenda est perfectio & altitudo Christianæ religionis, vt inter eam & beatitudinem non nisi minimus gradus sit. Habent igitur beati Christum Deum & hominem præsentem & manifestū (qui est supremus gradus diuinæ participationis) habemus verò nos Christum in hac vita præsentem quidem in re & veritate iuxta vtranque naturam, sed occultum, qui est proximus illi gradus, supra quem in vita maior esse non potest: auferretur enim fides si non in sacramento, sed facie videretur ad faciem: habuerunt verò antiquiores sub lege Christum in figura tantùm & in vmbra, de quo Paulus dixit, quòd eandem escam spiritalem manducauerint, & statim addit, omnia in figura contingebant illis, & hic est infimus gradus, nec certè extra hos alius inueniri potest, quod attinet ad rationem sacramentorum, signorum videlicet externorum: per fidem enim vtrisque eodem modo adfuit, quanquam & in ea maior est perfectio Christianorum. *Prima ratio.*

Secunda ratio sumitur ex perfectione charitatis Christi, cui cōuenit vt naturam quam ex nobis assumpsit nunquam subtraheret à nobis, sed quantum fieri posset per eam nobiscum esset: Deliciæ meæ sunt, inquit, esse cum filijs hominum. Hanc adducit Roffensis, vel extendit potius, sumptā ex dicto loco b Tho. dicens quàm hoc conueniat charitati, ex qua recedentes amici solent hoc desiderare, vt si aliquo modo possent, manerent etiā apud *Secunda ratio. Ex summo Christi erga nos a-*

more profectum est, vt seipsum nobis relinqueret.

apud amicos, idque vt possunt conantur efficere, aut per imagines, aut per signa alia memoratiua. Christus verò, cuius non minor potentia est quàm charitas, neque charitas quàm potentia, hoc sicut voluit potuit, & sicut potuit voluit, omnia autem quæcunque voluit fecit.

Tertia ratio.

Tertia denique ratio adducitur à b. Thom. illo loco ex perfectione fidei: quia enim per fidem diuinitatis habitat ipse Christus spiritualiter in cordibus nostris, & verè Deum possidemus: debuit etiam & fides humanitatis Christi non minus perfecta esse, vt veraciter ipsum hominē haberemus & nos habere crederemus non tantùm in signo & repræsentatione, potest enim etiā per hanc rationem ostendi perfectio fidei & meritum quātum sit, ad quam proculdubio exercendam (atque ita præmiandam) in hoc sacramento sic Christus dominus se nobis reliquit, & miracula tanta supra omne sensuum nostrorum iudicium, & supra naturas rerum operatur, vt non possint nisi robustissima & magna fide credi. Vnde non mirandum est, si hæretici, & qui non veram fidem sed fictam habent, nec vero innituntur fundamento, Ecclesiæ scilicet auctoritati, sed sensui suo, non possint credere, & dicant, durus est hic sermo. Nos verò intrepidè cum Petro agnoscamus hæc verba esse vitæ æternæ. Iam illud etiam aduertamus, hac fide certissima Ecclesiæ doceri hic nullam substantiam panis & vini esse post consecrationem, quod verba ipsa consecrationis, & quidem germano suo & proprio sensu significant: Vna singularis res demonstratur cùm dicitur, Hoc est. Atque ita non plures substantiæ, sed vnam tantùm ibi subesse intellexit semper Ecclesia: hanc verò non panē, nec enim ibi agnoscit fides panem vniri corpori Christi, sicut vnita est humana natura diuinæ, hoc enim etiam audire abhorret fides Catholica: quare restat substantiam tantùm corporis Christi ibi demonstrari, quæ solùm iam iuxta fidem ibi reliqua est. Patebit tamen hoc melius in sequenti lectione ex testimonijs Ambro. & aliorum, qui apertè fatentur sermonem Christi transmutare substantiam. Tantùm in hoc loco dictum sit propter Lutherum & qui ipsum sequuntur, qui panem simul ibi esse cum corpore Christi volunt. Sed patrum & Ecclesiæ etiam auctoritate damnati. Semper duo hæc vera fides coniungit, vt scilicet sit veraciter realiterque ibi corpus Christi creditum esse, & non esse ibi substantiam panis. Vnde cum primum Berengarius ille negaret veritatem corporis Christi, asseruit panem ibi esse, & vtrunque damnatum est. Et reuera qui nunc

Vnde sit quòd hæretici verum corp^{us} Christi esse in hoc sacramento non possunt credere.

Post consecrationem nec panis nec vini substātiam manere nō minus certò credendū quàm corp^{us} Christi realiter esse præsens.

panem

panem ibi esse credunt, ostendunt satis non verè se credere realem præsentiam Christi: quod, si eorum scripta bene expendantur, apertius videbitur: quanquam velint videri longè esse à sacramentariorum errore. De his itaque satis.

LECTIO QVINTA.

De ratione conuersionis panis in corpus Christi, & modo loquendo de ea.

QVIA proximis lectionibus de vera existentia corporis Christi in hoc sacramento dictũ est, restant duo alij articuli à principio propositi, de ratione scilicet & modo huius existentiæ, & de modis de ea Catholicè loquendi. De quorum priori iam dicendum.

Transsubstantiatio firma fide credẽda est.

Sit igitur & hoc certissimum fidei fundamentum, quòd via & ratio qua in hoc sacramento corpus Christi veraciter continetur, est Transsubstantiatio siue conuersio panis in ipsum. Ita enim hoc fide tenendum est, sicut duo alia superius dicta, scilicet quòd Christi corpus hic veraciter sit, & quòd non sit panis. Quibus hoc tertium nunc addendum est, facta esse videlicet duo illa per conuersionem panis substantia: in corpus Christi, quod intellexerunt omnes patres significari verbis Christi, Hoc est corpus meum. Hic est calix &c. & ita ex ipsis inferunt non minori certitudine hanc conuersionem fieri: alij quidem distinctius & apertius, alij verò non ita, sed tamen à nullo negatur.

Sermo Christi est operatorie.

Ambrosius igitur locis citatis ex pane fieri carnem Christi & panem transmutari apertissimè dicit, adductis multis exemplis legis. Et tandem ait: Vides quàm operatorius sit sermo Christi? Si enim (inquit) potens fuit sermo eius vt essent quæ non erant: quanto magis vt sint quæ erant, & in aliud conuertantur? Vel, vt alibi dicit, conuertantur in id quod iam erat. Et Damascenus libro 4. de orthodoxa fide, cap. 14. & Eusebius Emissenus, quem Gratianus citat de consecratione dist. 2. & suprà dicti omnes patres eisdem locis hanc conuersionem manifestissimè docent. Quod sanè considerandum est etiam contra præsentes hæreticos, qui nomen hoc conuersionis & transsubstantiatio-

Tota substantia in totam substantiã cõuertitur.

nis omnino irrident, & humanum inuentum dicunt: cùm tamẽ Ecclesia ex patrum omnium sensu hoc definierit, conuerti vidélicet totam substantiam panis, materiam scilicet & formam, in totum corpus Christi iam præexistens. Ita Innocentius tertius in concilio Lateranensi, vt habetur cap. Firmiter. de summa Trinitate & fide Catholica. Vocabulum igitur transsubstantiationis ita ex ipsa fide & scriptura atque traditione intulerunt, sicut nomen homusion in concilio Nicæno receptum fuit. De hac igitur conuersione breuiter dicendum.

Substantia panis tota transit in totam substãtiã corporis Christi, absque omni corporis Christi mutatione.

Sit ergo de ea prima propositio. Hæc conuersio est qua tota substantia panis transit in totam substantiam corporis domini sine mutatione aliqua eius vel intrinseca hoc est, vel alteratione, vel generatione, vel augmẽtatione, vel accessione etiam rei alicuius nouæ, immo sine aliqua mutatione etiam extrinseca. Non enim mutat locum corpus Christi. Ideo meritò ab Ecclesia vocata est transsubstantiatio. Nihil est in his quod non & sit certissimum, & conueniat gloriæ corporis Christi: si enim aliqua mutatio, quæcunque illa esset, vel cuiuscunque rei accessio cõpori Christi contingeret, non esset verè impassibile & gloriosum: atque ita nullo modo eum hoc decet.

Solus Deus hãc cõuersionẽ operatur, eãq; solus intelligit.

Secunda propositio. Hæc conuersio sicut sola diuina virtute fieri potest, ita à solo ipso qualis sit potest agnosci, & ab eo cui ipse voluit reuelare. Primùm, quòd hic dicitur à solo Deo posse fieri hanc conuersionem, facilè probatur, quoniam ipsi soli atque eius operationi subest tota substantia rerum, hoc est, materia & forma, potest igitur in vtrunque. Et hæc est ratio beati Thomæ in 4. contra gentiles cap. 61. & 63. Et non habetur in omnibus naturalibus mutationibus, nec in creatione ipsa exemplum, nec certè in aliquo miraculo scripturæ, vnde modus huius conuersionis agnosci possit: præcipuè cùm tam occulta sint omnia, vt nulla ratione possit vel ex effectibus vel ex qualitatibus discerni ibi vel non esse panem, vel esse corpus Christi. Soli itaque fidei & quid fit, & quomodo fiat, notum esse potest. Hoc idem patrum auctoritas confirmat, qui omnes admonent simpliciter suscipiendam hanc fidem, nec interrogandum quomodo fieri possit. Ita Chrysostomus in locis superius citatis. Et Damascenus & Hylarius. Itaque vt beatus Thomas dicit illo 63. cap. satis debet esse theologo, ab irritione infidelium defendere, & à rationibus impossibilitatem prætendentibus, quod

Oportet

maximè sit omnipotentiæ diuinæ prædicatione. Vnde neque hoc est suscipiendum ab omnibus aut passim, vt respondeant

rationi-

rationibus naturalibus. Sed aliquando, magna videlicet exigente necessitate, & ab exercitatis in philosophia humana. Ceterùm illud putamus superfluum esse, & certè periculosum, quod aliqui ex scholasticis conantur explicare qualis sit hæc mutatio. *Sapere ad sobrietatẽ.*

Tertia propositio. Habet tamen hæc conuersio aliquid in quo conuenit cum alijs mutationibus, sed multa plura quibus differat: atque ex his sumendus est modus de ea loquendi, quæ omnia b. Thom. probat art. 8. illius quæst. 75. Igitur cum omnibus alijs mutationibus, & naturalibus videlicet & creatione, habet ista duas contrarios terminos, sit enim ex vno aliud, ex pane corpus Christi, sicut ex albo nigrum, & ex nihilo aliquid: habet verò à mutationibus naturalibus hoc diuersum, quòd nõ est vnum vtriusque termini subiectum, in quo conuenit cum creatione. Non enim sicut idem corpus est quod primò est frigidum deinde calidum, aut eadem materia primò sub forma aquæ postea ignis: ita in sacramento hoc est vnum aliquid, quod prius sit sub substantia panis, posteà corporis Christi, sed sola accidentia panis, vt infra dicetur, eadem manent cum vtroque extremo, cum pane scilicet & corpore Christi, sed illa non pertinent ad hanc mutationem. Atque ita hæc mutatio conuenit etiam cum creatione, ceterum differt ab illa, quia in hac vnum extremum transit in alterum, panis in corpus Christi, non item in illa: nihil enim non transit in aliquid. Hæc omnia certissima fides habet. Iam ex his discernendum est quæ sit propria locutio, & quæ minus propria in hac materia, quod diligenter considerandum est. Igitur quod cõmune est omnibus mutationibus (scilicet oppositio extremorũ, & locutio qua hæc significatur) est in hac etiam materia obseruandum. Hinc enim hę verę propositiones sunt, & propriæ, Ex pane fit corpus Christi, significante illa propositione ordinem tantum, sicut ex nihilo fit aliquid, vel ex mane fit vespere: apertius verò explicaretur his verbis, pani succedit corpus Christi. Similiter & hæ simpliciter negandę sunt, Panis est corpus Christi, sicut, album est nigrum, aut nihil est aliquid, sunt negandæ. Ex eo verò quod non est subiectum cõmune vtrique termino propriè quidem hę sunt negandę, panis potest esse corpus Christi, vel panis fit corpus Christi, aut de pane fit corpus Christi, vt videlicet significetur panẽ materiã esse eius quod in hoc sacramento manet, sicuti cùm dicimus gladiũ esse de ferro, vel mensam de ligno, cùm reuera nulla hic sit vel commistio vel trãsmutatio corporis Christi, vel accessio *Modus de hoc admirabili sacramento cauțè, Catholicè, & propriè loquendi.*

ceſsio alicuius rei ad illud. Et tamen hæ nonnunquam ſecundū tropum conceduntur & dicuntur à patribus, propter accidentia videlicet illa communia: atque ideò hæc ſunt diligenter diſtinguenda. Denique propter tranſitionem vnius in alterum hæc ſimpliciter conceditur, panis conuertitur in corpus Chriſti. Et hæc de modo loquendi. Quæ diligenter aduertenda ſunt, quia (vt Auguſt. inquit) nobis non licet temerè in rebus fidei loqui, ſed ad certam regulam. Tenenda eſt igitur fides, & non temerè vagandum extra proprietatem ſermonis & Patrum doctrinam, in quibus ſi nonnunquam aliqua legimus minus propria, exponenda magis ſunt quàm ſequēda. Nec enim dubium eſt in ſcriptura & patribus multa ſecundum locutionis figuras accipi: id quod ipſe oſtendit ſæpe contextus.

Vltimò tamen ex his omnibus circa rem ipſam inferimus, quod periculoſum eſt & proculdubio ſuſpectum valde, & errori propinquum, tranſſubſtantiationem ipſam ſolo nomine confiteri, vt nonnulli ſcholaſticorum definitionibus à ſe adinuentis faciunt, concedentes panem in nihilum redigi, quanquam non per ſe: vel tantum corpus Chriſti illi ſuccedere. Sicut etiam illud non caret periculo, quo aſſeritur hanc conuerſionem impertinentem eſſe, & per accidens ſe habere ad veritatem corporis Domini in hoc ſacramento. Admonemus igitur non prætergredi terminos quos poſuerunt patres, quod putamus fieri cùm quid fieri potuit à diuina omnipotentia, an videlicet non eſſent alij modi conſtituendi in ſacramento corpus Chriſti, quàm per tranſſubſtantiationem? ſcrupuloſius quæritur. Hæc omnia modeſtia Chriſtiana non patitur, ſed hoc agitur, vt cum Eccleſia & patribus confiteamur verba hęc, hoc eſt corpus meum. vel, hic eſt calix &c hoc ſignificare, hoc includere & exigere neceſſario, vt panis conuertatur in corpus Chriſti, conuerſione totius ſubſtantiæ in totam ſubſtantiam nec ad veritatem horum verborum ſufficere, vt hic ſit corpus Chriſti, vel accidentibus vel re quauis alia demonſtrata.

Scotus & Ock. Durandus & Scotus.

Omnis curioſitas & nouitas fugienda.

LECTIO

LECTIO SEXTA.

Quomodo corpus Christi sit in Eucharistia.

QVIA ex præcedentibus patet veritas corporis Christi in hoc sacramento, & veritas conuersionis panis in illud: iam dicendum est, si quid tamen de hoc dici potest, quis sit hic modus existendi corporis domini in hoc sacramento: sunt enim diuersi modi essendi. Vt igitur ordine dicamus, sit de hoc prima propositio.

In hoc sacramento ex vi quidem verborum ipsius & consecrationis sub specie panis solum est corpus Christi, sub specie vini solus sanguis: ex reali verò concomitantia est sub qualibet specie totus Christus, anima videlicet, diuinitas, cum omnibus sibi inhærentibus, quantitate videlicet & accidentibus alijs: & ita est in qualibet specie, vt sit in qualibet parte illius, etiam ante fractionem. Hæc omnia asserit b. Thom. & probat 4. primis articulis q. 76. 3. part. Primum igitur illud, quòd ex vi sacramenti & consecrationis sit tantum Corpus vel sanguis, apertissimè probatur ex ipsis verbis consecratorijs. Cùm enim virtute illorum perficiatur consecratio, & illa corpus tantum & sanguinem significent, in hæc fit ex virtute illorum conuersio. Itaque non dubitat vera fides asserere hoc tantum necessariò & semper fieri virtute consecrationis, vt corpus Christi ibi & sanguis eius maneat. Ceterum quòd ex reali concomitantia & reliqua ibi sint, etiam apertissima ratione probatur, quoniam cùm ibi sit ipsum corpus Christi nullo modo mutatum, consequitur vt sit viuum per animam, & habens eandem existentiam atque vnionem ad verbum, & idem etiam de sanguine: est enim sanguis Christi glorificati & immortalis, & ita pertinens ad integritatem corporis eius. Itaque hoc explicandi gratia meritò dicitur, si mortuo Christo & sepulto cõsecratum hoc sacramentum aut seruatum ex cœna Dominica fuisset, mortuum quoque & non viuum in hoc sacramento mansisset, eo scilicet modo quo erat in sepulchro, & postea in resurrectione fuisset viuum, vt intelligamus quid verba hæc significent & quid efficiant. Et sunt hæc certissima fide tenenda, quoniam ex creditis & apertissima ratione sequuntur: quare magis irridendi sunt hæretici

Sub qualibet specie tot⁹ Christus est quomodo.

Quid si Eucharistia consecrata vel seruata fuisset tẽpore tridui sepulturæ Christi.

hoc

hoc irridentes, & agendum vt intelligant. Igitur modus tantum existendi corporis & sanguinis iam hic quærendus est, non totius Christi vel diuinitatis & animæ. Nam & hæc hic sunt sicut in corpore Christi. De hoc igitur sit secunda propositio.

Post consecrationem non minus realiter corpus & sanguis Christi sunt sub speciebus quam antea substantiæ panis & vini.

Hoc solùm certa fide tenendum est, non minus verè & realiter corpus Christi & sanguinem esse in hoc sacramento, quàm ante erant panis & vinum, quanquã alio prorsus modo, sicut soli deo possibili, ita à deo solo cognoscibili, vel ei⁹ reuelatione. Primum quod hic asserimus verbis ipsis cõsecrationis apertè probatur, & sensu patrum omniũ. Verba enim. Hoc est corpus meum, &, Hic calix est &c. significant non minus illud esse corpus Christi & sanguinem, quàm antea ibi erant panis & vinum. Secundum verò, quòd scilicet à solo deo hoc fieri possit, ratio supradicta de transsubstantiatione ostendit. Solus enim ille habet in totam naturam rerum virtutem: & similiter probatur à solo eo posse hoc cognosci, quoniam nullum est huius conuersionis exemplum in natura. Hinc igitur docent Patres hoc excedere omnem cognitionem nostram, quo videlicet modo in hoc sacramento sit veraciter Christus. Quare & admonent credendum tantùm esse. Atque ita non inconuenienter posteriores doctores vocárunt hunc modum essendi sacramentalem: quo significatur non modus aliquis essendi naturalis & nobis cognitus, nec similis his quos cognoscimus, sed specialis modus, quo Deo placuit in hoc sacramento esse corpus Christi, ita vt dicamus quærentibus quomodo hoc sit corpus Christi, eo modo quo Deo per immensam suam sapientiam & bonitatem & potentiam placuit hic esse, qui nobis non est reuelatus. Igitur sicut cum de Deo loquimur, magis possumus dicere quid non est, quàm quid est (possumus enim de Deo negare imperfectiones quas noscimus in creaturis, nõ verò pertingere ad eius perfectiones plenè agnoscendas, ita de hoc sacramento magis possumus dicere) quomodo non est hic corpus Christi, quàm quomodo hic sit. De quo sit iam tertia propositio.

Corpus Christi nõ est in Eucharistia localiter, nec passibiliter, nec sensibiliter.

Non est in hoc sacramento corpus Christi localiter, siue circumscriptiuè, nec passibiliter, nec sensibiliter. Quæ propositio est b. Thom. art. 5. 6. & 7. q. 76. Et est diligenter considerandæ, quę nos ducit in considerationem & cognitionem quam de hoc mysterio habere expedit. Igitur quòd non sit localiter patet, quia non circumscribitur corporis Christi quantitas vel speciebus istis, vel loco specierum, nec commensuratur illi. Ex philosophia enim constat, quòd circumscriptiuè in loco esse sit extensum

tensum esse in loco, & proportionari quantitatem corporis locati quantitati ipsius loci in quo est. Itaque asserimus hic esse integrũ corpus Christi cum membris inter se distinctis & debita proportione distantibus. Est enim, vt dictum est, nullo modo mutatum. Ceterùm ad nullum locum, præterquam ad illum in quo in cœlo est, habet ordinem extensionis vel proportionis quantitatiuæ. Ex quo duo reliqua sequuntur: videlicet secundum esse hoc non posse corpus Christi pati in hoc sacramento aut agere ea quæ naturaliter corpora agere aut pati dicuntur: patet, non enim extensum est corpus Christi in ordine ad locum, nulla verò actio vel passio naturalis terminari potest, nisi ad extensum in eo loco, cui agentia naturalia appropinquare debent vt agant: meritò itaque dicitur esse per modum substantiæ, quæ non nisi propter accidentia & secundum illorum extensionem ad locum approximationemque localem ad alia naturalia vel agentia vel patientia pati potest, quorum nihil cõuenit hic corpori Christi: impassibilis enim est. Ex eodem sequitur & tertium, non videlicet posse hoc corpus Christi, vt in hoc sacramento est, percipi aliquo humano sensu, hoc est, nec tangi, nec videri &c. Omnia enim hæc requirunt extensionem in loco, & conueniunt substantiæ per accidentia, vt ex philosophia patet. Hic verò licet sint accidentia corporis Christi, ad substantiam tamen immediatum ordinem habent, non ad locũ, vel accidentia ipsius loci, aut eorum quæ loco appropinquant. Ex hoc sequitur & quartum. Quòd videlicet nec moueri secundum locum, nec desinere potest corpus Christi, vt in hoc sacramento est, per se, sed tantùm per accidẽs, ad motum scilicet specierum, & earum desitionem. Vtrunque facilè ex præcedentibus deducitur. Motus localis per se præsupponit etiam esse in loco per se, quod hic non habet corpus Christi: quòd verò per accidens moueatur patet, quia ad motionem eius in quo aliquid est mouetur & ipsum, siue id localiter fiat, siue non: cùm enim mouetur homo, mouetur scientia quæ in ipso est, & ita cùm species sacramentales mouentur, mouetur ipsum corpus Christi cũ illis ab vno altari in aliud &c. Idem etiam probat id quod secundò dicitur, nam cùm in corpus Christi nullum agens agere possit, quòd ipsum immutabile sit: non potest per sui mutationem desinere esse siue recedere ab hoc sacramento, sed quando species desinunt esse. Quando enim ab vno altari in alterum transiatæ sunt species, non est Christi corpus in altari in quo prius erat, ita cùm omnino corruptæ sunt, vt postea dicetur.

Ex

Quomodo propriè & cautè loquèdum de hoc sacro mysterio.

Ex his iam quinta propositio infertur de modo loquendi in hac materia. Nulla mutatio intrinseca dici potest de corpore Christi, vt est in hoc sacramento: sed solùm motus localis, vel desitio facta per accidens. Solæ igitur hæ propositiones veræ sunt & propriæ, corpus Christi eleuatur, circunfertur, recondi-tur, educitur, tenetur in ore, traijcitur in stomachum: quoniam hæc omnia solùm motum localem dicunt, sicut & ista, corpus Christi definit esse in hoc altari, quia per solum motũ localem hoc fieri potest, vel quia omnino definit esse in hoc sacramento, per corruptionem videlicet specierum sacramentalium. Istæ tamen sunt falsæ, & non nisi secundum figuram quandam concedendæ: corpus Christi frangitur, diuiditur, teritur, digeritur. Significant enim passionem illatam ipsi Christi corpori. Et de prioribus quidem apertissimum est, non frangi videlicet, nec diuidi quod totum est in qualibet eius parte quod frangitur & diuiditur. Si quando igitur hæc asseruntur (vt nonnunquam à Catholicis patribus fit) accipienda sunt tanquam dicta ad significandam veritatem corporis Christi, secundum tropum contenti pro continente. Vnde Berengarij illa confessio suprà citata, quæ habetur in cap. Ego Berengarius. de consecratione dist. 2. quæ habet corpus Christi manibus contrectari, corpus Christi sacerdotum dentibus teri: quorum primum proprium est, secundum verò minus proprium. Et tamen talia propter species dicta sunt, sicut prior illa, si contrectatio significet passionem illatam corpori Christi, etiam impropria est.

Ex his igitur hoc colligamus, in hac materia secundum regulam fidei & sobrietatem, quam Paulus iubet nos tenere, non esse vlterius procedendum, sicut paulò superius de ipsa quoque transsubstantiatione diximus. Neque enim modus hic intelligi potest, sed tantùm fide tenendus est, in quo doctissimus quisque nihil distat à summè idiota, quod pro magno inconuenienti nonnulli adferunt: sed certè est maximè conueniens, vt summa hæc Dei opera sapientissimi quique se fateantur non posse comprehendere. Ecce, inquit Iob, Deus magnus vincens scientiam nostram. Vnde modi qui à quibusdam inuenti sunt existentiæ huius, non tantùm incerti sunt (quod illi negare non possunt) sed reuera (vt modestè loquamur) valde propinqui errori. Nec enim vt angelus præsens loco corpus Christi hic est, cùm ille sit modus spiritualis: nec per respectum aliquem sola Dei voluntate sine alio fundamento, cùm hoc etiam multo minus consistat: sed per veritatem corporis Christi: qua verissimè &

mè & certissimè dicitur hoc esse corpus Christi: quæ ideo diximus, vt multis quæstionibus claudatur aditus. Cæterùm grauium doctorum & patrum cùm legerimus sententias, agnoscamus quid propriè, quid verò secundum tropum dictum sit.

Ex tribus his lectionibus clarè cõstat quod in principio propositum est, quis scilicet sit sensus horum verborum proprius. Si enim verba sacramentalia significant quod efficiunt: effectus verò est veritas corporis Domini per transsubstantiationem: consequens est significare verba hunc effectum. Nam vt veraciter hîc sit corpus Christi, fit illa transsubstantiatio: vnde meritò b. Thom. in art. 2. & 5. quæst. 78. verba hæc comparat arti & rationi practicæ, quæ vltimum effectum & continet & producit: significant itaque hæc verba substantiale esse corporis Christi conuenire demonstrato per pronomen illud, Hoc. & id fit in vltimo instanti prolationis, in quo proculdubio perficitur & significatio propositionis totius, & efficacia sacramentalis. Nam sicut significant ita efficiunt, & quia significant efficiunt. Atque ideò nisi perfectè fuerint prolata, & hoc quidem sine mora vlla, eo momento operantur quo primum prolata sunt, tunc enim integra est eorum significatio. Quod itaque nonnulli curiosius quærunt, an demonstratiua illa particula, hoc, ostendat corpus Christi an aliud aliquid? (Nam si primum, videbitur significari corpus Christi esse corpus Christi, quod certè verum est siue fiat conuersio siue non, aliud autem non videtur demonstrari posse) satius omitteretur: sed ne vlla restet ambiguitas, intelligamus hoc modo hæc verba: hoc quod hic contentum est, vel, hoc corpus quod hic est, est corpus Christi: & similiter de sanguine. Atque hoc sensu eo modo significant vltimum effectum sacramenti, quo & efficiunt, non enim significant corpus Christi esse corpus Christi, sed illud corpus quod prius erat panis esse corpus Christi, vel si cui placet, illud corpus quod continetur sub illis speciebus, esse Christi corpus. Vnde notat b. Tho. non dictum esse sicut in creatione, hoc fiat corpus meum, aut, hoc sit corpus meũ, quasi imperando, sed hoc est, indicando scilicet: quia verba sacramentorũ significando efficiunt, non imperando. Itaq; in creatione significatur & imperiũ, & deinde quòd imperata fiant: fiat lux, & facta est lux: hîc verò hæc ipsa verba significãtur habere virtutẽ. Et sanè quasi absolutius quoddam imperiũ & maius hîc ostenditur, cùm nõ dicendo, fiat, sed significando esse, sequitur necessariò effectus. Et meritò quidem in hoc sacramento summo, &

altissimo

altissimo memoriali diuinorum operum multo efficacior Deus ostenditur, quàm in reliquis omnibus creaturis: vt scilicet non vocando aut imperando, sed potius significando, quasi innuendo operetur. Ita vt illa summa creaturarum obedientia hic ostendatur, in exemplum etiam nobis: qua non quia præcipit Deus, sed quia aliquid significat, creaturæ omnes cedunt, naturasque suas relinquunt vt verum sit quod à Deo dicitur. Ceterum & verba hæc virtutem habere instrumentalem, atque ita vt instrumenta gratiæ transsubstantiationem ipsam efficere tenendum est, sicut de ceteris omnibus formis sacramentorum: vt non minus virtutis hæc verba habeant quàm reliqua.

Accidentia manẽt, & quare.

Quia tamen in hoc sacramento fit etiam aliquid virtutis diuinæ opus, quod nec significatur verbis sacramentalibus, neque consequitur ad ea, sed experientia cognoscitur, & est eximiæ cuiusdam potentiæ: meritò de illo est agendum. Manent accidentia panis & vini tota, vt sensu patet, idque ad conseruandam fidem: si enim apertè videremus mutari etiam accidentia illa, non esset omnino occultum hoc miraculum. Et vt absque horrore fidelium & irrisione infidelium sumi possit verum Christi corpus sub apparentia & accidentibus communium ciborum, & propter hoc nonnunquam etiam post consecrationem vocatur Eucharistia sacra à patribus panis & vinum, videlicet per quendam tropum, quo signa dicimus esse res illas quorũ sunt signa, accidentia illa indicant substantiam & expressissima quædam figura sunt panis & vini, immo reuera ipsa quæ ante erant: quare sequitur absque vllo subiecto substantiæ hic esse accidentia: nec enim sunt vel in aêre, vt quidam voluerunt, vel in Christi corpore, vt b. Thom. probat. Manent verò deficiente substantia in suo naturali ordine, videlicet extensa, & tam longa atque lata quàm antea: manet eadem quantitas, iuxta quam illa extensa sunt, manetque eadem figura: quæ omnia, sicut & præcedentia miracula, virtute diuina non dubitandum est fieri posse, à qua pendet rerum omnium natura: vanum autem est inquirere alium modum. Inferamus iam vnicum, ex quo omnia quę in hac materia tractantur, breuiter agnosci possint. Accidentia hæc sicut à Deo habent vt subsistant sine substantia, ita habent omnem virtutem substantiæ, vt nihil omnino minus operentur quàm si esset ibi substantia, idque sine nouo miraculo ex virtute præcedentis, vt probabilius creditur: nec enim opus est vt cùm aliquid generatur vel nutritur ex hoc sacramento, redeat prior substantia, aut alia de nouo creetur: sed

art. 1. q. 77

Accidentia vim substãtiæ habent in sacra Eucharistia.

qui

qui dedit accidentibus vt ibi locum substantiæ tenerent, dedit & virtutem substantię, idque ad miraculum illud occultandũ, vt fides sola ibi meritum habeat, ne Christiani videlicet visibilia miracula habentes continuò præsentia sine fide sint Christiani. Igitur nutriunt hæc accidentia, inebriant, corrumpuntur, & generatur ex eis substantia noua, digeruntur etiã in stomacho, quæ omnia experientia patent: sicut enim inebriare potuit vinum quod Christus ex aqua fecit in nuptijs, ita vini virtus quæ in hoc sacramento manet, & similiter nutrire. Illud igitur hic considerandum, vt scilicet ministri huius sacramenti nouerint quamdiu duret hoc sacramentum, aut quando putandũ sit cessasse: & eodem modo, quamdiu corpus Christi permaneat: & quando desierit esse: Constat enim tunc hoc sacramentum non esse, cùm corrupta fuerint accidentia illa, & tunc etiam ibi non esse corpus Christi, quod non est nisi sub his speciebus, vt diximus. Igitur omnis alteratio vel mutatio specierũ quę sufficeret ad corruptionem substantiæ panis vel vini si ibi esset, vel certè ad mutationem indiuidui: sufficit vt ibi desinat esse corpus Christi. Itaque vel defectus saporis, vel coloris, vel dissolutio quoque partium quæ tãta est, vt si ibi esset panis, diceremus illum esse corruptum, facit vt nõ sit ibi corpus Christi. Deniq; & in additione quę posset cõtingere in vini specie b. Thom. su prà dicto loco verisimè dicit non tãtum corpus Christi ibi nõ esse, quando admiscetur alterius speciei tantus liquor, vt posset corrumpere vinum si adesset, sed etiam quando tanta quantitas eiusdem vini additur, vt iam sit potius aliud vinum quàm prius. Quod Innocentius tertius in cap. Cum Marthæ. probat: minima proinde guttula nihil mutat, sed magis trãsit in species precedentes, sed tanta vel maior quãtitas quàm prius erat sicut hoc agit, vt sit iam aliud vinum, ita vt non sit sacramentum.

Quãdo desinat corpus Christi esse in hoc sacramento.

LECTIO SEPTIMA.

De *Sacrificio Altaris.*

QVIA de primo effectu huius Sacramenti & verborum eius dictum est, de consecratione videlicet, iam restat videndum in quem vsum corpus suum Christus nobis dedit. Etsi enim prima huius sacramenti perfectio sit in consecratione materiæ, non in vsu, sicut in omnibus alijs sacramentis: vtendum est tamen

men postea materia consecrata, hoc est, corpore Christi. Ideo meritò quæritur quomodo sit eo vtendum. Cui inquisitioni respondendum est duos esse vsus, in quos propriè datum est nobis corpus Christi in hoc sacramento, oblatio scilicet, & manducatio. De quibus sigillatim dicendum.

Eucharistia est vera & propriè dictu sacrificium.

De oblatione igitur hoc statuamus certissimum fidei fundamentum. Ex huius sacramenti natura & præcepto Christi debemus offerre ipsum in hoc sacramento vera & propria oblatione, non figura tantùm. Quòd igitur hoc sacramentum sacrificium sit, contra recentiores omnes hæreticos hoc obstinatissimè negantes, probant antiquorum ferè omnium Patrum & Conciliorum apertissimæ auctoritates, & perpetuus vsus Ecclesiæ ab Apostolis vsque ad nunc temporis: ita vt de hac re nō sit opus multa citare. Omnes hoc sacrificium prædicant, asserentes Ecclesiam & ministros offerre. Ita Clemens Epist. 2. Anacletus 1. & Alexander similiter Epist. 1. hi omnes successores Petri & proximi illi, ab eo vel à discipulis eius edocti, & martyres etiam sanctissimi, ita constātissimè docent. Inter quos vltimus Alexander nihil ait esse maius in sacrificijs, nec vllam oblationem hac esse potiorem. Vbi & per eam dicit remitti peccatum. Doctores verò ceteri idem asserunt, vt Irenæus antiquissimus libro 4. contra hæreses cap. 32. Cyprianus Epistola ad Cecilium, scilicet lib. 2. Epist. 3. Ambrosius lib. 4. & 5. & 6. de sacramentis.

Eucharistia maximum sacrificium est, et peccata expiat.

Concilia à mille annis celebrata agnoscūt sacrificium.

Denique nullus est apud quem de hoc non sit aperta mentio. Sed & iam à mille annis Concilia sunt omnium ferè nationum apertissimè de hac oblatione loquentia, Carthaginense videlicet tertium, Aurelianense 4. Cap. 4. Toletanum vndecimum Cap. 11. Et ne quid desit quod maioris auctoritatis est, ipsum Concilium Ephesinum apertissimè vocat sacrificium, vt meritò in nulla re hæretici stultius & irrationabilius toti Ecclesiæ se opponant, quàm in hac vna. Quia verò quod negare nō possunt, peruertunt etiam hoc cauendum est, & certò tenenda duo quæ diximus. Primum, hoc non esse humanū adinuentum, sed traditionem Christi: quod etsi scriptum in Euangelio non sit, testimonijs & vsu Ecclesiæ manifestissimè patet. Asserūt aperte primi illi quos citauimus, à Domino mandatū esse offerri panem & vinum, & prohibent aliud offerre: deinde illud etiā certò statuendū est quod secundo loco diximus nō tantum dici sacrificium metaphoricè, quia scilicet signum est sacrificij quod Christus obtulit, sed re & veritate, &, vt apertè dicamus, verius, magis propriè dictum, & plenius sacrificium est hoc omnibus

Hæretici quæ negare nō possunt, peruertunt.

Hoc sacrificiū ab ipso Christo est institutū.

Sacrificiū hoc nō ty-

sacri-

sacrificijs legis veteris, quanquam non sit cruentum sacrificiū, sed secundum ordinem Melchisedech, hoc est, incruentū. Hoc verò (ne temerè videamur dicere) apertè confirmant verba ipsa Ecclesiæ in canone, quæ & ante consecrationē & post dicūtur. Proscindunt ea quidem Lutherani multis conuitijs, sed tantæ antiquitatis sunt, vt cum summa reuerentia eorum meminerit Ambrosius locis suprà citatis, cuius auctoritas meritò sufficere debet: cui accedit etiam Chrysostomus, imò & Basilius. Habemus quas illi cōposuerunt Missas: in illis non minus quàm canone nostro dicitur nos offerre, & non tantū cōmemorare oblationem Christi: & petitur vt oblatio suscipiatur, quod certè de solo signo peti non potest. Ostendit etiā hoc apertissima ratio ex lege ipsa naturę & scripta deducta, quę apertè cōfirmant necessarium esse hominibus in hac vita sacrificiū Deo offerre, vt in antiquissimo illo sacrificio Abel & Cain August. notat 10. de ciuitate Dei Cap. 4. 5. & 6. & ceterorum omniū patrū sacrificia idem cōfirmauit. Paulus etiam in Epist. ad Hebr, apertè docens, vbicunq; est sacerdos, esse quoq; sacrificia. Omnis, inquit, Pontifex constituitur vt offerat sacrificium. Vnde rursum tria hęc coniungit, legem, sacerdotium, & sacrificium: ostendēs ea proportionari debere: qualis lex, tale sacerdotiū, tale & sacrificium: & translato altero, alterū quoq; mutari debere. Cùm igitur nos sub lege noua simus, nouumq; & perpetuū sacerdotiū habeamus, tale sacrificiū, nouū scilicet & æternū opus est nos habere. Ex qua ratione soluitur quidquid ab hæreticis magna certè obstinatione, sed maiori insipientia dicitur, quòd derogamus sacrificio Christi & perfectioni status Christiani: ad quē pertinēt, inquiūt, spiritale sacerdotiū, & spirituales victimę. Nā primò nihil derogatur Christi sacrificio, cùm credamus ex libe ralitate eius idem sacrificium nobis datū esse, quod & ipse obtulit, nec alteri rei nos innitamur in offerendo hoc sacrificio, quàm ipsi Christo: cuius largitas & magnificentia in hoc maximè cōmēdatur. Itaque de vnica illa oblatione Christi Paulus ad Hebr. 7. 8. & 9. Capite loquitur. vbi & arguit imperfectionē hostiarū veteris legis, & cessasse eas offerri asserit, quòd à peccato minimè purgarent. Et certè, si rectè cōsideretur quod Apostolus ibi docet, magis cōfirmat hanc nostram doctrinam. Docemus enim nos non offerre nouam hostiam, sed eam ipsam quam Christus obtulit. Illa quidem sufficiens à nobis creditur ad omnia abolenda peccata, vt non dubitemus illius duntaxat virtute asserere omnia peccata dimitti: sed quia primò

picū est, sed verū, incruē. tamē.

Expēde & nota hanc rationem. Hebr. 6.

Sacrificium Missæ nihil derogat sacrificio Christi.

mò per peccatũ nos priuamus ipsa oblatione Christi & fructu eius: voluit ipse eandem iure perpetuo Ecclesiæ relinquere, vt ipsa possit quotidie eandem offerre, pro his scilicet qui ea se per peccata priuauerant. Deinde quia quamdiu hic viuimus aliquid manet in nobis peccati & vetustatis, propter quod in multis labimur omnes: adest etiam eadem hostia ad hæc expianda peccata. Et quidem ita hic offertur ipse Christus, qui in cruce oblatus est, vt simul etiam totum suum corpus offeratur, sicut ipse etiam in cruce obtulit omnia membra sua, sanctos videlicet omnes, qui seipsos postea sacrificia obtulerũt Deo accepta: sed quòd & Deo erant accepti, & Deo offerrentur, ex virtute passionis Christi fuit. Sicut igitur nihil detrahitur virtuti passionis Christi per peccata nostra quæ committimus ab ea separati, ita nihil detrahitur eo quòd rursum eiusdẽ oblationis, quã ipse in cruce obtulit, conemur esse participes. Deniq; sicut nihil detrahitur meritis Christi ex eo quòd nos nostra opera apponamus etiã ad salutẽ nostrã, qui ab ipso Christo ea habemus, ita etiã si hoc offeramus sacrificiũ. Quòd verò de spiritualibus hostijs dicitur, nihil proculdubio impedit necessarias etiã esse proprias & exteriores hostias. Quamdiu namq; in corpore sumus, visibiliter & corporaliter nobis colendus est Deus, & actibus (vt suprà diximus) proprijs religionis & latriæ: quare nec cetera virtutũ opera sufficiunt, quę quanquã sint religionis cũ ordinãtur in Deũ (vt Augustinus probat cap. 6. illius decimi libri de ciuitate Dei) & misericordię: tamẽ virtus religionis pulcherrima & digna maximè Christianis, etiã nunc opus est vt habeat proprios internos & externos actus (de quibus suprà) inter quas cũ sacrificare potissimus sit, vt Augustinus inquit, non debet deesse Christianis: quare meritò eo loco Augustinus inquit hoc sacrificandi exercitium nos habere in sacramento corporis Domini. Et reuera qui volunt in Euãgelica lege spiritualia tantùm sacrificia & mystica, sunt de quibus b. Augustinus in 3. de doctrina Christiana dicit, quòd ereptam ceruicẽ à iugo seruitutis legis implicãt superbię & erroris laqueis: nã proculdubio status huius vitę requirit externa etiã sacrificia & figuratiua, vt suprà ex Dionysio citauimus ex 5. cap. de Eccle. Hierar. vbi apertè inquit Ecclesiam Christianã, quæ media est inter Synagogam & cęlestem Hierusalem, ab illa habere symbola, quod est, figuras sensibiles ad spiritualia exprimenda: ab ista verò, cælesti videlicet Hierusalem, veritatem rerũ. Vides ergo vndique hanc veritatem probari, scilicet externa etiã sacrificia requiri in Ecclesia,

fia. Quod igitur nõnulli patres, & b. Thomas ex illis colligens q. 83. in qua de sacrificio hoc agit, dicũt sacramentum nostrum vocari sacrificium, quia signum est sacrificij in cruce oblati, sicut signa nominibus earum rerum quarum signa sunt, appellantur: intelligendum est dictũ esse ideo, quia nihil in hoc sacrificio est aliud quàm in illo Christi sacrificio. Dicitur sacrificium quia illius sacrificium repræsentatiuum, imò & fructus eius cõmunicatiuũ, quo nomine inquit b. Thom. præstat multo sacrificijs veteris legis, quæ tantùm significabant. Tamen ita est signum illius sacrificij, vt sit nihilominus verum idemq; sacrificium quod nos offerimus patri, idem ipsum, inquam, quod pro nobis obtulit Christus, & nobis dedit offerendum, cùm apertè dictum sit esse hoc perfectius sacrificijs veteris legis, quæ certè vera erant sacrificia. Cur enim nobis non liceat sic dicere coram patre Iesu Christi, Filius tuus qui pro nobis se obtulit, se nobis tradidit, illũ & merita eius tibi offerimus, respice in faciem Christi tui: hoc cùm agimus reuera corã patre cœlesti, repræsentamus ipsi sacrificium Christi, sed repræsentamus vt iã consummatũ in cruce, cùm in veteris legis sacrificijs repræsentaretur sacrificandum. Nam quod hæretici interpretantur dici sacrificiũ sacramentũ hoc, quia in eo prædicatur atq; ita significatur hominibus ipsa passio Christi, manifestè alienum est ab omni sensu patrũ, & sacrificij ratione. Deo intellexerũt illi repræsentare nos oblationem Christi, non verò prædicari illã hominibus. Nam etsi hoc fiat, non inde sacrificium dictũ est, nec sic nos aliquid Deo offerre diceremur: vt apertè Ecclesia & patres dicunt, sed ex priore illa repræsentatione. Non ergo aliud sacrificium est, sed reuera sacrificij illius repræsentatiuũ, quod etiam conuenit reliquo vsui huius sacramenti, scilicet manducationi. Cibi enim sacrificia olim erãt, ex quibus Deo prius oblatis, vel sacerdotes, vel offerentes participabant. De quo Paulus: Qui offerunt (inquit) hostias, participes sunt altaris: quod etiam in idolorum sacrificijs videmus obseruatum, quæ quanquam falsa erant, conabantur tamen vera imitari.

Hinc discę quid sit Christum Deo patri offerre.

Hæretici Christũ hominibus offerri volũt, non Deo patri.

Mouentur meritò circa hoc nonnulla dubia necessaria quidem ministris huius sacramenti, vt rectè & sentiant & agant in hac oblatione. Dicendum ergo breuiter de singulis.

Hoc ipsum in altari offertur, quod in cruce oblatũ est.

Primò itaque meritò quæritur, quid hic offeratur? qua necessitate? & quo fructu? Quibus ita respondemus. Offertur hoc ipsum quod in cruce oblatum est, Christus scilicet & Ecclesia. Non enim dubitandum est, in cruce Christum obtulisse primò

seipsum, idem sacerdos & sacrificium (id est, & offerens & quod offerebatur, & cui etiã offerebatur) de quo manifestissimæ sunt scripturæ auctoritates: Obtulit, inquit Paulus, se patri in odorẽ suauitatis: nec seipsum solum, sed (vt diximus) Ecclesiam etiam suam, hoc est, omnia sua membra & eorum merita, quæ propter ipsum grata sunt patri. Quod aperte August. lib. illo 10. de ciuitate Dei cap. 6. dicit, sacramentum scilicet nostrum sacrificium esse Ecclesiæ, quę docetur quòd in eo quod offert etiã seipsum offerat. Est igitur res ipsa quę & in cruce oblata fuit, & hic offertur numero & natura eadẽ, & sanè prẽter hæc nihil est quod Deo offerri possit: extra Christum scilicet & eius Ecclesiam. Atque ita verissimum est, vt diximus, huic doctrinæ & fidei nihil obstare, sed magis plurimũ cõuenire, quod Paulus ad Hebr. dicit, Sacrificia veteris legis ideo fuisse repetenda, quia insufficientia erant: Christum verò vnica oblatione consummasse omnia, & ob id iam non opus esse aliam offerre hostiam: nec enim nouum aliquod sacrificiũ quod offeramus quærimus, sed sicut post Christi orationem adiungimus nostras, post eius mortificationem, nostram, post eius merita, nostra (quibus tamen nihil putamus nos addere Christo, sed tantùm nos illi appropinquare, & orationum, mortificationis, meritorumque ipsius participes effici:) sic per omnia in sacrificio hoc id agimus, vt ipsum quod de manu domini accepimus, ei reddamus in gratiarum actione, in satisfactionẽ, ad impetrandã beneuolentiã & gratiã eius, denique ad vitanda mala omnia & consequenda bona: quæ vniuersa in illo sacrificio nobis reposita agnoscimus. Et hæc est offerendi necessitas. Ceterum est aduertendum, quòd quãquam res quæ offertur eadem sit: actus tamen ipse offerendi (quem oblationẽ dicere possumus) alius est, vt manifestè patet: quia offertur nunc à sacerdote Christus: vnde alius est offerẽs, & alia deuotio qua offertur, atq; alia oblatio: alia, inquam, non omnino diuersa, sed vt particula quædã aut gutta alia est à plenitudine fontis. Vnde meritò dicitur oblationem illam quæ in altari fit non tantam esse, quanta est ea quæ peracta est in cruce: sed id in sequentis quęstionis solutione melius patebit.

Ad quid offertur iam Christus.

Licet idẽ sit sacrificiũ, est tamen alia et alia oblatio.

De fructu seu valore huius sacrificij.

De fructu igitur quæritur, hoc est, quantæ virtutis siue quanti valoris, vt dicunt, sit hæc oblatio missæ? Vbi quanquam non omnes scholastici eodem modo respondeant, nam (vt verum dicamus) antiquiores ad hæc non descendunt (quibus satis fuit docere idem esse sacrificium) sed certè non inutiliter hoc etiã inquiritur, si modestè & ex eorum doctrina quæratur. Igitur

quan-

quanquam, vt diximus, non eodem modo loquantur omnes, conuenit tamen omnibus in vna hac assertione: quod scilicet non sit infiniti valoris. Et vt non esse fructum infinitum docēt, ita nec determinatū esse asserunt, eò potissimum quòd valor & acceptatio sacrificij apud Deum ex merito offerentis, non ex re oblata pendeat: Respexit, inquit scriptura, Deus ad Abel & munera eius. Huic igitur deuotioni sacerdotis offerentis, vel (quod verius dicitur) Ecclesiæ, acceptatio & valor sacrificij proportionatur: & igitur infinitus esse non potest. Imò (vt vult Scotus quodlibetica quæst. 20.) ex opere operato, & vt oblatio est, nihil valoris habet, hoc est, ex re quę offertur, sed ex operātis & offerentis deuotione, quā vocamus opus operans. Et Caietanus q. de valore Missæ ex opere operato, putat Missam habere acceptationem quandam apud Deum gratiarum actionis & laudis: nulli verò specialem adferre fructum quantum est ex ipso opere operato, sed ex deuotione offerentium, vel pro quibus offertur. Vnde pergunt tandem vt hanc deuotionem offerentis vel Ecclesiæ diuidant tanquam rem finitam inter eos quos volunt esse participes.

Sed in his omnibus, de quibus patres in speciali nihil tradiderunt, putamus valde curandum esse ne incertum aliquid affirmetur, maximè quod nec fidei nec moribus sit necessarium. Igitur sequentia putamus posse probabilius asseri.

Sacrificium Missæ ex opere operato gratiā impetrat.

Primum, Nō est cur huic sacrificio auferamus ex opere operato virtutem & valorem, & quidem maximum: quanquā non tātum, quantū ipsi passioni Christi tribuimus: effectum, inquā, satisfactionis & consecutionis gratiæ atque conseruationis hāc oblationem credimus habere ex seipsa, secluſa deuotione sacerdotis offerentis. Hoc probat quòd etiam mali sacerdotes offerant, & consensu omnium doctorum nihil eorum malitia oblationi detrahitur: quod verum non esset, si Missa ex offerentis tantùm deuotione, & non ex opere operato virtutem haberet. Dicet quis hoc esse ex deuotione Ecclesiæ, atq; ita ex ea eiusq; deuotione operante fatemur: sed non tantùm, verum etiam ex ipso Christo: non enim tantùm hic ille offertur (vt suprà diximus) sed ipse per suum quoque ministrum seipsum offert, cùm & ipse præceperit ita fieri, & nunc operetur in illo tanquam caput in suo membro, & agens principale in instrumento, & dominus in procuratore. Itaque Christus ipse & offertur & offert. Quia tamen non æquale est id quod Christus per sua membra operatur & meretur cum eo quod per seipsum minoris

valoris est hæc oblatio quàm illa crucis, atque ideo simpliciter non infiniti, sed finiti valoris dicenda est Missa, si cõferatur passioni Christi. Ceterum est quodammodo infiniti valoris, hoc est, sufficiens proculdubio ad omnia delenda peccata, & omne bonum consequendum, atque ita infinitus quodammodo.

Sacrificiũ Missæ prodest illis qui ei fide & charitate vniuntur.

Secundum. Hic tantus huius sacrificij valor efficaciter quidẽ & certò solis illis prodest, qui per fidem & charitatem huic sacrificio sunt vniti, & tantum, quantum eorum deuotio & dispositio requirit: quanquã credendum etiam si multis alijs quoq;, puta peccatoribus, & à Deo alienis non parum prodesse, vel ad conuersionem eorum, vel ad alia siue spiritualia siue temporalia commoda. Hæc igitur ordine explicanda sunt: & primũ quidem asserit apertè b. Thom. quæst. 79. (in qua de fructu huius sacramenti loquitur) & aperta ratione probat, quam ibi ille inter soluenda argumenta adfert, & est talis: Hæc oblatio sequitur conditionem ipsius passionis Christi, quæ efficaciter solis vnitis Christo prodest: & præterea notum est eos qui extra charitatem sunt & vnionem corporis Christi, non participare virtutem quam influit caput, & ideo alienos esse ab omni fructu sacrificij Christi, quod ad ipsorum meritum attinet. Sed tamen quia ex diuina gratia sæpè fit vt orationibus iustorum conuertantur etiã infideles, multò magis credendum est hoc fieri per hoc sacrificium. Viuis itaque membris Christi prodest, quoniã pro illis offertur, & est operatio quædam capitis in salutem omnium membrorum: mortuis verò & peccatoribus, etsi nõ semper omnibus, tamen multis ex abundantia diuinæ gratiæ, cùm pro illis offertur, non est dubitandum prodesse. Nobis proinde satis esse debet, vt huius sacrificij & valorem magnum & abundãtiam, qua diuina gratia per illud multis communicatur, asseramus: cetera relinquamus Deo, qui solus ponderator est & spirituum & donorum gratiæ suæ.

art. 7.

Vide quàm multũ referat, qua deuotione Missæ quis assit.

Tertium fit, quod iam ex his sequitur, intentionem offerentis & applicationẽ eius prodesse quidem, sed iuxta dispositionem illorum pro quibus offertur: non enim quantum celebrãs aut intendit aut vult, consequitur is pro quo celebrat, sed quantum sua fides & deuotio digna vel capax est: quod apertissimè patet, quia celebrans solùm est minister, intentio verò Christi principalis Domini, & Ecclesiæ hæc est, vt dignioribus & coniunctioribus plus accrescat vtilitatis, cui necesse est vt intentio ministri conformetur: quod si non fiat: nihilominus manet virtus & voluntas Christi, cui semper consonat & Ecclesiæ suę vo

luntas.

luntas. Ex quibus tandem fit, vt meritò valor missæ infinitus sit respectu nostri, etsi enim alia sit ratione finitus: quilibet tamen ex eo consequitur quantum sua deuotio capit, nec aliquid detrahit alteri, atque ita etiam si infiniti accedant, omnibus sufficit. Quod enim luci tribuimus in corporibus, cur non spirituali huic sacrificio tribuemus? Itaque infinitum dicimus, quòd diuisum inter eos pro quibus offertur, non deficiat. Et hoc idem meritò de oratione credimus. *Perpulchra similitudo.*

Restat nunc inquirẽdum, quid vtilitatis proueniat ei qui pro se petit celebrari: & an minus satisfiat ei, si pro alijs etiam celebretur: & denique, quantum profit sacrificiorum Missæ pluralitas. In his enim omnibus hæretici multa calumniantur, & non nunquam aut ignorantia, aut malitia sacerdotum committuntur, vnde scandalizantur pusilli, & vnde tanta inuidia hodie, apud hæreticos maximè, summum certè hoc sacrificium Missæ laborat. Dicunt fieri cauponationem Missarum & venditiones &c. Igitur ad dubia illa, & ad calumnias istas respondendum est ita, vt nec detrahatur aliquid deuotioni fidelium erga hoc sacrificium (quod, vt ex Alexandro pontifice diximus, summũ est omnium) nec etiam occasio detur auaritiæ aut turpis lucri.

Circa applicationem ergo istam (vt vocant) & intentionem celebrantis multa Scotus Quodlibet: 20. Gerson in tractatu de sollicitudine ecclesiasticorum, meritò legendum à prælatis, in quorum aut monasterijs aut Ecclesijs multæ sunt fundationes (vt vocant) Missarum: & post illos Gabriel Spirensis lectione 26. & 27. in expositione Canonis, & multi alij posteriorũ multa respondent: breuiter verò hæc habeamus.

Intentio quidem celebrantis, maximè quando ille Deo gratus est, multum prodest, sed nihil determinati tamen haberi potest, nec id opus est inquiri, cùm proculdubio magis valeat deuotio accedentis. Sacerdos verò oblationem hanc applicans (vt loquuntur) isti aut illi, hoc agit, vt eos Deo commendans, ipsi valoris æstimationem relinquat: & hoc quidem tam in ipso sacrificio, quàm in suis quas vel ex Ecclesiæ ordinatione, vel voluntate propria Deo fundit precibus. Vnde non est dubitandũ melius & vtilius esse fidelibus, astare sacrificio Missæ, & fide atque deuotione illi coniungi, quàm curare vt pro se sæpius celebretur. Est nihilominus etiam hoc vtile. Sed Gerson suprà dicto loco putat magis consulendum esse, vt communibus suffragijs & illa intentione Christi contentus sit qui largitur temporalia

Intentio applicatis missam multũ prodest, præsertim si pius sit qui celebrat. Melius est deuotè astare sacrificio missæ, quàm vt pro se celebretur cum rare.

poralia ministris Ecclesiæ, quàm vt specialia aliqua quærat: Nō enim minus, inquit ille, hac ratione meretur: Addam⁹ nos: nec certè vel plus vel minus consequitur fructus, quàm deuotio sua requirit, vel quàm voluerit per suam misericordiam Deus. Itaq; nō expedit nimium vel scrupulosius illa specialia exigere: permittendum tamen hoc esse infirmioribus, dicit ille, quòd non nunquam etiam benè fit vel in exemplum aliorum, vel certè ad aliquam satisfactionem, nonnunquam etiam vt suscipientes tēporalia, persoluto impositio sibi onere, sint magis quieti in cōscientia. Non igitur adeò curandum an pro vno, an pro pluribus sacrificium offeratur: sed offerentes hoc debent attendere, vt non studeant vel auaritiæ vel luxui ex temporalibus bonis collatis ob spiritualia sacrificia, sed pura intentione quantū pro fragilitate possunt, offerant iuxta Christi Domini distributionem, & secundum quod tenetur pro susceptis beneficijs. Qui igitur putant hinc derogari deuotioni missæ, & inferunt, si vna omnibus prodest, ergo infinita est: quare ergo missæ multiplicantur? Aduertant quòd (vt beatus Thomas illo articulo septimo 79. quæst. dicit) iterata oblatio sacrificij sicut de nouo grata est Deo, ita & de nouo operatur: & quod per præcedentem non fuerat impetratum, vel certè idem ipsum efficacius & plenius operatur vel impetrat. Est huius exemplum apertissimum in meritis Christi: nam cùm minimus labor & minimum opus Christi apud Deum suffecerit ad totius mundi salutem, & ad omnia ad quæ Christus missus fuerat perficienda: addidit tamen tanta merita, totque labores, non quibus aliquid nouum mereretur, sed quibus magis & magis eadem sibi concederentur à patre. Si igitur Christus post primum meritum alia non frustra esse putauit: neque Christianus postquam primo sacrificauerit, desinat iterum idem sacrificium offerre, maximè cùm nullus propter incertam indispositionem possit esse certus, an primum sibi profuerit, & quantum. Itaque sit de hoc, sicut de ceteris bonis operibus verum quod sapiens inquit: Quidquid potest manus tua, instanter operare. Et curent sacerdotes magis & magis participes fieri tanti sacrificij, & fideles quoque ceteri hoc ipsum curent, non tam conductionibus sacerdotum, quàm sinceritate deuotionis & fidei. Sacerdotes ex sacrificijs temporalia non quærant, sed in temporalibus honestam sustentationem, qua illis vacare deuotius possint. Ita enim & hæreticorum calumniæ, & abusus multi cessabunt.

Saluberrimū cōsiliū.

Quare missa quæ vna omnibus prodest, toties repetatur.

LECTIO

LECTIO OCTAVA.

De sumptione huius sacramenti, secundo videlicet vsu eius.

SECVNDVS vsus in quem diximus sacramentum nostrum esse institutum, est, vt sit cibus animarum. Nec immeritò proprius vsus eius dicitur ipsa sumptio, siue manducatio & potatio: de quo quidem vsu Magister in 4. dist. 2. & ceteri eodem loco, & 3. Tho. quæst. 80. tertiæ partis.

De hoc igitur id primum certò statuamus, quòd meritò proprius vsus huius sacramenti est ipsa sumptio: Hoc enim Christus in eius institutione præcepit: Accipite & manducate: accipite & bibite &c. quemadmodum Euangelistę & Paulus ostendunt. Consonat etiam hoc materiæ ipsi quæ consecratur. Sicut enim in ceteris Sacramentis tali vtimur materia, quali naturaliter & communiter consueuerunt homines vti, aqua ad ablutionem, oleo ad vnctionem, sic in hoc sacramento materia panis & vini ad refectionem voluit Christus nos vti. Quanquā enim (vt dictum est) post consecrationem non maneat substantia panis vel vini, manent tamen illarum species, habentes substātiarum virtutem, atque ipsas substantias representantes, & ideo cō uenienter iubemur illis vti ad animæ refectionem, sicut ijsdem vtimur ad reficiendum corpus. Ex analogia enim corporalium spiritualia significamus: sumptione videlicet illa corporea, spiritualem refectionem animæ, quam & ipsa significatione cōsequimur: vt videlicet verò spirituali pane, Christo scilicet, & vino illo sanguinis sui reficiantur animæ nostræ, atque ita vita spiritualis in eis sustentetur. De quo postea, cùm egerimus de effectu. De sumptione verò ista nunc sufficiant. Quibus illud addendum est, quòd scilicet conuenientissimè hoc sacramentum omnium maximum (in quo non virtus aliqua, sed totus Christus continetur) debuit intimius & perfectius vniri nobis quàm reliqua minora sacramenta. Illorum enim vsus ad tactum duntaxat pertinet: huius verò ad gustum & manducationem, vt scilicet verus ille animarum cibus Christus significetur nos sibi vniens, & nos in se transformans, quod ipse sexto illo cap. Ioannis satis ostendit: Ego sum panis viuus qui de cælo descendi.

Hoc sacramentū intimius nobis vnitur quā alia.

De

Mãducatio huius sacramenti duplex, sacramentalis et spiritualis.

De hoc igitur vsu primò notanda est distinctio illa doctorũ duplicis manducationis, sacramentalis videlicet & spiritualis: quæ duo membra ita intelligamus distingui, vt possint nihilominus coniungi, sed eorum rationes semper diuersæ sunt. Igitur ex b. Thom. doctrina tribus prioribus articulis quæst. illius 80. est notandum, (vt altius incipiamus) sicut ipse art. 2. docet, quòd in scriptura sacra manducatio Christi secundum tropum quendam sumitur, significatque interiorem animæ erga Christum dulcedinem & gustum, atque spiritualem vnionem: quod quidem fit per contemplationem ipsius Christi secundum naturas suas diuinam & humanam, quo modo etiam beati in patria ipsius aperta visione fruentes ipsum manducare dicuntur: hinc enim Christus panis angelorum vocatur & beatorum omnium. Beatus, inquit ille, qui manducauerit panem in regno Dei. Manducant etiam illum (quanquam longè inferiori modo) qui per fidem ipsum contemplantes verò cordis affectu ei vniuntur, etiam nihil de hoc sacramento cogitantes, aut de Christo prout in eo continetur: quæ vocatur spiritualis manducatio, spiritualis (inquam) à sacramentali distincta: sacramentalem verò dicimus cùm hoc sacramentũ sumitur intentione suscipiendi in eo Christum, quod fit cùm vera fide aut intentione percipiendi quod Christus tradit in eo ad sacramentum accedimus: tunc enim sumitur Christus sub sacramento. Quod quidẽ fieri potest ita vt simul etiam spiritualiter sumatur, quomodo sumunt qui rectè hoc sacramentum sumunt: qui verò indignè & cum peccato sacramentum quidem sumunt, sed ipsum & in ipso Christum ad iudiciũ: quia nõ spiritualiter ei vniũtur, neq; spiritualiter manducãt. Itaque prior illa sumptio purè spiritualis est, quia pura & sola mente fit, à qua lõgè diuersa est illa merè sacramentalis, qua ab indignis sumitur sacramentum. Vtrãq; verò complectitur tertia illa, qua simul sacramentum sumitur, & Christo per veram fidem & charitatem vnimur. Ex quo fit, vt hoc sacramentum sumatur etiam nonnunquam spiritualiter, voto scilicet & proposito tantùm: sicut enim baptismus etiam voto tantùm nonnunquam sumitur, & operatur nihilominus quod actu sumptus operaretur: ita & sacramentum hoc in voto sumptum non dubitandum est operari. Itaque suscipientes hoc sacramentum tripliciter se habent ad illud. Aut enim suscipiũt solum sacramentum sine effectu, aut è contra, solum effectum sine sacramento, aut vtrumque simul. Primi sumunt solùm sacramentaliter, atque ideo indignè: secundi spiritualiter solùm: ter-

Christus mãducatur nõ propriè.

Sacramentũ voto susceptũ operatur.

tertij & spiritualiter & sacramentaliter, quæ sola est integra & perfecta huius sacramenti perceptio, ad quam conari meritò debent omnes qui sacramentum sumunt.

Hac ergo distinctione statuta, primò est inquirendum, an sit huius sacramenti perceptio necessaria ad salutem? quod perinde est ac si quæreremus, an hoc sacramentum necessarium sit ad salutem? De qua quæstione (suppositis distinctionibus in baptismo & alijs sacramentis declaratis, de necessitate duplici, remedij videlicet & præcepti) duas statuamus propositiones.

Prima. Non est sumptio huius sacramenti simpliciter necessaria ad salutem, sicut videlicet necessarius est baptismus, quam b. Tho. quæst. 73. optimè declarat & probat ex natura ipsius sacramenti: Et ex scriptura quidē loca illa hoc apertè confirmāt, in quibus baptismus indicatur sufficere ad salutem: Saluos nos fecit per lauacrū. Et Petrus: Saluos nos fecit baptisma: & Christus dominus, Qui crediderit & baptizatus fuerit, hic saluus erit. Natura verò huius sacramenti apertissimè idem etiam probat: idque dupliciter. Primò, quia hoc sacramentum est cibus, & in hoc datus à Christo dicente, Accipite & manducate &c. &: Panis quem ego dabo caro mea est: igitur necessarium tantum vt cibus, non quidem ad inchoandam vitam, vt scilicet incipiamus viuere, sed ad conseruandam & nutriendam ipsam. Igitur sine baptismo quidem, qui est regeneratio spiritualis, nullus potest spiritualiter viuere, nec Dei filius esse, nec saluus fieri. At verò sine hoc sacramento percepta generatione si moriatur quis statim per vitam spiritualem ad æternam salutem euolat. Ceterum cibo illi non opus fuit, qui nec habuit contraria quibus vita illa spiritualis in baptismo percepta impugnaretur siue disponeretur ad corruptionem: hæc enim sunt distractio animæ, occupatio secularis, pericula & tentationes huius vitæ. Qui igitur his omnibus carent, vt sunt pueri ante vsum rationis, nec vt remedio hoc sacramento egent, nec ex præcepto ad illud tenentur. Illis igitur, simpliciter loquendo, non est necessarium. Accedit etiam & secunda ratio non minus efficax, quia cùm baptismus primus sit sacramentorum, non nisi per illum ad alia sacramenta ordinamur: in ipso verò iam est & reliquorum sacramentorum, & huius maximè, ad quod præcipuè ordinat nos baptismus, quædam intentio: vnde & pueri ante susceptionem baptismi nullo modo ordinati sunt ad Eucharistiam: atque ita omnino alieni sunt à participatione corporis Christi. Ceterùm paruuli per susceptum baptismum, vel adulti per verum

Art. 3. Sacramentalis sacræ Eucharistiæ perceptio nō est absolutè ad salutem omnibus necessaria.

rum desiderium suscipiendi consequũtur participationem corporis Christi,& hoc sacramentum in intentione habẽt. Ex hac igitur propositione infertur esse apertissimum errorem, & cõtrarium tam virtuti baptismatis & sufficientiæ ipsius, quàm etiã nostro huic sacramento, Græcorum & Bohemorum, qui asserunt sine hoc sacramento paruulis non esse sperandam salutem. Citantur quidem nonnulla loca patrum,quibus illud confirmari videtur:de quibus breuiter opus est admonere. Primò igitur citant Augustinum in multis locis disputantem cõtra Pelagianos,qui apertè dicit verba illa, Nisi manducaueritis carnem filij hominis.ad paruulos etiam pertinere. Videatur ipse lib. 1. de peccat.merit.& remissione, vbi disertissimis verbis reijcit eos qui hæc dicunt ad paruulos non pertinere, Id etiam Innocentius papa in epistola ad concilium Carthaginense apertissimè dicit,& in ipso Concilio Carthaginensi,& maximè in epistola ad Innocentium. Et quanquam in pluribus alijs locis Augustinus semper tamen eandem sententiam docet, dicens modò sine participatione corporis & sanguinis domini paruulos non saluari,modò sine illa non pertinere ad vnitatem Ecclesiæ. Itaq; sola illa auctoritas Ioannis 6. Nisi manducaueritis &c.est,vnde tota hæc oritur quæstio,quæ & soluenda est ex vero illius sensu. Hunc autem constat de spirituali manducatione esse:quod ipse Augustinus apertissimè eo loco dicit & confirmat. Ex quo cetera quoque omnia intelligenda sunt. Itaq; certissimè constat Augustinum & omnes illos patres qui contra Pelagianos hac auctoritate vsi sunt ,de spirituali manducatione loqui, quæ est vnio & incorporatio in Ecclesia:nunquam verò de sacramentali sumptione vel cogitarũt quidem.Id quod maximè hinc probatur,quòd illi ea verba tantùm adducebant, vt probarent baptismum necessarium paruulis ad vitam & salutem,quod negabant Pelagiani:vnde Innocentius in epistola illa (quam Augustinus magni facit contra hæreticos,vt patet in lib.1.contra Iulianum, & alijs locis) ex illis verbis: Nisi manducaueritis &c. infert:ergo sine baptismo paruuli non habent vitam. Igitur, vt superius diximus, attendenda est materia circa quam loquuntur, & loquentium intentio: id quod apertius apparet intuenti rationem propter quam hæc dicta sunt. Pelagiani enim negantes paruulos contrahere peccatum originale:dicebant eos ad salutem non egere baptismo: & cùm Catholici cogerent eos verbo Christi,Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto &c. fatebantur in regnum Dei sine Baptismo non ingredi illos,

Error Græcorũ & Bohemorũ dicentiũ paruulis esse necessariã Eucharistiã refutatur.

Respõdetur ad verba D. Augustini quæ pro se adferunt hæretici.

los, non tamen ideo perire. Contra quod inuenerunt Catholici verbum hoc, Nisi manducaueritis &c. non habebitis vitam. Et intelligentes per manducationem hanc vnionem gratiæ, & incorporationem in corpore Christi, quæ fit per baptismum, ex eo loco probabant paruulos sine baptismo etiam non posse vitam habere. Vnde Augustinus nusquam dicit sine sacramento hoc paruulos non saluari, sed sine participatione corporis domini. Adnotauit quidam in impressione Frobenij in multis locis Augustini, sine Eucharistia, siue sine hoc sacramento non saluari paruulos, sed hoc nusquam in Augustino inuenietur. Vnde & ipse Augustinus in libro de peccatorum meritis & remissione in fine quarti cap. ita docet: Nonne veritas sine vlla ambiguitate proclamat: nō solùm in regnum Dei paruulos intrare non posse, sed nec vitam habere posse præter corpus Christi: cui vt incorporentur sacramento baptismatis imbuuntur. Sufficere debet hoc verbum Augustini disciplinato ingenio: vt agnoscamus quę sit in ceteris omnibus intentio eius. Cùm igitur nunquam de hac re Augustinus aut aliquis patrum locutus sit, nisi in hac disputatione cōtra Pelagi. negantes baptismi necessitatem: quorsum aut vnde ergo infertur necessitas Sacramenti Eucharistiæ? Hæc igitur de hac apud multos nunc importuna quæstione.

Paruuli nō sunt capaces Eucharistiæ.

Inferamus iam ex prima illa propositione secundum, non parum præcedentia confirmans, videlicet, non solùm Eucharistię sacramentum non necessarium esse paruulis, sed nec eos illius esse capaces, quodq; eis minimè ritè administretur. Probat hoc perdoctè b. Tho. q. 80. in qua de sumptione loquitur. Sed sufficiunt iam quæ dicta sunt de huius sacramenti natura. Datū est in cibum spiritualem, cibari verò actus est vtentis vita, sicut patet in corpore: qui ergo non habet vsum spiritualis vitæ, frustrà hunc cibum recipit, imò nec recipit, sed infunditur ei, cùm tamen Christus dicat: Accipite & manducate. Sicut ergo ad spiritualem regenerationē baptismi opus est natum esse corpore, & ablui corpore: ita ad spiritualem hanc manducationē opus est specierum ipsarum sumptione: ita (inquam) vt corporaliter accipiantur & manducentur: id quod minimè pueri possunt. Hoc tamen ita intelligimus, vt ad hoc præcedens voluntas sufficiat. Nam in concilio Carthaginensi quarto præcipitur, vt lapso in phrenesim infundatur in os Eucharistia, si constiterit eum id antè petisse, quod & hodie Ecclesia seruat. Verùm in pueris & his qui vsum rationis nunquam habuerunt hoc

Art. 9.

desi-

desiderium esse non potest. vt ibi b. Tho. docet: addens tandem & hanc rationem, quòd paruuli non possunt hoc sacramentum reuereri. Et illa omnia confirmat auctoritas Ecclesiæ in concilio Lateranensi de pœnitentia & remissionibus cap. Omnis vtriusque sexus. Vbi mandat Eucharistiam dari pueris postquã ad annos discretionis peruenerint. Hæc dicta sunt, quoniam contendunt nonnulli in antiqua Ecclesia paruulis datam fuisse Eucharistiam statim post baptisma: quod, vt b. Tho. inquit suprà dicto loco, de adultis dictum est à Dionysio, de paruulis nunquam. Citatur præterea Cypriani auctoritas narrantis miraculum infantis puellæ cuiusdam, quæ nullo modo Eucharistiam sumere potuit post participationem idolothytorum (cuius Augustinus etiam meminit in Epistola 3. ad Bonifacium: & est inter sermones Cypriani, sermone de lapsis) ex quo apertè constat in Ecclesia hoc fuisse in vsu, vt infantibus traderetur Eucharistia. Nec opus est vt id negemus, sed vnius Ecclesiæ aut temporis consuetudo non est in consequentiam vniuersalẽ trahenda. Fuerunt aliquando abusus, rebus nondum satis explicatis. Sicut etiam apud Cyprianum in baptismo hæreticorum putatum est. Et ita credimus de hac consuetudine, quam certè Ecclesia semper postea reiecit: & probatur non satis conuenire naturæ ipsius sacramenti. vel fortè aliqua necessitate, & speciali dispensatione fieri potuit nonnunquam. Hæc igitur de prima illa propositione & absoluta necessitate huius sacramenti. Secunda relinquatur lectioni sequenti.

LECTIO NONA.

De *necessitate* Eucharistiæ.

Sacramentum sacræ Eucharistiæ est ex sua natura, & ex præcepto Ecclesiæ necessariũ ad conseruandam et augendã gratiam.

SECVNDA igitur propositio hæc sit: Sacramentum hoc & ex natura sua, & ex præcepto necessarium est ad conseruationem & augmentum spiritualis vitæ, non secus atq; cibus. Hoc asserit b. Thom. art. 11. quæst. 80. &, quanquam aliter nonnulli minus dignè considerantes iudicent, & solùm ex præcepto Ecclesiæ necessarium putent: tamen natura ipsius sacramenti, quod nos diximus apertè ostendit. Cur enim putabimus

mus minus neceſſarium cibum in ſpirituali vita, quàm in corporali? aut, cur minus cogitabimus nos teneri ad alendam animā, q̃ corpus? Ergo inſtituens Chriſtus hoc ſacramentum in cibum, docuit ſumendum eſſe: quod & explicuit verbis illis, Accipite & manducate. Et ſanè (ſicut aliàs diximus) Chriſtus Dominus in lege noua non tam vt Dominus imponit nobis præcepta, quàm vt ſaluator & medicus oſtendit remedia. Sicut igitur Baptiſmus in remedium eſt ſpiritualis mortis animæ & totalis illius defectus vitæ, ita Euchariſtia remedium eſt labilitatis humanæ & infirmitatis, qua licet in gratia & Dei charitate conſtituti, labi poſſumus, & paulatim aut ſubitò deficere viribus, ad quas reparandas datur hic cibus ſpiritualis: neceſſarius itaque eſt, & ad hoc ſumendus. Ceterum quoniam obligatio hæc pertinet ad præceptum affirmatiuum (quod quidem non debet nec poteſt actu ſemper impleri) meritò inquirendum, quando ad ſumptionem huius ſacramenti obligemur: De quo ſunt diuerſæ in ſpeciali ſententię breuiter tamen ſequentia notentur.

Chriſtiani vt minimū ſemel in anno cōmunicare.

Primùm tenemur ex Eccleſiæ determinatione vt minimum ſemel in anno ad ſumptionem huius ſacramenti accedere, vt habet ca. Omnis vtriuſque ſexus in cōcilio Lateranenſi. In quo Eccleſia proculdubio quæ à Chriſto in cōmuni præcepta ſunt, ſine præfinitione videlicet temporis, determinat ad certū tempus. Quare non eſt dubium omnes aſtringi illa Eccleſiæ definitione. Dubitatur nihilominus à multis: An igitur ſemel in anno cōmunicaſſe ſit ſatis? Nam reuera præcepta Eccleſiæ ita determinant iuris diuini præcepta, vt tamen non ſemper ſufficiat Eccleſiæ præcepta impleſſe, ad diuinorum præceptorum impletionem: ſicut patet in ieiunio. Nec enim qui à cibis prohibitis ab Eccleſia abſtinet, ſeruatóque tempus & modū abſtinentiæ ab Eccleſia præfixæ, ſi immoderatius vſque ad crapulam & ebrietatem vtatur conceſsis, ſatisfaciet diuino præcepto. De quo Paulus, Non in commeſſationibus & ebrietatibus: quanquam Eccleſiæ conſtitutionem non tranſgrediatur.

Tempore neceſſitatis tenemur cōmunicare.

De hoc igitur ſit iam ſecundum. Non eſt dubitandum teneri nos ad ſumptionem huius ſacramenti tempore neceſsitatis, hoc eſt, cùm imminet periculum vel tentationum vel perſecutionum, quando præſertim agnoſcimus infirmitatem noſtram, patet: quia affirmatiua præcepta tempore neceſsitatis obligant. Et in ſpeciali, quia tenemur ſumere cibum, cùm videmus nos infirmitate & defectu eius deficere: & hoc in corporalibus: mul

tò ergo magis in spiritualibus. Et quanquam sint & alij cibi spirituales, quibus confirmatur cor hominis, vt verbum Dei, oratio, & huiusmodi alia: tamen cibus hic tantæ virtutis est, vt illa omnia superet. Cõtinet enim ipsum Christũ, & illũ nobis ex ipso opere operato cõiungit. Hanc verò reputabimus communicandi necessitatem, quando tentatis ceteris omnibus, adhuc sentimus infirmitatem nostram & experiemur pericula.

Cũ consilio Confessoris sæpe cõmunicandũ est.

Quia vero de hoc non est facilè omnibus iudicare, & posset hæc doctrina laqueũ inijcere animabus, cõsiderentur & tertio iam loco alia duo. Primum, quòd consultissimum erit iudicio discreti & prudentis consultoris, & maximè confessoris, frequentius accedere ad hoc Sacramentum. Panis quotidianus vocatur (vt infrà ostendemus) Et quotidie dicunt Ambrosius & Augustinus sumẽdum: & certè magnæ est ingratitudinis & inuriæ salutis propriæ, tam rarò ad hoc Sacramentum accedere: vt non sit mirum, si nobis illud Psalmi cõtingat: Percussus sum, vt fœnum, & aruit cor meum, ab omni scilicet deuotionis pinguedine, quia oblitus sum comedere panem meum: & hoc tanto magis obligat, quanto pericula & tentationes amplius increscunt.

Secundum. Nec tamen putamus damnandũ esse eum, qui bona fide secutus ordinationem Ecclesiæ contentus sit sacrã Eucharistiã semel in anno suscipere. Quanquam enim & à principio quotidie fideles cõmunicârunt, & postea quoque frequenter, & decretum ipsum magis fuerit vsum verbo permissiuo quodammodo saltem (inquit) semel in anno, quàm docuerit illud sufficere: nihilominus non est cur debeamus simplices, & qui non aliud cogitant aut damnare, aut certè reddere inquietos. Exhortemur ergo omnes ad frequentiam, nec tamen necessitatem imponamus, vbi non apertè constat. Nam in articulo mortis, vbi scilicet tam grauia imminent certamina, proculdubio totius Ecclesiæ consensus, concilia antiquissima, & exempla Patrum docent communicandum esse. Vnde & in ipso Nicæno concilio, & multis alijs antiquis, præcipitur ne vlli negetur communio, & in Carthaginensi quarto concilio (de quo suprà diximus) etiam in os iubetur infundi existẽti in extremis, atque iam quoque sensu priuato, si modo illud prius petierit, & vel verbis vel signis ostenderit pœnitentiam.

Est etiam circa hoc meritò considerandum, quanta frequentia conueniat in sumptione sacramenti huius, & an vtilius sit accedere quotidie, an abstinere nonnunquam, de quo b. Tho-

mas

mas & nonnulli Theologorum d.12. diligenter agunt, Ex quibus sequentes propositiones colligimus. *Art.10. illius quæst. 80.*

Prima. Sumptio huius sacramenti ex parte eius considerata quanto frequentior est, tanto conuenientior, secundum tamen ecclesiæ moderationem: sed cõsiderata dispositione sumentis, non omnibus conuenit quotidiana sumptio. Primum putat b. Thom. probari auctoritatibus patrum, à quibus dicitur quotidie sumendum esse. Ita enim Ambros. lib. 4. de sacramentis cap. 6. & Augustinus sermone 28. de verbis Domini, in expositione illius verbi orationis dominicæ, Panem nostrum quotidianum. Secundum verò etiam patet, quoniã cùm ad hoc sacramentum reuerentia & deuotio exigatur (à quibus multis modis impedimur, & sine quibus accedendum non est) non omnibus id expedit: quod maximè in secularibus & curis atque negotijs implicatis locum habere puto. Qui verò ex officio sunt mediatores inter Deum & populum, non est æquum vt ab his impediantur. Non, inquam, æquum est, vt permittant se ita implicari & teneri his, quibus eorum deuotio & effectus erga hoc sacramentum tepescat. *Vtrũ quotidie cõmunicandum sit.* *Notent hoc sacerdotes qui suã salutẽ amãt.*

Secunda propositio, maximè pro his de quibus nunc diximus: Quanquã laudabiliter ab hoc sacramento abstinere quis posit, & laudabiliter etiam accedere: ita vt vtrunque opus virtutis esse queat: primum quidem, cùm ex humilitate & reuerẽtia aliquis se subtrahit: secundum verò, cùm ex deuotionis feruore accedit: proculdubio tamen & laudabilius & vtilius est, nõ quidẽ sine reuerentia & timore, sed ex deuotione & feruore accedere. Primum quidem probant diuersi illi affectus (de quibus Euangelium) in Petro & Centurione. Petrus dixit: Exi à me &c. & Centurio: Domine non sum dignus &c. Zachæus verò gaudens excepit in domo sua Christum: hoc enim omnes laudamus. Secundum verò apertè probatur, quoniam affectus ille quo abstinetur ab hoc sacramento, timoris est & reuerentiæ: quo verò acceditur, charitatis & deuotionis: & quanquã vterq; bonus: hic tamen melior magisque Christiano statui cõsonus: & præterea ex ipsa sumptione & virtute sacramenti plurimum vtilitatis accedit. *Melius est accedere ad sacrã Eucharistiam quàm abstinere.* *Saluberrimũ documẽtum pro ijs qui frequẽter communicant.*

Tertia propositio iam sit specialior, Is qui frequenter accedit, diligenter discutere debet, an ex accessu proficiat, an non. Nam certè cùm ex frequenti vsu non agnoscit profectum virtutum & pietatis, timendum est ne indignè sumat. Hanc verò discussionem diuersimodè putant diuersi faciendã. Alij ita,

vt si ex frequenti sumptione experiamur minui in nobis reuerentiam sacramenti, & deuotionem non augeri, aut parùm, abstineamus potius. Alij verò cogitandum esse putant, quantum ex frequenti sumptione creuerit in anima promptitudo ad virtutum opera, & quantũ contrariæ vitiorum passiones sint diminutę. Nam qui hoc nullo modo experiũtur, meritò timere debent, & se subtrahere. Sed nos putamus etiã hoc addendũ, ne facilè, hi maximè qui ad hoc vocati sunt, abstineant: eò quòd hic minor profectus virtutum vel deuotionis, sicut & diminutio passionum, non sit ex sensuali aliqua experientia discernenda. Nonnunquã enim Deus permittit latere nos profectũ nostrũ: nonnunquã, & maximè proficientes, permittit grauissimis affligi tentationibus, vt videantur sibijpsis derelicti. Quare si ex hoc abstineamus, fiet, vt cùm maximè accedendũ esset, tũc nos subtrahamus. Igitur deliberatio animi vera, odium malorum, & desiderium verũ virtutũ si adsint, accedendũ est. Et (vt Ambrosius dicit) quia quotidie peccamus, quotidie accipienda medicina. Deinde etiam id cõsiderare debet qui abstinet, vt nõ in occasionem otij & torporis, aut certè noxię alicuius occupationis vtatur hac abstinentia. Si abstinendum fuerit, abstinendum est cum maiori cura deuotionis & exercitij spiritualis. Nec etiã illud prætermittendum, quod Hadrianus pontifex, diligenter illo loco notauit: quòd cùm superbia sit nostræ dispositioni aut puritati inniti: & magnę ingratitudinis tantis Dei beneficijs nõ vti: maiori periculo se exponit facilè se subtrahens à sacramento, quàm qui humiliter de se diffidens, & diuinæ misericordiæ innixus accedit. Ex his in speciali iudicari poterit, quid magis conueniat Quj verò ex his nondum de se iudicare potest, prudentis viri requirat, & sequatur consilium.

LECTIO DECIMA.

De vsu vtriusque vel alterius speciei, & quibusdam alijs.

PERTINET etiam ad vsum sacramenti quæstio illa hoc seculo maximè exagitata propter hæreticorum importunitatem, an scilicet necessarium sit in sumptione huius sacramẽti vtramque speciem sumi. Quod Lutherani omnes, & quotquot hodie

hodie sunt aliarum sectarum, affirmant tam pertinaciter, vt non dubitent damnare grauissimi sacrilegij tot Ecclesias Christianas, & tot annorum prælatos & populos, qui sub vna specie cõmunicârunt & communicant: asserentes hoc esse contra manifestissimum præceptum Christi, dicentis: Accipite & bibite ex hoc omnes, quod eodem modo dicitur à Christo, sicut & præcedentia: Accipite & manducate. Est hæc hæresis valdè plausibilis populo, maximè propter hoc verbum, quod illi clamant tam apertum esse, vt nullus sit locus expositioni. Confirmare etiam illud videtur consuetudo antiquæ Ecclesiæ. Non est enim dubium primis illis temporibus & in Romana Ecclesia, & in omnibus totius ferè orbis Ecclesijs sub vtraque specie cõmunicatum fuisse, idque certè longo etiam tempore. De hac igitur quæstione breuiter dicendum est, quod sufficiat filijs subditis Ecclesiæ confirmandis, etiam si noluerint silere hæretici. Sit igitur de hoc prima propositio.

In celebratione perfecta huius sacramẽti, cùm videlicet mysterium illud expletur, sicut necessaria est ex institutione Christi vtriusque speciei consecratio & oblatio, ita & necessaria est vtriusque speciei sumptio. Quæ propositio verbis illis Christi domini certissimè confirmatur, & ipsa institutione sacramenti. Nam proculdubio omnis violatio sacramenti graue sacrilegium est, & peccatum mortale: violatur verò sacramentum, cùm non seruatur institutio ipsa & significatio integra. Nam quæ maior violatio rei institutæ à Christo, quàm cùm partes ex quibus ille ipsam constare voluit, auferuntur? vt si in baptismo deesset aqua, aut in confirmatione chrisma: nonne perinde est, ac si ab homine auferretur corpus? Cùm igitur in hoc sacramento integrè voluerit Christus mẽsam parare, & vtrunque quod in refectione humana necessarium est coniungere: cibum scilicet & potum: & ita sanguinis sui effusionem pro nobis, & perfectam refectionem animæ significauerit: proculdubio ista infringit & mutila reddit, qui alterum sine altero consecrat. Sicut enim non est perfecta refectio corporis sine pane & vino, ita nec perfectum est hoc sacramentum sine vtriusque specie: nec significatur effusio sanguinis Christi, vel ipsius animæ plena refectio. Maneret ergo sacramentum imperfectum: quare non sine graui peccato id fieri potest. Hoc igitur daturi sumus hæreticis, quod probãt omnes illorũ rationes. Præceptũ Christi, integrum quidem & plenum, Apostolis ad hoc ordinatis sacerdotibus competit. Illi tenentur cuncta implere. Hoc

Minister celebrans debet vtrãq; speciem sumere.

(inquit) facite in meam cõmemorationem: Hoc, scilicet quod ego ipse Christus feci: consecrate, offerte, sumite. Nam illud verbum, Accipite, &, Bibite, intelligi potest potius de facultate data & potestate suscipiendi, quàm de obligatione, de quo postea: & satis hoc probat integritas sacramenti & significationis. Huc igitur referimus verbum illud Gelasij papæ in cap. Comperimus. de consecratione dist. 2. Vbi aperte inquit, Grande sacrilegium est integra non suscipere sacramenta: quod b. Tho. de celebrantibus intelligendum dicit: qui procul dubio propter hanc integritatem sacramenti tenentur non tantùm consecrare, sed etiam sumere, vt habetur in concilio Toletano, & totius Ecclesiæ consuetudo ostendit. Vel fortè Gelasius dixit hoc secundum consuetudinem quæ tunc erat in Ecclesia. Nec enim dubium est in antiquiore Ecclesia vtramque speciem sumpsisse etiam laicos. Et nonnunquam id præcipiebat quoque Ecclesia propter hæreticos Manichæos, qui (vt Leo inquit) vel vinum detestati, quòd dicebant fel esse principum tenebrarum, vel Christi mortem non credentes veram: à specie vini abstinebant, sicut Leo ostendit in quodam sermone. Nihil itaque mirum, si quandoque cogerentur omnes ad sumptionem speciei vini, ad confitendam & significandam effusionem sanguinis Christi.

Vtriusque speciei sumptio nõ est accedentibus necessaria.

Secunda propositio. Peracta celebratione integra huius sacramenti, non putauit vnquam Ecclesia eis qui participant huic sacramento necessariam vtriusque speciei sumptionem. Et hoc est quod hæretici omnibus viribus negant, dicentes omnino necessariam cuicunque participanti vtramque speciem. Sic igitur contra eos ad stabiliendos Catholicos probanda est hæc propositio ex Ecclesiæ sensu, qui solus verus interpres est scripturæ.

Respondendum est hæreticis, verba illa Christi: Accipite, & bibite, intelligenda esse sicut semper Ecclesia illa intellexit: sed nunquam ostendetur Ecclesiam intellexisse speciem vini necessariam omni sumenti: magis autem ostendemus apertè sensisse eam, & in vsu habuisse, quòd vna species sufficeret: huic ergo sensui sequimur. Huius verò querenda sunt nobis in antiquitate testimonia, quæ rariora quidem sunt, sed (vt suprà diximus) nos credimus ideo rariora esse, quia apud antiquos hoc nunquã versum fuit in controuersiã: tamen sufficere debet au-

Ante 1200 annos fuit

ctoritas Nicæni cõcilij, quod primũ & auctoritate & sanctitate est in Ecclesia. cap. 14. illius cõcilij ita dicitur, & ita statuitur.

Diaco-

Diaconi præsentibus sacerdotibus vel Episcopis, ab ipsis percipiant sacramentum: eis verò absentibus, ipsi proferãt & edãt. Vbi manifestè constat etiam tunc, vix scilicet 300. annis ab ortu Ecclesiæ, cõsuetum fuisse vt asseruaretur sacramentum: idq; iustissima & necessaria caussa: vt scilicet semper paratum esset necessitatibus fidelium, tunc maximè, cùm rari erant ministri: & asseruatum etiam ostenditur in aliquot certè dies: quod ipsum concilium non solùm non reijcit, sed potius probat. Ceterum quia manifestum est speciem vini non sine magno periculo corruptionis & abominationis cuiusdam diu seruari posse: sequitur tantùm alteram speciem seruatam fuisse: quare sub ea tantum sumebant: & id confirmant verba quæ sequuntur: proferant & edant. Nam quanquam, eò quòd tantum fiat mentio vnius speciei, non debeat inferri alteram defuisse, tamen satis tota illius cap. circumstantia ostendit tunc vnam tantum speciẽ seruatam fuisse, quæ permittebatur sumi à diaconibus in absentia sacerdotum. Et hoc ipsum cõfirmat testimonium b. Ambrosij in sermone funebri fratris sui Satyri: vbi in magnam commendationem eius refert, quòd in orario suo inuolutum sacramentum & circumdatum collo deferens (quod à sacerdotibus in periculo tempestatis acceperat) mari se commisit: non quærens (inquit) tabulã, sed venerabile Sacramentũ secum tulit, cuius virtute à naufragio liberatus, sacerdotem Catholicũ quæsiuit, à quo sumeret ipsum, quod secum ferebat sacramentũ. Vbi apertum est tantum vnam speciem fuisse: non enim poterat vini species in orario seruari. Itaque communicabant sub altera specie, neque id putabant contra præceptum Christi antiquiores illi patres. Eusebius etiam 6. lib. Ecclesiasticæ historiæ, cap. 34. ex Dionysio Alexandrino antiquæ auctoritatis doctore, refert quasi miraculum de lapso quodam, qui in extremis positus petijt sibi venerabile sacramentum adferri: cui particulam corporis Domini (inquit) sacerdos noctu per puerum misit, iubens vt intinctum ei porrigeret: vbi aduerte idem quod diximus suprà in Concilio Nicæno, longo tempore seruatũ fuisse sacramentum: atque ideo non sub vtraque specie. Quod verò dicitur de intinctione, non ad speciẽ vini referendũ est, de qua nulla fuerat mentio, sed id fortè tũc consuetum erat, aut requirebat infirmitas: quod si cui hoc non placet, relinquamus verbum illud dubium & ambiguum: satis sit ex illo non probari vtramque speciem semper datam fuisse: particulam (ait) dedit puero, & iussit vt infusam in os immitteret. Sufficiat

cõsuetũ sacrã hostiã seruare.

itaque nobis videre, non fuisse creditum semper in Ecclesia illud verbum Christi, Accipite,&, bibite, omnes communicantes & sumentes hoc sacramentum astringere. Et huic sensui cõsonat ratio fidei manifestissima. Cùm enim sub qualibet specie (vt probatum est) totus contineatur Christus, caro scilicet, sanguis, anima, & diuinitas: nec dependeat vna species ab altera, quantum attinet ad continendum Christum: sub qualibet totus sumitur, atque ideo totus fructus percipitur. Non est igitur cur anxiè requirenda sit altera species, postquam semel sacramentum integrè celebratum est, maximè cùm signa illa & species propter rem contentam quærantur, & vtiles sint ex eo quod cõtinent. Ex his duobus iam tertium quod sufficere debeat, sequitur: quòd videlicet etsi verum sit vtriusque speciei perceptionem longo tempore fuisse in vsu Ecclesiæ, maximè cùm peractis mysterijs populus accederet ad communicandum: non tamen hoc quasi necessarium fuisse seruatum, cùm tunc etiam nonnulli sub vna specie sumerent, & ita fortè infirmis omnibus traderetur. Quare non est consultum conari, vt probemus vel in primitiua illa Apostolorum Ecclesia, vel in antiquioribus alijs tantùm fuisse vnius speciei vsum: quod quidam volũt ostẽdere ex illo verbo actuum Apostolorum: Erant perseuerantes in communicatione fractionis panis: Nam id hoc non probat: & Paulus ad Corinthios de cibo & potu mentionem facit. Donemus igitur illis fuisse vsum vtriusque speciei, quod testimonium illud Gelasij Papæ confirmat, & aliud Leonis in sermone 4. Quadragesimæ, de quo superius diximus: vbi Manichæos dicit speciem vini non sumere, ostendens apertè id contrariũ fuisse consuetudini catholicorum. Demus igitur hoc hæreticis: cõcedãt tamen illi nobis hoc non fuisse creditum necessarium, & factum quandoque fuisse oppositum absque timore aliquo transgressionis diuini præcepti. Sit itaque liberum vtrunque Ecclesiæ, neque nos eam seruituti subijciamus signorum. Cùm igitur crescente multitudine populi multa pericula vel effusionis sanguinis, vel irreuerentiæ, vel abominationis (propter multos qui abhorrent à vino) Ecclesia cognouerit: meritò ob reuerentiam Sacramenti cœpit his qui vna specie contenti erant, permittere vt ad aliam non cogerentur: & ita constat introductam paulatim fuisse hanc vniuersalem consuetudinem. Nam beatus Thomas ante 300. plus minus annos dicit art. vltimo 80. q. fuisse tunc consuetudinem multarum Ecclesiarum, vt sub vna specie sumerent: putauit enim ad hoc non tantùm vniuersalis

Non negãdum quòd olim etiam laici sub vtraq; specie cõmunicârint.

Quare ab altera specie Christi fideles abstineant.

salis Ecclesiæ & plenarij Concilij sufficere auctoritatem, sed etiam vnius & alterius, vel certè plurium Ecclesiarum : cùm in eis verum sit illud: vbicunque sunt duo aut tres in nomine meo &c. Et post b. Thomam in Concilio Constantiensi plenario quidem & magnæ auctoritatis, cùm hoc in quæstionem venisset: tandem definitum est non sine multa & diligenti discussione, non esse necessariam vtriusque speciei sumptionem : & deinde probata est & pro lege posita quæ iam inualuerat consuetudo: contra quod contendere certe manifestæ præsumptionis est, & non nisi occasionem quærentium.

Sunt quidam alij vsus sacramenti istius, quos hæretici reprehendunt, & propterea de illis breuiter dicendum. Fatemur igitur proprios vsus huius sacramenti, ad quos scilicet datum est à Christo, duos esse quos diximus: scilicet offerre & sumere. Ceterum sunt quædam alia consequentia, sicut adoratio sacramẽti huius, & eiusdem circumgestatio ac asseruatio: quæ hæretici clamant omittenda esse, quoniam non sunt præcepta à Christo. Vnde dicunt esse idololatriam & superstitionem quidquid fit in Ecclesia circa hoc sacramentum præter sumptionem, quia sunt (inquiunt) cultus sine verbo. Sed ex his quæ suprà dicta sunt satis patet hæc omnia inniti auctoritati & antiquitati Ecclesiæ, & esse ex traditione Apostolica. Nã de adoratione Augustꝰ. citauimus in illud verbum Psalmi: Adorate scabellum pedum eius: quod exponit de nostro sacramento. Dionysius etiã Cap. 3. Ecclesiast. Hierarchiæ describens ritum quem eo tempore in celebratione huius Sacramenti seruabat Ecclesia, ferè ostendit ea ipsa quæ nunc aguntur cùm post consecrationem ostenditur Sacramentũ & quasi adorandũ exhibetur. Pontifex (inquit) sacrosancta & augustissima mysteria conficit, & quæ ante laudauerat venerandis operta atque abdita signis in conspectum agit, diuina munera reuerenter ostendens. Et quidem (vt apertè dicamus) etiam si nullam haberemus auctoritatem patrum aut Ecclesiæ circa hoc: oportebat tamen tanquam certissimum id haberi, adorandum scilicet esse Christum in hoc sacramento: sequitur enim hoc ex fide necessariò : si enim certum est Deum adorandum esse (ratione etiam naturali docente hoc deberi primæ causæ & principio rerum omnium) fides verò testatur hic esse Christum verum Deum: quis non videt apertè sequi, igitur adorandus est: Non ergo tantùm dicimus licitum esse adorare hic Christum, sed necessarium oportet enim hoc certissimò constare, non minus ad fidem perti-

De adoratione Eucharistiæ.

Nota quòd tẽpore apostolorũ eleuabatur sacra Eucharistia.

Non solùm quæ scripta sunt, sed quæ ex sa-

crù scripturis necessariò sequuntur, sunt Christianis credenda.

nere quæ ex his quæ scripta sunt necessariò inferuntur, quàm ipsa quæ scripta sunt. Sic enim nomen consubstantialis deductū est ex æqualitate, & nomen personę ex his quæ in scriptura dicuntur, quāquā illa non sint scripta. Ceterùm quia solent quædam dubia circa adorationem esse huius sacramenti: duo breuissimè de illa notentur.

Nullū idolatriæ periculum in adoratione Eucharistiæ Art 3. q. 1. in secunda secundæ.

Primum. Adoratio huius sacramēti est solius Christi adoratio, ad quam ritè agendam satis est Christum in eo contineri quouis modo: quare multo minus est adorare hic Christum, q̄ credere ipsum realiter hic contineri. Hæc omnia patent ex his quæ diximus latius in propria materia de adoratione Christi: Reueremur enim & adoramus in signis & vestibus, & partibus suis illos quorum ista sunt signa vel partes, aut ad quos aliquo modo pertinent. Adoramus imaginem Christi non alia deuotione & adoratione, quàm Christum, quare ergo non magis hoc sacramentum, quod non figura, sed veritas est? Ex quo etiā inferendum est, nullum subesse periculum in hac adoratione, quanquam si minister non veraciter consecret, non sit ibi aliquid adorandum: quia (vt b. Tho. inquit) intentio adorantium, sicut & fides, refertur ad sacramentum ritè consecratum. Nec tamen opus est illam conditionem apponere explicitè, si ritè consecratum est, quoniam non est cur in dubium venire debeat, nisi fortè esset specialis aliqua dubitandi ratio, vt in hæretico aut huiusmodi alio.

De miraculosa apparētia specierū in Eucharistia.

Secundum propter miracula, & ea quæ solent in hoc sacramē to apparere notandū est, quòd quàm diu in hoc sacramento apparet alia species (vt si sit mutatio aliqua specierum facta) si tamen permaneat eadem quantitas & figura, credendum est ibi manere corpus Christi vel sanguinem: & ideo adorāda sunt, sicut ante quàm fieret transmutatio illa: multo verò magis quando hoc apparet sine transmutatione specierum. Nā quia huiusmodi apparentiæ possunt fieri virtute diuina vel in oculis, vel in alio sensu exteriori vel interiori, sine mutatione aliqua ipsarum rerum: & possunt etiam fieri cum ipsarum specierum mutatione (sicut in Exodo creditur factū esse circa virgam Moisi) quando omnibus apparet alia species, creditur facta mutatio in re ipsa: quando verò non omnibus apparet, sed vni aut alteri tantùm, mutatio videtur facta non in re ipsa, sed in sensu illorum. Igitur si mutatio solùm fiat in sensu aliquorum, alijs verò appareat species vini & panis, non dubium est adorandum esse sacramentum: si verò omnibus appareat vel carnis, vel sanguinis spe-

ſpecies: manente eadem quantitatis ſpecie & figura, adorandum etiam eſt ſacramentum: quia (vt b. Thom. q. 76. inquit, vbi hęc omnia tractat) tunc videtur mutatio tantùm facta circa colorem: quare permanente quantitate & figura, eædem cenſentur ſpecies quæ antea erant. Ceterum cùm quod apparet omnibus & quantitate & figura diuerſum eſt ſicut ſi appareat corpus hominis, aut huiuſmodi aliud, tunc non creditur ibi eſſe Chriſtus, cùm nihil maneat aliarum ſpecierum: tunc igitur veneratio ſiue adoratio referenda eſt, ad id quod apparet, non tamen adoranda eſt ea quæ apparet ſpecies, tanquàm quæ Chriſtũ adhuc contineat: Hæc quidem de adoratione. *Art. 8.*

De aſſeruatione ſacramenti ſufficere debet auctoritas Niceni concilij, de qua ſuprà dictũ eſt, & ea quæ apertè in omnibus antiquis concilijs habentur de conferendo hoc ſacramento infirmis quocunque tempore in articulo mortis. Quibus ſi adiungamus certiſsimam traditionem Apoſtolorum (de qua inferius loquemur) de celebratione huius ſacramenti non niſi à ieiunis facienda: apertè ſequitur vel fraudandos eſſe multos in morte communione ſacra, vel fuiſſe hoc ſacramentum ſeruandum. Sequitur etiam ſtultiſsimam eſſe Lutheranorum ordinationem, de cõficiendo videlicet hoc ſacramento omni tempore, & (vt illi dicunt) cœnando apud quemcunque infirmum.

Iam de circumferendo ſacramento vel oſtentando in ſolennioribus proceſsionibus & feſtis, quod hæretici calumniãtur, ex præcedentibus ſatis patet, quàm conuenienter & ſine aliquo periculo vel ſuperſtitionis vel idololatriæ in Eccleſia fiat: cùm enim conſtet realiter hic eſſe Chriſtum, & ideo adorandum: proculdubio arbitrio Eccleſiæ permiſſum eſt, vt ad eius adorationem & reuerentiã fideles ſuos excitet, quandocunque opus eſſe iudicat vel ad ſalutem illorum, vel ad Dei gloriã: quod maximè fit, cùm vel hæreſes inſurgunt, vel deuotio fidelium friget. Non igitur prohibeant hæretici fieri quod maximè ipſorum hæreſes poſtulant. Quare vt vnico verbo ad has eorum importunas obiectiones de cultu ſine verbo, quem dicunt, reſpondeamus: dicendum eſt apertiſsimè in nulla re latiorem cãpum & liberiorem eſſe Eccleſiæ Chriſti, q̃ in cultu ipſo: quod ex his quæ in principio diximus de hac materia, patere poteſt: Iudæis vt paruulis & ſeruis debuerunt omnia, etiam minima quæque, circa cultũ præſcribi: filijs verò in Eccleſia pauciſsima preſcripta ſunt: omnia verò permiſſa libertati eorum, ſuppoſita fide & ratione naturali: & propter multitudinem neceſſarium etiam

Rectè circũfertur ſacra Euchariſtia.

etiam fuit magisterium Ecclesiæ, quod proculdubio spiritus sancti ductu nos gubernat. Nihil itaque periculi erit, si cultum aliquem exteriorem nunquam antea obseruatum, consonum tamen rectæ fidei & vtilè fidelibus introducat Ecclesia: sicut fortè factum est de processione in die solenni dedicata ad cultum huius sacramenti, aut de huiusmodi alijs: sicut circa reliquias sanctorum. in quibus cùm Ecclesia non aliud intendat, quàm fidei certam protestationem: non est quod reprehendatur. Cauendæ sunt tamen superstitiones, & curandum ne populus nimium hæreat in exterioribus, atque ita auertatur à vero interiori cultu. Sed hæc docenda sunt à doctoribus & curanda ab Ecclesia, nunquam verò coram populo spargenda sunt aliqua in reprehensionem eorum quæ simpliciter seruantur in Ecclesia. Quod Hieronymus contra Vigilant. disputans apertè docet.

LECTIO VNDECIMA.

De *fructu siue effectibus sacramenti Eucharistiæ.*

QVIA sacramentum hoc præter primum illum effectum, quem forma sacramentalis significat (conuersionem scilicet illarum substãtiarum in corpus & sanguinem Christi) & vltra valorem, quem vt sacrificium habet, ex perceptione ipsa siue manducatione (quæ, vt diximus, etiam sacramentalis est) operatur magnos proculdubio gratiæ diuinæ in suscipientibus fructus, ad quos maximè institutum est: de his nunc breuiter dicendum. De quibus post Magistrum sententiarum distinctione 12. 4. reliqui omnes, & deinde b. Thomas quæst. 79. 3. partis diligenter docent. Sit itaque circa hoc primum omnium in vniuersali fundamentũ. Effectus omnes huius sacramenti, qui multi sunt & varij, ad duo tantùm capita reducendos esse: videlicet ad promotionem in bonum: per hoc enim sacramentum promouemur & proficimus in omni virtutis & gratię diuinæ opere: deinde & eripimur à malo omni & peccato: quod est alterum & præcipuum caput.

Omnes fructus sacræ Eucharistiæ reducũtur ad promotionem in omne bonũ, & ad liberationem ab omni malo.

Igitur in speciali nunc circa promotionem ad bonum, huic sacramento tribuitur primò gratiæ diuinæ collatio & augmentatio,

Ad quãta

tatio, deinde excitatio animi ad deuotionem erga Deū & prę-gustationem dulcedinis eius, & denique perseuerātia in bono, & peruentio ad beatitudinem. Hos effectus b. Thom. art. 1. & 2. illius quæst. docet proprios esse huic sacramento, eiq́ue conuenire maximè ex quatuor quæ in eo diligenter considerāda sunt.

bona cōdu cat Eucharistia.

Quatuor in sacra Eucharistia considerāda.

Primum, id quod continet, Christus videlicet, qui caussa est totius gratię & boni in nobis: Gratia & veritas per Iesum Christum facta est, inquit Ioannes: Id igitur quod in mundum veniens egit, agit & nunc veniens in hoc sacramento in animam: & hoc certè significat illud Ioannis: Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam: Et apertius illud: Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Vita enim propriè ad hanc Dei gratiam pertinet.

Primum, Quidquid Christus in mundū veniēs operatus est, hoc idē operatur veniēs in hoc sacramento in animā.

Secundum considerandum est id quod repræsentatur in hoc sacramento, scilicet passio ipsa Christi, vt apertè forma significat, & Paulus docet: Quotiescunque, inquiens, manducabitis panem hunc & calicem bibetis &c. Efficit igitur hoc sacramētum id quod passio Christi quam repræsentat: de qua Paulus: Reconciliati (inquit) sumus Deo per mortem filij eius. Hęc verò reconciliatio est per gratiam.

Secundum. Quod Christi passio idem et Eucharistia operatur.

Tertium in hoc sacramento est modus quo traditum est à Christo, cibi scilicet & potus. Vnde operatur in spirituali vita quod cibus & potus in corporali. Sicut ergo per alimentū sumptum primo delectamur gustu & sapore, deinde corroboramur, dum id quod deperditum fuerat virium reparatur, & additur etiam nōnihil: & demum quamdiu sumus in ætate augmenti augemur: ita per hoc sacramentum hæc omnia efficiuntur in anima: gustatur diuina dulcedo, quidquid ex quotidiana infirmitate & cōsuetudine terrena deperditum est virium animæ reparatur: & quia in hac vita semper nobis proficiendum est, promouemur ad profectum per illud. Vnde non immeritò cibus hic designatus est in ligno illo vitæ, quo reparabatur & renouabatur homo, & à morte præseruabatur. Itaque non tantùm quod communes illi cibi faciunt in corpore, hoc agitur in anima, sed multo proculdubio amplius: quòd scilicet singularis ille cibus ligni vitæ faciebat in corpore, videlicet renouationem.

Tertium. Quod cibꝰ & potus corporaliter, Eucharistia operatur spiritualiter. Eucharistia verū lignū vitæ.

Quartum denique est species ipsa panis & vini, sub qua traditur hoc sacramentum. Significant enim panis & vinum non tantùm corpus & sanguinem Christi, in quæ etiam per conse-

Quartum.

cra-

crationem conuertuntur, quæ in scriptura sacra apertè istis significata sunt: nam ipse inquit: Ego sum panis viuus: & de sanguine eius Iacob dixit: Lauit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium. Sed significant etiam corpus ipsum mysticum Ecclesiæ, hoc est, vnitatem fidelium omnium, qui in hanc vnitatem conueniũt non aliter quàm diuersa grana tritici & botri in vnum panem & vinum. Ita enim Augustinus inquit in sextũ cap. Ioannis: quòd propterea dominus corpus suum & sanguinem nobis cõmendauerit in ijs rebus, quæ ex multis in vnum aliquid rediguntur, vt significetur hæc Ecclesiæ vnitas. Igitur & hoc efficit istud sacramentum sicut significat: vnit omnes suos mentes: & primo quidem in ipsum Christũ illos transformat: deinde coaptat ceteris omnibus membris Christi: De quo Paulus apertissimè dixit: Vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & calice participamus: apertè ostendẽs participationem hanc id efficere. Hæc igitur quatuor sunt diligentissimè consideranda & explicanda ac commendanda populo, quibus maximè excitari possumus ad huius sacramenti desiderium. Sunt verò ad hoc & in scriptura sacra & in patrum doctrina apertissima loca. ex quibus nonnulla b. Tho. illo loco citat. Itaque prima duo, Christus scilicet & passio eius, sunt fontes totius gratiæ, ad quos nullus accedere potest, in quem non influant abundantissimè, nisi magna culpa indignum se reddat. Reliqua verò (quæ horum sunt effectus) refectio scilicet animę, spiritualium virium cõfirmatio, prægustatio diuinæ dulcedinis, & vnio illa veræ charitatis, efficacissimè ab hoc sacramẽto (à Christo scilicet & passione eius) fiunt in nobis. Atque ita ipsum manducamus, vt eum non conuertamus in nos: sed conuertamur potius in ipsum, vt Augustinus inquit. Nam cibi cõuersio in comedentem ideo fit, quòd comedens maiori & efficaciori vi quàm ipse cibus habeat, eum in se conuertat: at verò hic virtus cibi, id est Christi, multo est & absque comparatione maior: quare etiam meritò nos in se cõuertit. Vbi & hoc est considerandum, quòd manducatio ipsa, & species panis ac vini, & verba ipsa sacramenti huius hæc nobis significant, & de his nos docent: quæ doctrina non est surda aure audienda. Primò enim admonemur egere nos alimento: sed Christum nõ transiturum in nos, verùm nos potius transituros in ipsum. Quare si volumus veraciter viuere Christo, opus est vt nos permittamus conteri quasi quibusdam dentibus à timore domini, & transmitti velut in stomachum quendam, in considerationem

summæ

Ioan. 6. *Genes. 49.*

Sacra Eucharistia vnit nos Deo et Ecclesiæ. *1. Cor. 10.*

Diligenter sunt hæc cõsiderãda & prædicanda.

Differentia inter hunc cibum & alios.

Mystica, efficacissima, & saluberrima consideratio.

summæ illius misericordiæ & infinitæ virtutis passionis Christi, vt ita demum calore illo viuifico Christi conuertamur in ipsum: vt primò dicamus cum Paulo: Christo confixus sum cruci: Deinde: Viuo iam non ego, viuit verò in me Christus, Hic est huius sacramenti proprius effectus: hoc ipsum admonent nos panis & vinum, quæ materia sunt huius sacramenti: vt videlicet, si volumus membra esse corporis Christi, & ad Ecclesiasticam vnitatem pertinere, permittamus nos sicut grana tritici frangi, & à propria voluntate discedamus: vt sic simus cor vnum & anima vna cum alijs. Hoc est enim quod Paulus docet: Vnusquisque proximo suo placeat ad bonum in ædificationem. Et de se dicit: Non quærens quod mihi vtile est, sed quod omnibus. Hæc est vera Ecclesiæ vnitas in pane & vino significata nobis, & virtute huius sacramenti proculdubio cõseruata. Nec prætermittendum est, quòd hoc ipsum verba sacramentalia nos doceant. Sicut enim credimus ad verborum illorum prolationem, mox creatas illas & insensibiles alioqui substantias statim cedere, & locum aduenienti Deo relinquere: ita docemur oportere nos diuinis præceptis obtemperare: & eius audito verbo, ab omni proprio sensu, amore & desiderio recedere, vt in DEVM transeamus. Et rursum sicuti videmus creatas illas substantias, quanquam esse desierint, non tamen redactas esse in nihilum: sed potius transmutatas in melius, & illa sua obedientia nihil amisisse boni: ita & nos quò ad obedientiam DEI promptiores fuerimus, & minus quæsierimus nostra, eò magis perficiemur & deificabimur. Atque ideo hæc nostra in DEVM mutatio, quæ summa est totius religionis Christianæ, tot modis, tot figuris nobis in hoc sacramento commendata est. Hoc etiã non est prætermittendum, quòd hoc sacramentum operatur in nobis renouationem, & rememorationem immensæ illius charitatis Christi, ex qua pro nobis factus est homo & mortuus est. Hoc itaque operatur in nobis, vt nunquàm è memoria hæc excidant: & è memoria quidem non sterili, sed deuotissima & affectu plena: ita vt meritò credamus Christum ipsum in hoc sacramento, & passionẽ eius tanquã sigillũ efficacissimũ seipsum imprimere in animas nostras. Vt verè Damas. lib. 4. de ortho. fide cap. 14. comparet carnem Christi ignito carboni in hoc sacramento. Diuinum, inquit, carbonem concipiamus, vt ignis in nobis desiderij assumens ex eo carbone ignitionem comburat peccata nostra, & illuminet corda, & participatione diuini ignis igniamur atque

Gal. 2.

atque deificemur. Possumus etiam meritò sigillo diuino hoc sacramentum conferre, in quo impressa ipsa imago bonitatis diuinæ, quæ filius est, impressa atque contenta & passio eius efficacissima virtute seipsa imprimat nobis: si modò nos exhibeamus in omni humilitate & mansuetudine tanquam tractabilē quandam cæram Christo ipsi operanti in hoc Sacramento. Omnia itaque hęc quoque efficacissimam quandam virtutem conferendæ gratię in hoc sacramento ostendunt. Ex quo b. Thom. infert, diligenter id considerans, quòd etsi alia sacramenta sint instituta ad primam conferendam gratiam, quæ natura sua præcedere debet hoc sacramentum, tamen & illa virtute huius sacramenti, & quia ad illud ordinātur, hoc efficiunt. Vnde in eorum susceptione est iam votum huius sacramenti, sicut suprà dictum est: quare ipsum in voto operatur in ceteris sacramentis, re verò susceptum auget gratiam, si iam præcesit, & nonnunquam etiam de nouo confert, vt statim ostendemus. In quo augmento notat etiam idem sanctus Doctor in hac vita nunquam esse terminum, sed sicut alimentum corporeum auget sumentem quamdiu est in ætate augmenti, ita hoc sacramentum quamdiu sumus in hac vita, quæ est tempus augmenti gratiæ. Augmentum verò quod confirmatio præstat, habet terminum quendam & statum: per illud enim in ordine ad alios quodammodo augetur & perficitur suscipiens, vt scilicet confiteatur fidem: hoc verò augmentum est in ordine ad seipsum & ad Deum, vt scilicet magis magisque Deo vniatur & illi assimiletur, in quo quamdiu hic viuimus proficiendum est: non quòd iam acceperim, inquit Paulus, aut perfectus sim: sequor autem &c. Quinimò cibus hic cælestis in finem vsque dignè sumentes perducit: quia proculdubio sumptus facit vt proficiamus, nec nos deserit donec tandem ad patriam perducat: similis in hoc illi cælesti mannæ, quo vsque ad terram promissionis nutriti sunt filij Israël. Ita igitur & nos excitati tanta virtute, tanta dulcedine & suauitate Christi, in hoc deserto, quousque tandem ad veram illam viuentium terram perueniamus, conuenit hoc cælesti pane semper vesci, si nolumus omnino deficere.

Art. 1. ad 1. q. 79.

Cetera sacramenta virtute sacræ Eucharistiæ gratiā confe-runt.

Philipp. 1.

Eucharistia sacra comm sa peccata tollit, & à futuris præ seruat.

Iam verò & circa peccata hoc sacramentum operatur primò vt remittantur præterita, directè quidem & primò quò ad culpam, ex consequenti etiam quò ad pœnam, per deuotionem videlicet & contritionem quam auget hoc Sacramentū, quia semper, vt beatus Thomas inquit, aliquid delet pœnæ.

Deinde

Deinde & præseruat à futuris, idque dupliciter, augendo videlicet vires animæ, & protegendo ipsam: ita vt meritò hoc Sacramentum & cibus sit interiora roborans, & arma atque munimentum exterius, de quo in Psalmis dictum est: Parasti in conspectu meo mensam &c. Ita beatus Thomas sequentibus aliquot articulis illius quæstionis. Et de remissione quidem peccati venialis nihil dubij est, cùm constet, quòd quanto Eucharistia sacra auget deuotionem & feruorem charitatis, tanto magis contraria omnia aufert: quæ reuera sunt omnia peccata venialia, remissiones videlicet quædam, quibus retardamur à feruore dilectionis diuinæ. Sed de mortalibus etiam notat illo loco, ea quandoque remitti, modò dignè sumatur, sine conscientia videlicet peccati, vt postea dicemus. Fieri namque potest vt non sufficienter præparatus suscipiat quis præcedentia sacramenta: atque ideo non sit consecutus remissionem: ceterum quia hoc ignorabat inculpabiliter hoc Sacramentum sumens, nonnunquam iustificari poterit à peccatis illis: istud nunc interim suscipiendum est, probabitur verò in materia de pœnitentia. Hæc itaque operatur hoc Sacramentum in suscipientibus ipsum: alia verò quæ operatur vt sacrificium, conueniunt etiam non suscipientibus, vt suprà dictum est. Ceterum hæc à nobis in summa dicta sunt tantùm ad explicandas res ipsas. Cupimus tamen & admonemus ministros eius & qui populum docere debent, vt hæc fusius & pluribus sacræ scripturæ & patrum testimonijs roborata primò sibijpsis commendent, deinde & his qui ad participandum huic sacramento accedunt. Sunt enim meritò effectus huius sacramēti diligenter docendi & inculcandi populo, multis scripturæ & patrum testimonijs: hoc enim præcipuè curandū, vt vero spirituali desiderio frequenter sumatur à fidelibus.

Fructus huius Sacramenti sæpe populo est prædicandus.

LECTIO DVODECIMA.

De præparatione ad sacram Eucharistiam.



EQVITVR iam de præparatione necessaria ad dignè hoc Sacramentum suscipiendum: nam & in ceteris sacramentis de suscipientis dispositione diximus, eò quòd omnia sacramenta conuenientem in suscipientibus dispositionem requirant. Dicemus igitur duo circa hoc.

Primum. Quæ sit necessaria dispositio vt absque peccato hoc sacramentum suscipiatur. Nam cùm susceptio eius sit manducatio, sumi non potest quin verum sit sacramentum: quod non oportet in alijs. Aliquando enim omnia sacramentalia signa baptismi suscipiens, ipsum Sacramentum non suscipit: vt si quis contrario & repugnanti animo ipsum suscipiat. Sed in hoc nostro sacramento quicunque suscipit consecratam materiam, verè suscipit sacramentum. Interim fieri potest vt peccet accipiendo, & fieri potest vt non peccet, nec tamen consequatur fructum. Igitur de duplici hac præparatione agendum. Prima, vt sine peccato sumatur: secunda, vt etiam cum fructu.

Susceptur⁹ sacrã Eucharistiam esse debet ꝯmunis ab omni peccato mortali.

1. Cor 11. Grauissimũ sacri legiũ committit, qui sũ de peccato mortali conscius sacram Eucharistiam sumit.

De prima igitur dispositione certissima est omnium sententia, requiri immunitatẽ ab omni peccato mortali: ita videlicet, vt post diligentem probationem & examinationem conscientiæ rationabiliter iudicet suscipiens se esse absque mortali peccato. Hoc probat verbum Pauli: Probet autem seipsum homo &c. Et proinde grauissimum peccatum est, cum cõscientia peccati mortalis ad hoc sacramẽtum accedere: & quidem post peccata quæ fiunt immediatè in Deum, est maximum. Probat hoc b. Thom. art. 4. & 5. q. 80. suprà dictæ. Est enim primò hic apertissimum mendacium in ipsum sacramentum commissum: nam eius sumptione significamus nos contendere ad veram vnionem Christi, cuius tamen reuera contrarium in mente est, quãdò mortali consentimus peccato. Deinde cùm in hoc sacramẽto Christus veraciter contineatur, licet occultè: & ipse in Euãgelio post peccata quæ fiunt proximè contra diuinitatem, ea quæ fiunt contra eius humanitatem posuerit: qui dixerit (inquiens) verbum in filium hominis &c. consequens est, hoc

pecca-

peccatum proximum esse peccato crucifigentium Christum. Illi enim in corpus Christi sub propria specie iniurij fuerunt: isti autem sunt non minus eiusdem corporis Christi, licet non in sua specie, contemptores. Quod ipsum Paulus significauit supradicto loco, dum ait: Reus erit corporis & sanguinis Domini. Itaque post infidelitatem, odium Dei, desperationem, crucifixionem Christi, & cetera similia, peccata quæ fiunt cõtra hoc sacramentum grauissima sunt: deinde & quæ contra cetera sacramenta, & res alias Deo sacras fiunt: tum demùm quæ in proximos committuntur. Et hæc quidem (vt b. Thom. inquit) de peccatis æstimatis ex suo genere certa sunt: quamuis ex circumstantijs possint alia esse grauiora: Itaque non dubitamus hoc peccatum maius dicere homicidio ex suo genere, quanquam illud sit magis nociuum. Et certè si quis rectè expendat quantum præstet Deus rebus ceteris, & post Deum Christi humanitas: videbit quantùm hoc peccatum sit, quod attinet ad suam naturam: quamuis sint alia apud homines peiora. Hæc autem dicimus, quando cum conscientia peccati mortalis acceditur. Potest enim mortale haberi, nec tamen cognosci. Nam b. Thom. art. illo 4. apertè docet, quòd cum peccato mortali accedere ad hoc sacramentum, etiam sine conscientia illius, duplici modo contingat. Primo ex culpa propria accedẽtis: cùm scilicet aliquis (vel quia culpabili negligentia discutit conscientiam, vel ignorat ea quæ sibi ad salutem necessaria sunt) putat se sine peccato accedere, nec dubium est ad peccatum id imputari: & quamuis tam graue non sit, quàm si cum conscientia peccati accederet: est tamen illi proximum. Alio modo fieri potest sine culpa sua: quia scilicet ignorat esse peccatum inculpabiliter: vel diligenter discutit conscientiam, nec tamen quantum necessarium erat ad consequendam peccati remissionem: & ita adhuc in peccato accedit. Et tunc non solùm non peccatur, sed magis ipsa susceptione disponitur, & quandoque (vt dictum est) omnino iustificatur. Et ex hoc vltimo gradu illud fit, quod in hac materia præ oculis habendum est, vt ad dignè accedendum ad hoc sacramentum non alia requiratur certitudo immunitatis à peccato, quàm quæ potest probabili coniectura haberi: cùm scilicet quis quantum putat rationabiliter sufficere ad rememoranda peccata, & ad verum eorum dolorem, & propositum emendationis, facit sine fraude & dolo. Alioqui oportebit nos aut nunquam accedere, aut expectare diuinam reuelationem, vel fidem Lutheranorum

Horribile est quod hic dicitur, & tamen verissimũ.

tenere, qua certò dicunt se credere remissa sibi peccata, non minus certò (inquiunt) quàm credunt Christum crucifixum, sed
Eccles. 9. de hoc alias. Catholici patres, & nos cum illis, immo cum spiritu sancto dicimus, nescire hominē an odio vel amore dignus sit, sed omnia reseruari in futurum incerta: & tamen diuinæ bonitatis non ignari, & testimonio illo conscientiæ, quo nihil nobis conscij sumus, freti accedimus ad hoc sacramentum: viuimus & morimur in vera consolatione: cùm metu semper & tremore salutem nostram operantes, & nec in hoc putantes nos iustificatos. Vbi si accedat iudicium prudentis & pij confessoris, nihil est quod nimium timeri debeat: atque ita catholici cōscientiæ nostræ & iudicis à Christo propositi testimonijs gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.

Confessio sacramentalis debet præcedere sui sacramēti sumptionem.

Quod verò mouet hoc loco Caietanus, an requiratur confessio mortalium quæ conscientiæ occurrunt? & audet docere quòd non sit necessaria, sed sufficiat sola interior pœnitentia, à prudentibus omnibus semper reiectum est: & communi sensu acceptum, necessariò præmittendam esse confessionem, vbi copia confessoris non deest: Nam eo deficiente, cōfitendi propositum cum contritione sufficeret. Et hoc (quanquam Caietanus aliter senserit) ex ipso iure diuino & natura huius sacramenti satis oftenditur. Cùm enim cibus sacramentalis sit, præcedere debet viuificatio etiam sacramentalis. Et quòd sola cōtritione remittatur peccatum, verum est: tamen hoc sacramentorum omnium summum, ad quod cetera ordinantur sacramenta, meritò requirit aliorum sacramentorum præparationem.

Nota definitionem sacri concilij.

Quod etiam concilium Tridentinum apertè definiuit: vnde inter anathemata in fine omnium ita dixerunt patres: Statuit itaque atque declarat sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis grauat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris necessariò præmittendam esse confessionem sacramentalem: pœnam excommunicationis latę sententiæ imponens cōtrarium docentibus aut asserentibus, aut publicè defendentibus. Vbi verbum illud, statuit & declarat, hoc oftēdit esse probabilius: & quod dubitationi reliquum esse poterat, propterea quòd non tam apertè in scriptura inueniatur, abstulit Ecclesia statuendo. Itaq, non iudicauit cōtrarium erroneum esse aut hæreticum: quare nec nos iudicare debemus: sed tamē quia noluit id disputari aut asseri, ita à nobis faciendū est.

Vtrū peccata ven-

Circa hoc restat de peccatis venialibus dicere, non quidem an de præteritis necessaria sit pœnitentia: nam sola deuotio

susci pi-

suscipientis hoc sacramẽtum sufficiens est ad illa delenda: multo ergo magis virtus ipsius sacramenti: de qua re suprà. Sed dicendum de his venialibus quę in ipsa sumptione sacramenti cõmittuntur, qualis est mentis euagatio circa extranea, siue licita siue illicita, modò sit venialis. Meritò itaque quæritur, an talia impediant fructum sacramẽti? Est verò grauium auctorum sententia, quòd proculdubio impediant. Ita b. Thom. dist. 12. quart. q. 2. art. vltimo: b. Bonauent. eadem dist. q. 1. secund. partis: Et Alexander de Hales quart. part. q. 4. membro 3. Quod & manifestissima ratione probant & communi, quam suprà explicauimus. Homo (inquiunt) sicut non iustificatur, ita nec perficitur à Deo, nisi ipsò cooperante: vt scilicet seruetur ordo suauis dispositionis rerum. Vnde & sacramenta ipsa non aliter operari superius diximus, quàm mentem excitando ad effectum suum consequendum. Cùm itaque charitas non augeatur, nisi cùm augetur affectus ipse & conatus, hunc verò impediat etiam peccatum veniale: non putant eo manente augeri charitatem: multo verò minus credunt posse alios effectus haberi, spiritualis videlicet refectionis, consolationis, & gustus diuinæ dulcedinis: quæ proculdubio exigunt multo maiorem animi puritatem & quietem in Deum. Est etiam specialis & maior ratio in hoc sacramento, quàm in alijs. Hoc enim cùm cibus sit spiritus, requirit actum spiritualis vitæ, hoc est, manducationem actualem, vt operetur: sicut corporalis cibus non nisi à viuente sumptus operatur. Ceterum quia ipse b. Thom. postea in 3. parte summæ q. 79. vbi de effectibus huius sacramenti agit, art: 8. apertè asseruit hoc peccatum euagationis animi, sicut non opponitur habituali charitati & gratiæ, ita nec impedire augmentum eius, & consequenter posse per hoc sacramentum augeri habitum gratiæ & charitatis: reddit hanc rem dubiam, quæ tamen non longa disputatione aut cõtrouersia, sed prudenti moderatione expendenda est. Putamus igitur sequentia posse affirmari citra temeritatem & periculum.

alia impediant fructũ sacræ Eucharistiæ.

Primum. Aliquam esse tantàm mentis euagationem, quæ non solùm totum fructum sacramenti impediat sed reum etiam faciat grauioris peccati, & quæ sumentem non paruo periculo exponat: etiam si præter intentionem & sine peccato mortali contingat: Hoc enim probat ratio illa superius adducta pro priori sententia, & omnis proculdubio Christianus sensus, qui magnã tepiditatem, & ex ea longam obliuionem in hoc tantæ sanctitatis opere fugit & timet.

Secundum. Potest nihilominus tam parua euagatio esse, tam præter intentionem omnem, vt meritò credi possit Deum misericordem non omnino auertere faciem & gratiam suam propter hanc, quæ sola infirmitas est humana. Igitur hæc non impediet, sed tanquam leuis quædã nebula dissoluetur virtute deuotionis præteritę. Et nonnunquam fit, vt etiam in ipsa euagatione duret nonnullũ desiderium feruoris & charitatis, vel saltẽ voluntas ipsa sumendi sacramentum: de quo illa b. Tho. sententia intelligi potest. Alibi verò b. Tho. asserit augeri habitualem charitatem, non postea cùm redierit animus ad se & ad Deum (nam de hoc nulla est quæstio) sed reuera etiam tunc.

Tertium denique est iam considerandum, quòd videlicet cùm soli Deo satis notum esse possit quanta puritas animi, quãque attenta meditatio in sumptione huius sacramenti requiratur: accedentes oportet semper in omni vigilantia & timore sese custodire, nec facilè sibi persuadere, sese, quocunque demùm modo accedant, fructum percipere: immo nec vlla quantumuis magna deuotione contenti esse debent, vbi maximè opus est esurie & siti iustitiæ. Nec etiam in alteram partem declinantes æstimare debent se semper sine fructu sacramenti esse, cùm vel non experiuntur deuotionis dulcedinem, vel aliquid distractionis patiuntur. Meminisse namque oportet, quod eo ipso loco b. Thomas dixit, ad augmentum gratiæ habitualis non requiri tantam attentionem, quanta ad spiritualem refectionem & gustum diuinæ dulcedinis percipiendum. Est porrò hoc saluberrimum consilium & in huius & in ceterorum sacramentorum vsu, quo monemur ad actualem deuotionem & desiderium gratiæ, & supplere etiam post illorum sumptionem, quod in ea defuit: operantur enim nonnunquam sacramenta sicut mortali peccato, ita & veniali recedente.

LECTIO DECIMA TERTIA.

De ministro huius sacramenti.

IAM ordo postulat, vt de ministro necessario huic Sacramento, & eius dispositione dicamus: de quo dist. 13. quarti Magister & ceteri: & b. Thomas specialius q. 82. tertiæ partis. Ex quibus vt breuiter necessaria tradamus, hoc sit primum,

Sacra-

Sacramentum hoc à solis sacerdotibus consecrari (ita vt à nõ ordinato nihil omnino fiat, quibuscunque vtatur verbis) immo & à solis etiam sacerdotibus licitè administrari potest. Et quanquam probatio horum, quantum contra omnes hæreses sufficere posset, magis pertinet ad sacramentum Ordinis: vbi (dante Domino) certa auctoritate discretio sacerdotum in Ecclesia à plebe probabitur: nunc tamen sufficere debet certissima Ecclesiæ auctoritas, quæ in ordinatione sacerdotum obseruat, vt detur eis potestas ab Episcopo offerendi sacrificium &c. Cui Isidorus, vt habetur dist. 25. in decretis cap. Ad presbyterum, apertum testimonium perhibet: cui etiam suffragatur conuenientissima ratio, quam b. Thom. supradicta q. art. 1. adfert. Cùm enim hoc sacramentum in persona Christi conficiatur, nullus verò possit personam alterius, nisi potestate ab eo concessa induere: patet nec hoc sacramentum confici posse, nisi ab eo cui Christus contulit potestatem, sicut Apostolis in cæna, quibus proculdubio in hac potestate sacerdotes ita succedunt, sicut, in altera potestate, quæ est in totum corpus Christi mysticum, Ecclesiam scilicet & populum Christianum, ad omnia quæ ad salutem spiritualem illius necessaria sunt, succedũt episcopi: de quo alias. Est itaque ad hoc sacramentum non minus necessaria potestas consecrantis, quàm verba ipsa quibus consecratio peragitur. Ceterum quod ad ministrandum alijs hoc sacramentum pertinet, asserimus requiri etiam sacerdotalem potestatem, vt licitè fiat. Nam fieri posse à quocunque qui in sua habet potestate hostiam consecratam, certum est: legitimè tamen & licitè ac regulariter non dubitandum est ab eo solo administrari, à quo conficitur: sicut Christus primò consecrauit idem & ministrauit, vt inquit b. Thomas art. 3. illius quæst. Et patet quod ipsum officium propriũ sacerdotis, qui medius est inter populum & Deum, hoc exigat, vt quemadmodum populi orationes & oblationes ipse offert Deo, ita Dei dona per illum populo administrentur. Sanctitas quoque huius sacramenti exigit, vt non nisi à consecratis personis, & in consecratis rebus tractetur vel custodiatur, sicut de corporali lineo & calice patet. Vnde concilium Remense (vt Gratian. citat de consec. dist. 2. cap. Peruenit) tanquam grauissimũ abusum damnat, vel laico vel fœminæ cõmittere deferendum infirmo venerabile sacramẽtum: vnde nec diacono hoc licet. Nec certè dubitare possumus, hoc (sicut & primũ) diuini instituti esse, vt satis sensus Ecclesiæ ostẽdit: quãquam cõstet nonnunq̃ aliter esse actũ in nonnullis Ecclesijs ob

Minister sacramenti Eucharistiæ est solus sacerdos.

penuriam ministrorum. Scribit enim Eusebius 6. Histor. Eccle. lib. cap. 34. ex Dionysio Alexandrino, presbyterum infirmitate detentum puero tradidisse Eucharistiam, qui noctis tempore ad eum venerat, rogans, vt ad infirmum deferretur, illiúque iussisse vt infusam infirmo præberet: quod nec Dionysius ipse, nec Eusebius reprehendit. Ipsum etiam Nicænum concilium diaconis non omnino dispensationem huius sacramenti inhibet, aut saltem sibi vt sumant permittit, vt patet cap. 14. illius concilij. Ibi enim absente episcopo vel presbytero permittitur diaconis (vt suprà diximus) vt proferant & edant. Immo Eusebio teste lib. 10 cap. 6. inter 22. capita illius concilij vigesimum sic habet in fine: Si verò presbyter nullus sit in præsenti, tunc demùm etiam illis licere diuidere. Nunc verò in Ecclesia cùm maior sit copia sacerdotum, & minor diaconorum, hoc sacramentum quãtumuis maxima necessitate nõ nisi per sacerdotes administratur, eò maximè, quòd non tantæ sit necessitatis vt baptismus: & putandum est sola deuotione & proposito suscipiendi suppleri sacramenti defectũ, quando hoc etiam fit in baptismo ipso, qui tamẽ maximæ necessitatis est. Et hæc quidem de necessario ministro. Ceterum & illud non est omittendum, quòd cõsuetudo Ecclesię Romanæ & multarũ aliarum habet in ordinatione sacerdotum & episcoporũ, vt plures simul eandem hostiam cõsecrent: quod Innocentius 3. probat. Vnde b. Thom. art. 3. suprà dictæ q. non dubitat asserere eandem hostiam simul consecrari à pluribus, quando omnium intentio in prolatione verborum refertur ad vnum idemque instans. Quare anxia Durandi de hac re cura, qua putat hanc consuetudinem auferendam esse, non probatur: immo contrarium agitur ab omnibus ferè ecclesijs: nec est scrupulosius insistendum, quod si vnus ante alium proferat &c. sed satis esse debet quod de omnium concordi intentione dicit b. Thomas.

Plures sacerdotes vnam possunt cõsecrare hostiam.

Est verò dubium in hac materia de peccatoribus publicis vel occultis, siue separatis ab Ecclesia excommunicatione aut degradatione, siue non, an verè hoc sacramentum conficiant: de quo tria breuiter notentur.

Primum. Non est dubium sacerdotem ritè ordinatum quantumuis publicum peccatorem, quãtumuis ab Ecclesia damnatum, & excommunicatione vel degradatione separatum posse hoc sacramentum conficere, ita vt eius integritati nihil desit. Quod b. Tho. supra dicta quæst. 7. & 8. arti. scripturæ, & Augustini maximè auctoritatibus probat. Nam Paulus se ministrum

Sacerdos licet impius, excõmunicatus & degradatus, tamen verè

Christi,

Christi, & vera eius sacramenta dispensare nec dubitat, nec ab alijs dubitari volebat: Sic (inquiens) nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum eius. Ceterum an bonus esset & fidelis, an non: non ita certò vel à se vel ab alijs definiri voluit: Pro minimo est mihi (inquit) vt à vobis iudicer: sed nec meipsum iudico &c. Quòd si ad sacramenta perficienda sanctitas ministri necessaria de vtraque esset æqualiter dubitandum. Quam quæstionem contra Donatistas olim multi quidem patrum, præcipuè tamen Augustinus diligentissimè in omnibus fere libris contra ipsos pertractauit. Vnde in secundo contra Epistolam Parmeniani, de potestate sacramenti ordinis apertè probat, nullo peccato vel sententia eam auferri, ex eo quòd cùm reconciliantur sic damnati, rursus non ordinantur, sicut nec baptisantur. Vnde ibidem (quod b. Thom. supradicto loco adnotauit) diligentissimè distinguunt hæc tria, non habere potestatē, aut perniciosè habere, aut habere salubriter. Extra Ecclesiam ergo constitutus habet potestatem, sed perniciosè: in illa verò salubriter: atque ita eodem modo vtuntur ea salubriter in Ecclesia, perniciosè extra. Grauiter itaque eos peccare consecrātes, vel sumentes, vel administrantes, non est dubium: Idque eò grauius, quò magis ab Ecclesia separati sunt.

potest consecrare.

1. Corin. 3.

Capite. 13.

Secundum hoc sit: Non tantùm eos Sacramentum cōficere, sed & oblationem ipsam, & orationes circa eam nō minus prodesse, modò in persona Ecclesiæ ab eis fiāt, quàm si boni essent: quod b. Thomas art. 6. illius supràdictæ quæst. manifesta ratione probat: quoniam non ministrum, per quem aliquid executioni mandatur, sed Dominum à quo mittitur Deus respicit: vt si malus famulus receptam à Domino pecuniam pauperibus eroget. Quantum igitur orationes pendent ex ipso orante, magis prosunt boni quàm mali: sed cùm oratur in persona Ecclesiæ, non nocet ministri malitia. Dubitant nonnulli de hoc, sed non magnopere ad nos pertinet: Deus enim nouit quo gradu accepta sint sibi bona Ecclesiæ & nostra omnia: nec rationabiliter in dubium verti potest, coram illius clementissimo tribunali semper præstò esse totius Ecclesiæ (hoc est sanctorum omnium ab initio sæculi vsque ad finem) merita, desideria, & animi intentionem: quæ respiciens Deus exaudit ministros & mēbra singula, cùm hæc offerunt nō iuxta suam dispositionem, sed iuxtà quod sancti omnes & tota Ecclesia (quibus minister se coniungit, si quidem est in charitate, vel saltem quorum personam agit) digni sunt apud Deum. Quòd igitur nonnulli disputant, an vi-

Malorum ministrorū oblatio & oratio quo modo Deo grata.

videlicet ea quę Eccleſię nomine fiunt, modò gratiora ſint apud Deum, modò minus grata, propterea quòd non ſemper in Eccleſia æquè multi ſunt boni, non eſt opus diſcutere. Certè totam Eccleſiam ſemper aſpicit Deus, ſiue præſentem ſiue præteritam. Nec ego dubito vnquam à Deo petere, vt ſecundum intentionem & merita eorum qui preces illas, quas dicimus, ordinàrunt & ſtatuerunt, & omnium denique quibus ipſe placet aut vnquam placuit, concedat: non ſecundum noſtra qui oramus. Nec tamen ideo non eſt verum, ſupplere omnes fideles meritis ſuis & operibus quæ deſunt (vt Paulus inquit) paſsione Chriſti, & augere Eccleſiæ merita: ſed omnia illa putamus Deum ſemper aſpicere. Igitur orantis deuotio & ſanctitas, ſiue offerentis ſiue participantis, magis agit vt particeps fiat orationum & meritorum Eccleſię, ſiue alius etiam propter illum, quàm vt addat quidquam illis, in quibus omnia proculdubio includuntur, quæ quocunque tempore grata ſunt apud Deum. Quòd ſi quis de hoc dubitet, melius eſt Deo relinquere, & nihil temerè affirmare: ſicut neque iſtud nos aſſerimus.

Vltimò tandem circa hoc notandum eſt de participatione, ſacrificijs, & precibus impiorum ſacerdotum, ſiue ab Eccleſia præciſorum. Circa quod duo ſunt conſideranda. Alterum, id quod iuris diuini eſt & naturalis: vt ſcilicet peccatis aliorum non conſentiamus, multo verò minus auxilium præſtemus, aut fauorem, aut denique omittamus correctionem illam neceſſariam. Cùm enim ex ſeparatione noſtra, aut ex admonitione fructum ſperamus: non dubium nos ad eam teneri ſiue publicus ſiue ſecretus peccator ſit, modò id ſine iniuria illius fiat, ſeruato ſcilicet ordine Euangelico: ſicut è contrario, ſi ex noſtra participatione aut ſilentio agnoſceremus illum confirmari aut animari ad peccatum, tenemur id euitare. Vnde b. Auguſtinus in lib. contra Donatiſtas, bonos ex participatione ſacramentorum vel orationum cùm malis dicit non coinquinari, cùm vel pro pace, vel quia ignorantur, ſiue alia neceſſaria cauſſa eos oportet tolerari. Et huc pertinent omnia illa quæ in ſcriptura dicuntur:

1. Corin. 5. Ioan. 2. Cum huiuſmodi nec cibum capere: &, Nec aue ei dixeritis. Reliquum eſt, quòd cum in his omnibus euitandis iudicium Eccleſiæ meritò ſit conſiderandum, olim quidem fuerunt maiora dubia circa euitandos hæreticos aut excommunicatos quoſcũque, ſed nunc in concilio Conſtantienſi ablata ſunt, cùm ſolos denunciatos ab Eccleſia nominatim euitare teneamur, niſi notorij ſint percuſſores clericorum. Qua declaratione omnia quę

iuris

iuris positiui circa hoc erant, vel ex sententia Ecclesiæ sequuntur, mitigata sunt. Ceterum remanent quæ sunt iuris diuini & naturalis, quæ prius diximus.

Nolumus etiam hoc loco circa ministrum omittere quod b. Thomas suprà dicta quæst. art. 10. ex auctoritate b. Ambrosij, & ratione efficaci tenet: ministrum videlicet huius sacramenti, sacerdotem scilicet, etiam si nullam habeat curam animarum, tamen ex ordine ipso sacerdotali teneri, si non frequentius, saltem in præcipuis festiuitatibus celebrare. Quod omittere etsi nonnulli putant leue esse aut non mortale, Ambrosius tamen graue esse dicit: & de sacerdotibus legis veteris in grauissimam reprehensionem dicitur, quòd non circa altaris officia dediti erant. Denique tantæ gratiæ diuinæ, vtilitatis Ecclesiæ & propriæ neglectus, quid est aliud quàm in vanum gratiam Dei recepisse. Nō auderemus itaque à graui peccato liberum credere hoc omittentem, mortale verò an veniale sit, Deo relinquimus.

Sacerdos etiam non curatus tenetur celebrare, & quando. 2. Macha. 3.

LECTIO DECIMA QVARTA.

De ritibus superadditis vltra ea quæ ad sacramenti integritatem sunt necessaria.

VPERADDITA sunt multa in hoc sacramēto post ea quę iam necessaria ad integritatem eius diximus, sicut & in ceteris sacramentis factum esse superius docuimus. Quę quidē reuerenter seruare oportet, & quantum licet commendare & explicare populo: vt videlicet (quod Ecclesia intendit) ex eis excitetur ad deuotionem & reuerentiam, & aliorum, & huius maximè sacramenti: Et quoniam hæretici illa omnia contemnunt & tollunt ex Ecclesia vbicunq; datur opportunitas, blasphemantes omnia: opus est illa confirmare, & certa auctoritate ostendere quàm sit temerarium, hæreticum, & schismaticum illa mutare: quod tamen breuiter agendum est. Pijs namque & synceris facile hoc persuaderi potest: obstinatis verò & contentiosis nihil sufficit.

Circa hæc igitur in generali quidem nihil salubrius & verius dici potest, quàm (sicut suprà attigimus ex August. in Epistola ad

118.& 119.86. ad Ianuarium, & 1.& 2. epistolis, & in epistola ad Casulanum) quod post illa quæ sacris literis tradita sunt expressè, & post illa etiam quæ per totum orbem terrarum seruat Ecclesia (quorum duorum tanta est auctoritas, vt insaniæ insolentissimæ sit de eis dubitare: nam sicut scriptura à spiritu sancto, ita & ista aut per Apostolos siue ex traditione Christi, siue spiritus sancti speciali magisterio, aut per concilia eodem agente spiritu sunt statuta)cetera omnia quę neque contra fidem, neque contra bonos mores sunt, habent tamen aliquid exhortationis ad vitam meliorem, etsi in diuersis Ecclesijs diuersimodè seruentur: sunt tamen pro lege vbi seruantur habenda, atque diligenter seruanda. Ita enim b. Augustinus suprà dictis locis docet. Ex quo iam apertè quoq; sequitur, qualiter circa ritus eosdem vel diuersos, qui in Ecclesia seruantur, nos oporteat habere. Aut enim probaturi sumus illos ex scriptura, vel vniuersalis Ecclesiæ vsu: aut si nihil horum inuenitur, ostendere oportet non esse contra fidem vel bonos mores Iraque tam longè est à vero quod magna specie pietatis dicunt hæretici, nullum cultum admittendum nisi verbo Dei stabilitum, vt ex hoc loco Augustini nos potius dicamus nullum reijciēdum, nisi quem verbum Dei reijcit, hoc est, quem constat contra fidem vel bonos mores esse. Et hoc proculdubio ex ipsa sacra scriptura, vel aperta fide, vel saltem ex eo quòd omni vtilitate careat: quanquam in his tolerari multa in Ecclesia dicat Augustinus. Iuxta hæc igitur sequentia erunt annotanda, quæ & auctoritas illa Augustini, & scriptura ipsa sacra satis ostendunt, & non parum valere possunt ad quietandos fidelium animos.

Episcopus potest in sua Ecclesia ordinare nouas cæremonias ad reuerentiā sacramētorū & populi deuotionē.

Primum itaque sit, In potestate Episcopi esse in sua Ecclesia eos ritus superaddere & instituere circa Christi sacramēta, quos iudicauerit secundum patrum doctrinam, conditionem gentis suę, & experientiam, profuturos ad reuerentiam & deuotionem animorum circa sacramenta excitandam. Hoc satis ostendit res ipsa: extant enim diuersæ Missæ, & quàm diuersissimi ritus in eis diuersorum patrum & Ecclesiarum, tam latinarū quàm græcarum. Habentur Missæ Basilij, Chrysostomi, Ambrosij, Isidori, Gregorij, deniq; & Ecclesiæ Romanæ: & vsque ad nostram memoriam in Hispaniæ insigni ciuitate Toleto, & Ecclesia illa Archiepiscopali priuatim quidem & seorsim habetur atq; celebratur Missa, quam olim tota celebrauit Hispania, & cetera omnia diuina officia longè diuersis ritibus & cęremonijs, precibus & orationibus, ordinata (vt creditur) ab Isidoro; Paulus etiam Aposto-

Apostolus Tito apertè scribit: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt, corrigas, proculdubio tribuens ei hanc potestatem supplendi quæ deerant. Quę desunt (inquit) corrigas. Fatemur in hoc agendo multa esse modestia & prudẽtia vtendum Episcopis, & curandum ne facilè vel in minimo dissentiant ab Ecclesia vniuersali: hoc enim constat apertum schisma esse: solùm igitur his quę consona sunt sensui vniuersalis Ecclesię possunt quædam addere pro temporum oportunitate, modò caueant ne simplicem populum aut nouitate aliqua, aut mutatione probatarum iam consuetudinum turbent: quod Augustinus in Epistola illa diligenter admonet.

Secundum. Dicimus etiam credendum esse primos illos Episcopos & fundatores Ecclesiarum in ritibus instituẽdis partim maiorum doctrina ex traditione Apostolorum, partim ex similitudine aliqua eorum quæ maiores docuerant, partim ex legis veteris cæremonijs proportione aliqua ad Ecclesiam translatis, aut denique alia conuenienti ratione processisse, quibus & posteriores potuerunt quædam addere: Hinc putamus thuris & luminarium vsum &c. in Ecclesia seruari. Vanè itaque clamitant hæretici, petentes vt ista ostendamus in scriptura. Ostendant ipsi potius in scriptura damnari ista, vel hæc contraria esse fidei aut bonis moribus, vt Hiero. inquit contra Vigilant. *Nota.*

Tertium denique istis subiungamus, quòd horum quæ iam instituta sunt mutatio siue abolitio omnimoda multo efficaciori ratione & necessitate fieri debeat, quàm potuit fieri institutio. Ita enim inquit Augustinus supradicto loco: Mutatio ipsa consuetudinis quæ vtilitate iuuat, nouitate perturbat. Quare nonnunquam putat eam omittendam, vbi magna non vrget necessitas. Quæ omnia cùm certissima sint & summa æquitate ponderata, quis iam non videat quanta sit stultitia hæreticorum, qui quidquid libuerit ordinant, modò habeat aliquam speciem antiquæ alicuius consuetudinis vnius aut alterius Ecclesiæ, quam nescio vbi aut legerunt aut diuinârunt: & quidquid eis displicuerit, damnant. Et (vt hoc etiam addamus) quædam sunt quę non nisi vniuersalis Ecclesiæ auctoritate mutari debeant, quando scilicet aut vniuersaliter obseruantur, aut similia valde sunt vniuersalibus, vel certè iusta ratione positiuo iure reseruata sunt tribunali supremo Romanæ Ecclesiæ. Quare tandem hoc vt certum statuendum est. Mutationem rituum Ecclesiasticorum vniuersalium, quos constat in tota Ecclesia seruari, priuata auctoritate factam schisma atque diuisionem Ecclesię esse. *Probata cõsuetudo nõ temerè mutãda est.*

Quædam sunt quæ non nisi ab vniuersali Ecclesia mutari possunt.

Ceterum

cęterũ aliquid auferre,& alteri(Catholicæ tamen)Ecclesię cõformari,à Prælato licitè fit:à priuato autem non sine peccato.

Ex his igitur, vt ad specialia descendamus, summatim & per capita attingamus singulos ritus. Et quidem non opus est latius vel probare vel explicare singulos: eò quòd hoc iam multi sufficienter fecerint: sed de illis admonere,& occasionem alios legendi offerre,in præsentiarum sufficerit.

Latina Ecclesia in sacra Eucharistia azymo pane vtitur,græca fermẽtato.

Primò circa materiam ipsam,panem videlicet & vinũ, reperimus quædam superaddita necessitati:circa panem videlicet, vt azymus sit,vel fermentatus. Ad integritatem enim sacramenti satis est esse panem triticeum. Sed quoniam oportet vt panis vel fermentatus sit,vel azymus, Ecclesia latina(vt b. Gregorius inquit)pane azymo vtitur: Græca verò fermentato. Circa quod quoniam Ecclesia nihil recepit ab Apostolis præceptũ, ita nec ipsa certum aliquid præcipere voluit: Vnde (vt beatus Thomas inquit art. 4. 74. q. 3. partis) tenetur quilibet ritum Ecclesiæ in qua est,seruare:idque putat sine graui peccato omitti nõ posse. Hinc & Honorius 3 officio & beneficio perpetuò priuat sacerdotes,qui in fermentato consecrant: vt habet cap. vltimo de celebratione Missarum. Et quanquam non dubium sit,sicut eo loco dicit b. Thom. consuetudinem celebrandi in azymo rationabiliorem esse,quia ita creditur Iesus Christus celebrasse, & puritati corporis eius(cuius hoc est Sacramentum) & synceritati etiam fidelium(qui eo etiam significantur)hoc magis cõuenit: tamen quoniam & alia consuetudo non caret ratione aliqua (significare enim potest vnionem diuinitatis cũ corruptibili carne nostra)modò Christum nõ credamus celebrasse ante pascha, in quo errant græci,non omnino damnatur. Circa hanc materiam panis,solus hic ritus superadditus est.

Vino in Eucharist. aqua miscenda est.

Circa vinum videmus mistionem aquæ obseruari & præcipi omnibus,quod tota antiquitas Ecclesiæ semper tenuisse probatur. Vnde & Alexander papa Apostolis vicinus,sextus videlicet à Petro,in Epistola prima,quæ est ad omnes orthodoxos: Non debet(inquit)vt à patribus accepimus & ipsa ratio docet, in calice Domini aut aqua sola,aut vinum solum offerri, sed vtrunq; permistũ: quia vtrunque ex latere eius in passione profluxisse legitur. Et Cyprianus in Epistola ad Cæcilia. de Sacrament. Dominici calicis hoc quasi à Domino acceptũ prædicat obseruandũ. Quare apertè ostẽditur ab ipso Christo vel Apostolis fuisse traditum. Vnde quanquam hoc ad integritatem sacramenti non requiratur,vt beatus Thomas probat art. 7. q. 74. partis 3. quoniam

li. 2. epist. 3.

niam cùm mistio illa vnionem populi cum Christo significet, hoc verò non pertineat ad consecrationem materiæ, sed ad vsum fidelium: si id defuerit, nihil omissum est quod ad consecrationem pertineat. Quod proculdubio tenet communis sensus doctorum omnium. Materiam enim sufficientem ad sanguinis consecrationem vinum esse non est dubium. Quanquam igitur ita se res habeat, mistionem tamen ipsam, vt à Christo & Apostolis acceptam, sub grauissimi peccati periculo retinendam esse probant illa quæ ex Alexandro & Cypriano adduximus: vt videlicet sacramentum hoc aquam illam & sanguinem, quæ ex latere Christi fluxerunt, & simul vnionem populi cum Christo significet. Vbi etiam docet beatus Thomas art. 8. eiusdem quæst. Aquam in tam parui quantitate opponendam, vt conuertatur in vinum, non è contrario aqua vinum conuertat in se, aut corrumpat: deesset enim vera materia. Nec opus est scrupulosè quærere, vbi aqua opposita maneat. Totum enim quod in calice est, vinum est: & id conuertitur in sanguinem Christi. Sed & illud beatus Thomas asserit, quòd eadem ratione qua aqua est apponenda, & eadem obligatione apponenda est aqua naturalis & communis, non rosacea aut quicunque alius liquor: quanquam nec illius appositio auferret veritatem sacramenti: cùm ad hanc non sit necessaria. Panem ergo ex liquore alio quàm ex aqua confectum non esse materiam huius sacramenti putat ibi beatus Thomas, quoniam (suo iudicio) reuera non est panis, sed quiddam aliud: hìc verò in calice si manet vinum, nulla appositio tollit veritatem sacramenti: Circa materiam igitur huius sacramenti hæc tradita custodiamus. Ritus verò alieni hæreticorum eadem ratione reijciuntur ab Ecclesia: quia scilicet nulla ratione iusta inuecti sunt, nec traditione probati, sed potius contra fidem & contra mores, vt Augustinus loquitur. Refert ille de nonnullis hæreticis (libro de hæresibus) stultissimos ritus habentibus, vt sunt Ophitę, qui colubrum nutriunt & venerantur, atque oblationes suas eo lambente illas, & circa eas se voluntate, in Eucharistiam sanctificatas credunt. Et de Cataphrigis atque Pepusianis ait: quòd de infantis anniculi sanguine (quem de toto eorum corpore minutis punctionibus extorquent) Eucharistiam conficiunt. De Manichæis etiam refert turpissimum scelus, quo ex semine panem conficiebant, in quo (sua stultissima sequentes dogmata) electi sui sacramentum hoc perficerent & sumerent. Alij etiam similes superstitiosi ritus in oblatio-

Capite 17.

Cap. 26. & 27.

ne

ne vel consecratione reiecti sunt in decretis illis, de quibus suprà diximus, Alexandri primi & aliorum, nihil præter panem & vinum offerri in altari præcipientium.

Sacra Eucharistia non nisi à ieiunu sumenda est, excepto casu infirmitatis.

Sed & circa sumptionem ipsam sacramenti, vt à ieiunis sumatur totius Ecclesiæ consuetudo est, testante Augustino epistola illa 118. Quanquam (inquit ille) primum celebratum post cœnam fuit, non tamen propterea calumniandum est vniuersę Ecclesiæ, quòd à ieiunis semper accipiatur. Placuit enim spiritui sancto id fieri in honorem tanti sacramenti: & ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur: quare nõ dubium esse debet, hoc fine graui peccato non omitti, nisi ab infirmis, de quorum periculo dubitatur: vt b. Tho. art. 8. 80. quæst. 3. partis docet. Dicant itaque nobis hæretici (si quidem ista tenent & seruant, & non pransis aut vesperi populo cõgregato in Ecclesia Eucharistiam tradunt, nec hoc mysteriũ celebrant) quare sine verbo & aperta scriptura Deum colant? Quòd si ista non tenent, sint ipsi iudices vtri magis credendum, eis ne, an Cypriano, Alexandro, Augustino testimoniũ perhibentibus de vniuersalis Ecclesię consuetudine? idque dicant absque studio & affectu partium.

Post ista sequuntur multa & varia ad solennitatem & ornatũ huius sacramenti pertinentia, quorum diuersi auctores à diuersis referuntur. Nec satis certè compertum esse potest, quam originem singula habuerint. In quibus vel totius Ecclesię vsus, vel alicuius auctoritatem habentis institutio satis esse debet Catholico cuilibet, vt ea veneretur, sicut ex supradictis locis August. patet: aut certè si nihil horum ostendi potest: cùm cõsuetudo manifesta est, nõ debent temerè reijci, maximè cùm ratio aliqua redditur, quare illa conuenientia sint, & aliquid habeant exhortationis meliorum morum, vt ait Augustin. Quod idem curandum est in reliquis omnibus, quæ vel vniuersalis Ecclesiæ, vel etiam alicuius particularis certã auctoritatem habent. Nec dubium est multa illorum ex similitudine ritũ legis veteris sumpta esse, ita spiritu sancto suggerente, aut Apostolis, aut sanctis pontificibus. Quanquam enim illa legis veteris abrogata fuerint, multa tamen inde mutuata est Ecclesia non sine magisterio Spiritus Sancti, vt docet Leo in sermonibus de ieiunijs septimi mensis: & ipsa docet experientia quædam etiam ex ipsis ritibus gentilium, cùm omnino auferri non possent, accepta fuisse, & in meliorem ordinata finem, Dei scilicet cultum: vt de aqua nonnulli putant: Alexand. sanè sextus à Petro, vt suprà diximus, in Epistola 1. ad omnes orthodoxos, iubet aquam

sale

sale conspersam benedici: quamuis illius vsus quoque ex aqua lustrationis, qua vtebantur Iudæi ad purgandas immunditias legis, sumptus videatur.

Iam igitur summatim de singulis: Et primò quidem in his sunt vestium, in quibus celebrandum est, determinatio & consecratio: vasorum similiter consecratio, vt calicis & altaris, & linteorum etiam in quibus reponitur corpus Domini: sed & templi consecratio vel dedicatio huc pertinet, quæ omnia non dubium est à tota Ecclesia custodiri: Cuius auctoritatem b. Thomas art. 3. q. 83. putauit sufficere, sed rationes conuenientię diligenter tradit, quæ omnes sumptæ sunt ex reuerentia quæ huic Sacramẽto debetur, & ex expressiori significatione mysteriorum eius. Et si quid aliud de his specialius dici debeat, Gratianus de consecrat. dist. 1. affert sanctorum pontificum & antiquissimorum auctoritates, Hyginij videlicet, Fœlicis, Clementis, & Syluestri, de consecrandis Ecclesijs: & de vasis, Clementis, Syluestri, Sixti: de vestibus, Stephani: sed & Conciliorum antiquorum multa adfert testimonia: vt ex Braccarensi, Aurelianensi, Triburiensi: quæ quanquam prouincialia Concilia sint, satis tamen huic vniuersalis Ecclesiæ auctoritati suffragantur: vt obstinatissimi sit hominis de his vel dubitare: stultissimi verò ea velle conuellere: de quibus etiam quædam sequenti lectione addamus. *Aqua lustralis.*

LECTIO DECIMA QVINTA.

De his quæ in celebratione Missæ superaddita sunt.

IN huius sacramenti celebratione sunt etiam lectiones, orationes, psalmi & hymni: & omnia quidem celeberrima. Sunt & gestus corporis, in genuflexionibus scilicet, alijsque id genus humiliationibus corporis, & crucis consignationibus. Quæ omnia etsi constet ad integritatem sacramenti non esse necessaria: tamen non minori auctoritate introducta sunt, nec minus & reuerentię sacramenti & significationi cõuenien-

tia, quàm illa quæ proxima lectione diximus, vestes scilicet, vasa &c. Quæ & b. Tho. art. 4. & 5 83. q. eadem confirmans auctoritate explicat, eorum conuenientes significationes & causas reddens. Quæ omnia cùm ibi ab illo, & a multis alijs antiquioribus & recentioribus sint explicata, non est opus hic referre. Illud satis esse debet, quòd illis omnibus præcipuè repræsentatur vitæ & mortis Christi mysteria: atque ita impletur id quod ipse præcepit in eius institutione. Hoc facite (inquiens) in meã commemorationem.

¶ Confirmare etiam ista & probare: origines atque principia eorum referre latius & operosius, non putamus necessarium: quoniam (vt diximus) quanquã diuersa scripta sint, non tamen satis omnia comperta sunt, quod certè magis ostendit antiquitatem illorum, atque ita magis confirmat: Id tantùm circa hæc iam dicamus, non deesse qui putent hæc omnia ab Apostolis accepta esse, sicut inter ceteros sentit Thomas VValden. in harum rerum indagatione diligentissimus, qui multa antiquitatis collegit testimonia circa huius & reliquorum sacramentorum ritus cõtra Ioannem VVickleph, & alios sui temporis hæreticos, in lib. de sacramentalibus, quem librum huic tempori valde conuenientem iudicant multi viri docti. Is igitur tit. 4. ca. 28. & 31. illius lib. qui est de huius sacramenti ritibus, omnes huius sacramenti ritus putat ab Apostolis profectos esse. Et quòd in nõnullis historijs Pontificum vni aut alteri aliquod horum tribuitur, vt statim ostendemus, putat non de institutione intelligendum, sed de quadam rei iam institutæ restauratione aut cõmendatione. Et quanquam hoc non satis probari de omnibus posset, tamen Augustinus supra dicta epistola ad Ianuarium apertè dicit ostendi ex illo verbo Pauli. Cetera cùm venero ipse dispo nam: quod, quia multum erat vt in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret quem vniuersa seruat Ecclesia, ab ipso tamẽ ordinatũ esse quod nulla morum diuersitate variatur. Et quidẽ admirandũ est, quòd ipse Augustinus & de hoc verbo, Sursum corda, &, Gratias agamus, quod in præfatione dicitur, tanquam de antiquissima re in Ecclesia recepta mentionem facit & in epistola ad Honoratum de gratia noui testamenti, & in alijs libris contra Pelag. Et beatus Ambrosius verborum quæ in secreto canone dicuntur, in libro de sacramentis mentionem facit: ita vt proculdubio credendũ sit, si non omnia, pleraque tamen, & multo plura quàm alia esse ab ipsis instituta Apostolis. Igitur quod in multis decretis pontificum & concilijs legimus circa

ista

ista statui, aut in historijs eorum, de quibusdã specialibus hymnis vel lectionibus: credendum ab Apostolis incepisse. Hinc Gratianus dist. 1. ex sexta Synodo citat illud: Iacobus frater domini secundum carnem, cui primùm credita est Hierosolymitana Ecclesia, & Basilius Cæsariensis Episcopus, cuius claritas per totum orbem refulsit in scripturis, ædiderunt nobis Missæ celebrationem. Et in pontificali Damasi papæ, quod Platina & alij referunt, diuersæ Missæ partes diuersis põtificibus tribuuntur. Celestino, qui quadragesimus quintus fuit, tribuitur introitus & graduale à quibusdam, & in pontificali legitur eum instituisse vt Psalmi legerentur antiphonatim ante sacrificium. Gloria in excelsis, Telesphoro, qui nonus fuit à Petro. Sanctus, Sixto prædecessori eius etiam ab ipso Damaso tribuitur. Platina Gregorio tribuit Kyrieeleison. Collectas Gelasio primo. Euangelium & Epistolas Hieronymo: & quædã alia alijs tribuit Platina. Etsi igitur opus non sit pluribus de his contra hæreticos disputare (quòd omnia conuementissima sint & exhortationem habeant ad bonos mores, & iam per totum orbem seruentur in Ecclesia) breuiter tamen dicamus qualiter defendenda sint quædam quæ illi reprehendunt.

Missas priuatas immò calumniatur hæreticis. Can. 10. Cap. 2.

Primò damnant Missas priuatas, imò omnes in quibus non adsunt qui communicent sacramento. Citant ad hoc Anacleti verbum epistola prima, Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Similiter etiam in canonibus Apostolorum, & in concilio Antiocheno (dicunt) statuitur, vt qui Ecclesiam ingrediuntur & scripturas audiunt, neque communicant, communione priuentur. Et quidem hoc eorum consequitur principia. Nam si Missa non est sacrificium: non est cur celebretur nisi ob communionem & participationem sacramenti. Cumque sit Synaxis hoc sacramentum, cõmunionis scilicet Ecclesiæ, non nisi in Ecclesia celebrandum contendunt, atque ita celebrari nolunt, nisi cùm cõmunicat Ecclesia. Verùm eadem ratione reijciendum est: quoniam cùm Missa sacrificium sit quod offertur, & in quo oratur pro omnibus Ecclesię membris: non est cur non posit aliquis, etiam si non communicet, orationibus & sacrificio participare, atque ita astare Missæ, imò & spiritualiter Christum sumere. Atque ita hoc sacrificium nunquam nisi nomine Ecclesiæ celebratur, sicut nec fides pro paruulis, nisi nomine Ecclesię promittitur, tamen potest ab vno aut pluribus nomine totius Ecclesiæ id fieri. A principio igitur Ecclesiæ, cùm feruor ille

recentis sanguinis Christi & spiritus sancti vigebat, quotidie communicabatur aut frequentissimè. Quo tempore statuta illa Anacleti & concilij Antiocheni (quæ hæretici citant) sunt ædita: quanquam nec illa probent nunquam celebrandum sine communicantibus statutum fuisse: cœpit verò deinde rarius id fieri: vnde postea saltem vt ter in anno communicaretur præceptum est à Fabiano papa, vt habetur de conse. dist. 2. cap. Etsi non frequentius. Ceterum quanquam posteà adhuc etiam rarius fieri permittat Ecclesia, tamen & conciliorum & pontificum multorum auctoritate omni die Dominico iubentur fideles Missam audire. Ita in concilio Agathensi, Aurelianensi (vt Gratianus refert de conse. distin. 2. cap. Missas & sequenti) statutum est. Itaque priuatas Missas frequentius esse celebrandas, etiam si non adsint communicantes, satis multarũ Ecclesiarum auctoritate probatur, nec quidquam habet contra fidẽ vel bonos mores. Illud tamen hic obseruandum est, quòd cùm hoc proculdubio sit sacrificium Ecclesiæ, non nisi in congregatione fidelium celebrandum esse, vbi scilicet fideles conuenerint, vel saltem aliqui sint eorum nomine. Vnde antiquiores pontifices primò quidem Episcopis non permittebant saltem sine septem diaconibus, aut etiam nonnullis presbyteris celebrare. Ita ex Anacleto & Lucio citat Gratian. dist. 1. cap. Episcopus. & sequenti. Sed & Sother pontifex decimus tertius à Petro omnino statuit, vt nullus presbyter, nisi duobus ad minus præsentibus sibique respondentibus celebraret. Hinc enim & Gratianus eadem dist. cap. Hoc quoque statutum est. citat. Neque vlla certè contraria cõsuetudine licitè abrogari potest tam antiquum & necessarium statutũ. Hoc enim & natura ipsius sacramenti & reuerentia illi debita requirunt, & casus similiter (qui accidere possunt) infirmitatis aut obliuionis, propter quos minister prudens etiam & attentus in celebratione huius sacrãmẽti adhibetur à tota Ecclesia. Quare abusus proculdubio reijciendus est: quod videlicet tam priuatim hoc sacrificium celebretur à multis in Germania, vt à nullo audiatur, à nullo respondeatur, nec curetur an aliquis præsens sit, an nullus: quod magnæ profectò irreuerentiæ est & periculi: ex quo etiam hæretici non minimam ansam accipiunt loquendi contra Missas priuatas. Quare cùm tanta sint quæ hoc exigant, & omnium Ecclesiarum Italiæ, Galliæ, Hispaniæ &c. consuetudo id habeat, & tam manifesto statuto ordinatum sit, non credimus sine graui peccato celebrari posse, nisi vno vt minimum Ecclesiæ nomi-

Nõ licet sacerdoti celebrare sine respondente ministro, nec vlla cõtraria consuetudo excusat.

Notẽt hæc Germani sacerdotes.

Duo celebrãti sacerdoti vt minimũ debe-

ne respondente & astante: hoc enim videtur iam recepta consuetudine sufficere, vt posteriores quidam, consuetudinis etiam attestatione freti, opinantur. Sed hoc serò quoque admonemus, vt non nisi grauissimè, & vt summum quoddã totius Ecclesiæ negotium celebretur hoc sacramentum, neque quilibet etiam nullius sensus puerulus ad ministrandum admittatur, qui non potest in occurrenti aliqua necessitate aut obliuione adiutorio esse sacerdoti: quod reuera est proprium diaconi officiũ. Cupimus autem ab Episcopis priuatim, aut in concilio generali hoc maturius expendi, & aliquid statui vt celebrius peragatur tantum mysterium quòd certè putamus valde conuenire, etiam si pauciores propterea celebrentur priuatæ missæ.

rent adesse ministri: Auctor etiã vnum posse sufficere arbitratur: Qualis esse debeat qui celebrãti sacerdoti ministrat.

Reprehendunt etiam inuocationem sanctorum & orationẽ pro defunctis, quæ in Missa sunt. Sed hoc non est opus nunc magis confirmare, quàm quòd manifestum sit hoc fieri à tota per vniuersum orbem Ecclesia, vt scilicet in sacrificio Missæ fiat sanctorum memoria, & viuorum omnium atque defunctorum fidelium: de quo extant apertissima testimonia. Primùm igitur non tantùm hoc reprehendi non potest, sed conuenientissimum esse apertissima ratione probatur: vt videlicet in hoc totius Ecclesię sacrificio omnia congregantur membra, quę nõ sunt irreparabiliter separata, hoc est, vt ipse celebrãs spiritu cõiungatur membris omnibus Ecclesiæ quibus hoc sacrificium placet: & ijs videlicet qui in hac vita peregrinantur (quod fit cùm dicitur: Memento Domine famulorum &c. & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est &c.) & qui iam in patria beati sunt (propterea dicitur: Communicantes & memoriam venerãtes &c.) denique & in purgatorio continentur (quare etiam dicitur: Memento Domine famulorum, qui nos præcesserunt cum signo fidei & dormiunt &c.) quibus prodesse hoc sacrificium ad liberationem frequenter testatur Augustinus & in Enchiridio, & in libro de cura agenda pro mortuis. Vnde & in libro 9. confessionum asserit matrem suam curasse, vt pro se sacrificiũ altaris offerretur. Ambrosi. etiam in oratione de obitu Valentiniani iunioris, & eius & mortui fratris dicit se apud Deum futurum memorem. Itaque re ipsa ostendũt, pro defunctis orandum esse, dogma fuisse Ecclesiæ tempore suo absque vlla contradictione.

In Missa rectè et inuocantur beati & oratur pro defunctis.

Reprehenditur rursum, quòd lingua latina celebretur: reprehenditur silentium illud quo & verba consecrationis, & multa alia, post oblationem videlicet & præfationem à sacerdote di-

Missa latina linoua rectè celebratur.

1.Cor.14. cuntur: Si enim benedixeris (inquit Paulus) spiritu, quis respondebit, Amen, super tuam benedictionem? hoc est, si nullus intelligat, quid proderit? Omnia itaque hæretici volunt & altè, & vulgari lingua proferri: quia reuera putant hæc omnia non esse aliud quàm prædicationem Euangelij: diximus enim superius ipsorum magistri dogma hoc fuisse: sacramenta scilicet nō aliter quàm prædicatione Euangelij perfici. Et quidem si consideremus verba illa sacramentorum, quibus ad eos loquimur qui suscipiunt, Baptizo te &c. Confirmo te &c. poterat rationabilius videri quòd illa apertè prædicanda essent ijs quibus Sacramenta tradimus: ea verò in quibus tantùm conuersionem panis & vini significamus, quare necessarium est clamando & audiente populo dici, maximè quando non adsunt qui communicent? Sed illi qui nunquam celebrandum putant nisi cùm adsunt communicantes, magis ostendunt se in eo esse errore, vt credant in vsu tantùm esse corpus Christi in sacramento: nec mirum, cùm idem de hoc sacramento & de alijs sentiant. Nos verò in omnibus apertè dicimus longè aliud esse sacramentorum opera & perfectionem, & aliud prædicationem Euangelij. Illis igitur breuiter respondendum, quòd sufficere debet tantarum Ecclesiarum auctoritas, non sine necessaria ratione. Sunt certè non parua pericula in transferenda sacra scriptura in diuersas linguas: cùm & translatio duntaxat ex græca in latinam, tanta difficultate vix tandē sine multis quæ explicatione egēt, habeatur. Deinde nec populo expedit omnia euulgari. Profectò parabolæ multæ & ænigmata scripturæ non minus in linguam vulgarem translata obscura sunt, quàm in ipsa latina: & multa in cortice absona videntur, quare egent interpretatione doctorum, & possent in populo gignere absurdas opiniones & crassiores sensus. Locus ille Pauli ad Corinth. docet opus semper esse ad institutionem populi aperta, & quę ab eis intelligatur doctrina: quod iam fit in Ecclesia per doctores. Ceterum nō vult Paulus, vt semper & in omni loco & tempore non aliud agatur in Ecclesia, quàm quod ad institutionē pertinet. Quis enim non videat aliquando orandum esse silenter, aliquando & ministerio vocis ad id excitandum esse populum? quę omnia in sacrificio Missæ fiunt: & curare debent prouidi prælati, vt de omnibus populus instruatur & admoneatur, qualiter & ad ea quæ altè, & ad ea quæ silenter in Ecclesia dicuntur se debeat habere, & intelligere mysteria, quæ nonnunquam secretè peraguntur. Hoc igitur satis esse debet cuicunque disciplinato ingenio;

Nō expedit populo scripturā trāsferri in vulgarem linguam.

nio: imò & multis poterant superflua videri, cùm tam aperta sit consuetudo Ecclesiæ de his omnibus, & tam vana ratio contradicentiũ. Ingrediebatur in veteri lege solus sacerdos in sancta, populo exterius expectante & orante: & quãquam nossent quidem illi quid sacerdos ageret ingressus in sancta sanctorũ, & mente se illi coniungerent, multo tamen magis ad reuerentiam & venerationem sacrorum illa ratione admonebantur populi: sic igitur nunc, quando sacerdos dicit (oremus) aut (orate fratres) deinde secretò fundit orationes, quasi ingressus in sancta sanctorum iubet populum in humilitate & vera fide sacramenta considerare quæ celebrantur, sed ab omni curiosa inquisitione se continere.

Quàm necessariũ sit omnes ritus missæ ab Ecclesia præscriptos seruare.

Ceterũ quanta obligatione ista omnia seruanda sint, quæ circa ritum huius Sacramenti superaddita videmus in vestibus, vasis, lectionibus, certisque ad laudem Dei pertinentibus gestibus, & denique rebus omnibus, dubitari fortè posset, sed, vt breuiter dicamus, hoc certum sit, ista omnia tanti haberi in Ecclesia, vt potius sit omnino à celebratione cessandum, quàm vel minimum illorum omittatur: nec pro vlla, quantumuis magna necessitate aut pietate aliquid Ecclesia omitti vult. Nec enim vel ob infirmi in extremis laborantis consolationem absque consecrato lapide, vel sacris vestibus, aut certè à non ieiuno celebrari permittitur: quia cùm hoc sacramentum non sit necessitatis, sed sufficiat votũ & desiderũ eius, non vult Ecclesia illud celebrari omissis ijs, quæ putat ab Apostolis magna ex parte tradita esse, & tam antiqua consuetudine obseruata. Ex hoc igitur meritò infertur, hęc vel eorum aliquod ex intentione vel scienter omitti sine graui peccato non posse. Et certè, vt suprà diximus, quando intenderetur mutatio Ecclesiasticæ cõsuetudinis, periculum est schismatis: sed cùm aut tædio, aut ob fugiendum laborem aliquid omittitur, vel ex negligentia id discendi, non quidem schisma, sed graue proculdubio peccatum iudicamus, cùm tanti hoc fiat ab Ecclesia. Verum inconsideratio aut obliuio, quæ ex humana fragilitate sæpè accidit, non est graue peccatum reputanda, maximè eorum quæ non pertinent ad integritatem sacramenti.

Quando in Missa aliquid iteran dũ & quãdo nõ, item

Vltimò denique circa hæc illa consideranda sunt, quæ pertinent ad remedia adhibẽda defectibus, qui ex humana infirmitate accidere possunt in huius sacramenti celebratione, de quibus beatus Thomas prudenter & diligenter hoc admonet, propter obliuionem vel omissionem siue defectum eorũ quæ non

quãdo cessandum, & quãdo progrediendũ in ea. Art. 6. 83. quæst.

non pertinent ad integritatem sacramenti, non esse aliquid iterandũ, nec cessandũ post cœptã consecrationẽ, quin integrè totum sacramentum peragatur. Vnde si celebrantis vel mors vel alienatio aliqua accidat post consecrationem, peragendum per alium erit Sacramentum, etiam non ieiunum: sicuti si defectus vel materiæ vel formæ deprehendatur, omnia repetenda sunt. Aliorum verò obliuio aut omissio non exigit vt aliquid repetatur, aut omittatur cœpta iã consecratio. Itaq; si vel non ieiunũ se esse sacerdos recordetur, vel excommunicatum cœpta iam consecratione, debet intrepidè procedere, non autem si ante eam recordetur, nisi fortè propter graue scandalum. Ceterum si vel non fuisse vinũ in calice, vel non fuisse verba integrè prolata deprehendatur, aut rationabiliter dubitetur, repetenda sunt omnia, etiam iam sumpta hostia, vel aqua, quæ vinum putabatur. Tunc enim iterum offerenda omnia consecranda, & sumenda sunt, etiam si à non ieiuno sumantur. Integritas enim Sacramenti præ ceteris curanda est, vtpote iuris diuini & institutionis Christi. Reliqua, vt superiori articulo dictum est, non pertinent ad integritatem. Nec in illis omittit doctorum diligentia consulere alijs, quæ rarò obuenire possunt, qualia sunt vomitus, casus venenosi alicuius animalis in calicem, & huiusmodi alia, in quibus ita reuerentia Sacramenti seruanda est, vt tamen nec lethale aliquid, aut venenosum, vel certè abominabile sumi oporteat. Consulitur itaque his omnibus per asseruationem consecratæ materiæ, & alijs decentibus vijs. Sunt circa hęc quędam magis in speciali tradita, quibus nonnunquàm opus est, quæ facilè ex his iudicari possunt.

DE

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

LECTIO PRIMA.

De pœnitentia, quæ virtus est, sacramento hoc prior.

POSCITur iam ordo Sacramentorum, vt de Sacramento pœnitentiæ quarto loco necessario saluti animæ dicamus. Est enim quod suprà dictum est, necessarium veluti medicina in vita corporea, quæ non sicut generatio, augmentatio, & nutritio (quibus respondēt Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia) necessaria est, sed tantùm cùm inciderit infirmitas: ita & hoc sacramentum cùm peccatum inciderit. *Pœnitentia necessaria velut medicina, eamq; naturalis ratio dictat.*

Dicturi de hoc nouæ legis sacramento, prius agemus de pœnitentia illa peccati, quam ratio ipsa naturalis satis ostendit, sed explicatur magis & plenè traditur in sacris scripturæ libris, & à prophetis, multis quidem & maximis promissionibus, exhortationibus, terroribus & exemplis, & postea à præcursore Christi annuntiatur: Pœnitentiam agite. A Christo etiam non minus diligenter proponitur, idque in principio prædicationis: Pœnitentiam agite &c. Et deinceps frequenter: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Et cùm adhibet exemplū Niniuitarum: Surgent (inquit) in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt. Et iterum: Gaudium est in cælis super vno peccatore pœnitentiam agente &c. Vnde & pharisæis improperat, quòd ad prædicationem Ioannis pœnitentiam non habuerunt: quare inquit in regno Dei ipsos inferiores esse publicanis & meretricibus. Nec verò illa vt noua atque insolita Ioannes & Christus annuntiabant, sed vox hæc fuit præcedentiū prophetarū: vt Ezechielis: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis quæ operatus est, omnium iniquitatum eius quas operatus est non recordabor. Et iterum ibi: Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus *Pœnitentia virtutis testimonia vtriusque legis.* *Luc. 13.* *Lucæ 11.* *Matth. 12.* *Luc. 15.* *Matth. 21.* *Ezech. 18.*

nibus iniquitatibus vestris. Et multis denique verbis eo loco
Hierem. 8. hæc exhortatio commendatur. Apud Hieremiam etiam est frequentior de pœnitẽtia sermo. Vnde quodam loco: Non est (inquit) qui agat pœnitentiam super peccato suo. Omnes conuersi sunt in curium suum sicut equus impetu vadẽs in prælium. Totus Ionas quid aliud est quàm exhortatio ad pœnitentiam? Et hæc quidem omnia tam prophetarum quàm Christi verba ante institutum sacramentum pœnitentiæ dicta inueniuntur, vt nouerimus lõgè ante fuisse pœnitentiam quàm sacramentum hoc. Nec tamen aut illa pœnitentia est aliena ab hoc sacramento, aut hoc sacramentum ab illa: sed, quod postea manifestius erit, sicut alia sacramenta instituit dominus assumens res à natura iam institutas in materiam eorum, vt de aqua in baptismo videmus, ita & hoc sacramentum pœnitentiæ instituit assumpta in eius materiam priori illa pœnitentia, quam diximus & rationem & scripturam docere, priori (inquam) illa, sed ex eius instituto certo & speciali modo agenda, de quo postea dicendũ.

Pœnitentia virtus ad sacramentũ pœnitentiæ necessaria tanquã materia.

Meritò igitur hoc sacramentum pœnitentię vocamus, quod sit ex ea vt materia compositum, aut quasi ipsam pœnitentiã perficiens & formãs, atque adeò largiens: sicut sacramentum baptismi aut lotionis dicitur, quòd ex illa constet, & illam, vt ad animam pertingat eamque abluat, perficiat. Hoc igitur viam doctrinæ huius nobis aperit, vt prius pœnitentiam ipsam, quæ prior est sacramento pœnitentiæ, perspectam & notam habeamus, ex qua postea ipsum conficitur. Nec verò, quanquam ordo doctrinæ hoc poscere videbatur, hic volumus de ipsius vocabuli significatione multa dicere, quàm resipiscentiam siue mutationem animi, iuxta græcæ linguæ proprietatem, quidam malunt dici: quibus satis esse debet scriptura & patrum manifestissimus vsus, qui pœnitentiam proculdubio non absque gemitu animæ, compunctione, & anxio dolore describunt. Dole (inquit Micheas) & fatage filia Sion. Et Isaias: Rugiemus quasi vrsi omnes nos, & quasi columbæ meditantes gememus. Et rursum: Sicut qui concipit cùm appropinquat ad partum dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus à facie tua domine. Concepimus & quasi parturiuimus & peperimus spiritum salutis. Confirmat liber Tertulliani, grauis & antiqui latini auctoris, de pœnitentia hanc significationem. Sunt multa aliorum patrum, Græcorum etiam, vt Chrysostomi: Latinorum, vt Ambrosij & Augustini testimonia, ita hoc vocabulo vtentium. Nec auctoritas Hieronymi & aliorum translatorum in

Quid nomẽ Pœnitentia significat.

Micheæ 4. Isaiæ 59. Isaiæ 26.

hac

hac parte vllius est postponenda auctoritati. De hac ergo rixa hoc sufficiat dixisse, quæ tamen magnam ansam præbuit magno errori Lutheri, de quo postea.

Similiter nec de definitione pœnitentiæ multa dicere opus est, de qua vanissimè calumniantur Catholicos hæretici. Rem inquirimus, vt per eam salutem consequamur, quam non est opus multis aut præcisis verbis definire. Vnde b. Thomas in 3. parte, vbi quæ tradit de hac re maturius expendit, vt sanior parum de definitione sollicitus fuit. Certè si de hoc aliquid dicendum est, definitio Magistri distin. 14. libro 4. merito laudari potest. Est (inquit) pœnitentia, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus. Nam quod addit, & plangenda vlterius committere nolumus, explicatio fuit præcedentium: sed hæc verba eius, cùm res explicatæ fuerint, apertiora erunt. *Definitio pœnitentiæ virtutis.*

Nec volumus etiam importunius hoc, quod à scholasticis supradicto loco disputatur, ingerere: Pœnitentia (videlicet) actus vel habitus, quæ virtus sit, an noua & ab alijs diuersa virtutibus Theologicis & Cardinalibus? & an infusa, an acquisita? in qua potentia animæ sit? quem denique ordinem ad ceteras virtutes habeat? Certè de his omnibus, præter contentionem, quod beatus Thomas in quæstione 85. 3. parte 5. articulis dicit, putamus doctè, modestè, & vtiliter posse doceri.

Primum videlicet. Hunc actum, quo præteritorum peccatorum nos pœnitet quatenus Deo contraria sunt, idque propter ipsum, atque ad ea delenda & emendanda (deo innixi) assurgimus atque conamur, laudabilem esse proculdubio vehementer, atque ideo singularis & excellentis virtutis, quàm iustitiæ, maximè vindicatiuæ, partem similem esse dicit b. Tho. nisi quòd illa in iudice est vel in ipso læso: cùm retribuit videlicet peccanti in se digna: hæc verò in ipso peccante, qui paratum se exhibet recompensare quod iniquè egit in Deum: de quo meritò dictum est, quòd sit quedam dolentis vindicta, semper puniens quod dolet se commisisse. *Pœnitere (sicut oportet) peccatorum est actus quodam modo iustitiæ vindicatiuæ.* *Pœnitentia non potest perfectè à charitate aut qualibet alia virtute produci sed iuuari.*

Secundum. Hic ipse actus ita vt diximus productus, quanquà & à charitate, quæ omnia Deo contraria detestatur, & à virtute qualibet circa peccata sibi contraria posit non parum promoueri (prouocant enim ad actum illum virtutes hæ) non tamen perfectè ab eis produci potest, quæ ita sibi contraria expellunt & impugnant, vt non committantur: vel, vt si commissa fuerint,

fuerint, diſpliceant: Satisfactionem verò condignam pro illis quæ in Deum commiſſa ſunt mala offerre, alterius negotij eſt: quod ita maximè oſtendit: quia ad hoc opus eſt ſpeciali Dei promiſsione & cõfortatione, vt quis peccato in Deum cognito non deficiat animo, & cum Cain dicat: Maior eſt iniquitas mea. Dolere igitur de peccato poterit humana fragilitas vel territa diuinis comminationibus, vel præſente aliquo flagello admonita: dolere (inquam) poterit, etiam ſi nihil audierit de venia, idque vtcunque: nec enim perfectè, niſi diuinæ gratię adiutorio fieri poteſt vera pœnitentia: ſed agere ad compenſandum
Eccleſ. 21. & delendum peccatum nequaquam poſſet, niſi audiret: Fili peccaſti (non adijcias iterum, & de priſtinis deprecare vt dimittantur tibi. Quo audito (de quo meritò id pſalmi intelligitur: Auditui meo dabis gaudium & lætitiam) exultant reuera oſſa humiliata, vires omnes animæ & fortitudo peccato quaſſatæ reparantur, & aſſurgit mens cum ſpe veniæ ad hunc dolorem cõpenſantem peccatum.

Nõ poſſumus perfectè noſtris viribus cõpenſare & expiare peccata noſtra.

Tertium denique iſtud ſit, ne calumnientur hæretici hanc compenſationem peccati: quòd ſcilicet reſarcire & delere peccata non integrè aut perfectè à nobis fieri poſsit, idque multiplici ratione deficere.

5. Ethic. ad Nicom.

Primùm, quoniam iuſtum integrè atque ſimpliciter nõ niſi inter æquales eſſe poteſt, quorum vnus videlicet nõ eſt ſub alterius poteſtate, vt ipſe Philoſophus inquit. Inter illos verò quorum vnus eſt ſub poteſtate alterius, vt patrem, filium, ſeruũ & dominum, nõ eſt iuſtum ſimpliciter, ſed tantùm modus quidam iuſtitiæ: vnde dicitur ius paternum ſiue dominatiuum: multo igitur magis noſtra erga Deum nulla poteſt eſſe iuſtitiæ æqualitas, vt qui bonorum noſtrorum non egeat, cuius totum eſt quod habemus. Quid enim habes quod non accepiſti? Eſt verò quædam ſecundum proportionem magis & Dei miſericordem voluntatem retributio: cùm ſcilicet facimus quod in nobis pauperibus & infirmis eſt, idque Deus gratuita voluntate ſua acceptum habere vult: quod triplici præcipuè metaphora in ſcripturis ſignificatur. Prima, viri & vxoris fornicariæ. Tu
Hierem. 3. fornicata es cum amatoribus multis, inquit Hieremias: tamen reuertere ad me, dicit Deus. Secunda. Patris & filij, ſicut in Pſalmo dicitur: Quemadmodum miſeretur pater filiorum &c. & Chriſtus in Euangelio in filio prodigo reuertente ad patrem atque dicente: Pater, peccaui in cælum & coram te. depingit pœnitentiam. Tertia denique eſt Domini & ſerui poſt fugam

reue-

reuerentis: Sicut oculi seruorum in manibus dominorũ suorũ, ita oculi nostri ad Dominum &c. Et quanquam his similitudinibus satis nostra ista iustitia extenuetur, adhuc tamen multo minor est, non solùm quia Dei respectu multo nos sumus minores, sed etiam quoniã nec ipsa quę facimus, cùm scilicet dolemus, emendationem promittimus, à nobis sunt, sed ipse ea in nobis operatur: vt meritò Hieremias dicat: Conuerte me Domine, & conuertar. Itaque exigit quædam a nobis ille vt pater, interim deterrere volens filios ab illicitis, sed illa ipsem et operatur in nobis & præstat: de quo non est opus nunc dicere plura: sed id dictum sit, vt quàm stultæ sint hæreticorum calumniæ appareat, qui aut putant aut simulant se credere, nos docere pœnitentiam remissionem peccatorum mereri, cùm tantum dicamus illam necessariam esse, sed gratis à Deo nobis dari: iustificati enim gratis per gratiam ipsius &c. & tamen requiri opus nostrum: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Igitur pœnitentiam virtutem putamus aut omnino ignoratam philosophis, aut vix cognitam, vt qui superbientes humanæ infirmitatis remedia non agnouerunt, sed à Deo misericorditer insinuata est fragilitati nostræ, atque ideo religionis pars est. Est enim verus cultus, quo peccatores Deum veneramur. Da (inquit scriptura) gloriam Deo, & confitere peccatum. quod ad pœnitentiam pertinet, & ideo proxima est theologicis virtutibus. Quanquam itaque non nisi post peccatum in nobis sit, atque ita turpitudinem quandam præsupponat, quod à virtute alienum videtur, tamen à virtute humanæ naturæ, quæ tota subdita est peccato, non est alienum, vt præsupponat in homine quod deleat. De hac virtute sunt magna præconia apud antiquiores illos, videlicet Tertullianum, qui specialem librum de pœnitentia ædidit: Chrysostomum in multis homilijs. Habemus præcipuè 10. homilias huius argumenti in primo tomo: librum etiam de vera & falsa pœnitẽtia inscriptum Augustino, quanquam meritò non putetur eius: habemus & duos Ambrosij de pœnitentia, qui ab omnibus ferè vt Ambrosij citantur: quanquam reuera nec verbis nec sententijs videantur digni Ambrosio. Omnes hi continent magnam commendationem pœnitentiæ, ex quibus sumemus testimonia necessaria. Nec desunt plurima alia scripta patrum de hac tam necessaria re.

Pœnitentia est Dei donum. Hiere. 31.

Aduersarij iniquè calũmiantur catholicã doctrinam de pœnitẽtia. Rom. 3. Zacha. 1. Iosuæ 7.

Scripta veterũ de pœnitentia.

LECTIO

LECTIO SECVNDA.

De partibus & actibus diuersis pœnitentiæ virtutis, vt videlicet prior est sacramento.

EX his quę diximus prælibata est vtrunq; natura pœnitentiæ virtutis: nam plenè nō potest in hoc principio cognosci. Restat iam itaque tria de illa dicere. Primum, de diuisione eius & partibus: Secundum, de origine, principio atq; progressu eius, radice videlicet & perfectione: Tertium, de necessitate, fructu ac vtilitate illius. Ista igitur dicēda sunt nobis, omissa interim consideratione sacramenti & institutionis Christi, de pœnitentia qua ratione à prophetis prædicatur.

Triplex pœnitētia, videlicet ante baptismū et post baptismū, pro venialib⁹ et mortalibus.

Primò igitur distinguitur & à Magistro sent. dist. 16, lib. 4. & ab alijs, triplex pœnitentia. Altera quę fit ante baptismū: secūda quæ post baptismum fit pro leuioribus humanæ infirmitatis peccatis: vltima denique etiā post baptismū sed pro grauioribus, atque illis (vt inquit Augustinus) de quibus dictum est: Qui talia agunt, nō possidebunt regnum dei. Sumpta est hæc distinctio ex ipso Augustino homil. de necessitate & vtilitate pœnitentiæ, quæ vltima est lib. 50. homiliarū, & vocat Augustinus has tres actiones pœnitentiæ. Tres (inquit) sunt actiones pœnitentiæ, quæ, vt b. Tho art. vltimo. q. 90. 3. parte dicit, distinguuntur secundum diuersitatem temporis & status quo agitur pœnitentia. Ex quibus fit, vt à pœnitente diuersa immutatio vitæ intendatur, atque ita fiunt diuersæ species actus pœnitendi. Ante baptismum enim pœnitet rationis compotem peccatorum suorum, & intendit immutari in nouam vitam per spiritualem illā regenerationem: post baptismum verò peccans lethaliter debet ita de peccatis dolere, vt velit præteritæ vitæ corruptionem mutare, tanquam medicinali sumpto remedio: venialium verò peccatorum cùm pœnitet, immutatio quædam intenditur ab imperfectiori vita & operatione in perfectiorem, quam Augustin. suprà dicto loco omnibus quidem necessariam in hac vita dicit, ne multitudine venialium obruamur: vnde & quandam vitæ huius corruptibilis & mortalis pœnitudinem nos debere agere dicit, ratione videlicet peccatorum sine quibus illa non agitur, vt b. Tho. declarat q. 2. d. 17. lib. 4. Est quidem manifestis-

stissima hæc distinctio, sed in ea interim hoc est considerandum, pœnitentiam non nisi de peccatis voluntate nostra commissis exigi à scriptura aut à patribus. Itaq; noua doctrina est, qua hæretici hodie docent ad pœnitentiam oportere nos moueri lege condemnante peccata, & asserere omnes nos sub peccato esse. Non enim cõmunia illa, quæ cũ natura ipsa contrahimus omnes, infirmitas videlicet ad bonum, pronitas ad mala, cęcitas, nostra voluntate commissa sunt, vt Deus à nobis exigat pœnitentiam, sicut nec originalis ipsius peccati opus est nos pœnitere: alioqui omnibus imposita esset pœnitentia, etiã iustis, cõtra id quod in oratione Manasse scriptum est: Tu Deus iustorũ non posuisti pœnitentiam his qui tibi nunquã peccauerunt. Neque in sacris literis vnquã legimus pœnitentiam exigi nisi alicuius peccati: Pœnitentiam (inquit Petrus Symoni) age ab hac nequitia tua. Et quanquam de his postea latius sit dicendum, in hoc tamen loco admonere oportuit plurium errorum, quos noui hi doctores magna specie pietatis inferunt.

Pœnitentia tantũ pro peccatis nostra voluntate cõmissis agenda.

Act. 8.

Vnus error est, quòd pœnitentia nõ sit specialis alicuius personæ vel temporis actus, sed omnium hominum & omni tempore, quasi qui semper sub peccato simus. Cùm enim nec peccata distinguunt, nec iustum à peccatore discernunt, quid aliud agunt, quàm imponendo omnibus pœnitentiam, ab eis auferre illius curam & sollicitudinem, qui veraciter ea egẽt? de quibus Paulus dicit: Vt lugeam multos ex vobis, qui peccauerunt, nec egerunt pœnitentiam.

Primus error hæreticorũ circa pœnitẽtiã.

2. Cor. 12.

Secundus error, quòd pœnitentiam quæ incipientium est & imperfectorum confundunt cum profectu atque renouatione continua, de qua Paulus inquit: Renouamini spiritu mentis vestræ. Ita enim Caluinus inquit: Pœnitentiam esse renouationẽ istam: sed quanta hic confusio? quàm contra Paulum? qui hæc duo tam distincta esse vult, vt dicat ad Hebræos scribens: Quapropter intermittẽtes inchoationis Christi sermonem ad perfectionem feramur, non rursus iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis. Vides igitur quòd pœnitentia ad initium pertinere dicit, & esse ab operibus mortuis, ac longè ab illo conatu tendendi in perfectionem, qui continua illa renouatione significatur: de qua alibi dicit idem Paulus: Licet is qui foris est homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem.

Secundus error.

Ad Heb. 6.

2. Cor. 4.

Tertius denique error est quòd ipsam confundunt materiã, de qua pœnitentia esse debet, imò nec ipsa peccata, quorum dun-

Tertius error.

duntaxat pœnitentia est, verè nominant, aut si nominãt, ita alie nis quibusdam admiscent, vt vix agnoscas. Colligit Philippus capita quæ ad pœnitentiam moueant, legem scilicet, iram Dei, pœnas æternas, temporales calamitates, inopiam, infamiam, morbum, & eiusmodi multa, propter quæ pœnitendum sit: inter hæc dicit terrores & furores, & pœnas interiores, quæ duo videtur ad peccata referre. Sed quorsum ista ita miscenda sunt? Nam mala illa temporalia motiua quædam sunt, sed alongè val de: quæ & nonnunquàm si aspiciantur, magis impediunt pœnitentiam: cùm videlicet peccatoribus nihil horum contingit, quod non rarò euenit. Bene est (inquit Hieremias) omnibus qui præuaricantur, & qui iniquè agunt. Illis etiam qui ista considerant sæpius conuenit illud psalmi: Cùm occideret eos quærebant eum: vnde & sequitur: Dilexerunt eum in lingua sua, cor autem eorum longè erat ab eo. Sed demus aliquando illa mouere ad pœnitentiam: sola tamen peccata sunt quæ ad hanc rem verè attinent: alia, si aliquo loco habenda sunt, magis quędam occasiones, quæ alongè moueant, dicendæ sunt, quàm vera materia pœnitentię. Et quid hæc (rogo) aliud sunt, quàm cõfusio & tenebrę? dum nec discernunt iustos à peccatoribus, studia tendentium ad perfectionem ab initijs conuersionis, peccata propria & actualia ab infirmitate & pœnis peccatorum: & tamen hæc docentes putant se omnia illustrare, & clamãt quòd omnia tenebris offundimus. Nos verò Ecclesiam & Augustinum, eius sensum explicãtem, sequentes, tres istas species actuũ pœnitentiæ distinguimus, de quibus seorsim agemus, vbi ostẽdemus quàm aliter de peccatis ante baptismum commissis sit pœnitendum, quàm post: quàm etiam aliter de mortalibus, quàm de venialibus. Nam neque eam quæ de venialibus est, neque quę fit ante baptismum, pœnitentiam vocauit Hieronymus, cùm illam secundam tabulam post naufragium appellauit, super Isaiam in expositione verborum illorum tertij capitis: Peccatũ suũ quasi Sodoma prædicauerunt. Quod etiã Magister dist. 14. citauit, vbi manifestè baptismum integræ naui, pœnitentiam tabulę fractæ nauis similem dixit: eam proculdubio intelligens, quæ post baptismum est: quod ex Tertulliano accepit lib. de pœnitentia, qui eleganter ad pœnitentiam exhortans ita inquit: Eam peccator mei similis ita inuade, ita amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem, hæc de peccatorum fluctibus mersum proleuabit.

Hierem. 11.

Diuidit deinde Magister pœnitentiam dist. 14. in interiorem

&

& exteriorem: & quod attinet ad virtutem, hæc non differunt aliter, quàm interior & exterior actus virtutis, qui moraliter vnum sunt: quanquam exterior pœnitentia dici posit quidquid exterius fit ex illo dolore procedens: non tantùm videlicet exterior ille dolor vel eius manifestatio, sed etiam ieiuniũ & dejectio vultus, eleemosyna &c. Atque ita exterior pœnitentia pertinebit ad partes, de quibus mox dicemus. Hanc rursum exteriorem pœnitentiam diuisit Magister in occultam siue priuatam, & publicam. Et rursum hæc publica sub se habet solennem pœnitentiam, de qua Magister distinctione 14. dicit quòd iterari non debeat, citata auctoritate Ambrosij, secundo libro de pœnitentia capite decimo, & Augustini, epistola ad Macedonianum. Imponebatur hęc pœnitentia pro magno scandalo, atque ita cum magna solennitate, vt hodie habetur in Pontificalibus: ceterum iam abolita est in Ecclesia, idq; ideo, vt puto, quia huiusmodi peccata puniuntur in seculari iudicio: & quanquam nõ desint qui cupiant restitui hanc solennitatem, alij tamen, nec sine ratione, dubitant an id expediret Ecclesiæ. Illam igitur, ne vilesceret si in consuetudinem verteretur, Ecclesia noluit ab aliquo sæpius agi.

Secũda diuisio pœnitentiæ, in externã videlicet & internam.

Exterior pœnitentia duplex, scilicet occulta siue priuata, & publica.

Pœnitentia solennis.

Ponuntur rursus aliæ partes pœnitentiæ, contritio videlicet, confessio, & satisfactio: quas Magister enumerauit suprà dicta 15. dist. quæ & naturæ ipsius pœnitentiæ, & scripturæ, ac doctrinæ patrum valde consonant, vt patebit cùm de singulis agetur. Nunc circa illas satis sit hæc adnotasse. Primum, quòd quãquam istæ vt nunc fiunt ab Ecclesia, magis sint partes sacramẽti pœnitentię quàm virtutis, de qua nũc agitur, tamen si accipiantur cõmunis, meritò partes integrantes pœnitentiæ virtutis dici possunt, hoc est, actus necessarij vt perfectè & integrè impleatur, quod est huius virtutis, quemadmodũ declinare à malo & facere bonum partes sunt iustitiæ. Secundum, ex quo quod nunc diximus probatur, hoc sit, quòd sicut natura docet vtcunque pœnitentiam ex illis quæ inter homines sunt, eamq; scriptura postea apertius docent, & Christus ad certum modum illam definiuit, ita & istas eius partes. Nam ex his quæ inter homines fiunt, videre est, quòd cùm filius, seruus, aut amicus patrem, dominum, aut amicum læsit, aut ratione quauis in illum aliquid commisit, si recõciliari vult, primò agnoscit & detestatur quod fecit, tũc illum in quem peccauit adit, & coram eo cõfitetur & agnoscit se malè fecisse, demum offert se paratum satisfacere pro arbitrio eius in quem peccauit: ita etiam in pecca-

Tres pœnitentiæ virtutis partes, videlicet contritio, confessio, & satisfactio.

Tres istæ pœnitentiæ virtutis partes ratione & scripturæ auctoritate cõfirmãtur.

tis in Deum commissis scriptura nos docet & verbis & exemplis fieri debere : vt videlicet primò vera agnitione peccati & detestatione coram Deo humiliemur: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me, vel coram me est semper, inquit Psalm. Deinde vt & hoc ipsum vel coram Deo solo, vel demum sicut ad illius gloriam pertinere agnoscimus, confiteamur. Est enim confessio peccati in scriptura: Dixi
Iob.11. confitebor aduersum me iniustitiam meam. Et Iob sub execratione inquit: Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam : cum scilicet ad Dei gloriam & salutem suam illud oportuisset manifestari. Et huc pertinet illud quod suprà diximus: Da gloriam Deo, & confitere peccatum tuum. Et postremò etiam docemur nos diuino iudicio subijcere, & quam ille imposuerit pœnã humiliter subire. Ego,
Hier.20. inquit Psalmus, in flagella paratus sum. Et Hieremias: Corripe me (inquit) domine, veruntamen non in furore, sed in iudicio, ne fortè ad nihilum redigas me. Quæ tria etiam in pœnitentia Dauid de peccato Bersabeæ inueniuntur. Nam primò ad prophetæ durissimam reprehensionem dixit: Peccaui domino: & cum audisset: Dominus transtulit peccatum tuum, mox etiam impositam sibi pœnam humiliter susceptt. Similiter & in peccato numerationis populi idem patet. Percussit (inquit
2.Reg.10. scriptura) Dauid cor, Ecce contritio: deinde dixit ad dominum:
2.Reg.14. Peccaui valde in hoc facto. Et demum trium pœnarum datur ei optio. Igitur videmus pœnitentiam & afflictionem interiorem cordis, quæ contritio dicitur: videmus manifestationem peccati, & demum satisfactionem : quanquam ante Christum non admodum distincta aut explicata. Ceterum sine illis constat non esse integram pœnitentiam. Certè Cain agnoscebat
Gene.4. peccatum suum cùm diceretur ei, vbi est Abel, sed non confitebatur: postea confitebatur etiam, sed neque ad gloriam Dei, nec humili subiectione.

Impugnant omnes has partes aduersarij omnes, quanquam alij mitius alijs, sed ij periculosius: nam qui apertè negant, vt Caluinus, facilius agnosci possunt & vitari: at Philippus, qui vocabula illa admittit, reuera autem euertit quidquid per illa significamus, aptior est ad decipiendum. Sed quoniam quæ adferunt contra ista magis pertinent ad sacramentum pœnitentiæ, cum de singulis dixerimus, dilui poterunt. Hæc debent sufficere, quæ & naturali ratione & scriptura fundata ostendimus.

Ceterùm adferunt & illi suas partes pœnitentiæ, ne non tantum

tum videantur nostra impugnare: sed in eis ponendis, sua ipsorum diuersitas ostendit eos sensui proprio inniti. Alij contritionem & fidem, quam noua obedientia sequitur, partes dicūt, hoc est: actus ad eius integritatem pertinentes: cōtritionem conscientię terrores dicentes ex ira Dei & agnitione peccati: Fidē verò persuasionem, qua quis credit remissa esse sibi peccata, quod omnino volunt certa fide tenendum esse, sed ipsorum fide ista specialis vera nō est. Scriptura enim docet cum dubio & timore remissionis peccatorum agendam esse pœnitentiam. Ita testantur Niniuitę, exemplū pœnitentiæ, à quibus certè melius Philippus partes eius accepisset. Quis scit (inquiunt) si conuertatur & ignoscat Deus, & reuertatur à furore illo suo, & non peribimus? Et tamen hanc ita dubiam pœnitentiam & verā habuisse fidem coniunctam scriptura dicit: Crediderunt viri Niniuitæ in Dominum: & gratam fuisse Deo: Et vidit (inquit) Deus opera eorum, quia conuersi sunt à via sua mala, & misertus est. Iohel etiā per pœnitentiam sub hac dubitatione veniā proponit. Hæc dicit Dominus: Cōuertimini ad me, & scindite corda vestra &c. & omnia claudens: Quis scit si conuertatur & agnoscat Dominus. Falsa est igitur ipsorū illa fides, & aliena à pœnitentia, cōtra quam superfluū est plura dicere. Certè si vera esset, omnem auferret timorem, nec secum pateretur cōtritionem illā quam asserit. Quòd si dicat, illa aduenientе auferri contritionem: quid potest dici stultius? Certè Niniuitę & fidem habebant & cōtritionem simul: vera autem fides catholica initium est cōtritionis sicut & ceterarum omnium virtutum, sed non ideo pars eius dicenda est, sicut nec illarum: quod & nonnulli illorum aduerterunt & dixerunt. Statuunt igitur pœnitentiæ partes, mortificationem & viuificationem, diuersis etiam sensibus. Nam nōnulli mortificationem ipsum cordis dolorem & afflictionem intelligunt: viuificationem verò ipsam remissionis certitudinem. Itaq; re nihil differunt à suprà dictis, nisi quòd meritò magis sunt reprehendendi, quia nouū quæsierunt vocabulum in eadem re: & vtrisque est dicendū, certitudinem illam remissionis, qualis esse potest, spei scilicet, quanquam nō sine timore, nullo modo partem esse pœnitentię magis quàm fidem, sed aliā omnino virtutem, spem scilicet, quę attemperat pœnitentię dolorem, ne, sicut Paulus inquit, abundantiori tristitia absorbeatur: de quo & illud psalmi intelligi potest: Potum dabis nobis in lachrymis & mēsura. Exponunt alij mortificationem carnis esse affectuum omnium abnegationem, & illam crucifixionem assiduam, ad quam

Quas partes pœnitētiæ aduersarij inter se discordes falsò cōstituant.

Ionæ 3.

Iohelis 2.

2. Cor. 2.

exhortatur Paulus: Mortificate (inquit) membra vestra quę sunt super terram. Viuificationem verò eam dicunt, de qua ait: Renouamini spiritu mentis vestræ. Sed hoc quàm vanum sit, satis superius ostendimus. Hæc enim non tantùm peccatorum, sed iustorum & perfectorum studia sunt. Doceant itaque quod ad rem attinet, & dicant quomodo illi cum Deo redire debeant in gratiam, quibus ob peccata sua Deus est iratus. Nam hoc demũ quærimus, & hoc omnes vocamus pœnitentiam. Nos verò (vt etiam hinc magis confirmetur veritas) videamus in Niniuitis tres nostras partes. Prædicant illi ex ore regis & principum vt conuertatur vir à via sua mala: en contritio. vt clament ad Dominum in fortitudine: ecce confessio. vt induantur saccis & ieiunent: ecce satisfactio.

LECTIO TERTIA.

De reatu peccati, qui videlicet transeunte actu manet, & vera ratione remissionis eius.

DICTVRI iam de origine pœnitẽtiæ & actibus, fructu atque necessitate eius, quoniam illud in primis manifestum est, pœnitẽtiam propriè ad remissionẽ peccatorum, nõ omnium (nec enim originalis) sed eorum quæ actu à nobis committuntur, & præcipuè excludentium à regno cœlorum, ordinari, in quo sita est vera iustificatio impij, illud putamus in primis dicendum, quod pertinet ad hanc peccati remissionem & iustificationem: quæ scilicet sit, & in quo cõstituta vera remissio actualis & mortalis peccati: vnde facilè sequitur quid de iustificatione impij similiter dicendum sit. Vt verò hæc ordine tradamus, præmittendum ante omnia est quid sit ipsum peccatum: nec tamen hìc rationem ipsam peccati docere volumus in vniuersum, quod alterius est negotij & alibi à nobis tradendum, sed id tantùm quod pertinet ad cognoscendam veram eius remissionem: quid videlicet transeunte ipso peccato, ipso videlicet actu siue omissione quibus peccamus, maneat in nobis quod remissione egeat, & illa deleatur.

Post actũ peccati hæret in anim.

Omissis igitur circa hoc minus vtilibus quæstionibus, dicamus quod scriptura sacra & certa fides nos docet. Et quidẽ post actum peccati apertè scriptura dicit manere in anima maculam seu

seu deformitatem & turpitudinem, propter quam meritò Deo ingrata est, & ab eo habetur odio. Hiere. dicit: Etsi laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith, tamen maculata es coram me. Hoc ille ex persona Dei de Hierusalem dicit. Iosue quoque populo Israël ait: Peccastis in Beelphegor, & vsque in hodiernum diem macula huius sceleris in vobis permanet. Vnde & Paulus de Christo inquit, quòd dilexit Ecclesiam suam, & tradidit semetipsum pro ea, lauans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, donec (inquit) exhibeat sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi.

ma reatus ceu macula, ob quã Deo displicet. Hierem. 2. Iosue 22. Ephes. 5.

Hæc verò macula quid sit, cõuenientissimè explicatur à Magistro sententiarum & b. Thom. Constat enim in omni peccato auersionem esse animę à Deo. Dum enim neglectis eius mandatis & rectitudine legis suæ, creaturæ adhæret anima atque ad illam conuertitur, dat terga Deo. Vnde meritò clamat Hieremias: Verterunt ad me tergum & non faciem: Et ibidem: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Et multa sunt in hanc sententiam apud eundem Prophetam & alios. Et alibi inquit: Quare auersus est populus hic auersione contentiosa? Hæc igitur duo cùm sint in omni peccato, maximeque cõmissionis, vbi manifestius hoc apparet, certum est præcipuum à quo peccatum malum dicitur, immo solum, auersionem hanc esse, quę meritò nihil aliud esse dicitur, quàm priuatio debiti ordinis. Debemus enim hoc Deo & naturæ nostræ, vt actus nostri iuxta legem suam dirigamus, & ordinemus in ipsum, quo ordine actus peccati caret, vnde & peccatum dicitur. Comitatur verò inordinationem hanc cõuersio illa in creaturam, quæ, quod ad peccantem attinet, causa est auersionis. Cùm enim peccans hoc intendat, vt bono aliquo creato fruatur, dum nimium illud amat, incurrit in deordinationem hanc & auersionem à Deo, etiam si non velit ipsam, immo neq; cogitet: de quo dixit Dionysius, quòd nemo intẽdens malum operatur. Non vult peccans auerti à Deo, sed vult aliquod bonum creatum, cuius nimio amore fit, vt auertatur à Deo. Sicut igitur hæc duo sunt cùm actu peccatur, ita etiam transeunte actu peccati manet anima in eadem dispositione auersa videlicet à Deo, elongata & separata ab eo, coniuncta verò & cõuersa ad creaturam. Sicut enim post motum aliquem corporeum id quod motum est manet (quamdiu quiescit, & quamdiu in contrarium non mouetur) separatum ab eo à quo discesserit & auersum, etiam corpore, si in contrariũ motus est, coniunctum verò illi ad quod accesserit: ita omnino fit in peccato. Est in anima pro-

Deo displicet. Hierem. 2. Iosue 22. Ephes. 5. Dist. 18. 4. & b. Tho. 1. 2. q. 86. In quolibet peccato mortali anima auertitur à Deo ad creaturam, cui affectu & amore adhæret. Cap. 2. Cap. 3. Auertitur anima à Deo quãdo agit aut omittit aliquid cõtra ordinẽ debitũ & à Deo præscriptum. Post peccatũ commissum manet anima auersa à Deo, donec se ad eam conuertat.

culdubio ſuus acceſſus & receſſus, eſt ſua approximatio ad Deū vel ad creaturam, non corporea neq; corporis paſsibus, ſed ſpiritualis, affectibus ſcilicet & morum ſimilitudine. Iam illud etiam & ſcriptura ſacra & ratio oſtendit, ex conuerſione & coniunctione ad Deum illuſtrari & perfundi luce quadam diuina animam, qua deiformis efficitur, atq; ita pulcherrima, non proportione membrorū & colorum corporis, ſed proportione ſpiritualium virium, & deiformitate illa omni luce corporea pulchriori & lucidiori. Vnde etiam dixerunt quidam, gratiam nitorem quendam animæ eſſe ſanctum & reconciliantem amorem.

Anima cōuertēdo ſe ad Deū illuſtratur, & ornatur, & deiformis efficitur.

Certum eſt hanc pulchritudinem efficere animam dignam quæ à Deo ametur: vt exhiberet (inquit Paulus) ſibi gloriosam ſpōſam: non quod prius digna ſit amari anima quàm ametur, ſed veriſsimum eſt illud Ioannis etiam hic: Ipſe prior dilexit nos. prior, non ſolùm antequam diligeremus eum, ſed antequam digni eſſemus qui diligeremur ab eo: ante inquam, non tempore, ſed efficientia & cauſſa: ſimul enim vtrumque eſt, & quòd digni ſimus amari, & quòd amemur, ſed hoc illius eſt cauſſa. Dum enim Deus amat animam, dignam eam facit ſuo amore, ſibiq; conformē. Quàm multa ſunt in ſcriptura de hac re teſtimonia. Nam quod frequēter repetitur in pſalmis: Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum: Illumina vultum tuum ſuper nos. quid aliud ſignificat, quàm illuſtrationem hanc? Paulus etiam apertius ait:

2. Cor. 3. Gloriam Domini ſpeculantes (de filijs gratiæ Euangelicæ loquens) in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem. Et Ioannes de beatitudine quidem illa perfecta: Similes

1. Ioan. 3. illi erimus (inquit) quia videbimus eum ſicuti eſt. Illa igitur viſio patriæ, quoniam perfectiſsima eſt, & parit feruentiſsimum amorem, perfectè aſsimilat nos DEO. Quare neceſſe eſt vt ita credamus, quòd viſio hæc fidei, quia hîc in ſpeculo & in ænigmate videmus, etſi non tam perfectè, tamen aſsimilat nos Deo quanto magis in nobis excitat eius amorem: amore enim veraciter vnimur DEO atque aſsimulamur ei: Ioanne dicente: Qui

1. Ioan. 4. manet in charitate, in DEO manet, & DEVS in eo. Cùm itaque hæc tam manifeſta ſint, non minus manifeſtè ex eis ſequitur quòd illa auerſione & deordinatione atque elongatione à Deo priuata ſit anima luce illa & pulchritudine deiformitatis, quam ex coniunctione ad Deum habuit: quam priuationem meritò tenebras, deformitatem quandam & maculam dicimus: priuationem ſcilicet lucis illius diuinæ & ſpiritualis pulchritudinis, qua ille animam illuſtrabat. Hæc itaq; auerſio & obtenebratio

bratio animæ illi contigit ex conuersione ad creaturam, veluti vmbra quædam ex obiecto corpore quodam opaco & obscuro, id est, inferiori quadam creatura inter Deum & animã obiecta. Nam & illud etiam non omittendum est, quòd eadem ratione ex adhesione creaturæ contrahit etiam anima quandam cum ea similitudinem, sicut meritò scriptum est de peccantibus, quòd facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt. Si enim ex cõuersione & cõiunctione ad Deum verè consequitur anima pulchritudinem, non quidem corpoream, sed spiritualem, hoc est, deiformitatem: necesse est vt ex conuersione ad creaturam cum auersione à Deo non solùm illam amittat, sed sicut corpus contactu rei immundæ maculam & immunditiam contrahit, ita & anima assimulationem quandam eius quod diligit, quod cùm inferius sit ipsa anima, reddit illam indigniorẽ atque ita fœdam: hæc est enim impuritas spiritualis sanctitati contraria: quod locus ille apertè dicit: Facti sunt abominabiles &c. Id quod explicat etiam Psalmus de peccatore loquens: Comparatus est iumẽtis insipientibus, & similis factus est illis. Et demum Hieremias in mystica illa sua lamentatione sub similitudine Nazaræorum de iustis in peccato lapsis: Candidiores (inquit) Nazaræi eius niue &c. denigrata est super carbones facies eorum. Ecce itaque veram deformitatem atque priuationem pulchritudinis in anima, & veram maculã. Nec certè opus est disputari quid hæc sint, an aliud videlicet quàm priuatio. Profectò sicut id à quo peccatum malũ est, sola priuatio rectitudinis est, sed coniunctũ habet inordinatũ motum, vt diximus: ita quod manet post peccatũ priuatio est ordinis & pulchritudinis, auersio est & obscuritas ex illa carentia rectitudinis, sed coniunctam habet maculam ex conuersione ad creaturam procedentem, qua illi quod amat similis facta est. Manet virtute quidem amor ille quo anima complexa est creaturam, quousq; contrarius aliquis affectus producatur ab ipsa anima, non minus, vt diximus, quàm id quod corporaliter mouetur manet elongatũ & auersum ab eo à quo discedit, & cõiunctum ei cui appropinquauit, donec aliter moueatur. Hæc itaq; sunt quę verè remanent post peccatum, à quibus & peccatores, & fœdi atque obscuri efficimur, priuati pulchritudine gratię, & indigni qui amemur à Deo, digni qui odio habeamur: hoc enim reuera est esse peccatorem. Quod ideo tã diligenter admonemus, & inculcamus etiam, quoniam etsi consequãtur peccatum multa alia mala præter hæc, quorum quædam auferuntur cum remittitur peccatum, quædam etiam

Anima auertens se à Deo ad creaturam sit suo modo deformis & immunda ac obscura. Osea 9.

manent: illa tamen omnia propter hæc quæ dicta sunt magis tanquam effectus quidam & sequelæ peccati dicuntur in peccatore esse, quàm ipsum peccatorem constituere. Vt verò hoc apertius fiat, & quoniam proderit etiam huic proposito pœnitentiæ & negotio præcipuo eius, quod est detestatio peccatorum, referamus hæc quæ consequuntur peccatum mala. Primò igitur constat peccatum consequi deordinationem quandam virium omnium animæ. Minuitur enim & infirmatur ipsa eius natura, omnesque vires illius: quod & Psalmista explicat: Cor meum (inquiens) conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum nō est mecum. Itaque & cor, & oculos, & vires non quidem corporis, sed animæ destitutas sua propria perfectione, conqueritur: Vires inquam animæ, quæ sunt ratio, quasi oculi: voluntas, quasi cor: concupiscibilis & irascibilis, quasi organa, destituta sunt vera cognitione boni, vero eius affectu: & hoc est: Lumen oculorum meorum non est mecum, cor meum conturbatum est: denique destitutæ sunt temperantia & fortitudine, quæ meritò vires animæ dicendæ sunt, vt de illis dicat: Dereliquit me virtus mea. Hæc enim sunt vulnera illi naturæ, quæ descendenti à Hierusalem in Hiericho inflicta sunt à latronibus (vt Beda in eum locum ex scriptura & patribus considerauit) quæ explicat b. Thomas suo loco: Ignorantia scilicet, malitia, concupiscentia & infirmitas: sicut priora illa, macula, & cetera intelligi possunt per spoliationem illam, de qua dicitur: qui etiam spoliauerunt illum: quæ rectè significat gratuitorum omnium ablationem. Iam ad vulnera hæc pertinet & infirmitas atque debilitas animæ ad resistendum diabolo & mālo, ad superandas tentationes, & ad perseuerandum in bono, quæ ex peccatis generata est: item propensio in peccata: quæ omnia tanto maiora sunt, quanto ipsa peccata maiora, diuturniora, aut frequentiora: tanto enim illa magis obtenebrant & labefactant vires ipsas naturales animæ, quanquam nunquam ex toto auferant. Quoniam enim anima iuxta fidem immortalis est, ita etiam suas has vires ex toto non potest amittere. Sequitur etiam peccatū obligatio ad pœnam, siue (vt beatus Tho. inquit) reatus pœnæ. Exigit enim hoc Dei iustitia, exigit ordo rerum, & indita hominibus ratio, vt qui ordine à Deo constituto perturbato plus sibi permisit quàm iuxta illum licebat, puniatur etiam subtractione eorum quę licita alioquin illi erant: & qui vltra præfixam sibi mensuram se extulit, deijciatur etiā gradu non solùm eo in quem illicitè ascenderat, sed eo etiam, quo licit è

Mala quæ peccatum cōsequūtur velut effectus quidā.

1.2. quæst. 85.

Luc. 10.

Obligatio ad pœnam, quā reatū pœnæ vocant, etiam cōsequitur peccatum. q. 87. 1.2.

licitè consistebat. Hæc est enim ratio iustæ vindictæ, à qua omnis infligitur pœna. Quòd verò peccatum omne pœna sequatur in Dei iudicio, aperte testatur scriptura. Tribulatio(inquit Paulus) & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Et Moyses in cantico de peccatis loquens ex persona Dei. Nonne (inquit) hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore. Hi enim thesauri sunt iræ, de quibus Paulus: Thesaurizas (inquit) tibi iram. Vbi illud etiam aduertendum, quòd etsi peccata quędam cõsequatur æterna pœna, alia verò temporalis tantum: atque(vt ita dicamus) quædã pœna sit qua vt hostis & inimicus punitur peccator, alia verò qua vt amicus & in gratiam receptus vel in ea permanens, pœnę tamen ipsæ non sunt malę, sed bonæ potius, quibus deordinatio peccati reparatur, atque ideo à Deo sunt, dicente scriptura: Si est malum in ciuitate quod ego non fecerim. Atque ideo ab eis non dicitur quis peccator aut malus, sed potius ab eo, quòd dignus est puniri: hoc enim est quod Dionysius dixit, puniri non esse malum, sed dignum esse pœna. Dignus verò pœna est aliquis ex macula & deformitate atque turpitudine illa, quæ idcirco ratio est, & (vt ita dicamus) forma peccatorum constituens: illa verò omnia effectus eius sunt. Itaque non satis consideratè putamus dictum esse, neque scripturæ & Augustino consentaneè, quanquàm id quidam putauerint, post actum peccati nihil aliud remanere, nisi quòd à diuina voluntate ordinatur peccator ad pœnam, atque ita ordinatus habetur in ratione iustitiæ eius. Ordinari ad pœnam reuera bonum est, vt diximus: & quidquid in voluntate diuina ac ratione est circa peccatorem, bonum est, nec ab eo peccator dici potest, sed à malitia illa & deformitate manente post actũ peccati. Iam verò illud indignum putamus theologo, anxiè quærere quid illa sit, relatio ne an absolutum, positiuum an priuatio sola: hæc enim nihil ad rem pertinent aut scripturæ intellectum. Vidimus iam peccatum solam priuationem esse, sicut malum, illamque manere transeunte actu peccati, quod satis esse debet. Deordinatio etiam illa & macula in conuersione ad creaturam contracta manet quidem virtute, vt dictum est: propter quam dignus est puniri peccator, propter eandem reus est peccati, & obnoxius non tantùm pœnæ, sed prius culpæ, & propter culpam pœnæ. Non enim quia in iudicio decernitur quis puniendus aut punitur, idcirco malus est & peccator, sed è cõtrario, quia talis est, puniri iubetur. Hoc putamus Augustinum

Rom. 2.

Deuter. 32.

A pœna peccati, quæ bona & à Deo est, non dicitur quis peccator. Scotus d. 14. quæst. 1

Peccatum manet post actũ peccati in animo cum auersione & macula contracta.

intellexisse cùm in primo de nuptijs & concupiscentia hoc inquirens, eorum (inquit) peccatorum quæ manere non possunt, quoniam cum fiunt prætereunt, reatus tamen manet: & nisi remittatur, in æternum manebit. Reatus certè in hac materia, vt omittamus quid apud ethnicos auctores latinæ linguæ significet, in vsu translationis scripturæ quam habemus, & in patribus ipsam significat (vt ita dicamus) obligationem & constrictionem, qua sub peccato tenetur peccans: vt reatus peccati sit, quo reus eius constituitur. Sic ait scriptura: Percussit dominus populum pro reatu vituli. Et rursum cùm de occisione hominis, cuius ignoratur auctor, purganda loquitur: Auferetur (inquit) ab eis reatus sanguinis. Augustinus etiam ipse eodem loco ita se intellexisse satis ostendit. Ait enim, de hoc loquens: Nam si quisquam (verbi gratia) fecerit adulterium, etiam si nunquam deinceps faciat reus est adulterij, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Ecce igitur reum & reatum simul coniungi ab Augustino. Quod diximus, ne quis putet ex consuetudine loquendi quorundam, reatum solam obligationem ad pœnam esse. Est reatus culpæ, obnoxium scilicet illi esse: est etiam & pœnæ reatus. Itaque non putamus hoc melius explicari posse, quàm vt intelligamus reatum esse illud, quo digni sumus pœna. Ex quibus iam perspicuum fiet (quod præcipuè quæritur) quid propriè sit remissio peccati. Sic enim Augustinus ex altero alterum intulit eodem loco. Remissio enim peccati est, qua fit vt non habeamus peccatum, ita enim ille inquit: Si à peccato desistere esset non habere peccatum, sufficeret vt nos moneret scriptura: Filij, peccasti: non adijcias iterum. Sed hoc non sufficit: addidit enim: Et de pristinis deprecare vt tibi remittantur. Manent ergo nisi remittantur. Et rursum ibidem: Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati. Remissio ergo facit, vt non sit reus peccati: facit non primò & propriè vt non puniatur, sed vt non sit dignus puniri. Aufert ergo maculam, aufert priuationem pulchritudinis, aufert auersionem & deordinationem à Deo. Itaque eadem ratione putamus non satis explicatam esse hanc remissionem ab eo, qui dixit peccatum remitti à Deo non aliud esse, quàm quòd nolit peccatorem propter illud punire. Nec verbum illud psalmi: Beatus vir cui non imputauit dominus peccatum: quo videtur exposuisse quod suprà dixerat. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: quasi remitti peccatum sit solùm non imputari ad pœnam: hoc (inquam) verbum non adiuuat ita sentientes, sicut nec quod

Exodi 32.

Deuter. 21.

Alius reatus culpæ, alius pœnæ.

Quid propriè sit remissio peccati.

Remissio peccati aufert maculã animæ, priuationẽ pulchritudinis, mordinationẽ & auersionem eius à Deo.

Scotus vbi suprà.

quod Augustinus in eius loci expositionem dixit. Nec enim negamus in remissione peccati hoc esse, nolle scilicet illud æterna pœna punire, non tamen hoc solum esse peccati remissionem vsquam dicit scriptura, aut patres. Sic enim Augustinus eo loco inquit: Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit aduertere: si noluit aduertere, noluit animaduertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. Nec sic intelligatis quod dixit, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint & viuant. Hæc eo loco Augustinus. Vbi intuere quòd morem scripturæ sequens, non tantum cooperta, sed & abolita dicit: vnde infert non permanere & viuere illa postquam remissa sunt. Non itaque solùm non vult Deus punire, sed delet. Dele (inquit psalmus) iniquitatem meam. Quid est aliud, dele, quam quod ibi etiam ait: laua me & munda me? Et Paulus etiam, quamuis sub similitudine & metaphora, eodem modo loquitur de Christo: Delens (inquit) quod aduersus nos erat chyrographum, affigens illud cruci. Vbi quid aliud chyrographum putamus dici, quàm decretum diuinæ iustitiæ, quo non solùm puniendus iudicatur peccator, sed dignus pœna? Hæc peccati malitia, quæ dignum reddit peccatorem damnatione, & in mente eius & in diuino iudicio, scripta dicitur per Hieremiam. Peccatum Iuda scriptum est stilo ferreo in vngue adamantino, & exaratum super latitudinem cordis eorum. Vngue adamantino nonne meritò significari potest diuina iustitia propter insuperabilem illam & inflexibilem vim? In ea igitur scripta dicit peccata, nec in ea solùm, sed in mente ipsa peccantis: exaratum (inquit) super latitudinem cordis eorum. Quid verò aliud scriptura hac, quàm macula ipsa & deformitas peccati melius intelligi potest? Vt sicut diuina gratia dicitur à Paulo in cordibus nostris describere quodammodo Christum: Manifestati (inquit Corinthijs) quòd epistola estis Christi, ministrata à nobis & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Sicut itaque gratia spiritus sancti ipsum Christum scribit in cordibus nostris, dum nos illi conformat: ita peccatum describit Sathanam, eius superbiam & impuritatem, cùm nos illi assimilat: hoc verò deletur remissione: vt videlicet Dei perfecta sint opera. Indignum est enim vt remissione sua non auferat quidquid mali attulit peccatum, & non addat bona maiora malis quæ peccatū attulit. Hæc est remissio peccati, de qua loquitur scriptura, quam non dubitamus ablutionem veram sordium

Remittere peccatum nō est idem quod nolle ipsum punire aut imputare.

Psalm. 31.

Peccata quādo remittuntur non tantū teguntur, sed verè delentur.

Coloss. 2.

2. Cor. 3.

dium animæ dicere, & veram illius conformationem & configurationem cum Deo. Vnde Paulus de fornicarijs & adulteris,
1. Cor. 6. & ceteris peccatoribus locutus: Hæc quidem (inquit) aliquando fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri: vt ita demum remissio peccati sit vera mutatio animæ. Nec tamen existimes Catholicũ aliquem hoc docere, quòd in remissione peccati non fiat vera mutatio animæ, sed sit sola non imputatio peccati: hoc Lutheri est, de quo postea dicemus. Catholici omnes non dubitant, iuxta scripturam, in remissione peccati veram infundi animæ gratiam & charitatem, & alia diuina dona, quibus Deo assimilatur. Sed disputatur inter catholicos tantummodo, quid remissio ipsa peccati sit: & putant nonnulli solã esse non imputationem ad pœnam, siue nolle punire, vt dictum est: nec tamen dubitant simul verè immutari animam donis his diuinis. Nos verò remitti peccatum, dicimus hæc omnia simul, & præcipuè quod pertinet ad ablutionem & purificationem animę, qua auertur omnis illa deformitas peccati: & propterea hęc diuersitas nihil fauet Lutherano errori, neganti omnem inhærentem iustitiam: nec certè magni momenti est, sed de solo nomine remissionis peccati. Nos verò de his admonuimus in hoc principio, vt agnoscatur quid ipsa scriptura sacra dicat remissionem peccati. Ex dictis enim satis patet, in ea idem esse remissionem peccati, ablutionem animæ, denique ipsum deleri, peccatorem conuerti: hæc enim omnia pro eodem accepit scriptura, de quibus & inferius manifestius dicemus.

LECTIO QVARTA.

De *necessitate pœnitentiæ ad remissionem peccati.*

DICTVM est lectione proxima quid post peccatum maneat in peccante, quod remissione auferatur, atq; ita etiam manifestum fuit quid sit ipsa peccati remissio. Ex illis igitur nõ erit difficile agnoscere, quàm sit pœnitentia ad remissionem peccati necessaria, & quo modo atq; ratione requiratur. Loquimur verò de peccati actualis, & quidem mortalis remissione. Constituatur igitur nobis ante omnia de ista re hoc certissimum fundamentum.

Pecca-

Peccatum mortale sine pœnitentia, sine detestatione, odio, atque dolore sui nulla ratione remittitur, sed nec posse remitti & scriptura sacra, & certissima ratio docet. *Peccatum mortale nõ remittitur sine pœnitentia.*

Primò igitur omnium, cùm remissio peccati ex diuina voluntate pendeat, dicente Psalmista: Tibi soli peccaui: quasi diceret: ideo tu solus remittere potes: meritò ex scriptura, in qua hęc diuina voluntas ostenditur, petenda est cognitio huius, qua scilicet ratione & conditione remitti possit. Constat verò in scriptura semper Deum exigere à peccatoribus pœnitentiam, nec aliter remissionem peccati promittere: sine eà igitur nullo modo asserendum est peccatum remitti. Audiuimus superius de hac re scripturæ auctoritates. Apud Ezechielem (in primis) loquitur Deus: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis &c. vita viuet: omnium iniquitatum eius non recordabor. Immo & negatiua ipsa ab eodem apertè asseritur: quod videlicet non aliter remittatur. Sic enim loquitur: Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. Et iterum: Si dixero impio, morte morieris: & egerit pœnitentiam &c. omnia peccata eius quæ peccauit nõ imputabunt ei. Et ibidem: Si impius non fuerit conuersus à via sua, ipse in iniquitate sua morietur. Ita loquitur ibi Deus, siue annunciatum illi fuerit peccatum, siue non: semper (inquit) ipse in iniquitate sua morietur, si non fuerit conuersus. Christus etiam in Euangelio dicit: Nisi pœnitentiã egeritis, omnes simul peribitis. Et Petrus Apostolus in prima illa post receptum spiritum sanctum cõcione, quęrentibus, Quid faciemus, Viri fratres (statim inquit) pœnitentiam agite. Et rursum in alia concione: Pœnitemini & cõuertimini, vt deleantur peccata vestra. Non est opus in hac re tã aperta diutius immorari. Vniuersaliter omnibus qui actu peccãrunt lethaliter, imponitur pœnitentia: neq; vllo tẽpore in vllo statu sine hac peccatum remittitur. Nec omittenda est manifesta etiam ratio fidei, quę his testimonijs scripturę cõsonat, quam b. Tho. hoc loco diligenter cõsiderauit. Constat enim in remissione peccati Deũ omnem indignationem & irã, quibus significatur iusta punitionis eius voluntas, remittere, peccatoremq; in suam gratiam & amicitiã recipere. Hoc est enim remitti peccatum, non vlterius videlicet iratum esse & offensum peccatori, eumq; ad suam gratiam reuocasse. Iam si hoc attentè cõsideremus, duo videbimus inde manifesta fieri. Primũ, quòd cùm Dei operatio semper perfecta sit, & eius voluntas efficacissima, non enim quasi homo expectat Deus bonitatem in nobis quã amet, de

Capite 18.

Ezech. 33.

Luce 13.

Actuum 2.

Actuum 3.

3. part. q. 86. art. 2.

sed suo amore illam producit, ita videlicet, vt nullū amet, quem sic amando dignum nō efficiat eo amore: ita etiam cum remittit peccatum, dignum facit remissione & gratia sua. Secundum, quod hæc non fiunt mutatione aliqua diuinæ voluntatis: non quod prius voluit, desijt velle Deus: non voluit punire, & modò non vult: neque prius iratus fuit peccatori, & modò placatus: sed hęc omnia mutationem significant peccatoris, & Dei operationem in ipso. Remittere igitur iram quid aliud est, quàm ipsum peccatorem sic mutare, vt non sit dignus puniri? Non itaque aliud est amare quem non amabat, quàm dignum facere amore eum qui dignus non erat. Nō aliud remittere peccatum, quàm facere vt non sit dignus odio, hoc est, pœna æterna, qui antè dignus erat. Ita cogitemus, si verè & iuxta fidem cogitare volumus hæc omnia. Deus immotus manet, Deus tranquillus manet, bonus quidem semper & iustus, paratus præmiare & punire: peccans verò ab eius recedit bonitate, & ab illius voluntate præmiandi: incidit verò in iustitiam & in voluntatem puniēdi eiusdem: quæ certè quanquam à nobis aliter dicantur, eadem tamen omnino sunt in Deo, quia omnia infinita: sed nos tantilli, qui omnia tenere non possumus, ita imitamur. Si igitur cùm peccatum est, sola mutatio facta est peccantis, etiam cum remissum est peccatum, sola eius mutatione opus est: mutatione inquam, qua sicut per peccatum factus est dignus pœna, ita per hanc mutationem fiat modò dignus amore. Quomodo verò potest fieri, vt non sit dignus pœna peccator, & vt amore sit dignus, quamdiu manet auersus à Deo? Necesse est igitur vt conuertatur & mutetur, quod veraciter fit per pœnitentiam cum displicet ei quod commisit, cum detestatur & odio habet. Sine his igitur nullo modo peccatum remittitur. Possunt quidem homines his qui se offenderūt & contempserunt remittere animi sui indignationē, possunt remittere qua digni erant pœnam, nulla certe in his qui peccārunt mutatione facta, hoc quidē possunt, quia sua voluntas hoc volendo non operatur in eo cui hoc vult, non facit indignū pœna quē non vult punire: at diuina volūtas, cuius velle facere est, quem nō vult punire facit non dignū pœna. Et rursum voluntas humana ita potest quem prius odio habuit amare, quia mutabilis est: diuina, quia non potest mutari, cùm eum quē prius odio habuit diligere incipit, nō aliud facit, quàm vt qui prius dignus erat odio, amore sit dignus. Hæc est remissio peccati de qua nobis loquitur scriptura, perfecta abolitio & deletio eorū quibus dignus fiebat peccator æterna damnatione,

Peccata remittūtur à Deo recipiente peccatorē in gratiam suam sine omni diuinæ voluntatis mutatione.

Deus nulli remittit peccatū sine eius cōuersione & mutatione.

natione, restauratio eius ad eam quam primò habuit gratiam filiationis & hæreditatis æternæ. Imaginantur quidã nescio quas alias rationes remittendi peccatum: videlicet vt sine vlla cõuersione & pœnitentia remitti possit. Nos verò putamus non esse licitum aliter loqui quàm loquitur scriptura, nec aliam cogitare remissionem, quàm hanc, quam scriptura nobis certò tradit. Nec derogamus quidquam diuinæ omnipotentiæ, vel ei præscribimus modum remittendi peccata, sed magni facimus summam eius bonitatem: continemus nos intra limites scripturæ, dicentes remissionem hanc peccati, quam ipsa nos docet, sine vera pœnitentia, hoc est, conuersione mentis in Deũ fieri non posse, nec reuera intelligi. Posset (non dubitamus) Deus, si ita illi placeret, non punire peccatorem æterna damnatione, hoc illi remittere, sed quamdiu peccator manet, quãdiu affectus peccati perseuerat in eo, non est ei remissum peccatum. Vnde & in scriptura ipsa pro eodem sumuntur peccati remissio, deletio & ablutio, vt superius diximus, & cõuersio ipsa. Omnia docemur à Deo petere: Dimitte debita: laua: dele: denique & conuerte nos. Simul enim hæc omnia in remissione peccati clauduntur.

Ex his igitur beatus Thomas disertè dixit, nulli vnquam adulto, etiam in ipso sacramento baptismi, sine pœnitentia remitti peccatum. Quod verba ipsa Apostoli Petri quæ adduximus, manifestè ostendunt. Pœnitemini, & baptizetur vnusquisque &c. Gemitum quidem & afflictionem, quæ quasi vindictæ quædam assumuntur contra peccatum, in baptismo dixit Ambrosius nõ requiri: at veram mutationem vitę malæ actæ, displiscentiam atque odium peccatorum qui negat requiri in baptismo, negat Apostolum Petrũ, negat & verã rationem remissionis peccati de qua dictum est. Ausus est etiam ex hoc tam certo fundamento asserere, nec his quibus Christus remisit peccata, sine pœnitẽtia remisisse, dolore scilicet & odio peccati, quãquam sine sacramento. Itaque cum dicit paralytico: Remittũtur tibi peccata: & mulieri adulteræ: Nec ego te condemnabo, vade, noli peccare: cùm his inquam nec petentibus, nec (vt videtur) cogitantibus remisit peccata, credit ille, & quidẽ iustissimè, simul cũ his verbis operatũ fuisse per gratiam in eorũ cordibus pœnitentiã. De alijs est manifestior ratio: vt de peccatrice muliere, latrone pendente in cruce. In his enim manifesta est præcedens etiam pœnitentia: sed de hoc etiam inferius plura.

Iam & illud hic non omittendum, quòd Lutherus contra hęc absque vlla certa ratione docuit duos grauissimos errores applau-

supradicto 2. art. Nulli adulto etiam in baptismo remittitur peccatũ sine pœnitẽtia. art. 5. q. 84. Christus etsi sine sacramento, non tamen sine pœnitentia remisit peccata. Mathæi 9. Ioan. 8.

Erronem est veram pœnitentiã esse dem- ceps non peccare.

plaudentes mirè auribus multitudinis, & eorum qui licẽtiosiorem amant vitam. Primò dicit veram pœnitentiam esse, de cetero non peccare: vt hac ratione omnem cõtritionem, dolorem & detestationem peccatorum ostendat non esse necessaria. Cõtra quem sufficiunt quæ & hoc loco & superius de pœnitentia diximus: quòd scilicet pœnitentiæ nomen in scriptura sacra dolorem animi & pœnitudinem significet, sicut & in doctrina patrum. Huic verò coniungit aliũ multo irrationabiliorem: quòd scilicet contritio illa, quæ paratur discussione peccatorum, qua quis cogitat annos suos in amaritudine animæ suæ considerata multitudine & grauitate peccatorum, amissione beatitudinis & damnatione æterna, non solum non sit grata Deo, sed magis faciat hominem peccatorem coram Deo. Contra quem etiam non est opus alia adducere, quàm sensum ipsum communem hominum, & rationem: Si peccator quis constituitur, si Deo displicet homo, quia placent ei peccata & delectatur in eis: necesse est vt quia displicent, & quia detestatur ea, placeat Deo, & efficiatur iustus: contraria enim necesse est contrarijs principijs & causis fieri. Meritò itaque hos errores Leo decimus inter alios eius damnauit. Sunt enim apertè contra manifestissima sanctorum exempla. Nam Ezechias inquit: Recogitabo tibi omnes annos in amaritudine animæ meæ. Et Dauid: Lauabo per singulas noctes lectum meum. Et his operibus constat eos quæ siuisse & meruisse Dei misericordiam & gratiam.

Magis erroneum est quòd contritio de peccatis magis peccatorem efficiat.

An sit necessaria actualis pœnitẽtia, an verò implicita sufficiat?

Vltimò verò, quòd à nonnullis dubitatur, non est omittendũ hoc loco, an ita requiratur pœnitentia ad remissionem peccati, vt necessarium sit actu atque explicitè ea detestari: an verò sufficiat virtute & implicitè hoc agere. Hoc est, An qui se offert martyrio & mortem sustinet propter Christum, etiam sine pœnitentia peccatorum (quia fortè non cogitauit de eis, neque eorum meminit) consequatur illorũ remissionem? Similiter & qui Deum verè super omnia diligit, an hac dilectione consequatur etiam peccatorum remissionem sine pœnitentia? Constat enim in his cõtineri virtute quadam pœnitentiam: Qui vitam suam contemnit propter Deum, nonne omnia alia, quæ minora sunt quàm vita, etiam contemnit? Nõne consequens est, vt detestetur quidquid cõtra Deum est, sicut is qui veraciter eum super omnia diligit? In qua quæst. non est facilè præcipitanda sententia. Verum est, in illis actibus martyrij & dilectionis Dei super omnia includi virtute quadam omnium mandatorum, & omnium quæ ad salutem necessaria sunt impletionem: ac illis etiam pro-

promissam esse Dei gratiam: Qui diligit me (inquit Christus) diligetur à patre meo, & ad eum veniemus. De martyrio verò ex illo verbo: Qui perdiderit animã suam propter me, inueniet eam, colligit Auguſt. 1. lib. de origine animæ, non minus sufficere ad salutem martyrium, quàm baptismum. Vnde meritò dici potest, quod nec minus sufficiat quàm pœnitentia. Quòd si martyrium non minus sufficit, necesse est, vt neque minus sufficiat charitas, à qua potius martyrium mutuatur vt efficax sit ad salutem, dicente Paulo: Et si tradidero corpus meum ita vt ardeã, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Posset itaque probabiliter hoc affirmari. Nec tunc dicendum est sine pœnitentia peccatum remitti: quandoquidem in his virtute cõtinetur pœnitentia, vt diximus. Nec rursum hi, quibus sic dimissa sunt peccata per martyrium vel charitatem, putandi sunt non teneri iam amplius ad pœnitentiam, si facultas illis adsit, hoc est, si superuiuat qui martyrio se exposuit, aut lethalia suscepit vulnera, vel cùm peccata se offerunt ei, qui prius veram dilectionem Dei habuit. Itaque iuxta hanc sententiam, probabilem certè, quocunque actu vel deuotionis vel feruoris, quo verè in Deum conuersi sumus, vniuersa peccata delentur. Charitas (inquit scriptura) cooperit multitudinem peccatorum: & hoc maximè, quando in illo actu non occurrunt ipsa memoriæ. Sed illud etiam asserendum: cùm occurrerint peccata, teneri eũ, cui sic remissa sunt, ad pœnitentiam.

Ioan. 14. Math. 10.

Cap. 9.

1. Cor. 13.

Verùm hæc non sunt tam certò asserenda, vt non possit etiã aliter doceri. Nec enim desunt qui putent hæc omnia, quæ de charitate scriptura dicit, & de alijs bonis operibus, quibus remittuntur peccata, intelligenda esse, quando coniuncta sunt pœnitentiæ. Quod etiam beatus Thomas intelligit, exponens illud: Vniuersa delicta operit charitas, & per misericordiam & fidem purgantur peccata. Si igitur certa circa hoc asserere volumus, primùm hæc conditionalis asserenda est.

Supradict. art. 5. q. 84. 3. partu.

Si vera dilectio Dei, si syncera oblatio ad martyrium esse potest in eo qui peccata habet, quorum nondum ipsum pœnituit, sine pœnitentia eorum, proculdubio sufficiunt illa ad remittenda peccata: nec de hoc dubitari potest iuxta fidem. Si sit vera charitas, vera oblatio ad martyrium, non compatitur secum aliquod peccatum: alioqui non est vera charitas, nec vera oblatio ad martyrium, ex charitate scilicet. Iam verò, an hæc conditionalis esse possit, meritò dubium est. Hoc igitur addamus,

Verisimile est verã dei dilectionẽ aut actum ex illa prodeũtem nõ esse sine ex plicata pœnitentia.

Multo probabilius est veram dilectionem Dei, aut quemcũque actũ ex illa procedentem in peccatore non esse sine actuali pœnitentia, sed eam statim in ipso excitare, quàm cõtrarium, posse scilicet esse sine illa. Nam quis non videt veram dilectionem alicuius primò omnium detestari omnem iniuriam in eũ prius commissam? Et certè nihil magis videtur charitas respicere, quàm quod est contrarium ei quem amat. Itaque non tam parua res est Dei maiestatẽ offendisse, & transgressum esse eius mandata, vt vera charitas eius, si in aliquo sit, nõ primò omniũ reddat eum de hoc sollicitum & reuera anxium, & non primò omnium dolorem excitet peccatorum. Legimus eos etiam qui diu ante pœnitentiam egerant, cùm ad martyrium ducerentur, non fuisse immemores peccatorum suorum, & denuo ea recogitasse: quomodo non magis hoc operabitur charitas in his qui conscij sunt peccatorum, quorum nullam egerunt pœnitentiam. Quin potius etiam occultorum peccatorum, & quorum sibi non sunt conscij quos propria conscientia non accusat, pœnitet, cùm in corde eorum verus fuerit affectus charitatis, & verentur omnia opera sua, atque precantur veniam. Quomodo ergo veram charitatem putabimus, quæ de peccatis nondum remissis non est sollicita? Christus dominus inquit in Euangelio de muliere illa peccatrice: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Sed quanta fuerit illius contritio, & quantæ lachrymæ, irrigatio ipsa pedum domini ostendit. Nunquam itaque putemus separari veram charitatis affectum à pœnitentia, in eo qui in peccatis est. Et certè non nisi temerè contrarium affirmari potest. Diximus superius iuxta Augustinum de baptismo, inuisibilem sanctificationem sine visibili sacramento inueniri in scriptura, & ideo posse credi: certè vera Dei dilectio sine detestatione peccati in peccatore, nusquam in scriptura legitur. Non ergo temerè asserendum, inueniri posse. Itaque ex his iam satis constat, quanta sit necessitas pœnitentiæ ad remissionem peccati.

Luc. 7.

LECTIO

LECTIO QVINTA.

De efficacia pœnitentiæ.

QVONIAM de necessitate pœnitentiæ dictum est satis, dicendum iam est de virtute & efficacia ipsius. Et quoniam remissionis peccati pars quędam & effectus est restauratio & restitutio virtutum & meritorum, quæ per peccatū amissa sunt: de his duobus dicendum est: quòd scilicet sit efficax pœnitentia, ad auferendum peccatum malaque eius, deinde & ad restaurāda bona, virtutes scilicet & merita: quæ duo b. Thomas in fine tertiæ partis diligenter docet. *q.86.& 89.*

De primo igitur articulo statuatur hæc fidei certa propositio. Nullum peccatum esse, quod in hac uita per pœnitentiam deleri non possit. *Nullum est peccatum quod in hac vita per pœnitentiam deleri non possit.* Hanc diligenter asseruerunt & antiquiores illi auctores libri de vera & falsa pœnitentia, qui Augustino asscribitur, & duorum librorum de pœnitentia, qui Ambrosio. In illis igitur libris, & antiquioribus alijs partibus damnatur error ille detestandus Nouatianorum, negantium post baptismū remissionem peccatorum, atque ita efficaciam pœnitentię auferentiū, cuius & b. Thomas meminit. q.84. 3. partis art.10. agens de iterando sacramento pœnitentiæ, & lib.4. contra gentiles cap.70. & sequent. quibus locis pulchris & efficacibus rationibus & auctoritatibus scripturæ reijcit hunc errorem: quæ omnia nostrā propositionem probant. Vt igitur ibi ille inquit, ex duobus fontibus hic error processit. Ex duobus (inquit) fontibus diuersis quidem, sed æquè falsis. Nam errārunt quidam putātes post veram pœnitentiam nō posse vlterius peccari: qui error similis ei est & ex eo procedens, quo putant quidā charitatem semel habitam amitti non posse: quod ex illo verbo Pauli putant se probare: Charitas nunquam excidit. Et ex illo Ioannis: Omnis qui natus est ex Deo non peccat. Et iterum: Omnis qui in eo manet non peccat: & omnis qui peccat non videt eū, neque cognouit eum. Et denique ibidem: Qui natus est ex Deo nō potest (ait) peccare. Cùm igitur (dicunt hi) vera pœnitentia sine charitate & gratia non sit, quæ etiam iuxta eorū sensum amitti nō potest, restat etiā quòd post pœnitentiā nō possit peccari. Huc etiā pertinent plurimæ auctoritates, quas Magister sententiarum dist. 14. in principio scilicet huius tracta- *Error dicentium post pœnitentiā nō posse peccatum committi sine charitate amitti.* *1.Cor.13.* *1.Ioan.3.*

tus, adduxit. Pœnitere est flenda non cõmittere &c. quas & ipse ibi exposuit, & hunc errorem reiecit. Alij verò non negantes post pœnitentiã peccari posse, deterriti tamen grauitate, & ingratitudine peccati, post primam pœnitentiam negabant illi deinceps esse locum. Idque auctoritatibus, maximè scripturæ, confirmabant. Primò Pauli: Impossibile est eos qui semel illuminati sunt & gustauerunt bonum Dei verbum &c. & prolapsi sunt, renouari rursum ad pœnitentiam. Et ibidem iterum hoc probans Paulus: Terra (inquit) sæpius super se venientem bibẽs imbrem, & non germinans, reproba est & maledicto proxima. Deinde & illis scripturæ locis, quibus constat pœnitentes aliquos non admissos ad gratiam. De Esau Paulus inquit: Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis requisiuisset. Et quod de peccato in spiritum sanctum dicitur: Nec in hoc sæculo, nec in futuro illud remitti. Et Ioannes: Est peccatum ad mortem: non pro hoc dico vt roget quis. His itaq; testimonijs alij Nouatianorũ, post baptismum, nunquã pœnitentiam agi posse asserebant: alij semel tantùm, vt lib. de vera & falsa pœnitentia dicitur: quod & Tertullianus lib. de pœnitentia sequutus est. Ita enim inquit: Clausa licet innocentiæ porta, & intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc patere permisit Deus. Collocauit in vestibulo pœnitentiam secundam, quę pulsantibus patefaciat, sed iam semel, quia iam secũdò, sed amplius nũquam, quia proximè frustra: Nonne enim & hoc semel satis est? Fuit itaque ille Nouatianus, sed mitior.

Error dicẽtium nõ esse locũ secũdæ pœnitentiæ.

Hebræ. 6.

Hebræ. 12.

Matth. 12.

1. Ioan. 5.

Cap. 5.

Prædicti errores cõfutantur.

Iam verò omnes hi errores apertissimis scripturę auctoritatibus confutantur & in seipsis, & quatenus pœnitentiam attingunt. Primus igitur ille error, negantium scilicet post verã pœnitẽtiam vnquam posse peccari, excluditur auctoritatibus scripturæ, quibus ad non peccandum post baptismum & pœnitentiam exhortamur, ne qua radix amaritudinis sursum germinãs impediat: Nolite contristare spiritum Dei. Et: Qui se existimat stare videat ne cadat. Et de seipso: Ne fortè reprobus efficiar. Nec enim dubitabat Paulus se in gratiam Dei receptum, & donatum vera eius charitate. Secundus etiam error, asserentium videlicet peccata vel post baptismum, vel post pœnitentiam commissa non remitti, illis contrarius est auctoritatibus, quibus ad pœnitentiam admonemur. Paulus exhortatur Corinthium peccantem, & pœnitentem in gratiam recepit, & consolari eum iubet, ne absorbeatur tristitia. Petrus Simonem post baptismum peccantem admonet ad pœnitentiam. Pœnitentiã

Hebræ. 12.

1. Cor. 5.

1. Cor. 2.

Act. 8.

(in-

(inquit) age ab hac malitia tua. Tu fornicata es cũ amatoribus multis, inquit Hieremias, tamen reuertere ad me. Et Ioannes: Hæc scribo vobis vt non peccetis: sed etsi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum: ipse est propitiatio pro peccatis nostris &c. Et illud apud Matthęũ, quod hæc omnia apertissimè confirmat, vbi Christus Dominus Petro, quem Ecclesiæ suæ præfecit in pastorem, præcipit vt non septies, sed septuagesies septies remittat. Vbi si quis dixerit, non de remissione illa peccati quæ fit à ministris vice Dei, sed de remissione tantum peccati in nos commissi hoc dictum esse (quod parabola illa sequens indicare videtur) meminerit proximè ante illa verba de Ecclesia factam mentionem, & dictum Apostolis: Quæcunque ligaueritis super terram &c. quo contextu satis probari potest, etiam illa ad remissionem peccati, quæ à Deo fit, pertinere. Sed ita sit, vt de peccatis in nos cõmissis sit sermo, est tamen adhuc efficax ratio inde supra à b. Tho. supràdicto loco art. 10. Quoniam cùm iubeamur Dei misericordiam imitari homines: Estote misericordes sicut Pater vester &c. & illa absque comparatione maior ostendatur quàm nostra, qui fieri potest, vt Deus velit à nobis superari? vt nos sæpius remittamus in nos commissa, quàm ipse in se?

1. Ioan. 2.

Matth. 18.

His igitur auctoritatibus primum illud fidei fundamentum satis probatur, nullum peccatum non posse per pœnitentiam remitti. Vbi aduertendum duo affirmari. Primum, de omni peccato posse agi pœnitentiam idque semper, quamdiu durat hæc vita. Nam si non de omni peccato posset semper agi pœnitentia, non omne remitti posset. Hoc verò ita ex præcedentibus probatur, vt à b. Tho. art. 1. supradictæ 86. q. Semper post quæcũq; peccata in hac vita homo est liberi arbitrij, ergo potest de eis pœnitere. Quod exhortationes illę scripturę ad pœnitentiã satis probant. Vna hac potissimũ ratione Augustinus, Hieronymus & antiquiores illi cõtra Manichæũ, negantem libertatem arbitrij, egerũt, quòd frustrà essent admonitiones, pœnæ, præmia, & præcepta, si non esset libertas arbitrij. Cùm igitur omnibus peccatoribus, quamdiu in hac vita sunt, loquatur Deus per scripturam: Conuertimini ad me: comminetur pœnam obstinatis, pœnitentibus veniam promittat: necesse est fateri omnem peccatorem liberi arbitrij esse ad hæc agenda: & meritò, cùm nondum peruenerit ad terminum illum malitiæ damnatorum. Probatur & hoc ipsum alia ratione non minus necessaria. Nullius enim tanta est malitia, quam diuina gratia superare

Ostenditur omni peccato quãdiu hæc vita durat pœnitentiã agi posse.

nō posit,& quem non posit Deus cōuertere:nullus igitur est,
Rom.9. qui non posit agere pœnitentiam. Istud probant Pauli verba: Cuius vult miseretur,quem vult indurat. Vnde ibi ait: Voluntati eius quis resistet? Illud etiam Prophetæ ibi citatum à Paulo
Exodi 33. idem probat:Miserebor cui misertus fuerim. Vel, vt nostra litera habet:Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi
Cap.21. placuerit. Illud etiam Prouerbiorum hoc probat: Sicut diuisiones aquarum: ita cor regis in manu Dei est.quocunque voluerit,vertet illud. Omnem igitur hominem diuina gratia, si sibi placuerit, mouere potest ad pœnitentiam. Sunt duæ istæ rationes simul cogitandæ:nam cùm pœnitentia ex duobus pendeat,

Pœnitentia ex gratia & libero arbitrio pē det.

gratia scilicet & libero arbitrio, vt satis suprà patuit, vtrunque simul necessarium est, & ex vtriusque possibilitate possibilitas pœnitentiæ probatur,Vnde meritò beatus Thomas inquit illo loco, negare semper posse agi pœnitentiam, est error contrarius,& libertati arbitrij,& efficaciæ diuinæ gratiæ.

Probatur omne peccatū per pœnitentiā remitti posse.

Secundum verò quod continet illa prior propositio: Omne peccatum per pœnitentiam remitti, probant suprà allatæ auctoritates.Si impius egerit pœnitentiam,omnium iniquitatum eius non recordabor,inquit Ezechiel.Nihil excipit. Probat & hoc ipsum immensitas diuinæ misericordiæ, de qua Iohel dicit:Benignus & misericors,& multæ misericordiæ,& præstabilis super malitia, Omni igitur peccato maior est Dei misericordia,Probat etiam idem copiosa illa redemptio, & immensa virtus passionis Christi,de qua Ioannes inquit: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & nō solùm pro nostris, sed etiam pro totius mundi.Itaque meritò ait beatus Thomas hoc negare,errorem esse contra Dei misericordiam & virtutem passionis Christi. Ex quibus iam videre licet, quàm sit pernitiosus hic error, & quàm meritò Catholici omnes doctores acerrimè in illum inuecti sint. Simul aufert libertatem arbitrij, contradicit diuinæ gratiæ,misericordiæ, virtuti passionis Christi: meritò itaque in Deum iniurius est hic error,cuius gratiam & misericordiam adeò restringit.Vnde in primo lib.de pœnitentia, qui
Cap.2. Ambrosio asscribitur:Cùm(inquit)ad misericordiam quàm ad seueritatem promptior sit spiritus Dei,tolerabilius Nouatiane remitteres quàm ligares:aliud enim quasi ærumnæ compatiēs ignosceres, aliud quasi delinquendi parcens vsurpares. Igitur sicut Deus (vt ita dicamus)maximè gloriatur de misericordia, ita summa blasphemia est, hāc illi adimere:est etiā & pernitiosissimus peccatoribus : nulla enim grauior tētatio desperatione

de

de qua Paulus dixit: Desperantes tradiderunt semetipsos impudicitiæ in operationem omnis immunditiæ & auaritiæ. Itaque necesse est, vt absque freno spei præceps feratur peccator in omne malum. *Ephes. 4.*

Ex his qualiter sit respondendum auctoritatibus scripturæ, quibus vterque illorum errorum innitebatur, facilè est videre. Primis igitur illis scripturæ locis: Charitas nunquam excidit: Qui natus est ex Deo non potest peccare: respondendum est illis verbis non plus significari, quàm charitatis ipsius & gratiæ, virtutem esse tantam, quæ quantum ex se est, sufficit perpetuò à peccato præseruare: quanquam Paulus verbis illis tantum significare voluerit charitatem in futura vita permanere, quod non fides vel spes, aut alia diuina dona habent. Ceterùm illud Ioannis exponit Augustinus 2. de peccator. merit. & remiss. Quatenus (inquit) filij Dei sunt, non peccant, sed quatenus vetustatis aliquid habent, nunquam sine peccato sunt, vt verum sit illud: Si dixerimus quia peccatum non habemus &c. Aut vt b. Thomas inquit q. 24. 2. 2. vtens quidem charitate non peccat: illa sufficiens est omne peccatum superare: at verò si ea nõ vtatur excæcatus passione aut malitia, peccare poterit. *Exponũtur scripturæ quæ prædictos errores cõfirmare videtur.* *Cap. 7.* *Art. 11.*

Quæ verò pro secundo errore adducebantur sic intelligenda sunt. Illud Pauli: Impossibile est renouari &c. de baptismo à Chrysost. Ambro. & ceteris exponitur. Cui consonant contextus ipse & verba. Impossibile est (inquit) renouari. renouatio verò propriè ad baptismum referenda est: & ratio quam assignat: Rursus crucifigentes filium Dei. ad hoc pertinet: vt quoniam in baptismo configuramur Christi morti, illud repetere, sit repetere mortem Christi. Nec est omnino reijcienda expositio Hugonis de S. Victore lib. 2. de sacramentis parte 14. cap 4. Impossibile (inquit) quantum ex nobis est. Consonat hoc verbo illi Euangelico: Apud homines impossibile est, Deo verò omnia possibilia sunt. Iam per peccatum in spiritum sanctum verior & proprior expositio Augustini finalem impœnitentiam intelligit. Vel si magis placet certum aliquod genus peccati intelligere, illud, sicut & hæc auctoritas Ioannis: Non pro hoc dico &c. significant quædam esse peccata ex se magis irã Dei prouocantia, & ea committentem indigniorem venia reddentia, quam alia: nulla verò irremissibilia in hac vita. *Marci 10.*

Solet hoc loco à posterioribus & recentioribus inquiri, an semper in hac vita maneat homini facultas pœnitendi, an potius subtrahatur aliquibus? idque propter illos quæritur, quos

An nunquã in hac vita subtrahatur omnipœnitendi facultas.

legimus excęcari & obdurari à Deo. Ego indurabo cor Pharaonis &c. Timent enim, & merito, de aliquo asserere, quod pœnitere non possit. Sequeretur enim eum non esse liberi arbitrij, neque ei diuina præcepta de pœnitentia proponi, vt satis superius diximus. Nec tamen negari potest quosdam indurari à Deo, non quòd ille operetur in eis obstinationem, aut immittat eorum cordibus, vt stultissimè dicunt hæretici nostri sæculi, sed quòd deserat eos gratia: quare hic trepidant, ne si dicantur deserti à gratia, sequatur iam illos non posse pœnitere. Nos interim nec eos reprehendimus, nec tamen volumus docere quæ docent, nec longam disputationem nunc de gratia ingredi. Id satis sit, iuxta Augustinum in 2. lib. de peccatorum meritis & remissione, non esse negandum, posse hominem quamdiu viuit de peccatis pœnitere, sicut ille inquit ibi posse nõ peccare. Sed eum qui nõ facit, dicendum est ideo nõ facere, quia non vult, vt ille ibidem ait. Quòd verò nolit pœnitere, vt in proposito loquamur, ideo est, quia nõ intelligit, vel nõ delectatur, vt ille de omni bono inquit: quod verò agnoscatur & delectet bonum, gratię est. Igitur subtrahitur obstinatis id, quo acturi essent pœnitentiam aut vellent, non tamen facultas pœnitentiæ. Longè aliud est impediri executionem virtutis alicuius, & auferri ipsam virtutem. Qui bonis adhortationibus auertit à peccato aliquem, non aufert ab eo libertatem peccandi, sed voluntatem: & è contrario, qui bonis exhortationibus potuisset auertere à voluntate peccandi proximum, ne fecit, non compulit illum ad peccandum, nec abstulit libertatem arbitrij, qua posset nõ peccare. Ita si Deus non dat, non facit vt pœniteat peccatorem, aut vt id velit: non aufert tamen facultatem. Cùm quandocunque id facit, iustissimè faciat, respõsum est etiam quęstioni & querelæ illi, qua iniustitiæ videtur accusari Deus, cui Paulus etiam respondit. Nam cùm proposuisset: Dicis itaque mihi, quid adhuc quæritur? voluntati eius quis resistet? subinfert: O homo, tu quis es qui respondeas deo? Iustè enim nemo de Deo conqueri potest, qui nihil cuiquã debet. Subtrahitur itaque, quibus subtrahitur, gratia, actus ipse scilicet pœnitere vel credere &c. sed non subtrahitur posse hæc facere. Illud porrò est gratiæ, hoc naturæ. Augustinus lib. de prædestin. sanctorum: Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ & hominum est, habere autem charitatem atque fidem, gratiæ est fidelium.

Cap. 6.

Cap. 17.

Obstinatis subtrahitur nõ facultas pœnitendi, sed gratia qua pœniteant aut pœnitere velint.

Rom. 9.

De pœnitẽtia in arti-

His proximum est quod de pœnitentia in articulo mortis quæritur, de qua Magister dist. 20. 4. & Gratianus de pœnitentia

tia dist.7.pluribus citatis testimonijs latius sunt locuti. Certum ergo habendum est, in vltimo etiam momento vitæ agi posse pœnitentiam. Quòd illud Pauli probat ad Hebræos, qui citatis verbis Psalmi: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra: Exhortamini (inquit) vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Hodie nominatur, quandiu præsens vita durat. Potest itaque vsque ad vltimum vitæ terminum pœnitentia agi. Secundum verò huic est addendum, In fine vitæ nimiũ difficile esse, agere veram pœnitentiam. Id Augustinus libro 50. homiliarum homilia 41. docet, vt Magister citat loco supradicto, & Gratianus: Securitatem (inquit) non promittimus. Quanquam non constet satis homilias illas esse August. & illa nihil habet stili eius: tamen vtcunque sit, illud certissimum est, & probatur illa distinct: à doctoribus, inter quos Scotus diligẽter quatuor colligit rationes, humanas quidem, & ipsa experiẽtia notas. In mortis enim articulo & ratio sæpius turbatur, quo fit vt non satis libertas voluntatis constans sit: vitia etiam præterita & inordinatus amor vehementius trahunt: præteriti etiã habitus multò maiori vi opus habent vt contra eos agatur, & denique tunc non satis liberè, sed necessitate quadam agitur pœnitentia, & timore pœnæ, cùm tamen sola quæ ex charitate agitur & solo Dei amore, sufficiat ad remissionem peccati. Hęc si considerentur, meritò terrere debent, multo verò magis, si addamus diuinæ gratiæ desertionem: nam sine illa nunquam pœnitentia agi potest, quam tunc comminatur scriptura sacra auferendam esse ab his, qui in vita illam contempserunt. Quia vocaui (inquit sapientia) & renuistis: extẽdi manus meas, & non fuit qui aspiceret: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo cum vobis quod timebatis euenerit. Et post paulo: Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non inuenient me, eò quòd exosam habuerunt disciplinam &c. Est tamen hic aduertendum, quòd quanquam hoc viuentibus meritò sit inculcandum, vt sicut in illa Homilia dicitur Augustini, sani & integri pœnitentiam agant, verùm cum illis, qui iam sunt in articulo mortis, ita agendum est, ne in desperationẽ labantur. Proponenda immensitas diuinæ misericordiæ, danda spes, sed id ita agendum vt quantum fieri potest, excitentur ad verum propter Deum dolorem peccatorum. Cauendum verò est, quòd hic multi videntur præpropere consolari pœnitentes. Iubent statim certam habere remissionem, quasi nihil aliud

culo mortis.

In vltimo vitæ articulo potest quidẽ agi vera pœnitentia, sed admodum difficulter. Cap. 13.

Prouerb. 1.

Quo modo agendum cũ homine in extremis cõstituto.

opus sit: idque nonnulli Catholici faciunt, fugientes hæreticorum calumnias, qui non dicunt nos iubere homines perpetuò dubitare, sed non propterea in eorum extremum errorem incidendum est, qui putant solam illam fidem sufficere pœnitenti. Igitur in extremis addenda calcaria ad verum dolorem, quantum fieri poterit, ita vt ipsa consolatio ad id inducat. Potest nãq; prudenter agi, vt nõnunquam cùm nihil minus agere videatur is qui exhortatur, tunc maximè accendat ad verum dolorem. Sed de his nonnulla etiam inferius.

Remisso peccato per pœnitentiã nihil vetat superesse pœnã temporalem.

Vltimò iam circa hunc articulũ, de remissione videlicet peccati per pœnitentiam id aduertendum, quòd peccatum remitti, cùm solùm sit auferri auersionem à Deo, & inimicitiam atque indignationem eius, bene consistit cum hoc, quòd remisso peccato relinquatur obligatio ad pœnam. Quod Augustinus probat 2. de peccatorum merit. & remiss. in Dauid, & in ipsis primis parentibus nostris: quod superius, agentes de baptismo, satis ostẽdimus. Igitur virtus pœnitentiæ obtinet quidem culpæ dimissionem, & omnis pœnæ quæ illam necessariò consequitur, æternæ videlicet: non tamen liberationem ab omni temporali pœna. De sacramento verò pœnitentiæ postea dicemus. Nunc satis hoc tanquam certum dixisse contra hæreticos, putantes nihil reliquum esse pœnæ post peccatum dimissum. Vera fides contrarium asserit, quod de baptismo latius ostendimus.

LECTIO SEXTA.

De altero effectu pœnitentiæ, scilicet restauratione bonorum, quæ per peccata amissa sunt.

NOn est omittendus & alius effectus pœnitentiæ, quem scriptura & patres satis ostendunt. Non enim tantùm remissionem peccatorum operatur, sed etiam & virtutum & meritorum, quæ ante peccatum fuerant, reparatrix est.

Circa hoc igitur aduertendum, quòd ex scriptura quidem sacra, iuxta proprium & certum sensum, vix aliquid certi colligi potest præter hoc tãtum, quòd per pœnitentiam

tentiam Deus peccatorum præteritorum obliuiſcitur, & quòd de immenſa eius bonitate tam frequẽter ſcribitur, qua pronior ille eſt ad miſerendum & remittendum peccata, quàm ad puniendum. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij? inquit per Ezechielem. Nolo mortem morientis &c. Fit etiam, ſicut Paulus inquit, vt vbi abundauit delictum, ſuperabundet & gratia: & denique, vt operetur abundantius quàm petimus aut intelligimus. Hæc nobis ſcriptura dicit apertè. Iam quæ circa hunc articulum reſtaurationis bonorum dici poſſunt, vel ex parabolis & myſticis ſenſibus, vel probabili coniectura & ratiocinatione collegerunt doctores Scholaſtici. d. 14. quart. & b. Tho. quæſt. 89. 3. partis. Loquamur ergo ſicut in materia probabili, aſſerentes quæ pietati & bonitati diuinæ conueniant, nec in controuerſiam vertuntur. Notentur igitur de hoc ſequentes propoſitiones. *Cap. 18.* *Roman. 5.*

Prima. Per pœnitentiam reſtituuntur peccatori virtutes omnes quæ per peccatum amiſſæ erant: virtutes (inquam) theologicæ atque diuinæ: ſed & reliquæ omnes infuſæ, non verò acquiſitæ, ſi quæ operibus peccatorum amiſſæ ſunt. Tria hic dicimus. Primum, reſtitui virtutes theologicas. Has vera fides docet eſſe in iuſtis: Manent nunc fides, ſpes, charitas &c. In peccatoribus amiſſa charitate, fidem & ſpem mortuas & informes manere: de quo alibi dictũ eſt ſatis. Cùm igitur per pœnitentiã peccato remiſſo iuſtificetur pœnitẽs, neceſſe eſt redire charitatem, atque fidem & ſpem formari. Hoc certa fide conſtat tenendum. Secundò aſſerimus infuſas virtutes reſtaurari. Vbi omnia probabilia ſunt. In iuſtis hominibus ſimul cum charitate eſſe omnes alias virtutes morales cum prudentia, atque Deo ſimul cum illa infundi, tenet multorum probabilis ſententia, nec iuſta aliqua ratione improbari poteſt: eadem probabilitate & illas reſtitui pœnitenti ſimul cum charitate aſſeritur, & per peccatum cum ea ſimiliter, non quidem manere informes, ſed amitti. Hoc itaque probabiliter ſuadetur: & ex verbo Lucæ de filio prodigo, quem pater iubet ſtola prima indui, quam Ambroſ. amictum ſapientiæ interpretatur: illa verò coniunctas dicitur habere virtutes omnes: Sobrietatem enim & iuſtitiã docet &c. Ratione etiam probabili. Cùm enim gratiæ omnes illæ virtutes gratuitæ vnitæ ſint, & apud Dei immenſam miſericordiam non minus valere debeat pœnitẽtia, quàm valuit apud eius iuſtitiam peccatum (alioquin recordari videretur Deus poſt pœnitentiam priorum peccatorum, contra id quod ſæpè dictum

Quæ virtutes per peccatũ amiſſæ reſtituũtur per pœnitẽtiã & quæ non.

Virtutes infuſæ & gratuitæ reſtituuntur per pœnitentiam.

Prouer. 8.

eſt

est ex Ezechiele) consequens est æquum esse, vt restituantur omnes illæ virtutes. Tertium denique, quod in illa propositione dicitur, experientia certa constat. Deditum videlicet gulæ, incontinentiæ, siue iræ, post pœnitentiam prauis illis dispositionibus & habitibus adhuc teneri & inclinari ad peccata: tam longè abest vt habeat temperātiæ & sobrietatis habitus acquisitos. Itaque, vt diximus, manent remisso peccato reliquiæ: propensio videlicet animi ad illud, & difficultas ad virtutes oppositas, sicut & in baptismo diximus. Nam inordinata illa concupiscentia, quam ex vtero trahimus, nunquam omnino in hac vita aufertur.

Virtutes acquisitæ per peccatū amissæ, nō restituūtur per pœnitentiam.

Merita ante peccatū cōparata et per peccatū amissa restituit per pœnitentiā verisimile est.

Secunda propositio. Merita omnia quæ peccatum præcesserant, & per illud obluioni tradita erant, dicente domino per Ezechielem: Si auerterit se iustus à iustitia sua & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius quas fecerat non recordabuntur, per pœnitentiam reparantur & redeunt. Quod probabili & pia ratione afferunt doctores, vt in libro illo de vera & falsa pœnitentia dicitur. Pium est tamen credere, vt recepta Dei gratia, quæ in eo destruit mala priora, remuneret bona, vt cùm destruxerit, quod suum non esse inuenit, amet & diligat bonum quod etiam in peccante plantauit: quamuis ibi etiam de his quæ in peccato facta sunt loqui videatur. Suadent hoc mystico verbo Iohelis Prophetę: Reddam vobis annos quos comedit locusta. Vbi Glossa mysticè interpretatur, non patiar (inquiens) perire vbertatem, quam perturbatione animi amisistis. Superior etiā ratio magis suadet: quòd videlicet pœnitentia aufert: quidquid damni intulit peccatum: per peccatum verò, quasi impedimento quodam obiecto, factum est, vt merita apud Deum remuneranda non essent: ablato igitur hoc impedimento, remunerabuntur. Itaque consentiunt in hoc posteriores omnes, opera quidem in peccato facta nunquam per pœnitentiam sequentē reparari vt à Deo præmientur, quæ videlicet cùm ederentur & fierent, indigna erant vita ęterna, atque ita semper fuerunt mortua: quæ verò facta fuerant ab existente in Dei gratia à spiritu eius profecta & per peccatum sequens mortificata, atque (vt diximus) obice obiecto impedita, redeunt per pœnitentiā. Itaq; in peccato bona operanda sunt, ne amplius peccetur, & ne maiori ira dignus fiat peccator, dum bona omnia omittit, denique vt illis se præparet ad iustitiam, & Dei oculos misericordes in se conuertat, quod superius diximus peccatorem posse, non sine gratia Dei: ceterum hæc non præmiantur vita æterna: facta

Ezech. 18. Cap. 14. Iohel. 2.

Opera bona peccato facta post pœnitētiā meritoria nō fiūt, non tamen sunt inutilia.

verò

verò in gratia semper præmiari asserunt. Hæc quidem probabilia valde sunt, sed quoniam bona illa, quæ reparari dicuntur, qualiter à Deo renumeranda sint, & qui tenent ea restaurari, diuersimodè id exponunt, melius est hoc tãquam incertum relinquere, vt ex sequenti propositione patebit.

Tertia propositio. Resurgens à peccato nõ semper ad æqualem gratiam redit, aut maiorem quam prius habuerat. Hanc sententiam grauiores tenent scholastici, & omnes ferè, quam ipsa etiam experientia ostendit. Non enim semper pœnitentiam agens maiori & feruentiori conatu eam agit, quàm antequam peccasset, habuerat: quod & possibile esse manifestum est, & sæpe contingere videmus. Ceterùm redeunti à peccato gratiã dari secundum dispositionem & conatum suum, valde cõsonat scripturæ. Propterea enim tantopere exhortatur peccatores & verbis & exemplis ad frequenter & ardenter agendam pœnitentiam. De Magdalena inquit Dominus: Quoniam dilexit multum. Sunt huiusmodi exempla & verba multa in Psalmis: Laboraui in gemitu meo &c. Iohel. Conuertimini in toto corde vestro. Satis itaque obliuioni dantur à DEO peccata, si nihil eius gratiæ, ad quam se pœnitens præparat, propter præcedentia peccata auferatur. Ex qua propositione fit iam dubia præcedens. Nam si non est in maiori gratia quàm prius, quomodo (inquiunt nonnulli) dignus est gratia? quod ex præcedenti propositione habetur. Si enim redeunt præcedentia merita, præmiandus est propter illa. habebit igitur omnem quam antea meruit gloriam, & maiorem etiam, cum nunc amplius mereatur. Cui dubitationi melius est nihil respondere, quàm dicere multa, vt à multis fit. Secundum gratiam in qua quis vitam finit, quantum colligere ex scriptura possumus, probabile est vnumquemque præmiandum. Gratia DEI (inquit Paulus) vita æterna. Nec cùm alibi inquit de DEO, quod dabit vnicuique secundum opera sua, significat aliud esse præmium operum, aliud gratiæ: sed proportionem aliquam, aut respectum ad opera habendum in præmio. Nam tota vita æterna, id est felicitas, quæ nobis continget, & non pars aliqua eius, ex gratia est, contra quam neque opera præmianda distinguenda sunt. Sunt enim omnia gratiæ effectus, quæ digna sunt æterno illo præmio. Relinquatur itaque hoc Deo, quem non dubium est abundantissime præmiaturum omnia nostra merita.

Resurgens per pœnitẽtiã nõ semetiam per maiorẽ aut tantã peccasset, habuerat: quod & possibile esse manifestum est, & gratiã recu sæpe contingere videmus. Ceterùm redeunti à peccato gratiã perat, quam dari secundum dispositionem & conatum suum, valde cõsonat tam amisscripturæ.

LECTIO SEPTIMA.

Qualiter dimissa peccata redeant per sequens peccatum.

IAM circa hæc, in quibus de efficacia pœnitentiæ dictum est, meritò est vltimo loco dicendū de peccatis post illam rursus admissis: an videlicet illa ita pœnitentiæ fructum auferant, vt redeant etiam quæ iā dimissa erāt. Fit enim de hoc apud antiquiores patres frequens mentio, ex quorum testimonijs Magister distin. 22. quarti, non pauca collegit, & Gratianus de pœnitentia distin. 4. quibus locis à recentioribus agitur de hac re: Et b. Thom. inter vltimas quæstiones 3. partis habet de hoc 88. q. Breuiter igitur quid tenendū de hoc sit dicamus, vt deinde quid trahendum sit ad mores & popularem doctrinam posſimus dicere, quod hoc nostro opere maximè intendimus.

Quomodo peccata per pœnitentiā remissa redeāt et nō redeāt per subsequens peccatum.

Sit igitur hæc prima propositio. Non est dubitandum, ratione aliqua per peccatum sequens redire peccata iam dimissa, sicut nec rationabiliter asseri debet, simpliciter & omnino ea redire, aut non minorem reatū, hoc est, obligationem ad non minorem pœnam, quàm quæ præteritis omnibus debebatur, propter peccatum post remissa omnia illa commissum deberi. Hęc propositio ita posita est, vt statim intelligamus tenendum nobis esse remedium. Nam, vt distinctione illa 22. patet, Magister maluit tenere, redire peccata, quàm non: quanquam sine præiudicio alterius sententiæ. Gratianus etiam cum illo sentit. Et hęc

Sententia dicētiū peccata dimissa redire.

sententia vltra locum Euangelij non parum ei fauentem, vbi de seruo, qui noluit remittere confratri suo debitum apertè dicitur, quòd iussus sit reddere vniuersum debitum: vbi statim subditur: Sic pater meus faciet vobis, si non remiseritis: Vltra igitur hunc locum habet etiam non paucas auctoritates sanctorum, Ambrosij, Augustini, Gregorij, quæ suprà dictis locis patent. Vbi inter cetera August. primo lib. de baptismo contra Donatistas apertè ita inquit: Redire peccata dimissa vbi fraterna charitas non est, apertissimè docetur in Euangelio de illo seruo, quem cùm inueniſſet debitorem &c. Quamuis Augustinus ibi tantum disputans & inquirens loquatur, nec quidquam affirmans, vt legenti locum satis patet. Non est opus plura referre. Hæc igitur priorem partem propositionis nostræ probant: nulla videlicet ratione negandum esse, ali-

Math. 18.

Cap. 12.

aliqua ex parte ea redire, propter locum illum Euangelij, qui quanquam parabola sit, in hunc sensum acceptus est à patribus, & à Christo propositus: quod verba illa: Sic pater meus faciet vobis, quæ propria iam sunt, probant. Rursum, asserere etiam omnino peccata dimissa redire, ita vt propter ea puniendus sit qui postea peccauit, nec diuinæ pietati, nec veriti sacramentorum conuenit, nec etiam sanctorum doctrinæ. Sine pœnitẽtia (inquit Paulus) sunt dona Dei & vocatio. Quod igitur ille semel donauit, non repetit. Quod Augustin lib. responsionum Prosperi affirmat: Et Gelasius, vt Gratianus citat, diuina (inquit) clementia remissa peccata in vltionem vlterius redire non patitur. Cui & illud consonat Prophetæ: Deus non vindicabit bis in idipsum in tribulatione, vt 70. legunt: vbi nos secundum Hieronymum legimus: Non consurget duplex tribulatio. Cùm igitur semel dimissa punita quodammodo iam sint, & quod attinet ad misericordiæ diuinæ iudicium, remissione illa deleta: qui fieri potest vt iterum repetantur? Vnde & qui asserere omnino voluerunt redire, coacti sunt dicere, non simpliciter remissa esse peccata, &, vt illi dicebãt, secundum præscientiam, sed tantum secundum præsentem iustitiam: vt scilicet in præsenti Deus absolueret, quem propter eadem sciebat perpetuò puniendum. Quòd, vt beatus Thom. inquit, etiam errorem habet. Sequeretur enim, sacramenta non simpliciter causare effectus suos, sed cum quadam conditione in futurum pendente. Semel ergo remissa simpliciter remissa sunt, &, vt verbo Pauli dicamus, sine pœnitentia dimissa sunt. Dat enim Deus, inquit Iacobus, affluenter, & non improperat. Ex quibus omnibus secunda pars propositionis satis patet. Sed explicandum iam est, qualiter non redeant, & qualiter redeant. Apertè igitur dicimus quòd non redeunt secundum cõuersionem. Cùm enim in omni peccato conuersio sit ad bonũ aliquod commutabile, notum est in peccato sequenti non sem per conuerti peccatorem ad eadem bona, sed nonnunquam ad cõtraria. Itaque qui prius nimio amore retinendæ pecuniæ peccauit, & pluribus actibus peccati in hoc vitium propensius fuit, peccare poterit post hoc peccatũ remissum prodigalitatis vitio, illi videlicet contrario. Rursum, nec redit macula & reatus, prout causabatur à precedentibus peccatis: vt scilicet propter illa omnia puniendus sit: quod satis probatũ est. Itaq; ex his patet, illa simpliciter & verè non redire: qua verò ratione redeãt, breuiter dicamus. Certè non aliter, nisi quia efficiunt peccatum

Probatur peccata remissa non omnino redire.

Rom. 11.

Naum 1.

Iacob. 1.

Peccata nõ redeunt secundũ propriam suã auersionẽ & reatum.

Peccata remissa redire dicūtur, quia sequēs peccatum augent. Rom.2.

tum maius vt circumstantia quędam illud aggrauās. Cùm enim tanto grauius peccemus in Deum, vt Paulus inquit, quāto plus diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnimus: inter cetera verò bonitatis Dei dona hoc tam insigne sit, quo remissa sunt nobis peccata: peccantes verò rursus contra hoc agimus & illud contemnimus: non possunt peccata sequentia remissionem non tanto maiora esse, quanto plura aut sæpius remissa sunt. Hæc quidem b. Tho. art. 1. illius quæst. Ex quo statim intulit 3. art. eiusdem quæst. non esse asserendum, per peccatum sequens peccantem dignum effici tanta pœna, quanta dignus erat propter omnia peccata remissa. Fieri enim potest, vt multo minora sint peccata sequentia, & secūdum speciem suam, & secundum effectum, & alias circumstantias. Contingere enim potest, vt qui grauissimo adulterio implicitus fuit, magnoque affectu: hoc remisso, incidat in leuem aliquam ex infirmitate cōcupiscentiam, etiam si mortalis sit. Potest hoc multis & latioribus exemplis manifestum fieri: ex quo fit, vt hoc tantum pro certo habendum sit, eum qui post remissa peccata peccat, ceteris paribus tanto grauius peccare, quanto plura aut sæpius remissa sunt ei peccata: ita scilicet, vt duobus eadem specie & affectu peccantibus, ille arctius irretitus sit & grauius peccet, cui antea erant remissa peccata, quàm qui tunc primò peccauit: & si ambobus remissa fuerint, ille plus peccat, cui plura. Quanta verò sit hæc grauitas, Dei iudicio relinquendum est: & quidem cum magno timore. Ceterùm de hoc sit iam secunda propositio.

Grauius peccat cui sæpius aut plura peccata prius remissa sunt.

Maior est ingratitudo eius qui post pœnitentiā peccat, quàm qui primò peccat.

Ingratitudo hæc peccantis post remissa peccata, maior quidē rationabiliter à doctoribus dicitur ingratitudine primò & post innocentiam peccantis: neutra tamen harum semper speciale peccatum est, aut specialem habet deformitatem, sed cōmunis est omni peccato: nec tamē propterea minor est, aut minus malum iudicanda, nec minus timenda. Hæc propositio posita est, nec parui fiat hic reditus peccatorum, & ingratitudo quæ causa illius est. nec, quia diximus non redire eadem peccata, contemnatur. Igitur in hac propositione explicatur vtcunque quāta sit hæc ingratitudo. Dicitur itaque primò, quòd maior est quàm peccantis post innocentiā. Ita b. Thom. art. 2. illius quęst. dist. 3, ita & alij: & ratio, quę ab eo ponitur, aperta est. Quamuis enim donum innocentiæ maius sit simpliciter remissione peccati, ceteris paribus: tamen in ordine, ad eum cui remittuntur peccata, tanto maior fit illi gratia, quanto indignior ea erat:

&

& quanto fuit maior gratia, tanto est postea maior ingratitudo: eò maximè, quòd peccans post remissa peccata vtramque iam simul habeat. Nam cum primò peccauit, contra donum & gratiam innocentiæ fecit: secundò verò post remissum peccatum rursum peccans, priori illi ingratitudini addit hanc secundam. Itaque non est speciale peccatum: quia omni peccandi cõmunis est ingratitudo, qua ingrati sunt donis aut innocentiæ, aut remissionis, & denique multorum aliorum beneficiorum, quæ in his includuntur: missionis videlicet filij Dei in mundum, effusionis sanguinis eius, promissionis æternæ beatitudinis, & denique quorum non? Non igitur, vt diximus, minoris æstimanda est. Verum in æstimatione eius notat b. Thomas, non omnem ingratitudinem tantam esse, quantum est beneficium cui opponitur. Eidè enim beneficio maior & minor ingratitudo opponitur, secundum quòd magis vel minus contemnitur. Id satis esse debet quod diximus, ceteris paribus tanto esse ingratitudinem maiorem, quanto beneficium maius est. Esset verò speciale peccatum ingratitudo, si in contemptum beneficij remissionis peccati, aut cuiuscunque alterius peccaretur. Obliuisci verò beneficij, aut memoratum nõ magni æstimare, vel propter illud non retrahi à peccato, cõmune est, sed grande proculdubio malum. Iam verò prædictis tertiam addamus propositionem.

Ingratitudo post pœnitentiã iterũ peccantis non est speciale peccatum.

Quanquam omne peccatum hanc habeat ingratitudinem, & propter hanc redeant peccata dimissa, sunt tamen quatuor peccata in quibus specialior est ingratitudo, quæ propterea specialius etiam à patribus notata sunt, quòd propter illa redeant peccata, vt satis patet in Magistro & Gratiano in suprà dictis locis. Sunt verò hæc sequentia. Odium fraternum, hoc est, illi nolle remittere peccata: quod opponitur ipsi remissioni peccati sibi factæ à Deo: apostasia à fide Catholica: contemptus confessionis peccatorum: & dolor de pœnitentia prius facta: quæ quatuor notum est opponi, propter quæ nobis remittitur peccatũ: fides scilicet, proposito confitendi, & pœnitentiæ: meritò igitur magis hæ ingratitudines oppositę sunt remissioni ipsi. Hæc itaque de reditu peccatorum à nobis tradita sint.

Quatuor peccata sunt singularis ingratitudinis erga Deũ.

Ex quibus putamus diligenter considerandum ab his qui populum docent, quam sit timenda assiduitas illa & continuitas quædam tam frequenter peccandi, siue ijsdem quibus ante peccatis, siue alijs. Primò enim considerandum est & de eo admonendus est populus, quòd secundum peccatum arctius irretit & implicat tenetque animam, quàm primum, si quidem sint equalia, vt

Quàm periculosa cõ suetudo peccãdi & pœnitendi ac quomodo populus ab ea deterrendus.

lia, vt dictum est: & diligenter aduertendum quæ sit hæc implicatio animæ. Frangitur magis illius virtus ad bene operandum, fit maior cecitas in intellectu, efficacior propensio in malum in voluntate, & ipsum peccatum altius suas radices agit & fortius efficitur in anima. Itaque dubitari non potest maiori opus esse conatu & maioribus viribus ad agendā pœnitentiam post primam remissionem, & ita deinceps post secundam & tertiam, & sic in infinitum. Rursum vires ipsæ debiliores sunt: DEVS etiam magis auersus vt à magis ingrato: quis ergo non videt quantum sit periculum? Itaque opus est vt frequenter & nos ipsos, & alios deterreamus à facilitate hac relabēdi in peccata: & multo magis ab hac æstimatione, quòd facilè sit iteratò & infinities pœnitere: verba illa Petri subinde & frequentius inculcanda: Si enim refugientes coinquinationes mūdi in cognitione Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post cognitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato: & cetera quæ eo loco dicuntur. Illud etiam Euangelij, ad quod & Petrus alludit: Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Timendum magis est (vt inquit Beda) quàm exponendum. Valde curandum est ne in desperationem præcipitentur peccatores: sed non parum etiam cauendum, ne patrocinium latæ huic viæ, quæ ducit ad perditionem, præstemus. Certè nos putamus vehementissimè timendum illis, quos assuetos peccatis, & frequenti huic pœnitentię, qui nunquam efficaciter vitārunt illa, vltimus mortis articulus inuenit. Est enim in hoc loco sententia Augustini magnæ prudentiæ & sapientiæ Christianæ consideranda, de qua etiam postea latius faciemus mentionem. Væ (inquit) peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus, vsitata verò (etiam si pro ipsis sanguis filij Dei sit effusus) quamuis tam magna sint, vt omnino claudi cōtra sese faciant regnum Dei, sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur. Atque vtinam ô Domine, non omnia quæ non possumus prohibere, faciamus. Ita ille in verba illa 4. cap. ad Galathas: Timeo ne fortè sine caussa laborauerim in vobis. Quæ postea citauit ipse in Enchiridio ad Laurentium. Itaque ex hoc apertè constat quod experientia videmus, quāto sæpius repetuntur peccata, faciliora videri, & ideo leuius de his agi pœnitentiam: quod vtinam nō tam apertè experientia videremus: ceterum ex dictis cōstat & grauiora esse, & maiori

2. Petri 2.

Luc. 11.

maiori egere pœnitentia. Timendum itaque meritò, ne in vltimo mortis articulo eodē modo agatur pœnitentia vt ante. Non omnem qui redit ad peccatū tam vehementer putamus terrendum, sed peccata infirmitatis etiam mortalia sunt, quæ ad modicum tempus præoccupant: ceterùm consueta, & consuetudine pro nihilo aut pro minimo habita, & tamen mortalia, illa non satis possumus dicere quàm sint timenda, & quantum ab eis Christiani deterrendi: de quo mox plura dicentur, vtinam qua cupimus vtilitate & fructu.

LECTIO OCTAVA.

De origine & principio pœnitentiæ, atque actibus eius.

QVIA itaque efficacia & necessitas pœnitentiæ satis patent, age iam attingamus originē & principium eius, progressum atq; cōsummationem, quod pertinet ad actus illius: vbi non est opus multa dicere Magister 14. dist. à timore dicit illam proficiscī: eo loco de ceteris eius actibus loquuntur doctores, & b. Thom. duobus vltimis articulis q. 85. 3. partis & prudenter & diligenter hæc expendit. De hoc igitur sequentia adnotentur.

Primū initiū pœnitentiæ est gratia Dei cōuertentis cor peccatoris ad se.

Principium primum pœnitentiæ & vera eius origo est operatio diuinæ gratiæ, cor nostrum ad se conuertentis. Quod vt certissimum fidei fundamentum statuendum est, nec vlla audienda dubitatio circa illud. Pœnitentia Dei donum est, ex nullis nostris meritis. Non agimus nunc de iustificatione, quanquam pœnitentię perfectæ cōiuncta sit: de hac enim postea dicemus, Nunc ipsam cordis nostri pœnitentiam & conuersionem diuina gratia præueniri, & eius donum esse asserimus. Ad quod sufficere debent verba Pauli, qui de his qui veritati contradicūt Episcopum instruens, vt cum modestia eos corripiens doceat: Ne quando (inquit) det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à laqueis diaboli, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Hieremias etiam hoc apertissimè confitetur Deū orans: Conuerte nos Domine, & conuertemur. Et rursum: Castigasti (inquit) me Domine, & eruditus sum quasi iuuenculus indomitus. Cōuerte me & cōuertar, quia tu es Dominus

2. ad Ti. 2. Tren. 5.

Capite 31.

minus Deus meus. Postquam enim cõuertisti me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Quid apertius dici potuit? Legatur totum illud caput: vbi sub typo reuersionis populi de captiuitate, conuersio peccatoris & diuina gratia dulcissimè describitur. Inuenit gratiam (inquit) in deserto populus qui remanserat gladio. In charitate perpetua dilexi
Ezech. 36. te: ideo attraxi te miserans. Gratiæ igitur est, dei tractus est conuersio nostra. Sed apud Ezechielem locupletissimum huius testimonium est: sic enim loquitur Dominus per Prophetam populo Israël. Tollam quippe vos de gentibus & cõgregabo vos, & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris: & dabo vobis cor nouum, & faciam vt in præceptis meis ambuletis. Et post multa huiusmodi gratiæ promissa: Non propter vos (inquit) faciam, notum sit vobis: confundimini & erubescite super vjis vestris. Et antequam ad hæc promissa veniret, postquam multa dixerat & conquestus fuerat in persona Dei, quod nomen suum polluissent: Nõ propter vos (ait) ego faciam, sed propter nomen meũ quod polluistis in gentibus. Quem locum Augustin lib. 4. cõtra du-
Capite 6. as Epist. Pelagianorũ ad Bonifacium diligenter excutiens: Nihil (inquit) sic euertit hominum præsumptionem, dicentium, nos facimus, vt mereamur cum quibus faciat Deus. Respõdeat vobis ipse Dominus: Ego non faciam propter vos, sed propter nomen meum. Et ibidem post multa alia: Quid (inquit) merentur deserta, exterminata, & effossa? quæ tamen ædificabuntur, operabuntur & munientur: nunquid pro meritis? absit. Ista enim merita mala sunt, hæc munera bona. Redduntur itaque malis bona gratuita: ergo non debita: ideo gratia. Est & hoc cõcilijs & Apostolicis definitionibus apertè definitum. Innocentius in Epistola ad Carthaginense Concilium: Auxilio (inquit) quotidiano nos egere, negare non possumus: vt ad rectam ergo viam redeamus, eius auxilio plus egemus. vbi multa in confirmationem huius apertissimè dici. Cælestinus etiam in Episto-
Capite 11. la ad Episcopos Galliæ hoc ipsum ex orationibus Ecclesiæ confirmat. Postulant (inquit) pontifices, vt infidelibus donetur fides, vt hæretici resipiscant, vt lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, & cetera multa, quod totum diuinum opus sentitur. Denique & Arausicanum Concilium secundũ, idem manifestissimè definit cap. 19. Cum sine gratia (inquit) humana natura integritatem seruare nõ potuit, quomodo sine gratia potuit reparare, quod perdidit? Hę igitur sunt certissimę fidei definitiones,

quas

quas ideo attulimus, quoniam nonnulli inter scholasticos non infimæ auctoritatis contrarium scripserunt: quòd videlicet suis viribus quis possit sic pœnitere, vt gratiam consequatur. Itaque esto, vt hoc illis donetur, & ab errore culpabili eos excusemus: certè eos adhuc velle defendere aut sequi, excusandum non est. Offendit hæc sententia non parum alienos à nobis, & quidem meritò. Asserit enim contra scripturã & definitiones Ecclesiæ, & denique aufert quæ maximè ad veram humilitatem & pietatem instituunt, quæ in hoc præcipuè posita sunt, vt nobis omnino nostrisque viribus diffidamus, soli diuinæ gratiæ innixi. Nec aliud habet hæc sententia, quàm humani ingenij (nescio quam) argutiam, & præsumptionem propriarum virium. Sed hæc est sapientia quam stultam fecit Deus, & fortitudo quam infirmam reddidit. Multa circa hoc à scholasticis & in hoc loco circa dist. 14. & in 2. lib. dist. 28. & proximis. Hæc nunc sufficiant. Addemus etiam quædam in fine huius lectionis.

Scotus. Durãdus.

Iam actus nostros in pœnitentia consideremus: de quibus hoc sit primum. Quòd cum omnes actus pœnitentiæ in nobis sint & ex Dei motione, & ex nostri arbitrij libertate & qualitate, nec semper eodem principio oriuntur in nobis, neque eodem ordine procedunt. Hoc manifestissimè ipsa experientia ostendit, dum alius timore pœnarum, alius præmiorum intuitu, alius diuinæ bonitatis consideratione conuertitur, prout scilicet Deo placet (qui habet corda nostra in manu sua) & prout affectus noster dispositus est. Non possunt itaque sub arte & certa ratione comprehendi hæc diuinæ gratiæ admiranda opera. Quia verò suauiter Deus omnia disponit, hominesque iuxta ipsorum dispositiones monet, ipsa experientia docet peccatores corporeis delectationibus affectos facilius & communius pœnarum timore trahi. Igitur cum de origine actuum pœnitentiæ in nobis agitur, quædam tradunt doctores vt necessaria & semper contingentia, quædam vt in pluribus euenientia.

Actus pœnitentiæ in nobis non oriuntur semper ex eodẽ principio, neq; eodẽ ordine procedunt.

Iuxta hæc igitur b. Thomas supradicto loco, congruè quidem, post primam illam diuinæ gratiæ operationem quinque actus ponit, quasi quinque gradus, quibus ad veram pœnitentiam peruenitur. Primus est fidei veraciter assentientis diuinis testimonijs. Secundus timoris seruilis, quo pœnarum consideratione à peccato dilectioneque eius retrahimur. Tertius spei, quo remissionem peccatorum consecuturos nos speramus, iam ea vt emendabilia detestamur. Quartus veræ charitatis, quo propter Deum ipsum peccata displicent. Quintus denique

Quinque actus seu gradus ad pœnitentiã veram.

nique timoris filialis, quo Deo vltrò ob reuerentiã eius emendationem vitę, & satisfactionem, prout possumus, offerimus.

Assignant alij alios actus, ratiocinatione magis quàm vlla experientia vel vsu: & sunt hi. Velle in se vindicare peccatum, detestari illud, hanc detestationem probare. Sed illos relinquimus quærentibus disputationes. De his quos experientia docet paucis agamus, probantes eos ex scripturis: nam ex illis patebunt loci, quibus maximè vtendum ad excitandos nos vel alios ad pœnitentiam. Illud ante admonemus, quòd sicut non omnes semper, vt diximus, concurrunt (nam quandoque nullus est pœnarum timor) ita & cùm concurrunt, non semper formaliter & explicitè inueniuntur, sed virtute tantum. Sicuti enim in alijs moralibus non semper est consilium, deliberatio, atque electio explicitè atque formaliter, sed virtute tantùm in omni voluntario actu illa sunt: ita in præsenti nulla vera pœnitentia est, vbi non fides, spes, charitas, filialis timor vel virtualiter sunt. Constat enim sine his nihil esse Deo gratum in nobis. Sed hæc quandoq; vnico citissimo, & quasi subito actu fiunt, & hoc quidem rarius, vt in latrone & Paulo: ceterum communius seorsim, paulatim & successiuè fiunt in peccatorum conuersione, hoc agente nostra erga diuina tarditate & pigritia, aut nimio ad peccata & nos ipsos affectu. Ita enim paulatim primò ad fidem, deinde ad timorem, postea ad spem & ad reliqua vel omnia, vel aliqua adducitur peccator. Exemplum horum est in Augustino, qui de sua ipsius à peccatis conuersione & pœnitentia, quam scilicet longo tempore & tardo motu tandem completa fuerit, scribit apertissimè in 6. & 7. confessionum. Quia igitur hæc cõcurrunt vel actu vel virtute, vel semper vel in pluribus, de eis dicamus: illa habeamus ad manum, quibus vera generatur pœnitentia in nobis.

Prædicti 5. actus neq; omnes simul neque explicitè semper cõcurrunt in pœnitẽtia.

Fides itaq; prima omnium est, sicut in ceteris quę Deo grata sunt, ita & in pœnitentia. Sine fide impossibile est placere Deo, inquit Apostolus. Accedentem enim ad Deum oportet credere quia est, &c. Accessum itaq; & principium tribuit illi Paulus: illi (inquam) soli. Ceterùm fidei quæ per dilectionem operatur, totum tribuit. In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neq; præputium: sed fides quæ per dilectionem operatur: quã & nouam creaturã vocat. Non est opus hic agere de fide illa iustificante Lutheranorum: alibi diximus & probauimus fictã esse. Hic hoc solùm notatu dignum est, quòd etsi ad pœnitentiã & detestationem peccati posit nonnunquam ratio humana mo-

Fidei actꝰ omniũ primus in pœnitentia.

Galat. 5. 6.

uere,

uere, sed quę hinc proficiscitur non est vera pœnitentia: carnis & sanguinis nominari potest, sed nō spiritus, Ratio humana potest in peccatis aut damnum, aut infamiam apud homines cogitare: vera autem pœnitentia non incipit nisi à fide: quia inde oritur omnis motus in Deum. Crediderunt (inquit scriptura) viri Niniuitæ in dominum, & prædicauerunt ieiunium. Iona 3. Cùm enim is qui in peccatis quiescit, cui illa placent, non possit nisi bona aliqua cogitatione occurrente mutari, vt ei displiceant, nullam vero bonam coram Deo cogitationem aliud quàm fides parit, necesse est pœnitentiæ principium aliquem actum siue cogitationem fidei esse: cùm scilicet Dei bonitas, siue iustitia, Dei præcepta, aut præmia, siue pœna, cogitationi occurrūt, & certa eis fides adhibetur. Vnde & Paulus fidem in Deum & pœnitentiam prædicat. Actuor. 20

Hanc bonam fidei cogitationem sequi solet timor pœnarū: est̄que in peccatoribus stimulus maximus ad pœnitentiam. Vnde scriptum est: Timor domini expellit peccatum. Nam qui sine timore est, non poterit iustificari. Hinc & illud scriptum est: Initium sapientiæ timor domini. Constat enim pœnitentiam ad sapientiam pertinere, vt Moyses inquit: Vtinam saperent & intelligerent, & nouissima prouiderent. Pœnæ verò timor quanquam imperfectus sit, & possit nonnunquam malus esse (cùm scilicet peccatum amatur, & solo timore pœnæ, quam mallet non esse, non peccatur) est tamen bonus & aptus his, qui non aliud nouerunt quàm se amare, & incommoda sua timere. Propterea ad hoc adhortantur nos literæ sacræ, proponuntque externas illas pœnas. Vnde Christus: Timete eum (inquit) qui habet potestatem animam & corpus mittere in gehennam. Et psalmus apertissimè dicit: Confige timore carnes meas. Affligit enim timor & torquet, atque ita cuidam quasi cruci affigit. Itaque manifestissimus est ille error, de quo aliàs dictum est, damnans peccati illum, qui timore pœnæ retrahitur à peccato. Vult Deus peccatores timere: nam Paulus ipse, qui inquit: Non accepistis spiritum seruitutis in timore, sed adoptionis filiorum Dei, vehementissimè tamen alibi terret peccatores. Horrendum est (inquiens) incidere in manus Dei viuētis. Et ibi: Irritam quis faciens legem Moysi sine vlla miseratione moritur, duobus vel tribus testibus. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei cōculcauerit? Scimus enim qui dixit: Mihi vindictam & ego retribuam. Et rursum: An diuitias bonitatis eius &c. Et illud: Thesaurizas tibi irā &c.

Fidei actū subsequi solet metus pœnæ, maximus ad pœnitentiā stimulus.

Eccle. 1. Deuter. 32. Roma. 8. Hebr. 10. Roma. 12.

Ista & nobis & proximis proponenda sunt: istis excitandi ad pœnitentiam.

A timore pœnæ est pœnitenti ad spē progrediendū, & hæc quoq; metu tēperāda est. Ephes. 4.

Verùm huic timori pœnæ nimium inhærere dupliciter periculosum est: & quia in desperationem trahit, qua nulla periculosior tentatio: desperantes enim semetipsos (inquit Paulus) tradiderunt impudicitiæ in operationem omnis immūdiciæ. Et quia seruilem animum facit, nec dignum Christiano, vt ex Paulo diximus: Non accepistis spiritum seruitutis in timore. Quare in illo præcedenti gradu constitutus vti debet timore vt superior: vt scilicet ratio fide instructa corrupto appetitui & puerili opponat inextinguibilem ignem, fletum, & stridorem dentium &c. Ceterum non debet illi totus subdi, ne cum Cain dicat: Maior est iniquitas mea &c. aut cum Iudæis manum cohibeat, non animū à peccatis. Transferat ergo se quantocyus ad spem, cum Psalmista dicens: Quare tristis es anima mea, quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi. Exemplum huius habemus in Niniuitis. Timuerunt dominum, sed sperauerunt dicentes: Quis scit si conuertatur & ignoscat dominus? Et Iohel ad pœnitentiam exhortans: Conuertimini ad dominum Deum vestrum, quia benignus est & præstabilis super malitia: quis scit si conuertatur & ignoscat dominus? Hæc omnia sperantium quidem sunt, sed etiam timentium. Non inquit, miserebitur certò Deus: sed, quis scit? Meritò itaq; dicitur pœnitentia inter spem & timorem incedere: hoc ipsum est illud. Quis scit si conuertatur? Quod solum verbum Lutheranorum illam fidem destruit. Nam id quod certa fide tenendū est, nulla ratione sub tali dubitatione proponi potest. Vbi considerandus est mos loquendi scripturæ: cùm ex persona Dei Prophetæ loquuntur, promittunt remissionem: Omnium iniquitatum eorū non recordabor: cùm affectum exprimunt pœnitentis, dubitationis notam opponunt: Quis scit &c. Non quod de Dei misericordia debeat dubitare pœnitens, sed de se. Nam & propterea promissio illa Dei sub conditione ponitur. Si egerit pœnitentiam Igitur & in priori illo gradu timoris spes esse debet, & in hoc timor. Sed docent patres dolorem illum de peccatis, qui assumitur consideratione pœnæ, multo esse inferiorem illo, qui ex consideratione misericordiæ remittentis assumptus est: atq; ita ab illo ascendendū ad hunc. In illo enim se videtur aspicere in isto Deum, cuius misericordiæ & bonitati afficitur, atq; ideo dolet. Vnde in hoc gradu proximus est charitati. Quid enim illam potest magis in nobis gignere, quàm tantę benignitatis

Ionæ 3. Iohel 2.

catis diuinę in peccatores cõsideratio? Cuius plenus est Psalmus ille 102. Quemadmodum miseretur pater filiorum &c.

Quartus pœnitentiæ gradus est odisse peccatum ob amorem summæ bonitatis Dei cui cõtrarium est. Lucæ 7. 1. Petri 4.

Iam itaque sequitur meritò quartus gradus siue operatio pœnitentiæ, charitatis videlicet. Cùm enim ex præcedentibus considerationibus eò ventũ est, vt Dei summa bonitas agnosci incipiat & amari, quæ maximè in remissione peccati per mortem & sanguinem filij sui (quę spes præcipuè cogitat) ostendit. Hic amor veram detestationem & odium peccati, vt tantæ bonitati contrarium est, operatur: quod necessarium esse ad veram pœnitentiam & remissionem peccati, satis ostendunt lachrymæ peccatricis, & verbum Christi: Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et Petrus inquit quòd charitas operit multitudinem peccatorum: sine qua conuersio illa Iudæorum, de qua psalmus: Reuertebantur & diluculo veniebant ad eum: vana ibidem ostenditur, cùm dicitur: Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei, ob charitatis scilicet defectum.

Actus vltimus quo perficitur pœnitẽtia, est ob meram Dei reuerentiã illi offerre satisfactionem. Psalm. 30.

Vltimo tandem, cum timore filiali, quem charitas gignit & secum cõiunctum habet, ob solam videlicet diuinam reuerentiam pœnitentia satisfactionem voluntariam Deo offert. Vbi eius est consummatio, sicut in filio illo prodigo patet. Iam (inquit) non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum ex mercenarijs &c. Quid hoc aliud quàm paratum esse subire satisfactionem pro patris arbitrio, modò non reijciatur ab eius gratia. Cui simile videtur illud Psalmi: Dixi in excessu mentis meæ, proiectus sum à facie oculorum tuorum, ideo exaudisti vocem deprecationis meæ. Damnat itaque seuerè pœnitens, at non recedit à Deo, sed magis timore filiali se illi subijcit: vbi iam peccati remissio consummatur.

Ecce omnes hos actus & in scriptura, & in ipso studio pœnitendi manifestè ostensos: in quibus sese exercere satis etiam apparet quàm sit futurum vtile: quanquam & in his non est parua diuersitas. Sunt infiniti verò pœnitentium affectus, & est velocissimus transitus ab vno affectu ad alium: sed ea omnia ferè ad hos actus pertinent: de quibus satis sit hæc dixisse.

LECTIO NONA.

De comparatione diuinæ gratiæ ad suprà dictos pœnitentiæ actus, & de fructibus pœnitentiæ.

Quomodo operatio diuinæ gratiæ in nobis non sit distinguēda à nostris bonis operibus. Capite 18. 1. Corin. 4.

QVONIAM diximus inter pœnitentiæ actus primum esse operationem diuinæ gratiæ conuertentis animum, postea verò adiecimus plures alios actus, expedit circa hoc diligenter aduertere, non ita distinguendam esse gratiæ operationem à sequentibus quos posuimus actibus nostris, quasi duo sint ab inuicem separati. Non ita sentiendum est de gratia, quasi vicaria quadam successione inter nos & illam debeamus diuidere, vt hoc boni à gratia, illud à nobis sit: Damnat enim hoc apertè, vt Augustinus inquit libro secundo de peccatorum meritis & remissione, verbum illud Pauli: Quid habes quod non accepisti? Nec ita putare debemus, quasi prius Deus operetur in nobis, nobis quiescētibus: deinde nos eo quiescēte operemur: sed, vt Paulus inquit, operatur in nobis velle & perficere. Et Esaias: Omnia opera nostra operatus es in nobis. Quædam fatendum est Deum in nobis operari non præcedente vllo merito aut conatu nostro, quæ Augustinus dicit pertinere ad gratiam operantem siue præuenientem: alia verò præcedente quidem conatu aliquo nostro, vel nonnullo nostro merito, quæ ad gratiam cooperantem vel subsequentem pertinere dicit. Ceterum gratiæ eius operatio nostræ simul bonæ operationi coniuncta est, & nostra bona operatio suæ gratiæ: vt simus in omnibus bonis operibus, sicut à propheta dictū est, quasi securis in manu Dei: nisi quòd nos sumus intelligentes & volentes. Igitur ex his constat suprà dicta ita intelligenda esse, quòd operatio Dei conuertentis cor nostrum caussa sit prima & efficax in omnibus illis actionibus: caussa (inquam) omnium & singulorum, per nos & in nobis ea operans. Nam sine me (inquit) nihil potestis facere. Dicitur verò prior natura, quòd ab ea ceteri pendeant, ipsa verò à nullo eorum. Itaque sic dignè de gratia eius sentiendum est, vt iam per singula discurramus. Diuinæ gratiæ est in primo illo actu, non tantùm fides ipsa & propositum firmum credendi diuinis assertionibus, sed & omnis bona cogitatio, & quidquid occurrit animo, maximè primò antea in peccatis quiescenti, quo incipiat Deo appropinquare, id totum diuinæ

Philip. 2.
Esaiæ 26.
Esaiæ 10.
Declaratur singulos prædictos pœnitentiæ actus esse à gratia Dei.

diuinæ gratiæ est: nec enim (vt dixit Paulus) sufficientes sumus aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis. Vbi (vt Augustinquit) omne euertit Pelagianorum meritum & conatum præuenientem gratiam. Quid enim prius est in omni bono, quàm cogitatio ipsa? In secundo verò actu non minus ipsa gratia operatur. Timorem (inquit) meum dabo in corda eorum, vt non recedant à me. Nam hoc petebat Psalmus: Confige timore tuo &c. Itaque vt occurrant menti æternæ illæ & terribiles pœnæ, gratiæ est: vt postquam occurrerint, ingrediantur cor & penetrent, eius est qui dicit: Timorem meum dabo &c. In tertio nõ minus spem veniæ ille largitur, de quo Paulus inquit: Quòd in Christo reconciliationem habemus, & gloriamur in spe gloriæ (inquit ille) filiorum Dei: Illud quidem post remissam culpam: sed ante solus ipse gratia sua & promittit remissionem, & facit vt verè speretur à nobis: quamobrem Psalmus vocat Deum spem suam, dicens: Spes mea Domine à iuuentute mea. Propter quod inquit: Ego autem semper sperabo: idque contra peccatorum terrorem loquens. In quarto denique & in quinto ab illo diffunditur charitas in cordibus nostris, vt Paulus inquit. Ille & timorem dat, non minus castum istum, qui manet in sæculum sæculi, quàm illum pœnæ, de quo Ioannes inquit, quòd non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Hæc nobis dicta sint ad diuinæ gratiæ commendationem, cui tribuendum est quidquid in nobis boni est ad salutem, maximè verò in pœnitentia. Itaque non ipsam tantùm perfectam & integram pœnitentiam per suam gratiam ipse operatur in nobis, sed & illos primos & imperfectos motus ab ipso esse dicimus, non quidem secundum imperfectionem, sed secũdum omnem quam habent bonitatem. Non solùm ergo perfectum dolorem peccati, & receſſum integrum ab eo Deus per gratiam suam dat, sed quemcunque minimum dolorem, quo paulatim à peccato retrahimur, etsi nondum illud omnino reliquerimus, ab ipso esse vera fides tenet: quod cuncta quæ diximus satis probant, sed præcipuè locus ille Pauli quem superius citauimus: vbi de peccatoribus dicit, quòd captiui à diabolo tenentur ad suam ipsius voluntatem: quod & Dominus inquit: Qui facit peccatum seruus est peccati. Quis verò dubitet tam fortem & crudelem Dominum non permissurum subditum sibi seruum, non tantùm omnino se relinquere sibiq; rebellare, sed vel tãtillum à se recedere, nisi à superiori compellatur potestate, Dei scilicet: quod gratię certè est. Manet miser peccator viribus omnib⁹ destitu-

2. Cor. 3.

Hierem. 32

Roma. 5.

Roma. 5.

Deus non tantũ perfectã pœnitentiam, sed etiam primos & imperfectos motus eius gratis in nobis operatur.

2. Tim. 2. Ioan. 8.

stitutus potestati illius totus traditus: de qua Iob dixit: Non est potestas super terram, quæ ei possit comparari. Cùm igitur vel tantillum viderit se quispiam respirare ab ea seruitute, agnoscat
Luca 11. superuenisse superiorem, qui fortem illum armatũ custodientem castrum suum vicerit. Et hoc satis suprà adducta testimonia Augustini, Innocentij, Celestini, & Conciliorum probant. Si (inquiunt) quod accepit iustus, sine gratia seruare non potest, quanto minus recuperare, quod perdidit? Si hęc igitur non fiant à iusto sine gratia, quomodo à peccatore fient? Non negamus fieri posse, vt detestetur peccatum impius, aut boni aliquid ex suo genere, ductus naturali ratione & instinctu faciat: sed nec pœnitentiam aliquam, nec opus aliquod, quo tantillum appropinquet ad Deum, aut disponatur ad gratiam, nisi à Deo adiutus
2. Corin. 3. facere potest. Docet ita Paulus: Quòd nõ sufficientes simus co-
2. Cor. 12. gitare &c. Et: Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. Quæ verba sæpe in hunc sensum interpretatur Augustinus: nihil scilicet ad salutem pertinens nos posse: sicut & illud etiam: Sine me nihil potestis facere.

Iam ex his quid sentiendum sit de multis quæ circa hoc monentur quæstionibus & controuertuntur, non tantum inter Catholicos & hæreticos, sed inter ipsos etiam catholicos, intel-
An opera præcedẽtia iustificationem bona sint an mala. ligi potest. Quæritur primò, an cùm paulatim quis perducitur ad iustitiam, illa opera, quę præcedunt, bona sint? An illis præparemur ad iustitiam? Et denique, an meritoria sint iustitiæ ipsius? Igitur vt, omissis contentionibus, cognoscatur quid de his tribus sentiendum sit iuxta saniorem doctrinam, sequentia ex his, quæ diximus, notentur. Primò iuxta sanam & probabiliorem sententiam non est negandũ præcedere aliqua bona opera nonnunquam iustificationem sine perfectam pœnitentiam, & illis operibus nos præparari & paulatim perduci ad perfectum, sed illa omnia ex gratiæ diuinæ auxilio fieri. Negant Lutherani duo illa priora: esse scilicet aliquod bonum opus, & per illud nos præparari. Et quanquam non desint catholici aliqui, qui opera omnia peccatorum, maximè infidelium, mala putant: sanior tamen sententia est quam diximus, & ab hæreticis pertinaciter hæretico animo negatur. Nam ex proximè dictis, satis patet Deum boni aliquid inspirare cordibus peccatorum, ipsosque sic à Deo motos actum timoris, aut spei, siue pœnitentiæ producere. Vnde quanquam in colloquio illo Ratisponensi anni 46. & in libello de eo edito à Butzero nulla ratione hæretici voluerunt hoc concedere, sed, vt ex ipso Butzeri libello

bello patet, non possunt negare Deum nonnunquam paulatim perducere peccatorem ad iustitiam, ipsumque ita eum præparare: quod in Augustino ille latissimè ex cõfessionibus eius ostẽdit: quo cõcesso, mirandum est quibus technis elabi conentur, clamantes contra scripturam esse, dicere aliquod bonum opus à peccatore fieri, sed bene (inquit, ipse) Deum in illo efficere, & Deum illum præparare: quo nihil amplius nostra sententia asserit: Deus operatur in illo & præparat illum, sed per illum ipsum, non enim illa opera vllus verè dicere potest ab illo non esse. Quam sententiam August. frequenter apertissimè tenet. Nam in epistola ad Sixtum videlicet 105. Nec ab illo (inquit) quod originaliter contrahitur, nec ab his quæ vnusquisque in vita propria mala congregat quisquam liberatur & iustificatur, nisi gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum: non solùm remissione peccatorum, sed prius ipsius inspiratione fidei & timoris dei, impartito salubriter orationis affectu & effectu, donec sanet omnes languores nostros. Vides vt intelligit gratiam dei ante remissionem peccatorum in fidei & timoris dei inspiratione & affectu orandi incipere, & hæc salubria esse. Quod apertius in 1. lib. de diuers. quæst. ad s. Simplicianum q. 2. in principio ita dicit, cùm Pauli mentem in illis verbis: Cùm nondum nati essent &c incipit explicare: asserens eã esse, vt de operum meritis nemo glorietur, & vt ostendat opera non præcedere gratiam, sed sequi: Ne scilicet quis arbitretur se ideo percepisse gratiam, quia bene operatur: sed bene operari non posse, nisi per fidem receperit gratiã. Et statim post ista ita inquit. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit deo credere: sed interest, quibus articulis temporum, vel celebratione sacramentorũ gratia plenior & euidentior infundatur. Vnde post pauca inquit: Fiunt ergo inchoationes quædam fidei cõceptionibus similes: nihil horum tamen sine gratia misericordiæ Dei: quia & opera, si quæ sint bona, consequuntur. Ponit exemplum horum in catechumenis & Cornelio, quos non sine diuina gratia putat & credere & operari bona quædam, vt eleemosynas & orationes fecit Cornelius, nec tamen adhuc perfectè iustificatus est. Poterat & exemplum horum in seipso adferre, sicut attulit in confessionibus: cùm magno affectu oraret, & multis lachrymis imploraret Dei misericordiam, nondum tamen affectum omnem peccandi relinquens. In scriptura sacra non video apertiora alia testimonia huius, quàm illa quę his locis Augustinus refert. Nec crediderim admodum innitendum testimonijs scriptu-

scripturæ, sed ista Augustini testimonia, quem etiam hæretici fatentur acerrimum gratiæ assertorem esse, & in his locis, vbi isti putant magis contra nos illum esse, meritò debent sufficere. Adducebant Catholici aliqua scripturæ testimonia, sed ea certè ambigua. Nam quidquid de præparatione dicitur ad iustitiam, id non de præcedente aliqua præparatione necesse est intelligi, sed de ipsa, quam per Dei gratiam facimus, operatione vel cùm iustificamur, vel cùm augetur in nobis iustitia. Sed hoc dogma est vt Ecclesiasticum asserendum, Fieri à peccatoribus bona quædam opera, quibus præparantur ad gratiam, non sine Dei gratuito auxilio: quod nihil detrahit gratiæ, immo magis commendat: quod & cõsolatur infirmorum mentes, & ad bene operandum excitat, & certè præter controuersiam à patribus asseritur. Nam cuncta illa, quæ afferuntur contra hoc ex scripturis: Omne quod non est ex fide peccatum est: & quæ Augustinus ex hoc loco contra Iulianum acerrimè disputat de virtutibus gentilium, manifestè intelligenda sunt de his quæ ex infidelitate procedunt: quæ vt huiusmodi, mala sunt. Atque ita scriptura loquitur de sacrificijs & oblationibus Iudæorum, quæ illi superbo animo & gloriantes, sibique securitatem promittentes offerebant sine vera pœnitentia. Incensum abominatio est mihi &c. Quod Ieremias apertius, multa in hanc sententiam di-
Ieremiæ.7. cens, declarat. Vos confiditis vobis in sermonibus mendacij, furari, occidere &c. & venistis & stetistis coram me in domo hac, in qua inuocatum est nomen meum: & dixistis: liberati sumus, eò quòd fecimus omnes abominationes istas &c. Orabant itaque isti, & fidebant in templo persuasione superba. Meritò igitur illa reijciuntur à Deo. Cetèrùm oratio illa humilis publicani, de quo etsi secundum sensum aliquem credamus, quòd descenderit iustificatus, tamen potuit orasse, antequam iustificatus esset. Orationem ergo illam ante iustificationem non dubitandum est fuisse bonam, quam sic commendat Christus. Et certè est hæc efficax ratio ad hoc probandum ex scriptura. Nam constat ex hoc loco orationem illam bonam Deo gratam fuisse, ipsumque præparasse. Non tamen ex illo loco cõstat iam tunc illum esse iustificatum. Vt minimum cõstat posse aliquem peccatorem nunc sic orare. Et de oratione sunt aliæ auctoritates
Lucæ 11. scripturæ & patrũ. Nam quid est: Omnis qui petit accipit. quod interpretatur Chrysost. siue iustus siue peccator: si non gratum
An opera precedẽtia est Deo, vt peccator oret? Sunt igitur & bona opera ante remissionẽ peccati, & pręparamur per illa. Iam verò, an aliqua ratione

merito-

meritoria sint iustificationis, minus est certũ, & minus necessarium: quare mallem hoc hæreticis concedi: quod videtur etiam Augustinus frequenter dicere: & tribuitur etiam hæc sententia b. Tho. Tamen multi pij cõtrarium sentiunt & verius, & vtilius conscientijs: de quo, vt intelligi possit, breuiter hæc notentur.

iustificatiõe aliquæ ratione eã mereantur. Art. 5. q. 114. prima secund.

Primum. Ante plenam iustificationem semper voluntatem, qua commissum est peccatum, permanere Deo ingratam, sed non semper equalem, verùm remissiorem nonnunquam & minorem, & ideo minus ingratam: quod ipsum est: nonnihil iam accessisse ad Deum, & recessisse à peccato.

Voluntas peccatoris ante iustificationem semper quidẽ, licet nũc magis, nũc minus Deo displiceat.

Secundum. Semper ante iustificationem voluntatem illam, qua peccatum est, fortiorem esse & prealere alteri qua bonum aliquod orationis &c. fit. Propter hoc itaque vltimum Augustclamat, ante remissum peccatum semper esse mala merita, immo nulla merita nisi damnationis. Ita Psalmo 31. Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur opera tua, inueniuntur mala. Si quod debetur operibus Deus redderet, vtique damnaret. Stipendiũ enim peccati mors. Malis operibus quid debetur, nisi damnatio? Et super Ioannem in illa verba: De plenitudine eius omnes accepimus, gratiã pro gratia &c. Post multa de hac re: Hanc ergo (inquit) accepit gratiam primam peccator, vt eius peccata dimitterentur. Quid meruit? Interroget iustitiam: inueniet pœnam. Cui cõsonat id, quod superius citauimus ex 4. lib. cõtra 2. epistolas Pelagia. Redduntur peccatoribus bona pro malis. Itaque si vtrunque consideremus in peccatore incipiente iam ad Deum redire, quidquid boni est, minus est, minus amatur ab eo, quàm peccatum odio habeatur: magis Deus odit peccatum in illo, quàm amet illa alia, quia & ipse peccator magis amat peccatum, quãdo adhuc voluntate in eo manet, quàm salutem, pro qua etiam orat. Nam si non ita esset, sed fortior esset voluntas gratiæ, iam & ille non amaret peccatũ, & remissum esset ei. Itaque si totus ipse cõsideretur, magis prouocat iram, & magis meretur iram, quàm misericordiam. Verùm quia bonum suum, quod scilicet Deus operatur in illo, & quo ipsum præparat, nõ est dubitandum Deum aspicere in ipso, sanè & catholicè putamus esse dicẽdum, Deũ respicere bona illa ante iustificationẽ. Quid enim non respiciat dona sua in homine? imò magis quàm ipsa opera hominis mala? Aspice (inquit) in me. Et alibi: Auerte faciem tuam à peccatis meis. Et illud: Reminiscere miserationum tuarum, quod de ipsa gratia, quam Deus in nobis operatur, intelligi potest, quando incipit nos præparare. Et statim

Peccator ante iustificationem absolutè magis iram quàm misericordiã meretur.

Deus respicit bona opera peccatoris ante iustificationẽ tanquam sua dona.

tim sequitur: Delicta iuuentutis meæ ne memineris. Dicamus ergo Deũ illa aspicere, & propter illa, quæ sua magis sunt quàm peccatoris, illius misereri. Hæc quidem iuxta sanam doctrinam. Iam verò an etiam per illa opera ex parte aliqua mereri possit iustificatio vel secundum quandam congruitatem? satis vtraque pars sine vllo periculo affirmari potest. Certè Augustinus in epist. illa ad Sixtum meritum videtur asserere. Sic enim inquit: Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito fidei est, si fides hanc impetrat. Nec enim nullum est meritum fidei, qua ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori. Dixit itaque meritum: leniuit addito vocabulo (aliquo). Sit itaq; meritum aliquod, non quale in iustificatis iam est ad æternam vitam: idque si cui ita placet, & sibi videtur Dei misericordiam commendare. Illud enim meritum diuinæ gratiæ opus est, nondum quidem iustificantis, sed præparantis. Nec ab hoc puto b. Thomas sensum loco citato abhorrere. Id certum habeamus: peccatorem, quamdiu in peccato est, magis dignum esse damnatione quàm venia: & propter hoc ipsum in se consideratum nulla ratione mereri nisi damnationem, quam Augustinus dixit. In hac itaque quæstione omnes conamur cuncta tribuere gratiæ, & tribuimus quidem: sed qui plus putant gratiæ tribui, illud qualecunque meritum ponentes, quod satis rationabile est, non sunt arguendi: nec è contrario, qui volunt peccatori sua demerita decantatissima esse, etiam non sunt reprehendendi: modò eis concedamus, peccatori nullum bonum gratiæ debitum esse, & auferamus omnem suorum operum fiduciam: sic tamen, vt diuinum erga se fauorem & auxilium agnoscat & veneretur. Hæc igitur propter hos actus pœnitentiæ, qui & gratiæ sunt, diximus.

De merito præcedẽte iustificationem.

Fructus pœnitentiæ sunt etiam iustitiæ & legis Dei opera.

Matthæi. 7.

De fructibus pœnitentiæ erat iuxta hunc articulũ agendum, quos & Ioannes Baptista & Christus Dominus tam diligenter exigunt: Facite fructus dignos pœnitentiæ: sed nõ est opus aliud dicere, quàm quòd, cùm fructus bona opera constet vocari, mãdatorum scilicet Dei executionem: vnde dictum est: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur: eadem ipsa opera fructus iustitiæ sunt, qua ratione à lege præcepta sunt, atq; omnibus communia: fructus quidem pœnitentiæ dicuntur, quatenus ab his, qui se pecasse nouerunt, in vindictam & quandam satisfactionem peccati, vt dictum est, assumpta. Fiunt igitur fructus pœnitentiæ eadem ipsa opera, sed frequẽtiora, & maiori sollicitudine impleta: vtpote duplici ratione & necessitate debita, legis

gis videlicet Dei & peccati proprij. Vnde meritò illa, quę Paulus Corinthijs scribens, dicit à tristitia, quæ secundum Deum est, in eis causſata, fructus pœnitentiæ dicere possumus. Hoc ipsum (inquit) vos secundum Deum contristari, quantam operatur in vobis sollicitudinem, sed defensionem, siue purgationē (vt alij legunt) aut excusationem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. Quę omnia non distincta aliqua opera & specialia significāt, sed (vt nūc ita dicamus) conditiones quasdam bonorum operum: dum in faciendo bona, qui peccauit valde solicitus est, ardenter desiderat, æmulatur exempla meliorum, & in seipso acerrimè vindicat & punit peccata: In vitandis verò malis etiam sollicitus est & se defendere atque purgare à præteritis, & indignari contra se, qui illa commisit, & contra omnem persuasionem eorum, atque timere illa, propriæ infirmitatis semper conscius. Cererum inferius vtemur iterum hoc loco Pauli, cùm de discernēda vera à falsa pœnitentia agetur. Nunc satis sit eius meminisse. 2. Cor. 7.

LECTIO DECIMA

De *iustificatione impij.*

EX his igitur quæ proximè dicta sunt, putamus abundè haberi, quantum tribuendum sit gratiæ in pœnitentia: & catholicæ Ecclesiæ doctrinam satis fore purgatam à modernorum hæreticorum calumnijs, qui nō cessant in aures vulgi quotidie inclamare, quòd nostris meritis doceamus peccatorū remissionem obtineri. Constat satis nos omnia gratiæ tribuere. Nec inconsideratio aut error, qui absque pertinacia inuenitur nonnunquam in doctoribus pijs atque catholicis, tribuendus est ipsi catholicæ Ecclesiæ aut doctrinæ eius. Ex his ergo quæ circa hoc dicta sunt, facilè est agnoscere, quid de iustificatione impij sentiendum sit. Quia tamen & hoc à nostris doctoribus circa hunc locum dist. 17. quarti, & à b. Thom. specialiter etiam & diligenter docetur, & circa id etiam maximè contra nos clamāt nouatores, necessarium est de hoc etiam in speciali dicere. Nec tamen latius hoc tractandum suscipimus, sed summatim tantum: & quàm breuissimè fieri poterit dicenda sunt duo. Pri- Quæst. 113. art. 1. 2.

Quæ & quo ordine hic explicabuntur de iustificatione.

mum. Quid doctores nostri circa hoc asserant ante motas omnes has cõtrouersias simpliciter, id est, sincerè & absque partiũ fauore. Deinde quid nouatores isti hæretici, Lutherus & sui asserant. Ex quibus speramus tertiũ posse facilè ostendi, quid illi in nobis reprehendãt, & nos in illis. Vbi etiam videbitur, nihil minus hæreticos in hac materia facere, quàm quòd promittunt: nec vllam esse, in qua minus necessarium fuerat quidquã addere aut simplicem populũ inquietare nouis doctrinis: quanquam clament se locum istum de iustificatione, præcipuum caput Euangelij, illustrasse: sepultum alioqui & obscuratum à nostris, sed iam ad primum accedamus.

Doctores igitur nostri grauiores, præcipuè d. Thom. b Bonauent. Alexander de Ales, & ferè omnes reliqui in præcipuis de quibus dicturi sumus conueniunt, quanquam sit nonnulla diuersitas circa minutiora quædam & minus necessaria. Breuiter igitur colligentes eorum doctrinam, & b. Thom. præcipuè, qui pluribus certè sententijs quàm verbis in Summa hanc materiã prosecutus est, sequentia colligimus.

Iustificatio impij est remissio peccatorum et animæ innouatio.

Primum. Docent quòd iustificatio hæc impij est peccatorũ remissio, & innouatio quædam atque sanatio animæ. Id quod ex contextu ipso scripturæ satis ostenditur. Nam Paulus inter diuersa diuinæ gratiæ opera, vocationem & iustificationem ponit medias inter glorificationem & prædestinationem: mediã verò inter hæc, quòd scilicet præcedat glorificationem & sequatur prædestinationem. Prima quidem vocatio est: post hanc verò peccatorum remissio in nobis, qui videlicet sub peccato omnes sumus: & demùm perseuerantia ac profectus in custodia mandatorum. Vtrunque autem Paulus iustificationem dixit.

Rom. 8. Nunc verò nos de prima, qua ex impio fit iustus, agimus. Ideo diximus iustificationem impij, vt aliã excludamus ab hoc tractatu. De hac igitur loquitur Dominus in Euangelio, cùm ait

Rom. 4. non semel: Remittuntur tibi peccata tua. Vnde & alibi ait Paulus: Credenti in eum, qui iustificat impium &c. denique alibi apertius hoc docens, mentione facta fornicariorum & similiũ:

1. Cor. 6. Et hæc quidem aliquando (inquit) fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis. Vbi vides apertè illum ablutionem & sanctificationem idem dicere quod iustificationem, & in his omnibus veram constituere mutationem, per quam id quod aliquando fuerunt desierunt iam esse: Aliquando (inquit) hæc fuistis, innuens iam non esse. Iuxta hoc igitur, Iustificationem impij (de qua tantum hîc loquimur, vt propositum est)

re-

remissionem peccatorum esse intellexerũt nostri: remissionẽ, inquam, quam superius exposuimus satis. Nec omiserunt rationem nominis huius & vocabuli ostendere ex communi & philosophorum more loquendi. Iustificatio (inquiunt) mutationẽ quandam significat, qua iustus quis efficitur. Vnde & actiuè significatur: dicit enim Paulus Deum iustificare: & passiuè, quando dicit nos iustificatos, & iustificari hominem &c. Motus ergo hic ad iustitiam quanquam dupliciter fieri intelligi possit. Primo in eo, qui prius in peccato non fuit: sicut in Adam cùm primam à Deo accepit iustitiam: sed de hac non loquimur: verùm de secunda, quæ fit à peccato ad iustitiam, quasi ab vno cõtrario in alterum: quæ meritò iustificatio vocatur à termino ad quem: sic enim denominantur motus. Mutatur itaque qui iustificatur & mouetur à peccato ad iustitiam. Notarunt igitur iustitiam sumi vel pro virtute quadam, quæ æqualitatem constituit in his, quæ sunt ad alios: siue iustitia particularis sit, quæ ordinat ad singularem alium hominem: siue legalis, quam Aristoteles vocat, quæ ordinat ad commune bonum multitudinis: nec de hac iustitia hic est sermo. Sumitur verò secundo modo pro vniuersali quadam rectitudine hominis, qua primò ipse totus rectè se habet ad Deum, deinde & vires suas recto continet ordine, à qua rectitudine iusti dicuntur in scriptura homines. Iustus autem meus ex fide viuit. Sicut igitur status hic & rectitudo iustitia quædam est & æqualitas, ita econtrariò peccatum omne, vt inquit Ioannes, iniquitas est: inæqualitas scilicet: atque ita iniustitia quædam. Quando ergo ab hoc peccato ad illam rectitudinem à Deo quis mouetur, meritò iustificari dicitur, atque ipse motus Iustificatio. Hæc igitur nostri de re & nomine Iustificationis impij.

Quid nomen Iustificatio significet.

Nomen Iustitiæ variè accipitur.

1. Ioan. 3.

Secundum. Docent ad hanc iustificationem quatuor cõcurrere, & hæc quidem simul tempore fieri, ceterum habere ordinem quendam naturæ. Sunt igitur quatuor ista interna, & quasi integrantia iustificationem ipsam hoc ordine. Primum est gratiæ diuinæ infusio atque cooperatio, qua præuenimur & excitamur ad omnia quæ sequuntur: de qua satis proxima lectione dictum. Secundum est motus liberi arbitrij fide se cõuertentis in Deum, atque adeò actus fidei: de quo intelligunt illud: Iustificati ex fide. Hic itaque actus fidei non est præcisè accipiendus, sed omnes illos actus, timoris, spei, & charitatis, de quibus proximis lectionibus diximus, includit motus iste fidei, de quo hic fit mentio. Tertium est motus detestationis peccati, qui est

Quatuor ad impij iustificationẽ cõcurrunt.

1.
2.
3.

velut receſſus cordis à peccato: & reuera eſt dolor ille, quem diximus proximis lectionibus primò à timore pœnę incipere, augeri ſpe, denique perfici charitate & timore filiali. In his omnibus eſt motus iſte deteſtationis peccati, iuxta ea quæ octaua
4. lectione dicta ſunt. Quartum denique ponunt remiſsionem peccati. Vbi cõſummatur totus hic iuſtificationis motus. Quãuis igitur hæc ſatis duabus proximis lectionibus confirmata ſint ſcripturæ auctoritatibus & explicata, non tamen erit inutile hoc loco magis adhuc confirmari, & iuxta catholicum ſenſum exponi.

Ad iuſtificationem neceſſaria eſt diuinæ gratiæ infuſio. Cap. 2.

Primum igitur, de gratiæ infuſione confirmat maximè Pauli doctrina in multis locis. Ad Epheſios quidem: Deus (inquit) qui diues eſt in miſericordia propter nimiam charitatem ſuã, qua dilexit nos, cũ eſſemus mortui peccatis, cõuiuificauit nos in Chriſto, cuius gratia ſaluati eſtis. Et ibidem iterum: Gratia enim ſaluati eſtis per fidem: & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt: non ex operibus ne quis glorietur. Et, vt de ſingulis dicamus, ipſum credere ex gratia eſſe idẽ aſſerit: Vobis (inquiẽs) datum eſt, non ſolùm vt in eum credatis, ſed vt pro eo etiam patiamini. Et de ceteris omnibus bonis animæ noſtræ motibus vniuerſaliter, vt proxima lectione diximus, inquit: Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Vbi illud conſiderandum eſt, quòd quanquam ſcholaſtici ſæpius gratię nomine habitum quendam virtutem animę, ſiue priorem virtute intelligant, non tamen propterea vel rationem ipſam primam & propriam gratiæ, quæ eſt, quòd non ſit ex meritis (dicente Paulo: Si autem gratia: iam non ex operibus: alioquin gratia iam non eſt gratia) negant, vel ſolum illum habitum intelligunt. Diſtinxit diligenter b. Thomas ſuo loco duplicem gratiam: alteram habitum: alterã gratuitam Dei cooperationem, motionem, atque conuerſionem animæ ad bonũ: de qua dictũ eſt: Sine me nihil poteſtis facere. Omnia hæc gratiam appellant, & nullo merito noſtro dari intelligunt. Quod ipſi ſignificant & explicant, dicentes hanc gratiæ infuſionem primam eſſe eorum quæ ad iuſtificationem concurrunt. Primã inquam, non tempore, ſed naturæ ordine. Igitur ſimul illa omnia eſſe, atque ita iuſtificationem in inſtanti & ſubitò fieri, probant ex duobus. Primùm ex diuina omnipotentia, quæ nullo eget tempore ad operandum. Secundò ex diuinæ gratiæ immenſitate, ex qua eſt, vt nullam aliam diſpoſitionem requirat Deus ad infundendam gratiam, niſi quam ipſe operatur & facit

Philip. 1.

Philip. 2.

Rom. 11.

Ioan. 16.

Iuſtificatio impij ſubitò fit, licet peccator paulatim ad eã perducatur.

per

per gratiam. Denique & operatio voluntatis nostræ non exigit tempus. Quare ipsa perfecta iustificatio Deo mouente, & anima nostra consentiente subitò fit, non minus quam illuminatio, sed multò magis: quanquam communiter iuxta naturæ humanæ conditionem, cuius est paulatim & non subitò ad summum peruenire, paulatim perducatur peccator ex imperfecto dolore & amore ad perfectum (vt ex actibus pœnitentiæ explicatis patet) ad quod cùm peruenerit, subitò & absque mora iustificatio fit. In hac verò subita mutatione primum omnium, hoc est, à quo tanquam caussa cetera omnia pendent, gratiæ infusionem dicunt: quam etiam asserunt esse ipsam operationem Dei animam mouentis: ita vt apertè fateantur ideo liberum arbitrium moueri ad fidem & detestationē peccati, quia ita Deus illud excitat & mouet, quia gratiam suam infundit: non contrà, ideo Deus infundit gratiam, quia liberum arbitrium mouetur. Hoc illi ex similitudine actionum & mutationum naturalium declarant, prudenter quidem: quoniam naturalia hæc proportione quadam ad spiritualia se habent, & in illis Deus quandam figuram spiritualium rerum & specimen exhibuit. Igitur (inquiunt) sicut in omni naturali mutatione primum omnium est actio ipsa agentis in passum, quam ipsa passio rei, quæ mouetur, mox concomitatur & sequitur, cuius tamen actio illa caussa est: prius enim (vt exempli caussa dicamus) virtus ignis applicatur aquæ, & in illam operatur: non certè ab ipsa aqua, quæ patitur, attracta, sed illa, quæ alioqui de se neque appropinquaret, nec se disponeret ad calorem, mox vt cœperit ignis calefacere, calefit: atque ideo calefit, quia ignis calefacit, non è contrario, ideo ignis calefacit quia illa calefit: sic in iustificatione (inquiunt) quia Deus gratiam confert, mouetur anima: non contrà. Vbi vide quam pulchra & manifesta est assertio gratiæ, & aptissima ex illa similitudine declaratio. Si quid fecit aqua vt calefieret ante ignis operationem, id fecit peccator vt iustificaretur ante gratiæ infusionem. Si ex aliquo debito ignis calefecit aquā, si quid debet illi ignis: ita etiam præcessit meritum in peccatore, vt Deus illū iustificaret, ita Deus aliquid illi debet: hoc est, ita nullum meritum præcessit peccatoris vt iustificaretur, sicut in aqua nulla dispositio, vt calefieret, ita ex nullo merito Deus iustificauit hominem. Est tamen aduertendum in hac similitudine multas esse dissimilitudines. Aqua enim est insensibile quoddam elementum, prorsus sensus expers & dūtaxat patitur, atque contra naturam suam mouetur cùm calefit: anima vero

Infusionem gratiæ Dei priorē esse & caussam motus liberi arbitrij atq; iustificationis declaratur.

verò est liberi arbitrij, & iuxta naturam suam suauiter mouetur à Deo, cuius nulla actio in creaturam violenta est. Tamen quod attinet ad dependentiam patientis ad agens, & non contrà, aptissima est similitudo. Ex qua rursum progredientes vltrà nostri in explicanda gratia, sic obijciunt: Nonne prius est materia disposita & præparata, quàm formam recipiat? Cùm igitur præparatio animæ in motu illo liberi arbitrij consistat, præcedet ille infusionem gratiæ. Ad quam obiectionem respondent, exemplo, & ratione naturali magis illustrari hanc diuinæ gratiæ prioritatem & virtutem. Primò, quoniam constat in naturalibus mutationibus formam simul esse cum vltimis (quas vocant) dispositionibus & perfectis, sed has effectus esse formę ipsius: ita igitur (inquiunt) motus illi liberi arbitrij effectus gratiæ sunt. Quanquam itaque in naturali aliqua mutatione, generatione scilicet vel corruptione, longo nonnunquam tempore dispositiones imperfectæ præcedant, quod tamen attinet ad ipsam generationem, subitò forma substantialis adest, & simul cũ ea dispositiones illæ vltimę: ita per omnia in ipsa iustificatione, quam meritò non tantùm generationem, sed potius creationę dicere possumus. Sic enim vocat Paulus: Ipsius enim (inquit) sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit vt in eis ambulemus. Vnde & alibi nouam creaturam vocat gratiam certè ipsam iustificantem: In Christo (inquiens) Iesu, nec circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed noua creatura. Ita (inquam) dispositio subito fit ex gratia. Iustitia enim producitur in mẽte, & mens simul operatur iustitiam ipsam suscipiens: ita videlicet vt nihil illi tribuamus, quod ex gratia non habeat. Dicunt secundò, quòd in illa naturali mutatione, cùm reuera ita sit, vt dispositiones illæ sint à forma, quæ per generationem producta est, tamen secundum ordinem caussæ materialis priores sunt forma: hoc est, si cõsideretur materia ipsa nudè, & comparetur ad formam & ad dispositiones, sicuti prius est esse materiam, quàm suscipere formam, ita prius est dispositum esse ad formam, quàm ipsam suscipere. Secundum ordinem verò caussa efficientis, hoc est, comparata materia ad efficiens, prior est operatio efficientis & intentio: quare simpliciter prior est & eius operatio, & forma quam efficiens intendit: atque ita demum in iustificatione prior est Dei operatio & gratiæ infusio, quàm reliqua omnia. Quod pulcherrimè vide in Euangelio sub metaphora filij prodigi descriptum. Mittamus cetera: Surgens (inquit) venit ad patrem: Cumque adhuc

Motus liberi arbitrij in iustificatione sunt effectus gratiæ, et hac posteriores secundũ rationẽ caussæ.

Ephes. 2.

Galath. 6.

Luce 15.

adhuc longè esset, vidit filium pater: & misericordia motus, accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum: & dixit ei filius: pater, peccaui in cælum & in te. Vide itaque, antequam filius accederet, pater accurrit: antequam loqueretur, osculatus est eum: ita antequam peccator accedat, Deus præuenit: antequam eum verè pœniteat, reconciliat eum sibi: ante (inquam) non tempore (quia simul fiunt) sed causalitate & virtute: quia Deus dat gratiam, peccator conuertitur: non quia conuertitur, dat ei gratiam. Primum igitur illud de gratiæ infusione, sic explicatum sit.

Motus liberi arbitrij cõuertentis se ad deũ, qui etiã fidei actus dicitur necessarius est ad iustificationẽ adulti.

Secundum. Motus liberi arbitrij necessitatem probant Pauli etiam auctoritatibus. Iustificati ex fide pacem habeamus. Arbitramur iustificari hominem per fidem. Et: Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credũt in eum. Vbi primò nostri notant, actum hunc liberi arbitrij in Deum, fidem vocari & reuera esse: quia accedentem ad Deum oportet credere. Certè per cognitionem naturalem non verè appropinquatur Deo, multo minus in illum conuertimur vt beatificatorem & iustificatorem. Quia igitur (inquiunt) fides prima est in hoc actu conuersionis liberi arbitrij in Deum, meritò actus fidei dicitur: non tamen eius solius, sed & spei & charitatis, timoris Dei, & reliquarum virtutum (de quibus proximè diximus inter actus pœnitentiæ) etiam est. Nam & per charitatem remitti peccata satis suprà probatũ est. Imò verius & magis propriè per illam, quàm per fidem aut aliam aliquam virtutem. Actum igitur hunc, quem Paulus fidei vocat, ipsemet explicat alibi: In Christo (inquiens) Iesu nec circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur, quam superius nouam creaturam ostendimus eum vocasse. Vbi & hoc obseruandum diligenter: nostros non hoc solùm consonè rationi dixisse, sed etiã secundum modum loquendi scripturæ. Illa docet vnum actum plurium virtutum esse: ista apertius diuersis virtutibus eosdem actus tribuit: quod valde est considerãdum. Quot actus tribuit Paulus fidei ad Hebræos scribens? Non tãtùm certè ipsum credere, de quo dixit: Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei: sed etiam oblationem sacrificij. Fide Abel plurimam hostiam quàm Cain obtulit: obedientiam: Fide Abraham obediuit: timorem Dei: Fide Noë metuens &c. denique omnium virtutum opera: Sancti per fidem operati sunt iustitiam, ludibria & verbera experti &c. Ad Corinthios verò omnia similiter tribuit charitati, etiam ipsum credere: Charitas

Rom. 5. 3. Hebræ. 11.

Galat. 5.

Heb. 11.

1. Cor. 13.

omnia credit, & omnia sustinet, & omnia sperat, & patiens est, benigna est &c. Vides itaque apertè eundem actum pluriũ virtutum esse, nec magnopere curari cui tribuatur. Non certant inter se virtutes de gloria. Quare nihil est stultius, quàm eo quòd aliquis actus tribuitur vni virtuti, ceteras excludere: vt qui dicunt sola fide iustificari nos, quod nusquam certè legitur: de quo postea. Denique vltimò dicunt nostri, fidem hanc quæ exigitur, nõ requirere vt actu in iustificatione omnia mysteria fidei cogitentur, sed illud duntaxat specialius requiri, vt credatur Deus iustificator hominum per Christum: sic videlicet vt vera sit & integra fides & reliquorum omnium, & maximè huius: sit inquam: etiam si actu de his non cogitemus, modò illa in Deum conuersio verè huic fidei innitatur. Ita b. Thomas inquit ex verbo Pauli: Credenti in eum qui iustificat impium. Et apertius de Christo loquens: Quem proposuit (inquit) Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius.

art. 4. ad 3. suprà dicta loco.

Rom. 3. & 4.

Detestatio peccati necessaria est ad iustificationẽ adulti.

Tertium quod necessarium ponunt in iustificatione, detestatio videlicet peccati, iam satis in superioribus ex scriptura ostensum est. Si impius egerit pœnitentiam. Circa hæc igitur duo, motum scilicet fidei in Deum, & motum detestationis peccati, notant, quòd sine his nullus adultus & rationis compos iustificatur à Deo: id quod satis ipsæ scripturæ auctoritates probant, & illi explicant ratione sumpta ex suaui Dei gubernatione, qua cuncta secundum suas naturas mouet. Hominem igitur non vt stipitem aut lapidem mouet, sed suo libero arbitrio. Et certè hæc ratio, & illæ auctoritates scripturæ satis probant (vt patet ex his quæ de necessitate pœnitentiæ suprà diximus) nec cum Sacramentis, nec per ea aliter fieri vt ratione vtens iustificetur, nisi actu cooperans & consentiens iustificationi: sed de hoc alias. Secundò notant duos hos motus esse veluti motum mobilis in naturalibus transmutationibus, qui (vt diximus) sequitur & causatur ex actione agentis: atque ita isti motus effectus sunt diuinæ gratiæ. Tertiò circa eosdem notant, quòd sicut in transmutatione aliqua sunt duo, scilicet recessus à termino, à quo, & accessus ad terminum ad quem: sicut cùm calefit aqua, recedit à frigiditate, & accedit ad calorem, & id quidem vnico motu: ita in mutatione animali iustificationis, vel spirituali potius, sed quæ fit ex præcedente apprehensione, est accessus ad terminum, cùm apprehenditur & cogitatur Deus, & in illũ tendit affectus: est recessus à peccato, cùm cogitamus eius malitiã & detestamur. Sunt itaque duo motus, & inter eos primus ille fidei

Motus fidei in Deũ & detestationis peccati declarãtur similitudine motuum naturaliũ.

fidei in Deum, quasi accessus ad terminum, quem sequitur recessus à peccato. Ille enim prior est caussa huius: ideo pœnitẽs detestatur peccatum, quia cõtrarium Deo quem amat. Ex amore enim alicuius boni sequitur odium oppositi mali.

Quartum denique & vltimum dicunt esse remissionem peccati, quam dicunt consummationem siue peruentionem ad terminum huius motus. Consummatur enim iustificatio in remissione culpæ. Iste (inquit Esaias) est omnis fructus, vt auferatur peccatum. Et quãquam infusio gratiæ, & remissio culpæ, ambæ sint à Deo, tamen prior dicitur infusio gratiæ, & remissio culpæ, ambæ sint à Deo, tamẽ prior dicitur infusio gratiæ, quia illa est caussa remissionis. Et sicut agens introducendo propriã formam expellit contrariam: ignis calefaciens expellit frigus: ita Deus gratiam infundens expellit peccatum. Est igitur iustificatio motus animæ à peccato ad iustitiam: hoc est, motus quo diuinæ gratiæ infusione & inspiratione sic in Deum mouetur animus & in peccatum, vt veram consequatur à Deo remissionem eius. Hæc itaque sunt quæ à nostris traduntur.

Remissio peccati est cõsummatio iustificationis. *Cap. 27.*

Quid sit Iustificatio.

LECTIO VNDECIMA.

Quid Lutherani de iustificatione sentiant, & quomodo confutentur.

IAM nunc dicamus quid aduersarij omnes, & noui hæretici, Lutherum sequentes, de iustificatione asserant, & quid in nobis reprehendant.

Quid Lutherani dicãt iustificationis nomen significare.

Primo nomen ipsum iustificationis contendũt non esse accipiendum vt motum aliquem verum significet, quasi vocabulum quoddam physicum: sed potius vt forense quoddam nomen & iudiciale: vt iustificari sit iustum pronuntiari & decerni à Deo: quod & phrasi hebraicæ dicunt magis conuenire, & contextui frequentissimo scripturæ: Vt nõ iustificetur (inquit Paulus) omnis caro coram ipso. Et alibi: Factores legis iustificabuntur, quod est, inquiunt, iusti decernentur. Et tandem, iustificationem non aliud esse, quàm ita pronuntiari vel decerni iustum, probat Paulus, cùm citato verbo Psalmi: Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, inquit: Credenti in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad

Roman. 3. *Rom. 2.* *Rom. 4.*

iustitiã. Et addit quod dicit Dauid, Deum accepto iustitiã ferre hominibus sine operibus. Deum ergo iustificare peccatorẽ, tantum est iustum reputari à Deo. Ex hoc reprehendunt quidquid diximus de motu illo iustificationis.

Quid sentiãt Luthe rani de iustitia homi nis, & quibus argumentis nitantur.

Secundò accedentes iam ad rem ipsam, negant apertè priores quidem in hominibus esse iustitiam aliquã, quanquam posteriores leniant nonnihil, dicentes non esse quidem iustitiam, qua coram Deo stare possimus: quanquam sit nonnulla iustitia. Hoc probant scripturæ auctoritatibus, Non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens. Omnes iustitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ. Facti sumus vt immundus omnes nos. Et illud: Si iniquitates obseruaueris &c. Quare apertè dicunt eos, qui aliquando in scriptura iusti dicuntur, vel innocentes, non simpliciter, neque coram Deo id intelligendum, sed quod attinet ad specialem aliquam caussam, vel rationem inter homines. Sicut cùm Dauid in psalmo dicit: Si feci istud si est iniquitas in manibus meis. Intelligendum est, quod attinet ad odium, quod cõtra eum conceperat Saul. Ceterùm nos toti sub peccato sumus, vt Paulus inquit: Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. Viget in nobis inordinatæ concupiscentię malũ, de quo iterum inquit ipse Paulus: Video aliã legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantẽ me in lege peccati, quę est in membris meis. Hęc concupiscentia susćitat in nobis praua desideria, rebellionẽ deo, & diffidentiã, & huiusmodi alia innumera mala, quibus captiuamur, vt Paulus inquit, in lege peccati: quę omnia dãnabilia peccata ex se sunt, & cetera omnia nostra corrum punt atq; peruertunt. Quæcunque enim facimus, his permixta sunt: & ideo mala. Vnde Paulus: Perficere bonũ nõ inuenio. Ex quibus iã, iuxta ea quæ de nomine iustificationis dicta sunt, dicunt in nobis nullam aliã esse iustitiam, nisi quòd Deus pater dignatur nobis imputare iustitiam Christi: hoc est, reputare quod nos fecerimus in satisfactionẽ peccatorũ, quod Christus fecit. Itaque sicut peccatum remittitur nõ imputatione: gratis enim Deus nõ imputat nobis illud, vt suprà ex Paulo illi adduxerunt: & quid sicut nobis nõ imputatur peccatũ, ita Christo imputata sunt omnia nostra peccata, quãdo (sicut Isaias inquit) vulneratus est propter iniquitates nostras: quod apertius dicit illis verbis: Dominus posuit in eo iniquitates omniũ nostrũm, vt scilicet pro eis satisfaceret. Itaque peccata non imputantur nobis

Isaiæ 64.

Psalm. 7.

Rom. 7.

Rom. 7.

Isaiæ 53.

nobis à Deo, quia propter illa nos non punit. Imputantur verò Christo omnia, quia in eo vindicat illa Dei iustitia. Ita (inquiunt) per omnia de iustitia Christi dicendū est, quæ cùm illi nō sit necessaria, imputatur nobis à Deo, ac reputatur nostra: & ita decernimur iusti, qui reuera tales non sumus: quod videtur Paulus docere, cùm post illa quæ suprà diximus de lege captiuante illum, statim ait: Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et mox respōdet sibi: Gratia Dei per Iesum Christum Dominū nostrum. Et post pauca ex eodem inferens: nihil ergo (inquit) nunc dānationis est his, qui sunt in Christo Iesu. Sola itaque (videtur Paulus dicere) gratia, & Christi merito illa nobis nō imputari, quę alioqui dānabilia sunt. Hæc itaq; est remissio peccati & iustificatio quā statuunt, & qua mirum in modum gloriantur, dicentes se illustrasse hanc iustificationis doctrinam, quæ caput est totius Euāgelij, docereque homines non fidere, neque gloriari de suis operibus, quæ omnia mala sunt, sed soli diuinæ gratiæ inniti: vnde nec suam iustitiam extollere debent, quæ nulla est, sed solam Dei iustitiā. Nam quid aliud (inquiunt) Paulus significat, cùm ait: Ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti? Reprehenditur itaque suam iustitiam statuentes. Quare? Nisi quòd nulla sit, & ita docemur solam Dei iustitiā esse statuendā. Sola ergo illa vera est. In iustitia tua (inquit Psalmus) libera me, non in mea. Non est opus plura de hac re dicere. Illi enim innumera adferunt, sed hæc est omnium summa. *Rom. 7.* *Rom. 8.*

Tertiò hāc imputationē iustitiæ Christi dicunt nullis operibus nostris nobis cōtingere, quia omnia mala sunt: sed sola fide acceptari. Vnde sola fide nos iustificari asserendū esse, probant (inquiūt) apertè verba illa Pauli: Arbitramur hominem iustificari per fidem absq; operibus. Et quæ latius postea de Abrahā inquit toto 4. cap. ad Romanos: Si ex operibus iustificatus est, habet gloriā, sed non apud Deum &c. Et multis locis in Epistola ad Galathas: Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Quòd autem in lege nemo iustificatur apud Deū, manifestum est, quia iustus ex fide viuit. Ex quo statim affirmant, quod cùm nostra iustificatio nullis operibus nostris innitatur, neque merito quidem ipsius fidei (quæ tātum iustitię acceptatio quędam est) debet nobis certa esse, sicut certa est passio ipsa Christi. Quamdiu enim nostra opera putamus necessaria, non possumus non dubitare & anxij esse: atque ita deest nobis vera cōsolatio. Nam hoc est quod Paulus dicit. Si ex lege hæreditas *Rom. 3.* *Galath. 3.* *Rom. 4.*

(ex

(ex operibus scilicet) eximanita est fides, abolita est promissio. Lex enim irâ operatur. Ideo ex fide, vt firma sit promissio omni semini. Fides itaque qua iustificamur, nõ historica (inquiũt) est, qua historiæ Euangelicæ tantùm credimus: sed qua certò credimus remissa nobis peccata esse in Christo, & certò in eo nos futuros saluos. In his tribus punctis tota ferè est eorum lo quacissima & immensis verbis redundãs doctrina iustificationis. Primum est, nullam nobis inhærere iustitiam, sed tantùm imputari à Deo eam quæ Christi est. Secundum, sola fide nos ita iustificari, vt non ex vllis operibus. Tertium, fidem hanc nõ historicam esse, sed specialem illam. Ex his clamant cõtra nos. Primò, quòd dicamus remissionem peccatorum nos mereri, & quodammodo emere à Deo valore operum: cùm nolumus sola fide nos iustificari. Secũdò, quòd veram fidem ignoremus, veramque eius virtutem: cùm nunquam nisi de fide illa historica loquamur, non verò de apprehendente Christi iustitiam. Tertiò, quòd gloriam Dei & Christi transferamus in opera nostra: dicentes videlicet nos iustos esse, & bona opera facere, contra id quod Paulus docet, scripturam concluisse omnia sub peccato, vt non glorietur omnis caro coram illo, sed subditus fiat omnis mundus Deo. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, quàm gloriam dicunt nos auferre, docendo nos non esse sub peccato, sed iustos. Quartò denique reprehendunt, quòd auferamus verã consolationem, firmitatem atque certitudinem diuinarũ promissionũ: quando non sine nostris operibus iustificari nos dicimus: quæ cùm mala sint & imperfecta, cogimus conscientias perpetuò in anxietate & dubitatione esse. Hęc igitur sunt capita præcipua eorũ, quæ in nobis circa hanc materiã reprehendunt, grauissimi criminis nos arguentes, quòd tantã Dei gloriã, tantã consolationem animarum obruamus & obscuremus: de quibus nunc vel summatim agamus: tam scilicet de his quæ asserunt ipsi, quàm de his quæ in nobis reprehendunt: attingamus (inquam) hæc non omnia, sed tantùm quæ putamus vtilius populo proponi posse: maximè vt à tanta inuidia Ecclesiam Catholicam liberemus, quantam illi tot criminationibus cõciliarunt apud vulgus indoctum. Et videamus vtri magis obseruent Dei gloriam: nos, an illi.

Vniuersa doctrina Luth. de iustificatione ad tria capita reuocatur.

Lutherani dicũt catholicos quatuor falsò & impiè docere de iustificatione.

Rom. 3.

Cõfutatur nõ imputatio peccati & imputa-

Primum igitur, quòd iustificationem nolunt mutationem aliquam veram esse, sed solùm nõ imputationem: & (quod huic coniunctum est) nullam esse in nobis inhærentem iustitiam, so lus ille locus Pauli apertissimè condemnat, quem, cùm nostra asse-

assereremus, adduximus. Hæc aliquando fuistis, sed abluti estis &c. Itaque apertè docet iustificatione factũ esse, vt quod erant, non sint &c. Vbi & ipsorum significatio illa forensis iustificationis, hoc est, pronunciatio, insufficiens ostenditur: cùm asseratur verè esse sanctificatio & ablutio, atque ita renouatio & sanatio: Ne igitur cum eis de nomine disceptemus, fateamur ita accipi in scriptura phrasi hebraica. Sit iustificari, à Deo iustum pronunciari & decerni: inde ne licet inferre, ergo non est verè fieri iustum? cùm potius apertè constet in scriptura, dicere Dei, esse facere. Nec enim verba Dei inefficacia sunt: multo minus eius voluntas. Deum ergo pronuntiare iustum, est facere iustũ: alioqui inanis esset Dei sententia. Sed dicunt: Paulus tantùm dicit non imputari peccatum. Respondemus verissimum esse: non imputatur: sed non imputatio dignum facit, cui non imputetur peccatum: sicut Dei amor, quo ad vitã æternam aliquem acceptat, dignum illũ efficit vita æterna. Dignos (inquit Paulus) nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum. Quomodo potest apertius mutatio hæc vera iustificationis significari, q̃ his verbis, dignos nos fecit, trãstulit, eripuit? Non ergo modestè, imò nec verè dici potest, Paulũ iustificationem dixisse solã esse non imputationem. Dixit quidem esse non imputationem quodam loco, sed alio dixit esse veram mutationem, ablutionem, transfationem. Itaque apertũ est propter illam significationem non esse, cur à nobis dissentire debuerint, imò à tam apertis locis scripturæ. Et ex eodem sequitur secũdum etiam falsissimum esse, nullam in nobis esse inhærentem iustitiam, sanctitatem, aut bonum, vt illi dicũt: sed tãtùm imputari nobis iustitiã Christi. Primò quòd apertè scriptura sacra testetur in nobis bonos motus & opera esse ex diuino spiritu, quibus præstamus Deo, quòd à nobis postulat: quæ partim etiã cùm nostra assereremus adduximus. Vobis, ait Paulus, datum est vt in eum credatis: ecce fides. De spe: Fortissimũ, ait idem, solatiũ habeamus omnes, qui confugimus ad tenendã propositã spem, quã sicut anchorã habemus animæ tutã ac firmam. De charitate ait: charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritũ sanctũ qui datus est nobis. Quis dicet hæc nõ esse in nobis, aut non esse grata Deo, vel nos per ea nõ esse iustos? Paulus sanctos per fidem operatos esse iustitiã ait. Et Ioannes istis quasi respõdens, & cõtra illos muniẽs fideles: Charissi

tatitia iustũ tia, ac statuitur inhærens.

Colloss. 1.

De iustitia inhærente.

Heb. 6.

Rom. 5.

Heb. 11. 1. Ioan. 3.

mi

mi(inquit)nemo vos seducat:qui facit iustitiam iustus est, sicut & ille iustus est. Ecce nos facere iustitiam,& esse iustos. Deniq; plena est scriptura testimonijs huius mutationis & sanctitatis,
Rom.8. quam spiritus sanctus in nobis operatur. Nihil,ait Paulus,damnationis est his qui sunt in Christo Iesu. Quem locum illi pro se citant,cùm maximè sit contra eos. Non enim dixit,nihil dānationis imputatur,sed est. Et iterum, dicit nos esse in Christo Iesu,& non secundum carnem ambulare: & statim rationē horum omnium assignans,qua apertè attestatur huic veræ inhærenti in nobis iustitiæ: Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati. Ecce liberationē. Et apertius statim addit: Nam quod impossibe erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus. Ecce in nobis impleri iustificationem, non imputari tantùm. Ecce nos non ambulare in carne, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis, inquit. Quidquid ergo ex Paulo illos adducere dixim⁹ de lege peccati habitante in nobis & captiuante nos, si quidem de iustificatis intelligatur (quod Augustinus vult) de concupiscentia quæ in carne est & sensibus eius, de motibus illius constat intelligendum, quos repugnante ratione certū est non esse imputabiles homini, nec quidem ei qui nondum iustificatus est, si modò non consentiat. Voluntate enim sola rei teneri possumus. Hoc quàm apertissimè Paulus explicauit loco quem iam citauimus. Quòd si Christus(inquit)in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationem, vel(vt legūt alij) vita propter iustitiam. In carne ergo manent reliquiæ peccati, quas Paulus peccatum vocat ab effectu: in spiritu verò iustitia. Et deniq; quòd omnes dicunt peccatores esse, & omnia opera mala ex illis locis: Omnes iustitiæ nostræ &c. De his quæ sine Dei gratia,& quæ ex nobis facimus, intelligenda esse: siue illa venialia sint, quibus bona opera frequenter maculamus, vel illis intermiscemus: propter quod dictum est. Iustitię nostrę sicut pannus mēstruatę: siue etiā mortalia, satis probat quod superi⁹ adductū est de his, quę à nobis spiritu Dei fiunt. Et hęc tandem sufficiāt & contra hos,& cōtra eos qui iustitiā inhærentem in nobis concedentes, imperfectā illam semper dicunt esse, & qua non possumus stare ante Deū. Contra hoc enim apertè Paulus docet, secundum opera iudicādos non esse: Thesauriz as(inquit)tibi irā

Respōdetur aduersariorū argumentis.

Rom.8.

Iustitia hominis iusti potest ferre iudicium.

Rom.2.

in

in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua. Et post multa in hanc sententiam: Tribulatio (ait) & angustia in omnem animam hominis operantis malum: Iudæi primùm & Græci: gloria autem, honor, & pax omni operanti bonum: Iudęo primum & Greco. Quorsum ergo hęc, & cuncta quæ sequuntur ibi? Factores legis iustificabuntur &c. si nulla opera sunt quibus possimus stare in iudicio Dei? Itaque quod multi etiã catholicorũ (vt in Colonienſium Antididagmate & Pigghio videre licet) volentes ad concordiam reducere hoc dissidium, inhærentem quidem iustitiam fatentur, sed eam (inquiunt) imperfectam & inchoatam, qua saluari nõ possumus nisi rursus imputetur nobis iustitia Christi: contra hũc locum Pauli apertissimè est, & similia alia: vt illud: Qui facit voluntatem patris mei, ipse intrabit in regnũ cælorum. Et, si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Fatemur igitur imperfectam esse nostram iustitiam comparatam iustitiæ patriæ, sed sufficientem ad salutem, idque nõ ex nobis, sed ex spiritu Christi. Rom. 2.

De imputatione iustitiæ Christi.

Sed de imputatione illa iustitiæ Christi iam dicendum. Et contra illos quidem, qui solam eam in nobis ponũt, nullam scilicet inhęrentẽ, satis est quòd probauerimus inhęrere nobis iustitiã: & contra alios, qui tam imperfectam eam ponunt, satis etiam probatum est. cùm ostenderimus secundum eam nos iudicandos, & præmiandos bonos. Reposita est mihi corona iustitiæ (inquit Paulus) quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Post hanc verò nõ esse necessarium nobis imputari iustitiam Christi, neque hoc asserẽdum esse, satis probat quòd hoc & alienum sit à modo loquendi scripturæ & patrum, & occasio errorũ. In scriptura nobis cõmunicari iustitiã Christi, & à nobis participari legimus. Participes (inquit Paulus) Christi facti estis. Et Psalm. participes vocat sanctos Christi. Et alibi Paulus: Calix quem sumimus, cõmunicatio sanguinis Christi est: & panis quem frangimus, participatio corporis Domini est. Participatio verò hęc quid aliud significat, quàm perfectionẽ quandam longè inferiorem & deficientẽ ab illa Christi iustitia? De plenitudine (inquit Ioannes) eius nos omnes accepimus, non plenitudinem, sed de illa. Iuxta quem sensum Chrysostomus in hunc locum, & Athanasius in primũ cap. Epistolæ ad Hebręos exponens illud, præ participibus tuis, quod Paulus citat, hoc apertè docent: iustitiam videlicet nostram participationẽ quandam esse, sed deficientem à iustitia Christi. Athanasius inquit: Participatione hac sunt sancti effecti, & in gratia participes qui-

2. ad Tim. 4.

Heb. 3.

1. Cor. 10.

Homil. 13. in Ioannẽ.

quidem effecti, quemadmodum & meritorum eius. Ecce participationem gratiæ & meritorum Christi. Et Chrysostomus: Quod ego (inquit) fero participabile quoddam est, & exigua pars totius, & quasi gutta parua ad immensam abyssum: quod duabus similitudinibus explicat, fontis videlicet, & ignis. Nũc igitur aduertẽdum, quòd imputatio non participationem, neq; communicationem significat, sed donationem quodammodo totius: non quidem ad immutationem eius, cui donatur, pertinentem, sed tamen ad plenam liberationem. Certum est, cùm dicimus alicui imputari factum alterius, non deficientem participationem meriti vel demeriti illius intelligi, sed in eo iudicio in quo fit imputatio, haberi eum cui imputatur, ac si fecisset: & ita illi dicũt nos haberi apud Deum, ac si præstitissemus quod Christus: vnde apertè sequitur plenissima liberatio à peccato in illo Dei iudicio, quò ad culpam videlicet & pœnam. Itaque nec satisfactio remissa culpa, nec purgatorium alicui iustificato reliqua esse possunt. Habentur enim secundum eos iustificati, ac si perfecissent quod Christus. Hæc Lutherani volunt auferre, satisfactionem scilicet & purgatoriũ: sed sunt hæreses dãnatæ, cõtra quas modò non agimus. Sequitur etiã ex illa imputatione, auferri diuersitatem gradus gratiæ & sanctitatis: contra illud: In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Et: Stella differt à stella: si omnes habentur ac si præstitissent quod Christus, cùm tamen nihil præstent. Imò nec profectus ille virtutis & sanctitatis, & renouatio quotidiana intelligi potest, si sola fit hæc imputata iustitia. Quòd si fortè volunt illã imputationem non plenam hanc collationem meritorũ Christi intelligi, sed secundum diuersos gradus: vocent eam ergo participationem, & reijciatur verbum hoc imputationis inauditum antiquis. Quorsum attinet tantopere hoc nomẽ efferre & cõmendare, nec tamen aliud significare quàm nomine illo participationis? Certè antiqui patres, & concilia illa, in quibus maximè contra Pelagianos definitum est, & pro diuinæ gratiæ illustratione, nunquã hoc nomine imputationis vtũtur. Augustus qui præcipuus inter hos fuit, lib. 1. de peccat. merit. & remiss. iustificationẽ interius Christũ dicit operari, & gratia baptizatos suo corpori inserere, atq; dare fidelibus suis occultissimã sui spiritus gratiã: & propter hoc ait dictũ esse, in Christo omnes viuificari, & nõ propter solam imitationẽ, quanquã illa in sanctis esse debeat. In Epistola ex Aphricano quodã cõcilio quinque Episcoporum ad Innocentium, quam ille dicit plenã fide, post men-

Quæ inconuenientia sequantur ex imputatione iustitiæ Christi.

Ioan. 14.
1. Cor. 15.

Cap. 9.

mentionem factam illius, quòd per legem fit cognitio peccati, additur, vt ad liberationem quærantur Dei promissiones, quod est gratiæ, & incipiat esse in homine iustitia nō sua, sed Dei, hoc est, dono Dei data. Quo verbo explicant quomodo hæc, qua iustificamur iustitia Dei dicenda sit: non quidem quòd in ipso solo sit, sed quia à Deo datur nobis. Igitur iustitiam nostram constituimus in occulta illa communicatione & participatione spiritus Christi & meritorum eius, quam sequitur imitatio. Hęc enim duo ita coniuncta sunt, vt quanto magis illi occulta communicatione vnimur, tanto magis imitemur: & quò magis fuerimus imitati, magis vniamur. Ipse (inquit Paulus) spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Quòd si filij, & hæredes &c. Et statim: Si tamen compatimur &c. Et deniq; ipse Paulus hęc omnia manifestissimè explicans, ita inquit Philip. scribens. Postquam omnia dixerat propter Christum se vt stercora reputasse, addit, vt Christum lucrifaciam & vt inueniar in illo non habens meam iustitiam quę ex lege est, sed illā quę ex fide est Christi, quę ex deo est iustitia in fide ad cognoscendum illū, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionis illius: configuratus morti eius, si quo modo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis. Vides itaque quam vocet suam iustitiam: quæ scilicet non est ex fide: eam verò quæ fidei est, quam distinguit contra suam iustitiam, dicit ex Deo esse, nō in Deo: quia scilicet causatur à Deo in nobis: & hac dicit se cōfiguratum esse Christo. Igitur suam iustitiam, quam contemnit vt stercora, apertè vocat, quæ proprijs innititur viribus, non verò diuinæ gratiæ & dono. Ceterùm qui volunt vltra hanc inhærentem iustitiam imputari etiam nobis eam quæ Christi est considerent primò, an ista inhærens nobis iustitia sit in nobis à Christo, an per eam efficiamur participes eius, an non. Si enim à Christo pendet, si eius meritorum efficimur participes per eam, sufficit ad salutem: quandoquidem in Christo omnes viuificabuntur, & omnia in illo reconciliantur. Ad quid ergo alia imputatio postea? Quòd si dicant illam à Christo non pendere, necesse est nullam omnino esse, sed confictam. Igitur concludamus hoc quod latius processit quàm putauimus, definitione Cōcilij Tridentini, quam putamus meritò sufficere debere pijs omnibus & consentientibus filijs, quidquid hæretici clamant. In sessione igitur sexta, vbi de iustificatione Catholicā & syceram tradunt doctrinam, capite 7. in principio, nominata iustificatione, sic dicitur, Quæ non est sola peccatorum remissio,

Iustitia nostra constituta est in occulta cōmunicatione spiritus Christi & meritorum eius. Capite 3.

Decretum cōcilij Tridentini de Iustificatione.

sed sanctificatio & renouatio interioris hominis per voluntariã susceptionem gratiæ & donorum, vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, vt sit hæres secundum spem vitę æternæ. En quid sit iustificatio. Deinde postquam de causis eius integrè loquuntur, causſam formalem inquirentes hoc est, formam quæ acquiritur illa mutatione, ita dicunt. Causſa formalis est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit: qua videlicet ab eo donati, renouamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque secũdum suam mensuram, quam spiritus sanctus partitur singulis prout vult, secundum propriã cuiusque dispositionem & cooperationem. Quanquam enim nemo potest esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri IESV Christi communicantur: id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimæ passionis merito per spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iustificantur, atque ipsis inhæret. Ecce qualiter & iustitia inhærens, & participatio meritorum Christi asseruntur à sacra & Catholica doctrina: nec vltra putârunt patres opus esse aliquid addere. Igitur imputatio illa meritò relinquenda est, vt diximus, à consentientibus catholicæ Ecclesiæ filijs, quidquid fortè antea putauerint esse dicendum: Quæ de hoc articulo restant, proxima lectione expediemus.

LECTIO DVODECIMA.

In qua similiter confutãtur Lutheranorum de Iustificatione alia dogmata.

An sola fide & sine omnibus nostris operib⁹ iustificemur. Roman. 3.

DIximvs de duobus circa iustificationem nouis dogmatibus Lutheranorum: restant reliqua duo ex his quæ proposuimus. Est enim tertium: Sola fide nos iustificari, non verò vllis nostris operibus, quod primò dicunt à Paulo asseri: Arbitramur iustificari hominem per fidem absque operibus. Ergo (inquiunt) sola fide. Deinde & ratione probant: Quia omnis promissio fide (inquiunt) acceptatur. manifestum est enim promissionem sola fide considerari, atque ita acceptari: de remissione verò peccatorum est diuina promissio: fide ergo acceptan-

ceptanda: alioqui (vt diximus superius) periret certitudo promissionis diuinæ, vt Paulus inquit, Si enim qui ex lege, hæredes sunt: exinanita est fides &c. Contra hoc superius satis ostēdimus contritionem & pœnitentiam necessariam esse. Si impius egerit pœnitentiam &c. Immo charitatem quoque: Qui enim non diligit, manet in morte. Ostendimus etiam Paulum ipsum docere, fidem quæ apud Christum aliquid valet, esse illam quæ per dilectionem operatur. Hoc igitur illis respondemus. Dicant an sine contritione & charitate remittatur peccatum. Quod si affirment, negabunt scripturam. Si verò fateantur non remitti: non ergo sola fide. Et ne de vocabulo contendatur: quòd fides omnia illa secum cōiuncta habeat (vt quidam illorum dicunt) etiam si ita sit: explicent tandem, ne fucum faciant ignorantibus: & quod non piguit Paulum dicere, non pigeat eos: Fide quæ per dilectionem operatur. Denique si illam fidem vocant, quæ necessario, & (vt aiunt) sua natura & virtute coniunctam habet charitatem: non pauciora opera ad iustificationem dicunt necessaria, quàm nos. Quorsum igitur opus est dicere, sola fide? Itaque cùm bene excutiuntur, reperiuntur idem asserere quod nos: sed negari non potest, nostra esse synceriora & apertiora. Respondemus breuiter ad ea quæ pro se adferunt, quod verbum Pauli: Arbitramur iustificari hominem per fidem, de ea fide quam Paulus explicauit, quæ videlicet per dilectionem operatur, intelligimus. Quod dicit: Non ex operibus, vt multa alia omittamus, dupliciter intelligimus. Primò, sine operibus præcedentibus iustificationem, & eam apud Deum merentibus. Nulla enim præcesserunt opera quibus mereremur iustificari, vt Augustinus exponit lib. 83. quæst. Ceterùm de sequentibus operibus, si superuiuat iustificatus, necessaria sunt (inquit) Augustinus ibi: de quibus illud Iacobi intelligit: Vides quoniam Abraham ex operibus iustificatus est, & nō ex fide tantum &c. Secundò, non ex operibus alienis à fide, quæ scilicet illam præcedunt. Nam de his verissimum est: Sine fide impossibile est placere Deo. Et certè qui distinguit fidem ab operibus, necesse est, vt cum ipsa opus quoddā sit, de quo dictū est: Qui crediderit & baptizatus fuerit &c. nō ab omni opere distinguat, sed ab opere alieno à fide. Ostendimus verò suprà, Paulū omnia opera virtutum sanctorum, fidei opera vocasse. Igitur nō de illis, sed de omnibus alijs quæ sine fide fiunt, loquitur. Iam quod dicunt ex eodem Paulo, non posse promissionem firmā esse, si ex operibus implēda sit: si enim qui ex lege, sunt heredes: exinanita est

Roman. 4.

1. Ioan. 3.

Exponitur locus Pauli: Arbitramur hominē iustificari per fidē absque operibus. q. 76. Cap. 2.

Roman. 4.

Exponitur locꝰ Pauli: Si qui ex lege sunt hæredes &c.

fides &c. Ideo ex fide, vt firma sit &c. Apertè etiam diximus vel ab ipso Paulo intelligi de operibus ex proprijs nostris viribus & legis ductu profectis. Hoc est enim quod dicit: Si qui ex lege, sunt hæredes. Notum est, ex lege, apud Paulum idem valere quod, virtute legis: hoc est, sine spiritu. Illa verò omnia quæ sine Dei charitate fiunt, quanti faciat Paulus, scimus. Nemo potest dicere, domine Iesu, nisi in spiritu sancto, Hoc ergo dicit: si virtute nostra & meritis nostris sine gratia putamus hæreditatem benedictionis gentibus in semine Abrahæ promissæ consequi: exinanita est fides, abolita est promissio. Nullus enim consequetur: quia nulla sunt opera nostra: & ideo ex fide, id est, ex operibus fidei, quæ non nisi diuina gratia fiunt à nobis. Ita hunc locũ exponit Augustinus lib. de prædestinatione sanctorum. Quando (inquit) promisit Deus Abrahæ in semine eius fidem gentium, dicens: Patrem multarum gentium posui te: Vnde dicit Apostolus: Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus erat: nõ quod homines: quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit vt illi faciant quæ præcepit: non illi faciunt, vt ipse faciat quod promisit: multa pulcherrimè in hanc sententiam ibi dicit Augustinus. Vbi vides apertè sanctissimum illum doctorem diligentissimum gratiæ assertorem & expositorem Pauli: non opera quæ faciunt homines excludentem, modò ex diuina gratia in eis fiant. Sed ipsius illa fortissima ratio, nunquam satis ab eis commẽdata, est nobis nunc non tam soluenda, quàm (si pateretur compassio eorum, qui miserè subuertuntur) irridenda. Promissio acceptatur fide, inquiunt: verum est: de iustificatione est promissio: fatemur: concludunt, ergo iustificatio fide acceptatur. Vbi certè mirandum est hæreticorum ingenium. Hoc (inquit Philippus) Pauli argumentum, neque excogitare nec fingi quidquam potest quo euerti queat. Mirum certè Dialecticum. Maior est, Promissio acceptatur fide: vera certè. Minor, de iustificatione est promissio. Ex his quid sequi poterat aliud, quam, ergo promissio de iustificatione acceptatur fide? quomodo hinc infert, ergo iustificatio acceptatur fide? Nõne aliud est iustificatio, aliud promissio illius? Quanta est hallucinatio, non distinguere rem promissam à promissione. Promittitur homini pecunia, promittitur dignitas, libertas, promittitur vxor: non sunt hæc distincta quę promittuntur à promissione? Quis verò dicit vxorem fide accipi,

Cap. 10.

Ridiculum argumentũ Philippi de acceptatione iustificationis. In Apologia cõfessionis Augustanæ.

Promissio iustificationis & nõ iustificatio acceptatur fide.

accipi, & non potius translatione in propriam domum, & coniunctione corporum, quàm fide? Sic de ceteris omnibus. Promissiones verò rerum fide acceptantur: Igitur promissio iustificationis acceptetur fide: iustificatio autem apprehendatur virtute illa quę eius capax est, & opere quo efficimur iusti: sicut pecunia promissa accipitur non fide, sed manu. Si verò iustificatio est, vt verè est, integra totius animæ in Deum ordinatio, & non tantùm cognitionis: tunc iustificamur, cùm toti in Deum conuertimur: cognitione videlicet apprehendentes quæ reuelantur à Deo, & affectu eius bonitatem & gratiam. Non possem certè satis dicere, quantum miratus fuerim hoc argumentum, & in eo misertus humanæ cęcitatis. Vide rogo quantum intellectus semel fidens sibijpsi decipiatur & sibi ipsi imponat. Hoc est proprium nimium sibi placentium, atque illa sui complacentia etiã apertissima non considerantium. Nos fide & charitate, & vera quę ex illis sequitur pœnitentia, sed per hæc omnia Dei virtute perfecta, & in nobis atque nobiscũ caussata, iustificari dicimus peccatorem: quod est eum perfectè in Deum conuerti atque rectificari, qui prius auersus erat, & (vt dicamus) obliquus, aut prostratus in terram cum muliere illa Euangelica. Quid hic rogo non consentiens scripturæ & fidei? Aut quid hic nobis tribuimus? Dicant illi sola fide: & laborent quãtum solent verbis hoc explicare: tandem cogentur quæ diximus nostra cõcedere. Hæc igitur sufficiant de tertio illo dogmate.

Iam quartum dogma de fide illa speciali, qua credimus nobis remissa esse peccata, alibi latius tractauimus, & proximè etiam, cùm de contritione loqueremur, ostendimus primò nos de nostra præparatione dubios esse debere: Nec meipsum (inquit Paulus) iudico &c. Deinde de diuina erga nos in speciali misericordia, gratia, atque fauore, sine quibus conuerti non possumus, vt superius dictum est: Conuerte me domine &c. Hæc Dei gratia nulli in speciali promissa est, sed de ea verisimè intelligitur illud Pauli: Cuius vult misereatur, & quem vult indurat. De quibus & ibidem ait, citato loco scripturæ: Dedit illis spiritum cõpunctionis. Propter quod etiam de fidelibus, vocatis videlicet iam, dicitur, quòd multi sunt vocati, pauci verò electi. Soli prædestinati illas Dei promissiones, quibus gratiam qua cõuertantur & perseuerent promittit, consequuntur. De quibus ibidem dixit Paulus, quod Deus ostendit diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quę præparauit in gloriam, quos & vocauit nõ solùm ex Iudæis, sed etiam ex gentibus. Iam quis nouit se prædestinatum

De fide speciali, qua quis credit sibi remissa esse peccata.

Rom. 11. & 9.

esse? quis nouit vas misericordiæ se esse? quis ergo est certus de hac gratia? Contra hæc nihil est audiendum, etiam si sola fides iustificaret, vt illi dicunt: nam fides qualem illi describunt, nulla est. Nec illud quod dicunt, ideo incertum hominem reddi, quia suis operibus nititur, iuxta ea quæ ex Paulo citant, aliter intelligendum est, quàm quòd qui ex suis operibus sine gratia iustificari se putant, fidentes suæ infirmitati & incertitudini, non possunt non desperare. Ceterùm qui gratiæ fidunt, qui illi innituntur, etsi infirmitati suæ nonnunquam timeant, confirmantur tamen virtute gratiæ. Apud homines impossibile est, apud Deum verò omnia possibilia, inquit Christus. Vnde mirandum est, quòd nos dicant Pelagianizare, quia dicimus ex gratia nobis dari opera, quibus placemus Deo & iusti sumus; & ipsi Deo nos iustificanti cooperamur: cùm manifestissimè Pelagiani viribus suis hoc tribuerint, non gratiæ. Augustcertè lib. de prædestin. sanctorum, eo ipso loco Pauli citato: Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio. quid Pelagiani sentiant, & quid nos sentire debeamus dicens ex hoc loco Pauli contra illos, non in vniuersum opera nostra, sed illa quę sine gratia fiunt excludit: nec certitudinem aliquam fidei, sed in certitudinem potius promittit. Citato itaq; verbo illo Pauli, sic inquit contra illos: Miror homines infirmitati suę potius se velle committere quàm firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi (inquit) de meipso voluntas Dei. Quid ergo? Tua ne tibi voluntas de teipso certa est? nec times, Qui se existimat stare, videat ne cadat. Hæc ibi Augustinus. Et statim certissimè & absque vlla dubitatione concludens quasi sanam & synceram doctrinam: Cùm igitur vtraque incerta sit, cur non homo firmiori quàm infirmiori fidem suam, spem, charitatemq; cõmittit? Vide itaque quàm apertè, quàm sine controuersia incertum vult esse hominem fidelem & de Dei voluntate, & de sua, circa propriam salutem. Quid ergo iactant tantopere hanc suam certitudinem, qua miserè decipiunt simplicem plebem?

Cap. 11.

Iustificationẽ nõ tribuũt nostris meritis, etsi dicam⁹ opera ad eã necessaria.

Restat nunc vt illa quæ in nobis reprehendunt, breuiter percurramus. Reprehendunt primò, quòd meritis nostris dicamus nos iustificari, & mereri à Deo ac quodammodo emere remissionem peccatorum. Ostensum est suprà nos cõtrarium asserere: nam omnia diuinæ tribuimus gratiæ, etiam Scholastici ipsi. Vnus Scotus proprijs nostris viribus putat nos sufficienter posse pœnitere peccati. Alij etiam nonnulli putant nos posse præparare aut diligere Deum super omnia, siue credere: sed isti vel repre-

reprehenduntur, vel exponuntur. Grauiores autem, vt Thomas, Bonauentura, Alexander, contrarium omnium horum asserunt: nihil scilicet horum sine Dei gratia nos posse. Sed de his omnibus non instituimus nunc disputationem: satis de ipsa iustificatione sit, quòd tam distinctè superius dixerimus, quidquid in illa nostrum est, effectum esse gratiæ. Sed fortè dicent: Etsi verbis ista dicatis, negatis tamen re, cùm dicitis non solam fidem, sed opera necessaria. Respondemus opera necessaria, sed qua ex diuina gratia in nobis sunt. Vbi non sine gemitu pertransire possumus, quàm miserè decipiant populum: nec sine oratione fusa ad Deum, vt simplicem plebem permittat audire eos, qui syncerè horum fallacias detegunt. Hoc igitur cupimus duntaxat populo apertè dici. Cùm inquiunt fide nos iustificari: fides hæc non est opus nostrum, ex gratia nobis à Deo datum? Non possunt negare. Igitur ex opere nostro iustificamur. Et hoc opus nostrum tale illi ponunt, vt habent coniunctam charitatem: ergo ex fide & charitate nos iustificamur: quo nihil nos docemus amplius. Sed dicunt: Fides hæc non meretur: tantùm accipit & apprehendit iustificationem. Ita nos dicimus de charitate & contritione, quòd apprehendunt iustitiam. Fide enim creditur Deus propter Christum nos iustificans: charitate & cõtritione amatur: atque ita omnibus animæ viribus apprehenditur Deus & iustitia. Itaque hoc dicamus illis. Quem locum dant vestri doctores fidei in iustificatione, eundem nos damus charitati: non maiorem, sed nec minorem, quod attinet ad meritum vel efficaciam. Si fides non meretur, neque charitas: si fides apprehendit, & charitas: nisi quòd dicamus charitate hæc omnia consummari, vtpote quæ maior sit & perfectior ceteris omnibus: Maior (inquit Apostolus) horum est charitas. Dicamus illis: Si quid vestri sanum dicere volunt, doceãt fidem & charitatem ex gratia diuina esse in nobis, quod nos dicimus, & ideo gratis iustificari nos. 1.Cor.13

Reprehendunt secundò, quòd veram ignoremus fidem, cùm solùm historicam ponamus & diabolicam: nam dæmones credunt & contremiscunt: non verò fidem illam specialem, quæ vera est, vt inquiunt. Respondemus illam non esse veram fidem vt satis patet ex superius dictis. Quanta verò ipsi de fide commenti sint præter scripturam & patres omnes, non est huius loci referre. Augustinus in Enchridio certissimam docens sententiam: Fides (inquit) sine charitate esse potest, sed non prodesse: de quo alibi plura diximus: quod tamen isti negant. Nos, sicut *Iustificationē tribuendā esse fidei per dilectionem operanti. Cap. 8.*

Augustinus illo loco, dicimus Paulum Apostolum fidem, quæ per dilectionem operatur, commendare atque probare: quæ ita se habet, vt sine illa nec spes nec charitas esse possit. Ista sunt syncera & certissima dogmata fidei nostræ, quæ illi sua pertinacia impugnant, cùm ea negare non possint. sed cùm multis verbis sua asseruerint, tandem in quæstiones quasdam nominum
1. Timot. 1. relabuntur: de quibus meritò illud Pauli dicitur: Volunt esse legis doctores, non intelligentes nec quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

Catholici magis quã Lutherani illustrant dei gloriã in materia iustificationis.

Tertium, de quo maximè criminantur nos, est: quòd transferamus gloriam Dei in nostra opera, atque ita obscuremus gratiam. Huic calumniæ sic respondemus, nos superius satis docuisse, à nostris doctoribus etiã doceri, omnia nostra bona tribuenda esse gratiæ: ipse est qui operatur in nobis velle & perficere. Vbi cupimus etiam populũ hoc quietè audire. Isti asserunt Dei gratiam nihil in nobis aliud efficere, nullam mutationem, nisi tantùm non imputari nobis peccata, & imputari iustitiam Christi. Nos asserimus diuina gratia nos ita immutari, vt deleantur omnia peccata, inseramur Christo, donemur à Deo maximis & præciosis muneribus gratiæ, admirandis virtutibus, quibus cooperemur illi & impleamus spiritu eius legem. Mittamus nunc quid horum magis consonet scripturæ: satis hoc superius ostensum est: tantùm cogitemus quid horum magis illustret Dei gratiam, quid sit decentius & conuenientius bonitati diuinæ. Certè si consideremus naturæ opera, Deus non tantùm in creaturis omnibus operatur vt prima caussa, sed etiam tribuit creaturis virtutes mirabiles, & pulcherrimas, & saluberrimas, quibus & ipse operentur: nec putat sibi quidquam detractum esse. Si sol mirabiliter lucet & illuminat, & producit germina omnia: magis verò in hoc illustratur Dei omnipotentia, vt non tantùm per seipsum, sed per creaturas etiam suas operetur: & eò magis, quò maiora opera minores creaturæ effecerint. Cùm igitur naturæ opera sint multo minora quàm gratiæ, & tamen proportionabilia eis: quare non est credendum, in operibus gratiæ Deum creaturis suis, nobis scilicet, virtutes dare, quibus ei cooperemur? Hoc est disponere omnia suauiter: Dei adiutores (inquit Paulus) sumus. Denique cùm vtrunque sit possibile, videlicet sola non imputatione peccatorum & imputatione meritorum Christi iustificari, & vera immutatione nostri, veris virtutibus & bonis operibus: cùm vtrunque gratia possit: quis magis magni facit gratiam & illustrat? qui sine vlla
1. Cor. 3.

muta-

mutatione vel virtute iustificationem ponit, vt illi: an qui tam plenam iustificationem docet, vt non dubitet diuina gratia verè homines iustos effici, & donari magnis virtutibus à Deo? Certè parcè nimium atque auarè videtur agi nobiscum, si nulla donamur à Deo iustitia. Sed aiunt: Non vult Deus vt nos putemus iustos à nobis: verum est: sed suo dono & sua gratia reputare nos iustos, nonne est plus illi tribuere? Itaque multo magis nos diuinam gratiam illustramus, plura illi tribuimus: nobis verò, quasi ex nobis (vt Paulus inquit) nihil boni.

Iam quartum & vltimum illud, quòd videlicet auferamus veram consolationem animarum, relinquamus diuino iudicio. Satis probatum est, nos debere semper in timore esse. Cum metu & tremore (inquit Paulus) vestram salutem operantes, nec de remissione peccatorum securos esse debere. Dant ergo illi consolationem animabus, dum iubent credere sibi remissa esse peccata: sed vtinam non sit illa consolatio, de qua scriptum est per Prophetam: Sanabant contritiones filiæ populi mei, dicentes, pax pax: & viuificabant animas quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendacijs. Scriptura docet nos consolationem promittere, sed ijs quos prius verè pœnitet peccati, & opera digna pœnitentiæ faciunt. Prius contristat & affligit, postea consolatur: vt Paulus Corinthium in prima & secunda Epistola prius tradit Sathanæ: & ex multa tribulatione per multas lachrymas scribit: postea condonat & iubet consolari: non dicit, apprehende per fidem iustitiam Christi, & esto securus, sed inquit omnibus: Gaudeo, non quòd contristati fueritis, sed quòd contristati fueritis ad pœnitentiam. Satis igitur de his sit dictum.

Nõ debemꝰ de remissione peccatorũ securi esse. *Philip. 2.* *Ezech. 13.* *1. Cor. 5.* *2. Cor. 2.* *2. Cor. 7.*

LECTIO DECIMA TERTIA.

Quando & de quibus necessarium sit pœnitere.

EXPLICATIS igitur his, quæ circa pœnitentiam & iustificationem iuxta Catholicam fidem tenẽda sunt, quæ omnia magis ad speculationem pertinere videntur: iã accedendum est ad ipsam, vt ita dicamus, praxin: vt scilicet doceamus quando ad pœnitentiam agendam teneamur, & quomodo agenda sit.

De primo agemus præsenti lectione. Quæritur itaque,& meritò,à multis,quo tempore ad agendam pœnitentiam teneamur, & qua necessitate. Quibus quo modo respondendum sit, sequentibus propositionibus explicabimus.

Peccanti mortaliter necessaria est pœnitẽtia tanquã remedium, & quia præcepta.

Prima.Post peccatum lethale admissum pœnitentia necessaria est & vt remedium, & vt præcepta à Deo. Hæc propositio indicat discrimen inter ea, quæ necessaria sunt vt remedium, & quæ ex præcepto solùm,quod alibi declaratum est, & nunc exemplo baptismi patere potest. Ille enim quia necessarius est vt remedium,etiam his qui non sunt capaces præcepti,necessarius est,sicut ipsa fides: quare & infans,& is qui nunquam audiuit de baptismo vel fide, pereunt: non peccato nouo, sed defectu remedij.Ceterùm ea quę in remedium necessaria sunt,cùm agnoscuntur, obligant ex præcepto. Tenetur enim quilibet sicut salutem suam quærere, ita & quæ ad eam necessaria nouit. Iam quod in propositione diximus,ex suprà dictis satis constat.Pœnitentia primò requiritur vt remittatur peccatum: quod apertis auctoritatibus est probatum: ergo vt remedium. Deinde, quia id satis ostendit & ratio ipsa naturalis & diuina lex : iustum scilicet esse,Deum placare dolore eius quod in ipsum commissum est,etiam hoc est præceptum omnes astringens, sicut tenentur omnes ad quærendam salutem. Quia verò dubitatur à multis, an sit hoc præceptum generale tantùm, sicut illud : Declina à malo & fac bonum,cuius transgressio non inducit nouum peccatum: an speciale: vt scilicet pœnitentiæ omissio nouum peccatum inducat. Quanquam hæc non sit necessaria quæstio, tamen asserimus esse hoc speciale præceptum : quod b. Thomas apertè asserit. Est enim specialis virtus. At si cui id non placet: est specialis actus, quem charitas valde requirit (vt suprà diximus) qui deo valde placet. Cur ergo non erit speciale præceptum ? Quod autem circa hoc magis ad rem pertinet, explicabimus inferius. Nunc hac ratione contenti, duobus illis prioribus respondum sit. Nam & iam hîc diximus, & superius satis patuit,pœnitentiam iure ipso naturali ostendi vel adiuncta fide, vt aliqui volunt, vel etiam sine illa, quæ tamen multo apertius & perfectius id explicat. Iam ad tertium, quod magis ad rem pertinet,accedamus. Quando scilicet ad pœnitentiam teneamur:de quo sit hæc secunda propositio.

art. 2. q. 85 part. 3.

Statim postquam

Post commissum peccatum certum est ad eius remissionem consequendam, statim necessariam esse pœnitentiam. Et cùm tam graue malum peccatum sit, & multo grauius periculum in

eo manenti immineat, iræ scilicet Dei & damnationis æternæ, statim ad hæc euadenda necessaria est pœnitentia. Clamat sapiens: Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Et ne dicas: miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Et in Apocalypsi Dominus: Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam. Sin autem: veniо tibi &c. Nec tamen dilatio pœnitentiæ nouum semper peccatum est, sed certè reddit idem ipsum peccatum grauius. Vtcunque tamen sit, hic locus debet frequentissimè tractari, & de eo populus admoneri: vt scilicet celeriter agatur pœnitentia: ad quod adducenda sunt, periculum grauiorum peccatorum & cecitatis, imminens his qui in peccato sunt, grauissima Dei ira (Secundum duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram, inquit Paulus) desertio gratiæ: diaboli & inimicorum de perditione nostra sollicitudo: infirmitas propria: repentinæ mortis periculum: de quibus multa in psal. 70. Dixerunt inimici mei, qui custodiebant animam meam: Deus dereliquit eum &c.

peccatum est, necessaria pœnitentia. Eccles. 5. Apoca. 2.

Roman. 2.

Tertia propositio. In speciali tamen ponuntur à grauiori- bus nostris scholasticis, b. Thomas & Bonauen. (quos sequuntur alij) casus, in quibus sub nouo peccato ad pœnitentiam tenemur: qui meritò perspecti esse debent omnibus, qui de salute sua instruunt populum, & ipsi populo frequenter explicandi: quos ordine iam ponemus.

Quibus casibus sub nouo peccato necesse sit pœnitentiam agere.

Primus igitur est in periculo corporalis vitæ. Tunc enim certum est esse articulum necessitatis: nam si tunc non fiat, vlterius fieri non posset: quare præceptum illud affirmatiuum tunc certum est obligare: Addunt alij etiam periculum spirituale imminens: cùm scilicet grauis aliqua persecutio, aut tentatio hæresis, aut alterius lethalis peccati imminet, in quibus speciale Dei auxilium requiritur & gratia eius opus est: quod meritò ita tenendum est: cùm non minor necessitas sit mortis animæ, quàm corporis. Non desunt qui nec in his casibus putant nouum peccatum esse: sed id omittendum est, vt ad rem non pertinens, vt patebit inferius. Tenenda est sententia hæc grauium illorum doctorum auctoritate & sufficiente ratione suffulta.

d. 17. quæst. 1. In periculo vitæ necessaria pœnitentia peccatori.

Secundus casus est, cùm agendum aliquid occurrit quod conscientiam mundam à peccato requirit, vt suprà diximus de administratione sacramentorum. Et hoc quidem requirit actuum

In sacramentorũ administratione.

actuum illorum sanctitas: & peccatum quod tunc committitur contra illa, est rerum sacrarum violatio, scilicet sacrilegium.

An necessaria pœnitentia quoties peccatorũ recordamur.

Tertium nihilominus addunt duo hi patres, cùm peccata (inquiunt) memoriæ occurrunt. Et (dicit b. Bonauent.) cùm cogitat culpam commissam & Dei offensam. Vbi posteriorum omnium laborat diligentior consideratio, timentium ne laquei injiciantur conscientijs, & graue reputantium, si toties nouum committatur peccatum, quoties post aliud commissum occurrit memoria: maximè (addunt nonnulli) cùm præcepta affirmatiua solum in articulo necessitatis obligent. Quare communior istorum sententia est, peccatum quidem esse nouum, si, cùm occurrit memoriæ, præteritum peccatum placeat: quod certissimum est. Si verò nec placeat nec displiceat, inquiunt: nullum nouum peccatum videmus. Non ignorabant has distinctiones illi patres, sed fortè vel ita senserunt, vel (quod certũ est, & manifestè apparet legenti eos) non admodum curârunt, nec putârunt ad rem admodum pertinere: quod & credimus. Sed de hoc quid sentiendum putemus, in fine explicabimus.

Deo puniẽte populũ Christianũ, opus est pœnitẽtia.

Igitur additur & quartus casus, in quo sub noui peccati periculo pœnitendum sit: cùm scilicet Ecclesia & populus Christianus graui aliquo laborat periculo: sub aliquo videlicet iræ Dei flagello. Tunc (inquit Hadrianus, qui specialiter huius meminit) cùm teneantur omnes Dei iram placare, tenentur peccata sua, quibus illa prouocatur, auferre: id quod certum est omnibus, maximè verò maioribus & sanctioris status hominibus fore necessarium. Vnde frequentissimè per prophetas dominus increpat hunc defectum veræ pœnitẽtiæ inter eius flagella. Nõ est (inquit Esaias) non est, qui inuocet nomen tuum: qui cõsurgat & teneat te. Et per Ezechielem: Nõ ascendistis (clamat Deus) ex aduerso, nec opposuistis murũ pro domo Israël, vt staretis in prælio in die domini. Multa sunt huiusmodi in prophetis. Et censendus est etiam hic casus necessitatis, non propriæ, sed communis totius Ecclesiæ. Nec est hic dubitandum, idem etiam necessarium fore in necessitate proximi alicuius, cùm illa se nobis offert, vel ad nos pertinet. Tenemur enim agere ad liberandum à graui periculo proximum, maximè spirituali, vbi orationibus opus est, & diuina gratia: quæ omnia per illum qui in peccato est, fieri satis non possunt: quare debemus ad Deum conari, vt in eius gratiam redeamus. Et his proximum etiam est illud, cùm agendum est aliquid, vbi diuina gratia opus est ad animæ salutem vel propriæ vel alterius: vt si quis ad martyrium

Cap. 64. Ezech. 13.

tium raperetur, aut aggrederetur aliquid ad Ecclesiæ vtilitatem valde pertinens. Sit exemplum huius fortis illa Iudith. Et huc pertinet quoties prædicandum est dei verbum: quoties admonendi peccantes: & huiusmodi alia.

Scotus & Gabriel. An festis ac dominicis diebus necesse sit pœnitere.

Additur vltimò à nonnullis, in diebus dominicis & festiuis teneri etiam sub speciali peccato de commissis pœnitere eum, qui sibi alicuius conscius est. Pluribus non placet hæc sententia, qui putant sanctificationem festi, quæ præcipitur, non ad interiorem sanctitatem & munditiam pertinere, sed ad exteriorem tantùm vacationem ab operibus, cuius illa interior vacatio finis est: Finis verò (inquiunt) non cadit sub præceptum. Facilè est ista dicere, sed solida ratione non inuenimus fundata. Cur illo præcepto diuino de sanctificatione sabbathi non putabimus quod præcipuum est & virtutis, maximè mandatum à Deo? Nec illud admittendum credimus, dierum dominicorum obseruantiam, & festorum aliorum, tantũ esse iuris positiui. Est apostolorum certissima traditio: de qua aliàs. Quanquam etiam si sit posteriorum episcoporum & ecclesiæ præceptum, non est cur ab illo excludamus sanctitatem interiorem. Nũc verò quod adfertur, cõtra illud plausibilius est, quòd noui laquei parentur cõscientijs. Et quoniam hic est vltimus casus, quem de hac speciali obligatione ad pœnitendũ adducimus, & in omnibus ferè objcitur illud idem, dicemus quid sentiendum simul de omnibus. Nam quidam putant nõ esse speciale preceptum pœnitentiæ, de quibus superius diximus, nec in ipso articulo mortis nouum putant esse peccatũ contra illud preceptũ pœnitentiæ, sed forte cõtra alia, vt reuerentiam sacramentorũ &c. Circa hęc igitur omnia, & circa multa quę inferius tractãda sunt, hoc vniuersaliter adnotetur, quæstiones quę hic vel alibi tractantur de vno vel pluribus peccatis, non admodum ad rem pertinere. Constat enim vnum nonnunquam maius esse pluribus, & plura minora vno. Si quis enim semel centũ aureos furetur, quis dubitabit illũ grauius peccasse, vnico licet peccato, quàm qui decies decẽ tantũ sustulit? Sunt etiã de hoc innumera exempla. Constat igitur quod in iudicio, vbi de grauitate peccati agitur vt adhibeatur digna medicina, & cõueniens, prout fieri poterit, satisfactio, parum ad rem pertineat, vnũ an plura sint peccata: sed illud potius cõsiderandum, quis magis obnoxius coram deo sit. Ex hoc igitur circa id de quo agitur putamus parũ, immo nihil ad rem pertinere, an aliud nouum peccatum fit, non pœnitere. Certè quanto diutius in peccato quis hæret, tanto magis obnoxius est

culpæ

culpæ coram deo. Et quanto plura se offerunt, quæ meritò à peccato deterrere debeant, vel admoneant ad illud relinquendum, vel astringant ad quærendam dei gratiam, tanto etiam grauius peccatur: & fortè in his omnibus non minus, quàm si nouum esset peccatum, est prioris aggrauatio. Et propterea superius diximus hoc non admodum ad rem esse, & b. Thomas & Bonauentura parum curasse. Quando occurrit memoriæ quòd deum quis offenderit putârunt illi consonum rectę rationi esse, vt peccati pœniteat. Similiter dici potest, cùm occurrit sanctificandus dies festus. Nam illa tam recepta regula: præcepta affirmatiua non obligare nisi in necessitate, vt aliâs diximus, non de extrema necessitate accipienda est solùm, sed cùm occurrit casus, vbi recta ratio iudicat, vel iudicare debet contra illam virtutem esse, si non fiat eius actus. In hoc verò iudicio magis puto credendum esse sanctioribus & pijs, quàm argutioribus. Iudicârunt b. Thomas & Bonauent. si occurrente peccato, eius non pœniteat, cùm nondum antea pœnituerit, contra virtutem pœnitentiæ esse: cuius est Deum placare.

Quid agẽdũ quando in re morali dissentiunt doctores.

Secundò etiam in vniuersali est annotandum in moralibus istis, cùm diuersæ sententiæ doctorum sunt, aut diuersæ etiam rationes, nõ illam partem tutiorem esse, quę (vt ita dicamus) leuior est, & minorem obligationem conscientijs imponit: nec tamen altera pars, quæ strictior est & ad plura obligat, statim iudicanda est tutior: sed quod maximè consultum videtur, est, vt sine præiudicio & certa definitione illud teneatur ad cautelam & sollicitudinem, quod obesse non potest, & prodesse poterit. Verbi gratia: Disputatur de pluralitate beneficiorum siue in vniuersali siue in particulari: illi putant licitum esse, alij secus: Si licitum velimus credere, & ita viuere, exponemus nos periculo, si fortè contrarium verius sit, si fortè nos legitima caussa non excusat: Si oppositum velimus durius imponere, cauendum ne Dei legem arctiorem reddamus. Ceterum qui dicit cautius esse, abstinere à pluribus beneficijs, neque hoc nocere posse, magis verò prodesse sine certa definitione, rectius consulit conscientijs. Quare putamus in multis huiusmodi cõtrouersijs melius esse relinquere Deo iudicium, & in futurum admonere vt caueantur quæ dubia sunt: & circa præterita, vt sub illo dubio agatur pœnitentia. In his moralibus non tantùm nimia quorundam subtilitas & inquisitio non est probanda tãquam parum vtilis, sed etiam vt periculosior relinquenda. Igitur in hoc, de quo loquimur, proposito, putamus verè pœnitentem

tentem tutius acturum, si diligenter cõsiderans & tempus quod in peccato egit, & occasiones omnes, quibus ad agendam pœnitentiam prouocatus est, vel ex diuinis inspirationibus, vel flagellis, siue externis admonitionibus, aut occurrentibus etiam festiuis diebus, & horum omnium, tanquam peccatum sum non minus coram Deo aggrauantium, quàm si hæc noua peccata essent, veraciter pœniteat, & in iudicio confessionis ita exponat, & in futurum hæc omnia diligentissimè caueat. Hęc itaque omnia intelligenda sunt de illis peccatis dicta, quorum nondum acta est pœnitentia. Ante illam enim actam, cùm in illis semper sit, hoc est, in eorum reatu: tenetur illorum pœnitentiam agere, quoties occurrit specialis ratio ad Dei gratiam conciliandam. Ceterùm semel acta pœnitentia, & propitiato Deo, non eodem modo rursum ad agendam de his pœnitentiam tenemur. Tamen b. Bonauentura & alij, illorum pœnitentum esse cùm memoriæ occurrunt, tenerunt. Et ita id quod Magister dist. 14. ex libro de vera & falsa pœnitentia citat, tota vita agendam esse pœnitentiam, & continuè dolendum, de interiore peccati detestatione & odio intellexerunt, non verò de exteriori pœnitentia, qua nec perpetuò opus est: ita b. Thomas q. 84. 3. p. 8. & 9. articulis: vbi tandem ita perpetuam hanc pœnitentiam exponit, vt nunquam contrarium eius fiat, nunquam placeant peccata, quòd in proposito semper habeatur displicentia peccatorum. Vbi etiam non est omittendum, quàm vanè & stultissimè hæretici clament contra theologos, quòd ad certum tempus contrahant pœnitentiam, quæ totius vitæ esse debet: cùm tam apertè Magister & omnes de hac re loquantur & doceant: quamdiu in vita hac sumus, nunquam non deflendos esse errores, quibus retardati sumus aut impediti. Vnde & in Apocalypsi de sanctis dicitur in patria, quòd Deus absterget lachrymas eorum, vt iam non sit amplius neque luctus neque clamor, quia priora (inquit) abierunt: quasi hic semper esse debeant hæc omnia. Citatur in hanc sententiam Hugo de sancto Victore qui ita inquit: Deum à culpa æterna absoluere peccatorem, vt vinculo perpetuæ detestationis peccati ipsum obliget: qui locus est etiam diligenter tractandus ad populum, maximè propter imperfectionem doloris nostri, qua fit, vt nonnunquam putemus nos satis pœnituisse, cùm non fecerimus: quo etiam illud pertinet Ecclesiastici 5. De propitiato peccato noli esse sine metu.

Quorum peccatorũ & quando necesse sit pœnitere. *Dist. 16. art. 3. q. 2.*

Dist. 17. q. 2. art. 4.

Cap. 21.

Vltimò

Tantũ lethalium & actualium peccatorũ necesse est pœnitere.

Vltimò circa hunc articulum agitur, de quibus peccatis debeat esse pœnitentia siue contritio: de quo d.17. quart. traditur à doctoribus manifestè, & præter contradictionem, lethalium solùm peccatorum & actualium præteritorum necessariam esse pœnitentiam. Ratio in promptu est: quoniam propter auersionem cordis à Deo, quæ fit in peccato, est necessaria, atque illi contraria. Nõ ergo de originali, vel de pœnis illud vel alia peccata consequentibus erit pœnitentia, quanquã displiceant hæc omnia: ita nec de alienis: quia in his nulla est actualis auersio nostra à Deo. Similiter nec de futuris: quia & illa incerta sunt, nec auersum est cor nostrum à Deo. In his ergo non opus est ampliori inquisitione.

Specialiter omniũ & singulorum criminum pœnitentia est necessaria.

Solet verò etiam inquiri, an singulorum in speciali lethalium sit necessarium pœnitentiam agere vt remittantur. De quo duo breuiter notentur. Primum: Necessarium proculdubio esse, vt vera sit pœnitentia, & vt remittantur peccata, vt omnium & singulorum nos pœniteat: quod apertè apud Ezechielem dicitur: Si impius egerit pœnitẽtiam ab omnibus iniquitatibus suis &c. Et hinc fit, vt meritò affirmetur ab omnibus, quòd sicut vnum peccatum sine altero remitti non potest, ita vnum perfectè sine altero non displicere. Probat hoc b. Thomas q. illa 86. 3. p. art. 6. & ratione remissionis ipsius peccati (quæ non sine gratia esse potest) & conuersionis cordis (quæ non nisi ab omnibus est) & denique perfectionis diuinæ misericordiæ, quæ totum hominem saluum facit. Disputatur quidem à nonnullis de Dei absoluta potentia, sed vana est disputatio. De remissione peccati, de qua scriptura loquitur, agendum est theologo, vt suprà diximus: alia omittenda. Integra itaque pœnitentia omnia & singula peccata detestatur: quod si non fecerit, non est pœnitentia.

Quatenus detestanda sint singula peccata.

Secundum est: Quantum ad rationem pœnitentiæ & contritionis attinet, satis est ita detestari quidquid contra Deum commissum est, vt nihil reseruetur quod placeat. Ceterùm nec opus est distinctis actibus de singulis pœnitentiam gerere (cùm hoc nec promoueat pietatem, nec conuersionem cordis augeat, nec aliquid habeat, quod ad rem pertineat) nec etiam opus est, quod attinet ad contritionem, vt in speciali omnia considerata detestetur. De Magdalena dicitur: Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Huic præ ceteris incumbendum est pœnitenti, vt ex vera dilectione Dei detesterur peccata: atq; ita omnia manifestum est detestari: quod exigit auctoritas

illa

illa Ezechielis. Ceterùm propter sacramentum confessionis retractanda sunt singula peccata, vt postea dicemus, & retractãda quidem cum displicentia & dolore: & fortè ante illam foret aliquando necessàriũ etiam singula cogitare, vt cordis integrè contriti sacrificium Deo offeratur: sed perfecta illa pœnitentia & contritio satis est, vt omnium simul collectorum, qua ratione sunt diuinæ charitati contraria, sit. Hæc itaque nobis de necessitate pœnitentiæ sint dicta.

LECTIO DECIMA QVARTA.

De integritate & perfectione pœnitentiæ siue contritionis.

DIXIMVS lectione proxima primum eorum, quę proposueramus, quando scilicet, & sub quo peccato agenda sit pœnitentia: hoc enim pertinet iam ad praxin & exercitium eius. Secundum nunc dicendum est: Quanta esse debeat & qualis, quàm pura atq; perfecta: id quod maximè putamus esse necessarium saluti animarum. Quoniam enim quæ dicta sunt de effectu & virtute pœnitentiæ, non nisi de integra & perfecta intelligi possunt, meritò postulat ratio, vt de hoc iã ferè vltimo in hac materia dicamus: quod ideo hucusque distulimus, quoniam tanquam rem maximè necessariam vltimo loco putauimus esse tractandum. Quoniam igitur cõstat non omnem pœnitentiam sufficientem esse ad remissionem peccati, non omnẽ gratam Deo: vt patet in pœnitentia Saulis & Esau, de quo Paulus inquit, quòd non inuenit locum pœnitentiæ, quanquam cũ lachrymis requisiisset eam: & Antiochi, de quo scriptum est. Orabat sceleſtus Deum, à quo non esset misericordiam consecuturus: meritò quæritur, quid ad integritatem & perfectionẽ pœnitentiæ necessarium sit. Pœnitentiã verò hic dicimus, vt in omnibus suprà dictis, ipsam virtutem siue operationem animę, quæ detestatio siue odium peccati est, secluſa nunc ratione sacramenti. Hanc, vt diximus, vocãt posteriores scholastici con-

Non quælibet pœnitẽtia sufficit ad remissionẽ peccati. 1. Regũ 15. Heb. 12. 2. Macha. 9.

De qua pœnitentia hic futurus sermo.

tritionem: significantes comminutionem rigiditatis animi & duritię cordis: & hoc ipsum est pœnitentia. Itaq; qualis & quanta debeat esse pœnitentia, siue contritio atque dolor, vt ad remissionem peccati sufficiat, vt grata sit Deo: quæritur à doctoribus, & dignum est diligenti inquisitione: vt scilicet quantum fieri potest, hoc agnoscamus, & instruatur de eo omnes, quibus tam necessaria est pœnitentia, vt sine ea saluari nō possint: quales sunt omnes qui post baptismum mortaliter peccant.

Ad perfectā contritionem requiritur & sufficit, vt ex Dei super omnia amore oriatur.

Constituamus ergo in hac materia certissimum hoc fundamentum, quod etiam ex superioribus facilè ostendetur. Ad integram & perfectam pœnitentiam siue contritionem & requiritur & sufficit, vt ex vera Dei charitate & dilectione eius super omnia emanet, ab illa procedat & dirigatur, atque ita ipsam habeat coniunctam. Quod non est difficile ex suprà dictis apertū videre: cùm pœnitentiam cōstet propriè motum quendam esse animi contrarium peccato: peccatum verò lethale, de quo nunc agimus, ideo peccatum est, quia contrarium veræ charitati & dilectioni Dei super omnia: donec igitur in animo sit motus illi contrarius, nondum est plena conuersio, nondum vera remissio: quia nondum recessum est animo à peccato. Id quod ita apertius fiet. Cùm enim actus omnis voluntatis ex amore procedat, sicut odium, & nolitio, siue detestatio mali, quæ non nisi ex amore boni oppositi sunt, meritò inquiritur, ex cuius boni amore odium hoc peccati, contritio, siue pœnitentia progrediatur: nam hoc necesse est omnino ita esse. Si igitur ab alio quàm Dei amore procedit, non ducit ad Deum, sed ad illud bonum, ex cuius amore procedit. Si ex amore quidem Dei, sed non vero & perfecto: nec perfectè & verè Deo coniungit. Si verò ex perfecto: necesse est perfectè nos Deo coniungere. Illud ergo & requiritur & satis est ad veram & perfectam pœnitentiam. Vnde Ioannes: Qui non diligit (inquit) manet in morte. Qui verò (ait) manet in charitate, in Deo manet. Et quod Paulus de omnibus Christianæ vitę operibus dicit, quàm bene huic conuenit: Si tradidero corpus meum ita vt ardeam &c. charitatem autem non habeam, nihil sum. Hinc etiam illud Christi (quod superius expositum est: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Sicut & illud Petri: Charitas operit multitudinem peccatorum. A charitate ergo habet pœnitentia omnem suam integritatem & perfectionem. Ex quo duo sequuntur, in quibus cuncta, quæ in hoc loco tractari possunt, continentur.

1. Ioan. 5.
Ibidem 4.
1. Cor. 13.

Luca 7.
1. Petri 4.

Pri-

Primum. Ad perfectam pœnitentiam requiritur, vt dolor ille peccati, siue odium & detestatio sit propter Deum: hoc est, vt hoc sit præcipuum, quod in peccato displicet, vt odio habeatur, quia contrarium est Deo, quia offensa & iniuria quædam Dei est, quantum ex peccante ipso est. Multis enim modis (vt manifestum est) & rationibus odio haberi potest peccatum, atq; ita ob multos fines: videlicet quòd contra famam siue honorem peccantis, vel contra quodlibet aliud temporale bonum, vitæ scilicet quietis &c. vel quòd contra rectam rationem, vel quòd propter ipsum damnatione æterna efficiatur dignus peccans. Ceterùm quamdiu non detestamur peccatum quia contrarium bonitati diuinæ, reuerentiæ, honori, atque obedientiæ ei debitæ, nondum est vera pœnitentia: quia nondum ibi charitas est. Vnde in Psalmo de filijs Israel ob temporalia tantùm mala pœnitentibus meritò dicitur: Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur &c. Cor autem eorum non erat rectum cum eo. Et quidquid de rectitudine cordis in scriptura dicitur, huc pertinet: sine illa enim nihil Deo gratum aut perfectum esse valet. Et circa hæc quidem de fine contritionis non est opus plura dicere, nisi vt hoc quod certissimum est, sobriè & prudenter doceatur populus. Vti enim alijs considerationibus in detestando peccato, non tantùm reprehendi non debet, sed laudari. Omnia considerandasunt in peccato quę mala sunt, quòd videlicet sit contra rectam rationem, & honestatem, contra honorem & famam, contra æternam denique vitam & felicitatem peccātis, vt suprà (cùm de timore ageremus) dictum est. Sed id conandū, vt his omnibus superemineat consideratio illa, quòd cōtra Dei bonitatem sit &c. Nec si alia priora nonnunquam sensibilius moueant, valde curandum est: Mouent enim nonnunquam quia magis sentiuntur: sed ad perfectum charitatis conandum est volenti verè pœnitere.

Vt aliquē rectè pœnitere oportet vt præcipuè propter Deū peccatum detestetur.

Psalm. 78.

Secundum itaque ex priori illo fundamento necessariò sequitur, de quantitate videlicet doloris huius pœnitentiæ: quod scilicet tantus esse debeat dolor, vt integer sit, quantus amor Dei: atque ideo summus & maximus omnium aliorum dolorum. Sicut enim solus ille verè diligit Deū, qui super omnia diligit, quod est, ex toto corde, ex tota anima &c. ita solus ille detestatur peccata integrè & odio habet, qui super omnia alia mala ea detestatur, quod est, ex toto corde. Vnde & per Moysen dicitur filijs Israël propter peccata in captiuitatē traditis: Cumq; quęsieris dominū Deū tuū, ibi inuenies eū: si tamen toto corde

Vt Deus super omnia diligendus, ita peccatū super omnia mala detestandū in pœnitentia.

Deuter. 4.

quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ. Et huc pertinēt quæ de integro & perfecto corde dicuntur: Memento (inquit Ezechias rex Deo) quòd ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto.

Cùm itaque hæc tam certa sint, vt nulla ratione negari possint, est tamen non parua diuersitas in eorum expositione inter scholasticos nostros: quam etsi putemus nō admodum ad rem pertinere, quia tamen à multis aliter putatur, & ex his quæ circa hæc docentur, timemus non parum periculi, referendæ sunt illorum expositiones, & deinde discutiendæ. Sunt enim de re omnium maximè necessaria infirmitati humanæ: quid scilicet ad veram pœnitentiam & remissionem peccati necessariū sit: & de qua valde expediret Christianos omnes edoctos esse, nō ex opinionibus quorumcunque, sed ex doctrina scripturæ & patrum. Hæ sunt igitur de hac re sententiæ, quantum capere possumus.

Duplex dolor de peccato.

Grauiores doctores nostri post Magistrum, vt Alexander de Hales, d. Thomas, beatus Bonauentura, distinguentes primò duplicem dolorem peccati, alterum voluntatis, appetitus scilicet rationalis, qui dolor odium, detestatio, siue nolitio peccati dici potest: alterum sensitiui appetitus, quem tristitiā dicimus: sequentia docent.

Dolor voluntatis in pœnitentia debet esse summus.

Primum. Dolor voluntatis in pœnitentia summus esse debet, vt scilicet peccatum præ ceteris omnibus malis detestemur, odio habeamus, & nolimus: quoniam (inquiunt) dolor hic respondet amori charitatis, qui principatum & dominium ita habere debet in corde, vt omnia alia quæ amantur, minus amentur quàm Deus, omnisque amor minor sit Dei amore. Quare hunc dolorem dicunt non posse nimium esse siue excedere regulam rationis.

Dolor appetitus sensitiui nō debet necessariò summus esse.

Secundum. Dolorem sensitiuum non oportere summum esse asserunt. Is enim dolor (vt ratio ipsa naturalis ostendit) in omnibus alijs rebus est ex proprio suo obiecto, malo videlicet aliquo exteriori vel interiori sensu perceptibili, vbi hic dolor tanquam in propria sua materia suo proprio motu viget. Ceterum aliquando sequitur non proprium suum obiectum, sed rationis efficaciam & imperium. Naturaliter enim voluntatem efficacem consequuntur etiam affectus sensitiui, vt non possit magnum gaudium in rationis appetitu esse, quin redundet in inferiorem partem: ita nec dolor: Nonnunquā etiam & ratio imponit appetitui sensitiuo, vt dolorem & tristitiā assumat, quod

in pœnitentia & contritione fit. Tota die (inquit psalmus) contristatus ingrediebar. Et huiusmodi multa sunt in scriptura. Cetèrùm quia appetitus sensitiuus circa sua propria obiecta prõptius mouetur, proprio videlicet suo (vt diximus) motu, quàm ad imperium rationis, cui non ad nutum paret, vt satis constat, maximè circa ea quæ sola ratione apprehenduntur: meritò dicunt fieri posse, vt minus sentiatur peccatum, minores excutiat lachrymas eius dolor, quàm vulnus aliquod aut mors amici, & huiusmodi alia: quia nec in potestate nostra est, sensibiliter quãtum volumus dolere, aut lachrymas fundere. Satis igitur sit, vt sensitiuo appetitu etiam non dolente propter peccatum, quod fortè magis illi placet, volũtas detestetur & odiat atque fugiat: & id satis esse debet, vt exemplo febricitantis infirmi facile agnosci possit: cui si proponantur duo hinc frigidissima quã appetit aqua, & dicatur quod sit ei lethifera: inde amarissima quam horret potio, quam tamen credat salutiferã: istã sumet præ altera, etiam repugnante omni appetitu. Itaque sunt duo ista quàm distinctissimè tradenda atque docenda, ne sensum cum ratione confundamus, & in desperationem trahãtur multi durioris cõplexionis & sensus, aut decipiantur alij facilitate naturæ proniores in lachrymas: quanquam non sit dubitandum non diu in ratione posse odium esse, quin in appetitu sequatur passio: quare defectus eius etiam timendus est ei, qui veram & non simulatam cupit agere pœnitentiam: iuxta quod ex illo lib. de pœnitentia citatur: satis durus est, cuius mentem dolorem oculi carnis nequeunt declarare, Nec dubium quin inter magna Dei dona lachrymarum abundantia sit computanda, de qua illud: Fuerunt mihi lachrymæ meę pane die ac nocte &c. Lauabo per singulas noctes &c. Et, cibabis nos pane lachrymarum.

Tertium denique dicunt specialius tractantes, an verè pœnitens debeat malle quamcunque pœnam (etiam infernum, vel non esse) incurrere, quàm peccare? Stultissimum est has tentationes inferre pœnitentibus, aut de his interrogare. Quanquã cùm ipsi in hæc prorumpunt, signum est perfectę contritionis, & confirmandi sunt. Ceterum nulli bene considerãti dubium est (quanquam aliqui disputent contrariũ) in vera pœnitentia includi odium peccati supra omnem pœnam, separatam ab ea culpa, & supra ipsum non esse, plus displicet peccatum verè pœnitenti quia offensa Dei, quàm ipse æternus ignis inferni, vel non esse: sicut charitas plus amat Deum, quàm seipsum, suum videlicet esse, & immunitatem à malo. Hæc quidem ab illis, *Durandus.*

quos primos inter scholasticos computauimus.

Sequuntur aliorũ tres sententiæ de pœnitentiæ dolore.

Iuxta hoc posteriores multi, vt Hadrianus, Richardus, & alij asserunt, intentissimè & magno conatu pœnitendum esse, neq; quemcunque gradum doloris sufficere, de rationis dolore sentientes. Et ita intelligũt illud: Conuertimini ad me in toto corde vestro &c. Hoc videlicet intelligentes: dolorem hunc fortiorem, atque ideo intensiorem debere esse dolore atque odio cuiuscunque alterius rei: sicut amorem charitatis firmiorẽ, & ideo intensiorem oportet esse omni alio amore: vt videlicet dominetur in animo, vt inquit beatus Bonauentura.

Sunt verò alij Scotum (vt dicunt) sequentes, qui putantes se multum consulere infirmis conscientijs, asserunt sufficere ad pœnitentiam dolorem peccati non summè intensum, nec summo conatu elicitum, nec aliquo certo gradu, sed quantumuis exiguus sit ille dolor, minimus inquam aliorum affectuum voluntatis: vt si intensius odio habeamus infamiam aut paupertatem, quàm peccatum: aut bona illis contraria, scilicet bonam famã & diuitias magis amemus, quàm odimus peccatum, modò sit efficax, sufficit (inquiunt) ad remissionem peccati. Id quod probant primò, quia nusquam in scriptura ad certum gradũ doloris vel dilectionis astringimur: sed dicitur: conuertimini, & conuertar. Si quis diligit me, diligetur à patre meo &c. Quare ergo (inquiunt) hoc est asserendum? Deinde, quia ad recedendum à Deo & peccandum nullus conatus requiritur, neque ad cõuertendum nos in Deum. Quare enim (inquiunt) Deus promior erit ad nos reijciendum, quàm ad suscipiendum? Ita de dolore, sicut de charitate Dei dicunt sentiendum. Quod verò dicitur, Deum super omnia diligendũ, non intelligunt isti intensiuè quòd scilicet fortiori & intensiori actu vel habitu diligatur, sed tantùm appræciatiuè (vt dicunt) vel prælatiuè: vt scilicet Deum omnibus alijs præferamus, & pluris ipsum appretiemur, quamuis (inquiunt) tepidissimo actu: quod ita putant fieri, si apprehendamus per intellectum Deum, ipsumq; cogitemus summum & maximum bonum, & volũtas huic apprehensioni cõsonans tendat in Deum vt in summum bonum, quantumuis tepidè & remissè: ita similiter de contritione, cogitet homo peccatum summum malum esse, ita id intelligat & credat: voluntas tendat in peccatum huic consentiens rationis sensui, atque ita consummata est contritio, quantumuis remissè hæc fiant.

Sunt & nonnulli, quorum primus Caietan. qui addunt etiam, posse certum esse hominem pœnitentem de perfectione ista

pœ-

pœnitentiæ suæ: quòd scilicet amet Deum super omnia, & peccatum detestetur super omnia: quia hoc est omnino in potestate nostra. Hoc est, quod si volumus, facimus: vt sicut (inquiunt) peccans nouit se vel pecuniam, vel delectationem plus amare quàm Deum, ita pœnitens nouit se contrarium facere. His itaque sententijs plana & facillima videtur effici pœnitentia, imò & certa: quarum examinationem in sequentem lectionem differimus.

LECTIO DECIMA QVINTA.

De eadem re.

VIDIMVS quemadmodũ & antiquiores scholastici, & posteriores putent intelligendam quantitatem & magnitudinem pœnitentiæ: inter quos (vt patuit) est non parua diuersitas, quàm possumus ad tres sententias reducere: duas extremas, & reliquam mediam. Nã altera est requirentium dolorem summum, hoc est, summo conatu & totis viribus productum. Quam videtur Hadrian. asserere: quanquã nescio an ille interrogatus: sua verba ita vellet accipi: sed vtcunque sit, ita asserit, & posset asseri ab alijs innitentibus illis locis scripturę: Conuertimini ad me in toto corde vestro: Diliges Dominũ deum tuum ex toto corde &c. & similibus. Altera porrò extrema sententia est, nullũ certũ gradum intẽsionis in dolore voluntatis requiri, nec in seipso quidem, nec in ordine ad alios dolores: ita scilicet, vt siue intẽsius de peccatis doleat q̃ de alijs malis, siue minus intẽsè, id sufficiat: sicut in charitate. Hæc est posteriorum illorũ, quos diximus Scotũ sequi, sententia. Tertia, media antiquorũ illorũ de volũtatis dolore, est, quòd etsi nõ requiratur summus, hoc est, totis viribus & conatu productus & elicitus, nec certi aut determinati alicuius gradus, tamen requiritur vt maior sit omni alio dolore, qui est in pœnitente, ita vt plus de peccato doleat, q̃ de aliquo alio malo, quod ei euenire posset. B. Bonauentura ita inquit requiri, vt dominetur ceteris doloribus, sicut charitas cẽteris amoribus: & b. Tho. vt excedat alios dolores. Tres igitur

De pœnitẽtiæ dolore tres sententiæ.

istæ sententiæ nunc examinandæ sunt, non vt quenquam reprehendamus, sed (vt quantum fieri potest) rem tam necessariam elucidemus, vel saltem pro tenuitate nostra, quid sanius & tutius doceri debeat, habeamus.

In pœnitentia nõ requiri extremũ omniũ virium conatum.

Prior igitur illa sententia, si tamen alicuius est: requiri scilicet totum conatum & omnes vires, manifestè nimia est, & impossibile quiddã imponens homini, saltem pro huius vitæ infirmitate. Id probatur: quia in hac vita omnes vires nostras extendere in diligendum Deum impossibile est, vbi sine peccato esse nõ possumus, & sine aliqua inordinata cõcupiscentia: quare proficere & renouari de die in diem iubemur: Quæ quidem retro sunt obliuiscẽs, inquit Paulus, ad ea quæ antè sunt me extendens, non me arbitror comprehendisse. Et quicunque perfecti sumus, hoc sentiamus. Quare illo præcepto: Diliges Dominum Deum tuũ, perfectionem patriæ intelligit Augustinus lib. de perfectione iustitiæ, nobis præcipi, vt sciamus quo tendendum sit, vbi scilicet illud impleri potest. Ita igitur de dolore peccati. Quòd si quis dicat illud intelligendum esse de summo conatu & viribus, non qui in hac vita haberi potest: nam hunc certum est non posse tantum esse, quin possit adhuc maior inueniri: nam in eo semper proficiendum est: sed de summo qui in hac vita habetur ab his, qui omnibus renuntiant non necessarijs affectibus & rebus, vt vni dilectioni & pœnitentiæ vacent. Notum est nec id necessarium esse. Nec enim ab omni pœnitente requiritur, vt omnibus ita renuntiet: multo verò minus vt non renuntians illis tanto conatu amet & doleat. Deniq; nec vlla alia ratione intelligi potest illa sententia esse vera: id quod satis probat diuersitas gradus charitatis & pœnitentiæ. Et charitas incipiens, est proficiens, est perfecta: & quælibet vera charitas: ex qua sufficit vt pœnitentia procedat. Est in his gradibus magna latitudo, ita vt beato Gregorio teste, Benedictus inceperit ab altiori gradu, quàm ad quem multi proficientium & perfectorum perueniant. Itaque nullus certus gradus est exigendus nullus certus conatus inter eos, qui ad charitatem sufficiant: & in hac parte consentiendum est illi secundæ sententiæ: minimus gradus charitatis sufficit, modo charitatis sit.

Ceterùm quod secunda illa sententia tenet, sufficere videlicet pœnitentiã minus intensam, & ex minori conatu quàm sit dolor aliarum rerum: & simul illa distinctio quã de charitate & pœnitẽtia docet: quòd scilicet magis amemus, vel odio habeamus vnam rem altera appræciatiuè, vel prælatiuè (vt dicunt) sed non

non intensiuè (vt apertè dicamus) neque consonat scripturæ & patribus, neque rationi ipsi conuenit, nec vtilis est animabus, imò magis periculosa, quæ omnia sunt nunc breuiter probanda.

Primũ igitur, scriptura sacra de dilectione quidem Dei apertè docet, Deum plus cæteris diligendum. Qui amat patrem & matrem plus quàm me, non est me dignus &c. Et rursum: Qui non odit patrem suum & matrem &c. non potest meus esse discipulus. Quid aliud est, odit, quam, comparatione mei minus amat, & cùm postulat amor meus, odit? B. Augustin. & lib. 1. de doctrina Christian. & lib. de moribus Ecclesiæ, de charitate loquens, manifestè eodem modo docet Deum plus ceteris diligẽdum. Vnde & in priori loco ad ordinatam dilectionem inquit pertinere, vt non amplius vel æquè diligat, quod minus est diligendum: vel ècontrario minus diligat, quod magis est diligendum: & multa in hanc sententiam. Secundo etiam loco: non diligere (inquit) Deum, nihil aliud est, quàm quidquam in diligendo ei præponere. Quo loco verba illa Pauli ad Roman. 8. Quis separabit nos à charitate Dei &c. certus sum, quia nec mors, nec vita &c. ad fortitudinem charitatis diuinæ ostendit pertinere: vbi inquit: Summum bonum non modò diligendum esse nemo ambigit, sed ita diligendum, vt nihil amplius diligamus. Itaque cùm scriptura sacra his verbis vtatur: plus diligendus Deus &c. quare non ita intelligendum est, sicut in alijs rebus, cùm dicimus hoc plus alio diligi, aut aliquem rem quampiam plus alia diligere? quibus nihil aliud significatur, quàm maior perfectio amoris, quæ in eius intensione sita est.

Deus intensiuè magis diligendus quauis alia re. Math. 10. Lucæ 14. Cap. 27. Cap. 11.

De pœnitentia similiter & prophetarum verba, & scripturæ exempla exhortãtur nos ad conatum quendam magnum: Dole (inquit Michæas propheta) & fatage filia Sion quasi partu-riẽs, haud dubiè sub typo illo pœnitentem alloquens. Esaias de afflictione ex peccatis proueniente maximè loquens: Rugiemus (inquit) quasi vrsi omnes nos, & quasi columbæ meditantes gememus. Ezechiel loco superius citato cùm de pœnitente agit, Considerans (inquit) & auertens se ab omnibus iniquitatibus suis, vita viuet. Et Hieremias etiam pœnitenti sub figura Ierusalem loquens: Pone tibi amaritudines (inquit) & dirige cor tuum in viam rectam. Quibus omnibus verbis quid aliud significatur, quàm conatus quidam, & attentio animę pœnitentis, & grauitas ipsa doloris? Iam si eos qui nobis in exemplum pœnitentię in scriptura proposiți sunt, cõsideremus, quid

In pœnitentia opus esse magno conatu & dolore ostẽditur ex scripturis. Michææ 4. Esaiæ 59. Cap. 18. Cap. 31.

aliud inueniemus, quàm intẽsissimos & acerbissimos dolores? In Dauid innumera sunt verba: Rugiebã à gemitu cordis mei. Lauabo per singulas noctes lectum meum. Niniuitæ clamãt ad dominum in fortitudine. Ezechias reputat omnes annos in amaritudine animę suę. Denique & verba & opera de hac re innumera sunt in scriptura. Quomodo ergo his conuenit docere, nullo conatu, nullis viribus opus esse? Quòd igitur dicunt non reperiri in scriptura præceptum de intensione aliqua vel conatu, certè non putamus dici posse sine errore. Quid significat, Conuertimini ad me in toto corde vestro? Non itaque omni diligenti, omni inuocanti Deum, omni se conuertenti ad ipsum, sed eis qui ex corde perfecto hæc agunt, promittitur gratia & exauditio &c. Nec aliud sentiri potest sine magno errore. Prope est (inquit psalmus) dominus inuocãtibus eum: & statim: omnibus inuocantibus eum in veritate. Nec aliud quod afferunt, multum iuuat: quod scilicet quocunque conatu à Deo receditur. Primò, quia cùm malum ex singulis constet defectibus, non mirum si facilius fiat. Facilius caditur quàm resurgitur. Secundò, quia in omni peccato non est dubium creaturam Deo vel præponi vel æquari. Hæc quidem de locis scripturæ, quæ postea etiam apertiora erunt.

Rationib⁹ ostenditur intensionẽ amoris Dei & odij pec cati requiri in pœnitentia.

Nunc quàm sint hæc consona rationi videndum. Et quanquam his non sit opus multum implicari, tamen si consideremus naturã amoris atque doloris, quæ accidentia quędam sunt, & actus siue habitus animæ, inueniemus apertè non alia ratione vnum plus alio diligi, aut de vno plus quàm de altero doleri, nisi secundum intensionem ipsius affectus. Nam primò formæ accidentales quæ intenduntur & remittuntur, non alia ratione perfectiores vel maiores dicuntur aliæ alijs, nisi quia fortiores, & quòd illas quibus sunt fortiores, vel sua cõtraria vincere possint & expellere melius alijs imperfectioribus: vt frigiditas aquę calorem ignis, vel è cõtrario. Ita igitur vel amor vel dolor ideo maior est altero, quòd ipsum superare & vincere possit quòd nõ alia ratione fit, quã quia & subiecto fortius inhęret, & in seipso perfectior est. Loquamur de charitate Dei vt de igne, vt scriptura loquitur: alij amores sunt velut aqua, quæ contraria est igni. Opus est ergo vt illa fortior sit ceteris, quod non nisi intensione fit. Et b. Tho. explicans quomodo vna res plus alia diligi possit, duos tantùm inuenit modos, scilicet ex parte boni quod volumus amato, & sic Deus quædã plus alijs amat: alio modo ex parte intẽsionis ipsius amoris: ita ille inquit

art.

art.3.q.20.1.partis. Et hoc vltimum docet simpliciter efficere, vt aliquid magis diligatur, cùm de dilectione naturali Dei in angelis loquitur. Et deniq; in propria materia, quid sit alio magis diligendum charitatis amore, q.26.2.2. hoc tractans, primò eos arguit, qui omnes proximos æquali affectu diligendos dicunt. Ad illos (inquiens) opus est, vt intensiorem affectum habeamus, quibus magis conuenit esse benefícos. Et iterum ibidem diuersas species dilectionis ponens, secundum diuersa bona quæ volumus his quos amamus. Sed intẽsio (ait) dilectionis est attendenda per comparationem ad amantem: & secundum hoc propinquiores intensiori affectu diligimus. Vides itaque illum ignorare aliam rationem plus diligendi, quàm secundum intensionem. Et certè etiam si fingendi detur facultas, nõ aliud est aliquid plus altero amare, quàm paratum esse prius ab alterius amore recedere, quàm illius: quod non nisi secundum maiorem amoris intensionem fit. Denique si specialius de charitate dicendum est, scriptura & patres exhortantur nos ad profectum & augmentum eius. Veritatem (inquit Paulus) facientes in charitate, crescamus in illo qui est caput nostrum Christus. Philippensibus scribit: Et hoc oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet. Hic verò profectus secundum feruentiores & intensiores actus fit: qui videlicet fiunt maiori conatu & viribus. Notum igitur est & nos pariter admoneri, ad Deum maiori semper conatu & maioribus viribus amandum: & in hoc cõstitutus est profectus charitatis. Ex quo sequitur, quòd prima eius perfectio & integritas suæ speciei etiam ex conatu & viribus voluntatis emanet. Nam ita in omnibus formis intensibilibus & remissibilibus videmus. Quod enim eas producit primò, hoc ipsummet auget atque intendit eadem. Sed de his rationibus satis. Distinctio illa appræciationis ab intensione noua est, nihil aliud habens quàm nomina: nisi quòd interim illa persuasione ingeneratur hominibus securitas quædam & tepiditas, quod valde timendum est.

q.60.1.partis art.5. *art.6.* *art 7.* *Ephes. 4.* *Philip. 1.*

De tertio iam dicamus, quid videlicet vtilitatis habeat, remittere intentionem animi & affectum pœnitentiæ: quod certè maximè fit, cùm docetur nulla intensione & nullo conatu opus esse. Satis enim ex nobis & infirmitate nostra proni sumus ad fugiendum laborem & conatum, maximè voluntatis, & præcipuè circa diuina. Nam corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Et verè de pœnitentibus dictum est: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Violentia quadam opus

Periculosa est sententia eorum qui pœnitendi rationẽ faciliorẽ docent. *Math. 11.*

opus est sibijpsi illata, vt ad diuina feramur, maximè post deiectionem peccati. Itaque stimulis opus est, atque vtinam multis id fiat, vt ad perfectum perueniamus. Denique quid aliud hac persuasione fit, quàm vt in diuinis rebus, & in his quæ Deo offerenda sunt, putemus tepidè, sine omni cura vel animi attentione satis fieri: contra illud Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter, siue (vt alij legunt) negligenter: quod sub typo sacrificij animalium ab altero propheta pulchrè arguitur. Maledictus (inquit) dolosus, qui habens in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile domino. Nonne huic maledictioni proximum est ita docere, quacunque debilitate offeratur Deo vel charitas vel pœnitentia, satis est? Quid est affectu tendere in Deum vel summè dignum amari (quod ipsi necessarium dicunt ad charitatem) nisi summo affectu comparatione omnium aliorum, quæ in nobis sunt illum diligere? Vel quid proderit ita eum considerare, si tepidè & remissius, quàm alia quę amamus, illum amemus? Quod verò videntur faciliorem viam pœnitendi aperire, parum iuuat: aperiunt dubiam & periculosam, nec consentientem doctrinæ patrum.

Hiere. 48.

Malach. 1.

His igitur duabus, tanquam extremis reiectis sentētijs, prior illa, quæ media est, manet. Non certū aliquem gradum amandi vel pœnitēdi prę scripsit Deus, sed hoc voluit, vt magis ametur ipse, & magis pœniteat nos peccati, quàm aliorum omnium malorum. De qua tamen sententia, si qua restant ad maiorem eius explicationem, in sequentem lectionem differamus.

LECTIO DECIMA SEXTA.

De *eodem Argumento.*

CVM ea proxima lectione satis constet mediā illam sententiam sanam esse & tutam conscientijs, rationi & scripturæ consonam, illa est proculdubio tenenda atq; diligenter docenda. Itaque nō putauimus alienum ab hoc nostro instituto, de his nonnulla addere suprà dictis, vt (si fieri potest) apertior fiat, & iux-

iuxta eam habeatur quid potissimum docendus sit populus. Ordine igitur notentur sequentia, de hoc veræ pœnitentiæ opere tam necessario.

Primum. Integer & verus dolor pœnitentiæ, sicut verus Dei amor, opus est vt excedat in Dei oculis omnem alium affectum voluntatis, ita scilicet, vt & animã excitet ad conuenientia opera charitatis & pœnitentiæ, & eam aduersus contraria omnia aut aliena sic præmuniat, vt secundum præsentem voluntatis statũ quidquid boni, aut mali occurrerit, id minus quàm deus ametur, minus quàm peccatum odio habeatur: ita vt potius quoduis malum incurrere malit quàm peccatum, & quodlibet bono priuari quàm Deo. Duo hic asserimus necessaria ad veritatem pœnitentiæ, sicut & charitatis. Est enim vtriusque eadem ratio. Primum, vt non otiosa sit, sed in opera conuenientia prorumpat: qui est omnium primus & certissimus veræ pœnitentiæ effectus, sicut & charitatis, de qua primò inquit Paulus: Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Et de se inquit: Charitas Christi vrget nos. Et in Euangelio Dominus: Si quis diligit me, inquit, mãdata mea seruabit, siue sermonem meum. In quem locum b. Gregor. sanctissimè inquit de charitate quòd operatur magna si est: si autem operari renuit, nec est. Quòd si hoc ex se charitas habet, etiam cùm nulla alia ratio occurrit: quantò magis id habet, cùm inciderit peccatum pro quo satisfaciendum est, quod delendum, & de quo sumere contendit vera charitas, vt fieri potest, vindictam? Propter hanc enim sollicitudinem & feruorem quem pœnitentia habet, dixit in Euangelio Dominus, maius gaudium esse in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanouem iustis. Vt etiam b. Gregor. ibi exponit. Hoc itaque de pœnitentiæ operatione sit dictum.

Quàm intẽ sum oportet esse dolorem pœnitentiæ & Dei amorẽ.

Vera pœnitentia eã charitas nõ est otiosa, sed necessæ rio fructus profert.

1. Cor. 13.
2. Cor. 5.
Ioan. 14.
Luc. 15.

Secundum porrò dicimus de excessu illius ad omnes alios affectus. Opus enim est vt omnes excedat, vt satis probatum est. Igitur vt excessum hunc explicaremus, diximus eum sic volun tatem disponere, vt quidquid boni vel mali occurrerit, minoris fiat à nobis: ita vt potius recedatur à quouis bono, quàm à Deo: & incuratur quoduis malum, quàm peccatum. Vbi etiam hunc excessum non potuimus aliter explicare planè, quàm per ordinem ad actum & opus: vt scilicet & charitatis & pœnitentia affectus fortiores sint & efficaciores ad opus, quàm alij omnes. Itaque quanquam in voluntate ipsa sit excessus ille, tamen non nisi in opere satis ostenditur: vt sicut Gregorius in locum illũ

Quomodo animi pœnitentia & Dei amor debent omnes alios affectus voluntatis excedere.

Ioan-

Ioannis dicit de dilectione Dei, ita nos dicere posſimus de pœnitentia etiam: non tantùm videlicet mentem ſed linguam & manum adhibenda eſſe in teſtimonium. Quod igitur opus ſit vt excedat alios affectus, ita apertiſsimè fit notum. Si quem ita pœniteret peccati, vt tamen actu & explicitè cogitaret & ſtatueret ſecum, minus ſibi diſplicere peccatum quàm aliud aliquod malum: minus illud velle cauere quàm infamiam, aut paupertatem, aut mortem: notum eſt hunc non integrè pœnituiſſe. Ex hac igitur aperta imperfectione aſcendamus ad occultiorẽ aliam, cùm conſtet nonnunquàm aliquid occultè & implicitè amari plus vel minus alio, quàuis nõ apertè de altero vel vtroq; cogitetur. Amat enim implicitè finem & terminum, qui media tenet & viam: & illũ magis amat quàm hæc ipſe etiam ſi minus de illo cogitet quàm de his. Imò etiã ſi nihil inter media & viã cogitet, non tamen dubiũ eſt viam & media, non niſi vt perueniatur in finem, amari. Finis itaque in eis amatur, ſimiliter amãtur effectus, & ea quæ neceſſariò coniuncta ſunt ei, quod explicitè amatur, etiã ſi non cogitentur. Nec iſte amandi modus minus voluntarius eſt aut minus ad bonum vel malũ imputatur, quàm explicitus ille & manifeſtus. Cùm igitur, ſi manifeſtè & explicitè aliquid Deo vel peccato præponatur, ſit imperfecta pœnitentia: nõ minus erit imperfecta, ſi implicitè. Et quod diximus, ſi præponatur: dicendum eſt etiã, ſi æquetur, idq; implicitè vel explicitè, vt ex ſuperiori lectione patet. Nõ ſolùm enim nihil magis Deo diligendum eſt, ſed nec eſt æquè. Patet igitur, quod prius aſſeruimus, exceſſum illum requiri. Et quidem ſi quid poſt priora illa de hac re apertius dici poteſt, iſtud eſt: vt verbo illo Ioannis veritatem pœnitentiæ cõcludamus, quo ille concluſit veritatem charitatis. Non diligamus (inquit) verbo nec lingua, ſed opere & veritate. Ita ergo dicamus: Nõ pœniteat nos verbo nec lingua. Vbi aduerte duo poſita eſſe quę diximus. Primum, opus: in quod videlicet charitas & pœnitentia prorumpunt. Secundum, veritas: quę ad ipſa interiora cordis pertinet: vt videlicet erga Deum & peccatum, vt illa digna ſunt, ſe habeat cor noſtrum. Vnde ſtatim b. Ioannes ibi dixit: In hoc cognoſcimus quoniam ex veritate ſumus, ſi in conſpectu eius ſuadebimus corda noſtra, quod eſt, probauerimus, & in oculis eius oſtenderimus pura. Addidimus tamen, hunc exceſſum ſecundum præſentem voluntatis ſtatũ conſiderandum: quod attentius eſt aduertendum. Duo enim dicimus: requiri videlicet vt exceſſus ſit ſecundum præſentem ſtatum, non verò ſecundũ alium

Explicitè & implicitè ſuper omnia amãdus Deus, & de teſtandum peccatum.

1. Ioan. 3.

Exceſſus pœnitentiæ & charitatis ex præ-

alium qui sequi posit. Diximus etiam, secundum præsentem statum voluntatis, non verò vel naturæ, vt habitus acquisiti, vel alterius alicuius rei, sed voluntatis tantùm. Quæ dicimus, ne si incautè ista proposita fuerint, duriora fiant. Quare sunt hæc duo aduertenda. Primò, quòd cùm sancti etiam orent quotidie vt non inducantur in tentationem, non dubitãt illi, nec vlli alij de se, talem esse infirmitatem suã (quam tamen solus Deus nouit) vt possit aliqua tentatio eos deijcere à charitate, cùm tamen reuera in illa sint. Sicuti Petrus, cùm ei diceretur: Ter me negabis, & omnes alij Apostoli similiter cùm audirent: Scandalũ patiemini in me &c. Et reuera docet nos certa fides, non nisi nouo gratię Dei auxilio vllam tentationem nos posse vincere, aut vllum bonum opus efficere, etiã cùm veram charitatẽ iã Deus diffudit in cordibus nostris. Non itaque ad verã charitatẽ, atq; ita ad pœnitentiã, tanta necessaria est constantia, vt nihil possit mutare volũtatem, nihil deijcere: sed vt talis sit præsens affectus eius. Et hoc ipsum quod iam dicimus, probat & cõfirmat necessitatem illius excessus necessarij in affectu voluntatis. Constat enim quòd cùm superueniente tentatione aliquid prælatum fuerit Deo vel peccato, recessum est à charitate: vel etiam si æquatum fuerit: igitur & quotiescunque hoc fuerit in affectu, recessum est ab ea. Quod verò diximus præsentem voluntatis statum considerandum, sic est accipiendum, vt quidquid non est in potestate voluntatis contrarium huic affectui pœnitentiæ vel charitatis (vt sunt alij habitus fortissimi & intentissimi amoris creaturarum, ex præcedentibus videlicet peccatorum actibus generati) non impediat quò minus affectus ille maior sit, etiam si intensiores sint illi habitus & fortiores, quàm ipsa charitas cùm primum in Deum conuertimur. Satis est, si illa contraria omnia verè displiceant, & non mendaciter omnia, quæ prius amauit pœnitens, postponat Deo. Hæc de primo dicta sint.

senti volun tatis statu metiendus est.

Statuamus iam hoc secundum documentum: quòd hęc amoris & doloris magnitudo, atque præparatio animæ secundum eam: etsi in voluntatis nostræ potestate sita sit, non tamen ipsam magnitudinem affectus nostri cognoscere vel naturali ratione, vel fide (præter specialem Dei reuelationem) possumus. Quod præcipuè propter Caietanum dicimus, & ad auferendã noxiam securitatem. Non erit difficilè hoc ex doctrina scripturæ & patrum probare. Tria igitur dicimus.

Primum. In potestate voluntatis nostrę esse velle ipsum, siue amo-

Velle & amor, eiusque quãtitas sunt in potestate voluntatis. Cap. 3. & 1. retract. cap. 9.

amorem & quantitatem eius, vt scilicet amet quod vult, & quan tũ vult, & præ illis, præ quibus vult. Hoc maximè b. Augustin. probat 3. lib. de libero arbitrio. Non enim (inquit ille) possum aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quòd cùm volumus, facimus. Quapropter nihil tam in potestate nostra, quàm ipsa volũtas est. Ea enim prorsus nullo interuallo mox vt volumus, præsto est. Itaque nihil magis est in potestate nostra, quàm velle. Certè si volumus, iam ipsum velle adest. Non tamen si volumus diuites aut sani esse, voluntati adsunt diuitiæ aut sanitas. Hec est b. Augustini manifestissima sententia multis locis. Nec tamen ideo sine Dei gratia id posse voluntatem putandum est. Nam cùm velle in potestate voluntatis esse aliud non sit, quàm quod si vult, adest ei: vt tamen vult bonum, necesse est vt præ-

Velle bonũ in nostra est potestate, ac non sine dei gratia.

paretur & præueniatur à Deo. Itaque si volumus credere, credimus: si amare, amamus &c. sed hæc non sine Dei gratia fiunt. Hæc est b. August. (digna certè illo auctore) resolutio in hac materia, vt patet in pluribus locis retractationum. Vide cap. 22. 1. libri & sequent. Et hæc sufficere debent ad primũ illud probandum, vt nunc interim alia omittamus: quòd scilicet præcipitur nobis à Deo sub comminationibus & præmijs hic amor & dolor: quod frustra fieret, nisi esset in potestate nostra. De his ita obiter dictum sit, quoniam alterius negotij sunt. Interim tamen fuit hoc concedendum & intelligendum, vbi Caietano concedimus, esse in potestate nostra præ alijs omnibus Deum amare, vel de peccato dolere: verùm negamus illi apertissimè, id in nobis sine diuina gratia esse posse: cuius contrarium ille asserit, minus in hac re considerans gratię necessitatem, & scripturæ atque conciliorum antiquorum sensum.

Magnitudo amoris vel doloris nostri non est nobis certò cognita.

Secundum quod ibi asserimus, est: Magnitudinem, quantitatem, atque mensuram affectuum voluntatis nostræ nõ posse ab intellectu nostro vel naturali, vel fidei communi lumine lumine cognosci. Quod contra Caietanum dicitur, & contra nouatores omnes, asserentes nos de salute nostra fide certos esse posse: quamuis Caietanus id non credat. Neque nunc est contra hos disputandum, quod aliàs fecimus: sed id tantùm nunc probandum, nos non posse liquidò perspectam habere & euidentem quantitatẽ & mensurã affectuum nostrorũ. Ad quod confirmandum posset. certè experientia sufficere, nisi cæcutire velimus: sed interim sufficiant apertissimæ auctoritates scripturę. Prauum est cor hominis & inscrutabile (inquit Hieremias) & quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probãs re-

Cap. 17.

nes,

nes. In Apocalypsi similiter clamat. Scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes & corda. Et de filijs Isai loquens, inquit Samuel: Homines vident ea quæ patent, Dominus intuetur cor: apertè docens proprium Dei esse intueri cor. Itaque quod Paulus inquit: Quæ sunt hominis nemo nouit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, non putemus propterea Paulum fecisse hominem certum de omnibus, quæ in ipso sunt, præcipuè in voluntate. Nam post pauca clamat: Nec meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Dominus est. Et certè non aliunde esse poterat, vt se iustificatum nõ certò statueret, quàm quòd nec de suo affectu & vera Dei dilectione super omnia certus erat. Alioqui non esset dubius de iustificatione. Et propterea vniuersaliter statim infert: Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Simus igitur omnes contenti Pauli consilio. Quod attinet ad affectus nostros, in tenebris nos agere agnoscamus: atque ideo etiam quod attinet ad ipsam nostram salutem. Doceat Lutherus quod vult: clament Lutherani certa fide credendum, remissa esse peccata: ex quo sequitur certa fide credendum, nos veraciter, purè, & super omnia deum amare. Certè prætergrediuntur terminos, quos posuerunt patres. De nobis ipsis vult Paulus nos dubios esse: de nostra præparatione, non de Dei gratia si nostra præparatio adsit: dicente illo: Si impius egerit pœnitentiam, non recordabor &c. Ita & Salomon: Nemo scit vtrum odio vel amore dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta. Iob etiam: Si simplex fuero, hoc ipsum ignorat anima mea. In quem locum b. Greg. Sæpe (inquit) se fidelem sibi nec ipsa cogitatio exhibet: quia aliud ante oculos mentis versat, ad aliud intentione festinat. Vnde ibidem illud Abacuck: Dedit abyssus vocem suam, exponit de humano corde. Non est opus plura referre. Scriptura hoc negãs, & lumen fidei, & rationis naturalis excludit. Euidenter itaque pondus affectuũ nostrorum soli Deo est cognitum. Spirituum ponderator est Dominus, inquit Sapiens. Ceterùm coniecturis & signis (citra tamen definitionem) inuestiganda est nobis hęc obscuritas, & dirigẽda. Clamemus itaq; cum propheta: Proba me Deus, & scito cor meũ, & vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna: scientes & hic maxima Dei gratia opus esse: de quo plura inferius. Iam tertiũ quod ibi proposuimus facilè cõstat ex his sequi:

I. Regũ 16.

I. Cor. 2.

I. Cor. 4.

Eccles. 9.

9. Moral.

Prouer. 16.

quòd scilicet duo hæc simul consistant, esse in potestate voluntatis amare quãtum volumus, nõ tamen propterea amoris quãtitatem subiacere cognitioni intellectus. Est enim abyssus &c. Experiatur quilibet apud se, quoties quæ minus se amare putabat, oblata occasione deprehẽdit se multo magis amasse. Quòd si in re aliqua dubium esse potest, id maximè erit in dilectione DEI, vtpote rei tam longè à nobis distantis, & tam sublimis, vt meritò Gregorius dicat, de dilectione conditoris nõ facilè mẽtem sibi debere credere sine operis attestatione. Cùm itaque probatum sit vtrunque illorum verissimum esse, non potest sequi ex altero contra alterum, vt Caietanus putauit, sic inferens: Est in potestate voluntatis, ergo cognoscimus. Sed volumus de hac re admonere nostros, vt auferatur persuasio quædam facilis, & (si cum venia dicere licet) leuis. Dicat (inquiunt) voluntas: amo Deum præ omnibus bonis, & odio peccatum præ omnibus malis: & factum erit vtrunque: & cùm cognoscí possit hæc à voluntate dici: cognosci quoque potest factum esse. Vbi considerandũ est, aliud esse amare, aliud dicere, amo. Ista potius actũ significant quàm exercent, amo aut volo: hoc dicere non est amare: sed veraciter affici, vniri &c. Itaque incipientibus Deum diligere aut pœnitere non dicamus, dic, amo: dic, doleo &c: sed admoneamus vt verè ament & verè doleant, & amorem atq; dolorem suum cupiant Deo probari, nec de his facilè sibi credant. Iam ex his duobus tertium sequitur, quod & considerandum, & docendũ attentius est: nimirum in hoc pœnitentię opere tam necessario maximè oportere illud Euangelij obseruare: Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. Itaq; necesse est, vt in hoc opere strenuè & gnauiter, non oscitanter, sed impigrè sese exerceat pœnitens, nihil omittens eorum, quę præcepta sunt, sed illa diligenter consideret, cõsiderata in opus deducat: illa videlicet & similia: Conuertimini in toto corde vestro. Scindite corda vestra. Quis docebit vos fugere à ventura ira? &c. Et cùm hæc omnia fecerit, nõ promittat sibi securitatem, non credat satis feciſse se: sed cum esurie & siti iustitiæ dicat, seruus inutilis sum: quod ex suprà dictis apertissimè sequitur, cùm constet non minimam quantitatem doloris requiri, nec de ea nos posse certos esse. Verùm quæ specialius circa hæc docenda sunt, pro captu nostro proxima lectione conabimur explicare.

Quãta diligentia opus sit in agẽda pœnitentia. Lucæ 17.

Ioel. 2. Matth. 3.

LECTIO

LECTIO DECIMA SEPTIMA.

De eadem materia.

DICENDVM iam est de hac integritate & perfectione pœnitentiæ, quid potissimum proponendum sit populo, cui certè nec difficiliora intellectu, nec executione ardua proponenda sunt, nisi cùm summa cogit necessitas, & tunc (quantum fieri potest) ad captum intellectus & affectus eorum accommodata, & præcipuè quæ agenda eis incumbunt, & modis ipse ea perficiendi. Tanta est (vt verum dicamus) imbecillitas eorum, vt non nisi ita explicata capiant: atque vtinam vel ita caperent. Igitur primò perfectio ista doloris docenda est, sed ita, vt non magna quædam & impossibilia doceri videantur, sed planè nec grauia, vt Ioannes inquit: Mandata eius grauia non sunt. non inquam grauia innitentibus diuinæ bonitati. Nam quæ apud homines (inquit Christus) impossibilia sunt, non sunt apud Deum. Quid igitur acturi sint dicatur, & ostendatur via modusque ea agendi. De quibus sequentia ordine notentur. *1. Ioan. 5.* *Marci 10.*

Primùm. Volentem verè & integrè pœnitere ante omnia diuinæ bonitati eiusque gratiæ inniti oportet, & per humilem instantemque orationem ante omnia gratiam pœnitendi sibi à Deo postulet necesse est. Proponendæ sunt igitur sanctorum & prophetarum orationes, quibus tam instanter illi hoc à Deo postulant, & confitentur se id à seipsis habere non posse. Vnde illud Hieremiæ: Conuerte me domine, & conuertar: quia tu Deus meus. Et quod sequitur est valde considerandum: Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. quę verba superius etiam adduximus, cùm probaremus necessitatem gratiæ ad veram pœnitentiam. Itaq; opus est vt Deus ostendat nobis, quales in peccato simus, & qualia sint ipsa peccata: ostendat (inquam) non tantùm proponens ante oculos, sed etiam agens vt consideremus. & ita consideremus, vt consideratio penetret voluntatis ipsius intima. Sunt plurima de hac re in scriptura testimonia & exempla, quę nunc non adducimus, sed admonemus diligenter colligenda esse ab his, qui docturi sunt populũ. *Gratia pœnitendi sedula & humili oratione à Deo petẽda ante omnia.*

Ita in hoc & ceteris omnibus doceatur plebs, quoties audierit vel pœnitentiam, vel aliquid ad eam pertinens præcipi in scriptura: intelligat statim illud se à Deo postulare debere. Cùm itaque dicitur per prophetam peccatrici animæ: Leua oculos tuos in directum, & vide vbi nunc prostrata sis: statim id cõuertamus in orationem: vt videlicet ipse qui præcipit, det leuare oculos, & dignè perspicere atque perpendere, quàm longè à deo per peccatum recedamus. Ad excitandum verò hunc affectũ orandi, & ad ipsum donum pœnitentię impetrandum, cõmendetur omni diligentia istud donum pœnitentiæ, quàm magnum sit, quanti æstimandum & faciendum. Vt igitur hoc cõuenienter agamus, gratia remissionis peccati & iustificationis est cõmendanda, cui donum hoc pœnitentiæ coniunctum est, & aut idem, aut certè simul cum illo, ita vt vnum sine altero non donetur, & pœnitentia caussa iustificationis quodãmodo sit. Nam si impius (inquit scriptura) egerit pœnitentiam, non recordabor &c. Itaq, cùm vtrunque det Deus, & pœnitentiam & remissionem & neutrũ sine altero, pœnitentiam tamen donans dat homini cooperari ad salutem suam, & caussam ex parte aliqua eius esse, & ita quodammodo se illi obligatum tradit vt remittat. Igitur diligentissimè curandum, vt magni hoc donum pœnitentiæ & iustificationis æstimetur: ita enim fiet, vt & ardentius petatur, & à domino misericordius & liberalius donetur. Nam profectò pro nihilo aut pro minimo ducere remissionem peccati & gratiam pœnitendi, quantum nobis videtur, vnum est eorum quæ maximè timenda sunt Christianis, & quibus putamus maximè indignos fieri illis donis: & propterea sicut inter præcipua signa & coniecturas veræ pœnitentiæ & remissionis peccati, quę nobis quærenda sunt non ex nostro iudicio, sed ex scriptura, nõ minimum putamus esse, magni æstimare hoc donum, & Deo summè de hoc gratum esse: ita è contrario vnum eorum quæ præcipuè nos suspectos reddere debent & timidos, ne non sint nobis remissa peccata, est, leuiter hoc donum pertransijsse, nec summè gratum pro eo deo fuisse. Scimus, ingratitudo diuinæ gratiæ quàm sit aduersa: Non est (inquit Christus) inuentus qui rediret, & daret gloriam deo, nisi hic alienigena. Familiaritas & assiduitas solet contemptum parere: domestici pro nihilo ducunt, quod exteri plurimi faciunt. Itaque timendum est populo Christiano & rudi, ne ex facilitate remissionis peccati, quã illi putãt, & quæ verè est ex Dei misericordia (vno enim verbo habetur frequenter: Peccaui, dixit Dauid, & statim audiuit: Dominus

Hierem. 3.

Donũ pœnitẽtiæ & iustificationis quta maximum etiã maximi faciendum.

nus transtulit peccatum tuum) ex frequentia etiam, & (vt ita dicamus) inexhauribili gratia remittendi, de qua dictum est: Nõ dico tibi septies, sed septuagies septies: hęc minoris quàm opus est faciat, quasi quotidiana: Quomodo verò credere poterimus hanc tantam suam gratiam Deum conferre contemnentibus, qui nobis præcepit, ne margaritas ante porcos mittamus, ne fortè (inquit) conculcent eas pedibus suis. Pretiosissima certè & cœlestis margarita, & super omnem æstimationem est veræ pœnitentiæ gratia: non igitur datur à Deo porcis & pedibus eã conculcantibus. Quare nullam popularem opinionem putamus diligentius eximendam ab animis Christianorum, quàm hanc tam minimam æstimationem, & tam paruam cõsiderationem horum donorum Dei in remissione peccati. Hoc igitur agendum tribus præcipuè medijs. Nam primo peccati ipsa magnitudo, quantum fieri potest, exaggeranda est & mala quæ cõsequuntur. Deinde extollenda placabilitas Dei, & quanta sint dona, quæ simul in remissione peccati conferuntur à Deo. Tertiò denique quanta gratia, quàm nullo debito, immo quantis contrarijs debitis damnationis, quàm nulla nostra industria, labore, vel minima attentione hoc detur à Deo. In his tribus magna est latitudo doctrinæ, & summè necessaria, si verè pœnitendum est. Sed vel pauca de singulis dicamus. Matth. 7. *Quæ ratione gratia iustificationis commendanda populo.*

De primo igitur, grauitate scilicet peccati, nõ potest satis dici. Est contemptus Dei & offensa, opere ipso atq; facto abnegatio ipsius, & prælatio quędam creaturę ipsi in corde peccantis. Sed nihil magis immensam hanc grauitatem peccati ostendit, quàm quòd non sine filij sui sanguine & morte placuit Deo peccata remitti: & cùm demum post hanc remissionem tanto precio comparatam peccamus, vt Paulus ait, rursus crucifigimus ipsum filium Dei, & ostentui habemus: & (vt alibi ait) Quanto putatis maiora mereri supplicia, scilicet quàm transgressores legis veteris, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Quid potest in exaggerationem peccati grauius dici? Toti Trinitati contumeliam infert, sanguinem Christi polluit, ipsum conculcat. Hæc sunt interim ad grauitatem peccati detegendam explicanda, sicut & alia multa. *Quanta grauitas peccati, & quomodo exaggerãda.* Hebræ. 6. Hebræ. 10.

De secundo verò, quantum scilicet donũ sit remissionis gratia, quàm magna sint quę conferuntur à Deo cũ illa, satis ostendit quòd sibi nos reconciliat Deus, & verã nobiscum init amicitiam atq; fœdus. Quid verò maius, quàm amicũ esse Dei? Ni- *Quantum donũ gratia remissionis peccatorum.*

*Psalm.*138. mis honorati sunt amici tui Deus. Et quàm intima hęc amicitia, per quam tota Trinitas nos inhabitat? Ad eum (inquit) veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Spiritum quoque suum
1. *Ioan.*4. nobis dat, vt Ioannes inquit: In hoc cognoscimus, quia in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu sancto suo dedit
*Roman.*8. nobis. Proprio filio suo non pepercit, sed (vt Paulus inquit) pro nobis omnibus tradidit illum. vt meritò quod sequitur summũ hoc Dei donum commendet: Quomodo cum illo non omnia nobis donauit? Itaque hoc Dei donum non satis dignè commendari potest, de quo meritò illud saluatoris ad Samaritanam dicere possumus: Si scires donum Dei. Denique beatus Au-
Tract. 72. *Ioan.*14. gustinus tanti hoc opus iustificationis facit, vt verba illa Christi: Qui credit in me, opera quæ ego facio, ipse faciet, & maiora horum faciet: de hoc iustificationis opere exponens, quod cooperante Deo nos etiam facimus, Prorsus (inquit) maius hoc esse dixerim, quàm est cœlum & terra, & quæcunque cernuntur in cœlo & in terra. Cœlum enim & terra transibit, prædestinatorum autem, id est, eorum quos præscit salus & iustificatio permanebit. In illis tãtùm opera Dei: in istis etiam imago Dei. Et denique angelorum creationi hoc opus ibi conferens, Non (inquit) hic audeo præcipitare sententiam: intelligat qui potest, iudicet qui potest, vtrum maius sit iustos creare, quàm impios iustificare? Certè enim, si æqualis est vtrunque potentiæ, hoc maioris est misericordiæ. In quibus verbis magna certè est commendatio huius diuini doni. Si Deus propter hominem aliquem nunc integrum mundum, non minorem quàm hic est quem habemus, de nouo crearet, cœlum, terram, & cetera omnia, angelos, & cuncta spiritualia, quanti fieret? Et tamen absq; eo comparatione iustificationis opus maius est. Cõcludamus hoc, quod de immẽsitate donorũ Dei iustificatis collatorũ dicimus, verbo illo Pauli, quod omnibus iustificatis dicit: Omnia vestra
1. *Cor.*3. sunt siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mũdus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei. Quid potest maius dici?

Nõ solum gratis, sed etiã contra nostra merita remittatur no-

Iam tertium quod diximus, huic cumulo non parum superaddit: quàm scilicet absque merito nostro, quàm gratis, immo repugnantibus omnibus nostris meritis, hæc Dei gratia conferatur. Commendat (inquit Paulus) Deus charitatem suam in nobis. Quoniam cùm adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est, Quantum verò hoc? vt cùm post hoc beneficium inimi-

inimicos nos constituerimus, rursus nos inuitet ad amicitiam & recipiat? Pro Christo (inquit Paulus) legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus per Christum, reconciliamini Deo. Denique & ita trahit, vt nisi traheret, nequaquam redire possemus. Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit illum. Meritò itaque gloriatur Deus: Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me. Et illud quod suprà exposuimus. Non propter vos ego faciam domus Israël, sed propter nomen sanctum meum. Itaque qui peccauit, se quasi in profundissimam abyssum deiectū, atq; à seipso præcipitatum cogitet (si verè credit) necesse est, & absorptum a vi atque tempestate profundissimi maris, non aliter certè quàm Ionas fuit in ventre ceti: & ita opus est vt oret & clamet ad Deum pro gratia pœnitentię, sciēs quòd non possit se magis à peccato excutere, quàm demersus ille ex tanta profunditate potuit emergere. Hinc sunt voces illæ prophetarum: psalmistæ quidem: Intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam, infixus sum in limo profundi, & non est substantia, hoc est, vires meæ ad resurgendū. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Propterea clamat: Saluum me fac Deus. Et inquit: Laboraui clamans &c. Dum spero in Deum meum. Ecce sola hæc spes restat. Et post pauca, quibus verbis orat eripi, omnino sibi diffisus. Ego verò orationem meā ad te Domine, tempus bene placiti Deus. In multitudine misericordię tuę &c. Quę attentius sunt consideranda. Eripe me de luto &c. Non me demergat tempestas aquę &c. Neque vrgeat super me puteus os suum. Hieremias clamat: Lapsa est in lacum vita mea, posuerunt lapidem super me. Inundauerunt aquæ super caput meum, dixi, perij. Inuocaui nomē tuum Domine de lacu nouissimo. Oratio etiam Ionæ huc pertinet: Tota abyssus vallauit me, pelagus cooperuit caput meum. Quibus omnibus exhortandi sunt peccatores, & stimulandi ad orandum pro dono pœnitentiæ & admonendi vt cùm ita orauerint, etiam agnoscant sibi orādum esse, vt eis hoc gratis à Deo donetur. Sunt verba illa Iob ad hoc aptissima & propria, quæ meritò in se transferre debeant peccatores: Quis det vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus, & qui cœpit ipse me conterat, soluat manum suam & succidat me? Et hæc mihi consolatio, vt affligens me dolori non parcat. Quæ meritò de compunctione iustorum in hac vita exponit Gregor. Hæc debent peccatores, cū cœperint dolere & compungi, existimare ad se pertinere, vt semper ampliorem desiderent compunctionem. Est enim in ea profectus etiam in

bis peccat a 2. Cor. 5.
Ioan. 6.
Isaiæ 43.
Ezech. 36.
Psalm. 68.
Tren. 4.
Ionæ 2.
Iob 6.
Lib. 7. ca 7 & 8.

iustificatis ipsis. Dum enim quotidie pœnitentes, quò ipsa pœnitentia magis purgauerint animum, purius Deũ agnoscunt, de
Iob.42. peccato compunguntur plenius. Quod ipse Iob bene explicat: Auditu (inquiens) auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te: idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiã in fauilla
Li.35.ca.2. & cinere. Vide quomodo hęc ibi à b. Grego. exponantur. Et hęc quidem dicta sint circa primum illud, videlicet de humilitate & instantia orationis necessaria ei, qui veraciter vult pœnitere.

Quomodo pœnitens collectus & intro reuocatis cogitationib⁹ formare debeat affectus suos

Iam secundo loco explicare conabimur, quomodo actio ipsa pœnitentiæ post hanc orationem fieri debeat. Docendum est igitur primò, vires animæ interiores, cogitationem scilicet, attentionem, & affectiones omnes diligenter colligendas esse & cohibendas atque reuocandas ab omni euagatione ac meditatione alienarum rerum, atque ita in quiete & tranquillitate exercendas attentis meditationibus & considerationibus bonitatis diuinæ, & malitiæ peccati. Et his, quantum fieri potest, considerationibus ex certa regula fidei, & ex ipsis verbis scripturæ conceptis, affectus suos omni conatu oportet conformare: & non semel aut iterum, sed frequentissimè, etiam cum conatu proficiendi hoc agendum. Nam propter priorem collectionem
Psalm.4. virium dictum est illud: Quæ dicitis in cordibus vestris, & in
Psalm.84. cubilibus vestris compungimini. Et illud: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & in eos qui conuertuntur ad cor. Propter hoc etiam pœnitentibus & militia, & negotiatio, & spectacula etiam atque ludi interdicuntur, vt Magister sententiarum refert dist. 16. ex b. Gregor. Multis egent singula horum ad sui explicationem, sed interim illud sit satis, curandum esse doctoribus, vt hanc quoque periculosam persuasionem tollant (sed prudenter & sobriè) qua leuissimum, immo ferè nullum putatur negotium esse, verè pœnitere: cùm tamen & maximum & arduum reputetur à patribus, nec vnius horulæ aut momenti, sed magnæ certè partis vitæ, aut totius. Circa hæc igitur sobriè putamus semper agendum esse. Donemus breuissimo momento nonnunquam Deum cõuertere peccatorem, & integram dare pœ-
Eccles.11. nitentiam, sicut scriptum est. Facile est in oculis domini subitò honestare pauperem. cuius exemplũ extat in latrone & Dauid: sed aduertendum, quòd subita illa cõuersio non reddidit securos
Psalm.50. in posterum & otiosos, sed sollicitos ad ipsam pœnitentiam nõ
Psalm.6. intermittendam. Peccatum meum contra me est semper, inquit Dauid. Et: Lauabo per singulas noctes &c. Et iterum: Exitus

aquarum

aquarum deduxerunt oculi mei. Vnde & b. Auguſt. in Enchiridio ad Laurentium, in actione pœnitentiæ non tam conſiderandam eſſe dicit menſuram temporis, quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Tamen rectè dicit conſtituta eſſe ab Eccleſia tempora pœnitentiæ, vt ſatisfiat etiã ipſi. Et certè valde curandum eſt ei, qui cupit ſibi remiſſum eſſe peccatum, etiam teſtimonium Eccleſiæ habere, cùm proprium teſtimonium meritò debeat illi eſſe ſuſpectum. Igitur ad integrè deteſtandum peccatum, ſicut ad perfectè Deum diligendũ, attenta meditatione diuinorum verborum opus eſſe frequentiſsimè docemur in ſcriptura. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Ignitum eloquium tuum vehementer. Et quod duo illi diſcipuli dicebant: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis &c. dum aperiret nobis ſcripturas? Hæc igitur attentiſsima meditatio immenſæ bonitatis diuinæ, ſummæ miſericordiæ, incomprehenſibilium beneficiorũ, ingratitudinis & malitiæ peccati, vanitatis rerum omnium ob quas peccatur, & ſimilium, commendanda eſt plurimum, vt huiuſmodi meditatio coniunctum habeat affectum. In qua re vel conatus ipſe, vel deſiderium magni eſt apud Deum momenti: Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, inquit Pſal. præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Ceterùm in mentis euagatione & diſtractione valde timendum eſt non ſatis doleri de peccatis poſſe. In his verò meditationibus nonnunquam vtile erit conferre Deum cum omnibus alijs bonis, vel peccatũ cum omnibus malis, atque affectu Deum præferre omnibus bonis, & peccatum præ omnibus alijs malis odio habere, idque non ſimplici verbo, verùm ex intimis cordis viſceribus. Itaque hęc vel in generali vel in ſpeciali cõparatio tũc vtilis eſt & laudanda, cùm poſt dignam eſtimationem ſummę Dei bonitatis & grauitatis peccati, poſtquã illa poſſederit & penetrauerit & occupauerit totum cor, conuerſio quædam fiat ad reliqua omnia vel bona vel mala, vt in luce illa verę fidei & ardoris diuini videantur quaſi ex altiori loco, & deſpiciantur. Poſuiſti (inquit pſal.) iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſeculũ noſtrum in illuminationem vultus tui. Ita igitur dicendum: odio peccatũ prę ceteris: vel, amo Deum non verbo modò, ſed ſummo cordis conatu. Fit etiam nõnunquam comparatio hæc ex nimio quodã cordis feruore & impetu, non tam ſe excitantis ad hæc, quàm potius non valentis ſe continere præ feruore diuinę dilectionis: qualia ſunt verba illa Pauli. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Cap. 65. Luc. 24. Roma. 8.

Certus sum enim &c. Sed nec de his facilè sibi credere debet homo, nisi cum longa exercitatione, & experientia, atque sustinentia, testimonium reddit ei propria cõscientia. Patientia enim (inquit Paulus) probationem operatur: probatio spem. Sit igitur huius doctrinæ scopus, vt admoneantur qui verè in deum conuerti volunt, vt non semel & perfunctorie, sed frequenter & attentissimè sese exerceant in pœnitentia & compunctione. Duo namque valde vtilia putamus inde haberi. Primum, quòd hac frequentia supplebitur quod feruori deest, & iuxta humanæ fragilitatis conditionem paulatim perducemur ad perfectũ. Secundum, quòd si exercitatis meritò credi potest futurum facile hoc negotium. Quotidiana enim exercitatione didicerunt & assueti sunt statim, & primò (vt ita dicamus) impetu metam attingere pœnitentiæ.

Romanos 5.

Veritas & integritas pœnitentiæ explorãda diligẽter ex operib⁹. Cap. 70.

Tertium deniq; commendandum sit, vt post hęc omnia diligenter suum hunc affectum pœnitentiæ quilibet probet, an verus & integer sit, an non: idq; non aliter, quàm operis attestatione: vt videlicet diligẽter inuestiget quilibet, an opera verè pœnitentis & conuersi faciat: quæ qualia sint, ex verbis & exemplis scripturæ & patrum colligendum est. Certè summa omnium illorum est vera & seria mutatio vitæ, de qua Augustinus in Enchiridio. Cauendũ est (inquit) ne infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei nõ possidebunt, quotidiè putentur perpetranda, & eleemosynis quotidiè redimenda. In melius quippe mutanda est vita, & per eleemosynas de peccatis præteritis propitiandus est Deus. Ista itaq; mutatio vitæ præ ceteris est cogitanda, & in omnibus actibus pœnitenti præ oculis cõstituenda.

Iudiciũ veræ pœnitẽtiæ:

Nulla re apertius agnosci potest vera pœnitentia, quàm in futuris cauendis, non solùm peccatis, sed etiã occasionibus, vel tentationibus, vel societatibus & periculis alijs, ex quibus prolapsum se quis agnoscit. Igitur veram vitæ mutationem requirit Augustinus, & proculdubio requirenda est, maximè à cõsuetudine peccandi, à facilitate pro minima re transgrediendi mandata Dei, deniq; à vita illa liberiori atque laxiori, quæ sine Dei timoris freno præceps agitur licentiosa libertate. Itaq; nescimus quomodo is qui sic vixit, possit verè pœnitentiã agere dignam & sufficientem, nisi seriò de mutatione huius vitæ cogitet. Illã verò vitæ mutationem putamus sufficere (vt condescendamus, quantum fieri potest, fragilitati nostræ) qua viuitur saltem sine quotidiana transgressione præceptorũ Dei, sine contemptu illo, quo pro nihilo ferè & sola negligentia & incuria mortaliter

pecca-

peccatur. His enim nihil periculosius putamus in vita: vsque adeo, vt vehementissimè putemus timendum esse de salute illorum, quos in istis extrema inuenit hora. Vbi id obseruandum, quòd de omnibus peccatis mortalibus agimus, etiam illis, quæ præter magnum proximi damnum leuiter committuntur: periurijs videlicet in leuibus aut iocosis, inhonestis aut turpibus colloquijs, aut cogitationibus, aut internis delectationibus, & similibus, à quibus maximè putamus esse timendum in vita christiana. Itaque (vt valde suauiter & blandè loquamur) qui vitam ita instituit, vt à consuetudine peccandi & facilitate se cohibeat, quanquam nonnunquam labatur etiam in mortalia, etiam si aliquando frequentius, modò non pro nihilo ducat, non cõtemnat pœnitentiam vel post habeat, satis mutasse vitam videri potest, modò in hoc conetur proficere: quod omni christiano quidem, sed pœnitenti maximè putamus necessarium.

Sunt quidem circa hæc non pauca dubia & quæstiones scholasticorum, quæ satis ex dictis solui possunt, vel non sunt admodum necessariæ: quare consultò eorũ tractationem omittimus: satis sit eas vel proponere. Cùm itaque quæritur, an ad integritatem pœnitentiæ requiratur propositum cauendi futura peccata: similiter & propositum confitendi (quod iam pertinet ad materiam sacramenti pœnitentiæ) patet apertè dolorem integrum, qualis descriptus est, sufficere: in quo proposito hoc inclusum est. Satis itaque est implicitè hæc habere: quanquam nihil oberit, sed proderit multum, hæc explicitè cogitasse. *Nonnullæ quæstiunculæ indicantur.*

Cùm quæritur rursum, an ex attritione fiat contritio: & quid inter attritionem & contritionem intersit, parum curandum est. Certè ex imperfecto dolore ascenditur ad perfectum: siue eadem operatio perfecta sit & imperfecta (vt nonnunquam contingit successu temporis) siue sint diuersæ.

Denique & de sacramento pœnitentiæ quæritur, an ex attrito contritum faciat: & quomodo id sit intelligendum. Vbi sunt diuersæ sententiæ, quam rem melius, cùm de sacramento agetur, tractabimus. Interim tamen suprà dicta retinenda sunt: videlicet, sine vera charitate nunquam remitti peccatum.

LECTIO

LECTIO DECIMA OCTAVA.

De peccatorum Venialium pœnitentia & remißione.

CVM superius de effectu pœnitentiæ loqueremur, reiecimus in hunc vltimum locum tractatum de peccatorum venialium remissione. Quoniam enim à principio ex Augustino distinximus triplicem illam pœnitentiam, quarum vna est pro quotidianis & leuioribus peccatis, quæ reuera tanto est & necessitate & dignitate inferior ea de qua sumus locuti, quę scilicet pro mortalibus agitur, quanto venialia minora sunt mortalibus: meritò nunc de ea, & ipsorum peccatorum venialium remissione, ad quam videlicet ipsa necessaria est, oportet agere: vt integra sit de pœnitentia & remissione peccatorum doctrina. De hac igitur re Magister di. 16. 4. post August. locutus est, & post illum nostri scholastici, & b Thomas q. 87. 3. part. Et quanquam in hac re sint diuersæ sententiæ, de quibus nonnihil infinuabimus, dicamus tamen quę probabiliora, & maximè sensui pio & scripturæ conuenientia sunt, eaque comprehendamus sequentibus propositionibus.

Venale peccatum gratiu à Deo remittitur. Scotus & sequacib⁹.

Prima. Venialium etiam peccatorũ remissionem diuinæ gratię opus esse, & nõ meritorum vel satisfactionis nostrę, scripturæ & rationi fidei valde conuenit. Probat hanc & asserit b. Tho. art. 4. illius q. & in 4. similiter: quanquam multis aliter videatur, quod certè non possumus nõ dicere magis esse humanum sensum, minus dignè de Deo & eius gratia sentientem, quàm sentẽtiam dignã pietate Christiana. Hoc modo prędicta propositio probatur. Primò auctoritate Pauli, qui beatitudinem hominis ait esse, si illi nõ imputauit Dominus peccatũ: quod glossa (inquit b. Tho.) etiam de veniali intelligit. Et apertius probatur ex ipsa dominica oratione, in qua de quotidianis maximè peccatis (vt exponunt patres) dicimus: Dimitte nobis debita nostra. Vbi duo sunt quę hoc confirmant. Primũ, quòd oramus vt dimittantur. Oratio verò (ita sentientibus antiquis omnibus patribus, & concilijs antiquioribus, cõtra Pelagianos maximè congregatis) cũ innitatur diuinæ gratię, eo ipso quo fit, excludit merita omnia. Secundo etiam verbũ ipsum remissionis idem probat. Debitum

Mileuitanum.

Arausica. 2 Celestinus ad Episcopos Galliæ. Innocẽt. ad

bitum enim quod remittitur, non soluitur. Omne debitum (inquit Euangelium) remisi tibi, quoniam rogasti me: rogauerat autem, cùm nō esset soluendo. Igitur vera fides & orans Deum, & vtens verbo remissionis, confitetur ex gratia remitti peccata venialia: quod Augustinus tract. 56. super Ioan in verba illa Christi: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet &c. confirmat: & de peccatis venialibus intelligens illud Ioan. Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est vt dimittat, asserit Christum esse, qui ab his peccatis nos abluit, sicut tunc dignatus est pedes lauare discipulorum. Et in enchiridio ad Lauren. satisfacere dicit orationem hanc fidelium pro quotidianis leuibusque peccatis: sed notum est quomodo verbum satisfaciendi sumat, nimirum pro obtinere remissionem. Denique debet ad hoc confirmandum sufficere ratio ipsius peccati venialis, quod proculdubio nonnullam habet separationem à Deo & offensam, quanquam non perfectam, nec æternę damnationis dignam. Iam pro offensa in Deum cōmissa, quamuis leuissima, quid in nobis est quod offerre, aut quo cōuerti ad Deū, vel tantillum ab eo auersi, possimus? quoniam hęc omnia diuinę gratię opera sunt, sicut & bona omnia alia ad salutem cōducentia. Ex propositione prædicta b. Tho. asserit (quod certè dignum est Dei gloria & gratia) nulli nisi amico peccatum aliquod veniale remitti: ita scilicet, vt in mortali peccato existenti nunquam credamus aliquod veniale peccatum condonari. Nec enim qui in tali peccato est, quidquā gratum Deo offerre potest, maximè quo ex æqualitate satisfiat Deo, aut quod Deus acceptare debeat, nisi amicabiliter id velit. Non ergo putemus, sicut quidam, ex solutione cuiusdam pœnę ab eo, qui in peccato mortali est, sati fieri pro peccatis venialibus. Sic enim frustra oraremus: Dimitte nobis &c. Deniq; cùm remitti venialia sit admitti vel ad gradum aliquem amicitiæ & actum, vel ad familiaritatem quandā: id fieri non potest vbi non est amicitia. Feruor ille cui opponitur veniale, est velut affabilitas quædā & suauitas amicitiæ, quæ certè amicitiā prærequirit.

epi. Aphricani cōcilij, & ad epi. quinque Episcoporū, & in ipsis Epistolis, quib⁹ ille respondet. Matth. 18. 1. Ioan 1. Cap 71.

Existenti in peccato mortali nō remittitur veniale peccatum.

Secunda propositio. Sicut sine diuina gratia eiusq; operatione nō remittitur veniale peccatum, ita nec sine eius cui remittitur actu aliquo: in quo videlicet sit saltem virtualis pœnitentia eius. Hanc etiam asserit & probat b. Thom. art. 1. illius q. & recipiunt ceteri omnes. Probatur autem ita apertè. Voluntate actu inhærente veniali peccato, manifestum est illud remitti nō posse: ita enim simul essent, peccare & remitti peccatum: igitur quamdiu, etsi non actu, tamen virtute placet veniale peccatum, remitti nō

Veniale peccatum nulli remittitur sine ei⁹ actu & virtuali saltem pœnitentia.

potest.

potest. Diximus enim superius & ostendimus, non minus virtute nos aliquid velle quàm actu, sicut non minus finis amatur, cùm de medijs cogitamus etiam illius obliti, quàm cùm illum versamus animo. Necesse est itaque, postquam actu voluntatis peccatū est venialiter, oppositum aliquod esse in voluntate, quo recedatur ab illo. Manet enim transeunte actu, vt probatum est, voluntas affecta & coniuncta ei quod voluit, seu venialiter, seu mortaliter. Meritò igitur dictum est, necessariū esse motum & actum voluntatis. Si verò motus necessarius est, oportet vt sit contrarius motui venialis peccati: non potest autem contrarius esse, nisi vt minimum habeat virtualem pœnitentiā eius: quam ad mortalium remissionem suprà diximus probabiliter nō sufficere, præcipiente Deo vt pœnitentia agatur: ad venialia autem afferimus eam sufficere, quòd nō sint perfecta peccata, nec illis indicatur specialior pœnitentia. Ille verò actus virtualem cōtinet pœnitentiam venialis peccati, quo posito, si peccatū veniale occurreret, displiceret. Quicunq; videlicet (vt b. Tho. inquit) affectus deuotionis in Deū & res diuinas, quicunq; feruor charitatis, quæcunq; promptitudo volūtatis, cui reuera corā Deo displiceret peccatū veniale si occurreret: hoc enim contrarium est eius. Peccatum enim veniale nihil magis propriè dici potest, quàm retardatio quędā affectus in Deum, & detentio in creatura non cōtra Dei charitatem: quare opponitur nō ipsi charitati, sed feruenti motui eius. Non agimus nunc de peccatorū venialium definitione & ratione: alibi hoc agendū est. Hoc nunc satis esse debet, meritò peccata venialia obscurationem quandā dici, non priuationem omnimodam diuinę lucis & gratiæ. Igitur ex his duabus propositionibus colligentes, hunc modum atq; rationem remissionis venialium & pœnitentię ipsorum cōstituimus. Deus dormitantem animū & tepidum erga se, & remorantem suum in Deum affectum, nō tamen à sua amicitia recedentem, excitat sua diuina inspiratione & gratia ad actum feruoris & deuotionis, qui cùm tantus fuerit, vt reuera coram illo detestaretur peccata aliqua venialia si occurrerent, illa remittuntur. Nec aliter sentiri piè potest, quàm vt primò Deo omnem tribuamus mentis nostræ excitationem: Deo inquam remittenti peccata obliuione vel tepiditate cōtracta. Quis (inquit Bernardus) frigens, cùm calefieri cœperit, nō agnoscit adesse ignē? Similiter nec dormientem animū, & quasi stupidum & insensibilem, credēdus est Deus dono hoc remissionis venialiū afficere. Omnia hæc operatur Deus in nobis, sed non sine nobis.

Qui actus virtute includāt pœnitentiam venialium peccatorū.

Ex

Ex his meritò infert beatus Thomas, non requiri ad peccati venialis remissionem, vt gratia infundatur de nouo, vel augeatur. Cùm enim veniale peccatum non sit gratię contrarium neque charitati: sicut illa manente committitur, ita & remitti potest eadem non mutata. Necessarius tamen est motus aliquis charitatis, vt dictum est: sine eo enim nulla est omnino pœnitentia, ne virtualis quidem. Putat tamen ille satis quidem rationabiliter, semper in infusione gratię vel augmento remitti peccata venialia, non quidem omnia, intelligendum est iuxta suprà dictam rationem, sed ea dūtaxat, quorum est virtualis pœnitentia. Omnem gratiæ infusionem vel augmentum habere secum motum liberi arbitrij in DEVM, satis ex superioribus patet: & illum oportere non paruum esse, quem Deus dignatur sua gratia, & ad quem per illam mouet. Omnia igitur peccata venialia, quæ motus ille reijceret & detestaretur, credamus remitti. Ex quo etiam sequitur, vnum veniale sine altero remitti posse: maius scilicet sine minore: denique quod displicet actu vel virtute, sine altero: & propterea nimirum nunquam sine peccato veniali sumus in hac vita, saltem diu. Primò, quoniam etsi singula vitare possimus, non tamen omnia: atque ideo non omnium exigitur pœnitentia vt remittatur aliquod, sicut in mortalibus. Secùndo, quia rarò quidem affectus tantus est, vt veraciter sic detestetur quodlibet veniale, vt ne vel motū aliquem primum inordinatæ cōcupiscentiæ sustineret. Itaq; manet semper aliquid vetustatis in nobis, & ideo etiā peccati aliquid, non tamen actu, sed in caussa. Iam si omnia venialia præterita displiceant, credendum est omnia remissa esse. Sed quia semper manet aliquid cōcupiscentiæ & vetustatis, nunquam diu sine peccatis sumus.

Ad remissionē peccati venialis non requiritur noua gratia aut prioris augmentum.

Vnū peccatū veniale sine alio remitti potest. Nunquam diu viuitur hîc sine veniali peccato:

Ex his intelligendum est quod communiter de peccatorum venialium remissione dicitur: remitti scilicet illa per nonnulla pietatis opera: vt per benedictionem Episcopalem, aspersionem aquæ benedictæ &c. vt à beato Thoma 3. articulo illius quæstionis explicatur. Non enim sine actu feruoris & deuotionis, de quo dictum est, peccata venialia remittuntur: quod certū habere debet, ratione suprà dicta. Quęcunque igitur dicuntur delere hæc peccata, ideo dicuntur, quia vel cōiuncta esse debent actui illi feruoris & deuotionis, vel ad illum excitant. Itaq; sæpius fiunt cum deuotione & feruore, quem & ipsa excitant. Et inter hæc quidem sacramenti cuiuscunq; susceptio meritò est prima. Cùm enim in sacramento quolibet gratia infundatur, vt diximus: necesse est peccata venialia remitti vel omnia, vel plurima: maximè

Quibus operibus & qua ratione remitti dicātur venialia.

maximè cùm in sacramentis sit semper credendum non minimam sed magnæ proculdubio virtutis gratiam infundi, vt scilicet cor in Deum excitet. Tamen cùm hoc ita sit, non dubium est sępius susci pi sacramentum tam tepido affectu, & tanta mentis euagatione, vt non solùm non dimittantur venialia, sed augeantur etiam. Post hoc opus secundo loco ponuntur externa illa, quæ habent motum aliquem reuerentię in Deum: vt aspersio aquæ benedictæ: benedictio episcopalis: quælibet sacramentalis vnctio. Addunt nonnulli orationem in Ecclesia consecrata. Sed hæc omnia intelligenda sunt hæc efficere ex motu illo reuerentiæ in Deum & diuina: qui si absit, multo minus id efficient, quàm sacramenta ipsa. Tertio loco, quæ etiam magis proprie videntur pertinere ad remissionem peccati venialis, numerantur confessio generalis: tunsio pectoris: oratio dominica, de qua suprà diximus Augustinum docuisse, quòd satisfaciat pro venialibus. Hæc quidem diximus magis propria esse, quoniam habent detestationem quandam, & ita pœnitentiam peccati. Sint hęc igitur: idem sentiendum est de illis, quod de præcedentibus.

Venialia peccata nō semper remittuntur secundum culpam & pœnam simul.

Circa hæc verò omnia & remissionem venialium omittendum etiam non est, in eis distingui culpam & pœnam, sicut in mortalibus. Nam vt in mortalibus diximus remitti culpam remanente obligatione ad pœnam, ita etiam in veniali peccato. Et quanquam de reatu pœnę venialis peccati, & remissione eius satius est nihil opinari, sed Deo totum relinquere, qui fortè pro modo & mensura delectationis quæ in veniali est, pœnam exiget, aut etiam pro quantitate tepiditatis illius & obliuionis quæ in illo est: id tamen pietas christiana credit, quòd remissa culpa veniali in hac vita, nōnunquam restet etiā in futura vita exolutio pœnæ: de qua tamen re nunc non agimus, sed habebit suum locum inferius. Id nunc sufficere debet, vt cùm de remissione venialium loquimur, illud ad culpæ dimissionem referamus primò: pœnæ verò absolutionem relinquamus Deo: quanquam ad vtramque delendam b. Thomas credat plurimum valere feruorem illum deuotionis, qui reuera propria caussa est remissionis & pœnæ & culpæ.

Peccata venialia & eorum pœnitentia non sunt parui facienda:

Igitur quod ad præsentem articulum pertinet, hoc satis esse debet de peccatorum venialium remissione, modò circa illa delenda intelligamus nō negligenter docendos fideles, nec negligenter exercendos. Non est parui facienda peccatorum venialium remissio. Hoc diligenter docendum est, ne illa, pro quorum

remissio-

remissione orare quotidie debemus, negligantur. Sunt plurima sanctorum verba hoc ad hyperbolen vsque exaggerantia. Nullum veniale est, quod neglectum non fiat mortale, dicitur. Et ab alijs additur, quod dum placet, non fiat mortale. Sed hæc, vt dicemus, intelligenda sunt, cùm venialibus peccatis accedit contemptus Dei, vel grauius aliquid: & cùm de peccatis egerimus, amplius explicabuntur. Illud tamen certò statuendum est, cupientibus salutem suam seriò curare, & proficere, non paruī pendenda esse venialia, quæ dum remittunt animam à Deo, & inordinatè tenēt in creaturis, ad mortalē disponunt. Est de hoc pulcherrima admonitio Augustini, & certè timēda, tractatu 12. super Ioannem, vnde & Magister quædam sumpsit dist. illa 16. Minutæ (inquit) sunt guttæ quæ flumina implent: minuta sunt grana arenæ, sed si multa imponantur, tenent atque opprimunt. Hoc facit sentina neglecta, quod fluctus irruens. Et sicut non sunt negligenda hæc peccata, ita nec pœnitentia de eis vltimo loco habenda. Eodem loco Augustinus illa verba domini: Qui facit veritatem venit ad lucem, vt manifestentur opera eius. exponit de agnitione & confessione peccatorum, etiam venialiū: quæ scilicet fit etiam coram Deo. Nam in dilectione (inquit) & misericordia eius qui ambulat, etiam liberatus ab illis grauioribus, propter illa quæ videntur esse minuta linguæ, aut cogitationum, aut immoderantiæ in rebus concessis, facit veritatē confessionis, & venit ad lucem in bonis operibus.

LECTIO PRIMA.

De necessitate Confessionis atque institutione sacramenti Pœnitentiæ ex auctoritatibus scripturæ.

DICTVM est hucusque de prima pœnitentiæ parte, contritione scilicet: in qua explicanda, vt admonuimus, nihil de sacramento pœnitentiæ, sed de ipsa virtute locuti sumus. Quoniam etsi contritio sacramentū respiciat, tamen magna ex parte, quæ ad eā pertinent, communia sunt & sacramēto & virtuti, & ita à nobis fuerūt explicata. Iam verò proximū est, vt de secūda parte dicamus, de cōfessione vi-

delicet. Vbi primò non est prętermittenda diuersa huius nominis acceptio in scripturis: ne videlicet imperitè propter vocabuli cõmunitatẽ res cõfundamus: & q̃ de vna re intelligendũ est, de diuersa interpretãtes erremus. Igitur cõfessionẽ in scriptura pro gratiarũ actione & laude Dei manifestissimũ est frequẽter accipi. Cõfiteor tibi (inquit saluator) pater, domine cæli & terræ &c. cùm alter euãgelista pręmiserit: Exultauit in spiritu sancto, & dixit: Confiteor &c. Hæc acceptio inuenitur frequens in psalmis, Totus 135. & 104. & duo sequentes de hac significatione sunt intelligẽdi: qui omnes incipiunt. Confitemini domino: alij quidẽ: Quoniã bonus, quoniã in sæculũ misericordia eius: alius: Et inuocate nomen eius, annunciate inter gentes opera eius &c. Itẽ in alio: Confessio & pulchritudo in conspectu eius. Accipitur secundò pro peccatorũ confessione & manifestatione, siue illa Deo tantummodo fiat, siue etiã homini, cùm ad dei gloriã vel animę suę salutem id recta ratio iudicat opus esse: secundum quã significationem superius diximus cõfessionẽ partem esse pœnitentiæ virtutis, & ratione naturali satis ostendi, quanquã locupletius in scriptura. De hac igitur in psalmo: Dixi confitebor aduersùm me iniustitiã meã domino. Hęc enim cõfessio Deo fit, de qua illud: Tibi soli peccaui. Rursum legimus in scriptura: Da gloriã Deo, & cõfitere atque indica quid feceris, ne abscõderis. Ecce cõfessio homini facta, de qua & sapiens frequenter: vt ibi: Qui abscõdit scelera sua, non dirigetur. Qui autem cõfessus fuerit &c. Et illud: Non cõfundaris cõfiteri peccatũ. Et rursum: Pro anima tua nõ cõfundaris dicere verũ. Et alibi: Ante mortẽ confitere. cùm prius dixisset: Ne moreris in errore impiorũ. Et deniq; propter hãc confessionẽ Iob inquit: Si abscondi quasi homo peccatũ meũ, & si celaui in sinu meo iniquitatem meã. conteste tãs videlicet se hoc nõ feciisse. Hanc duntaxat duplicẽ acceptionẽ putamus in scripturis esse. Quanquã hæc quæ fit homini confessio, multiplex sit, omnes tamen ad eandem significationẽ pertinent. Immo si rectè pẽsemus, prior illa eadẽ est etiã cum hac. Ad laudẽ enim & gratiarũ actionem etiã pertinet hęc malorũ nostrorũ nobis imputatio corã Deo, & corã hominibus, quod sæpè in psalmis Augustin. admonet. Vnde in illud verbum: Confiteantur tibi populi deus. adducto altero: Cantate domino canticum nouum: ipsa cantatio (inquit) confessio est: confessio peccatorum tuorum & virtutis dei. Tuã iniquitatem confitere, gratiã dei confitere: te accusa, illum glorifica: te reprehende, illum lauda &c. Itaq; ex vna proculdubio signi-

Confessio in scriptura nonnunquã significat gratiarũ actionẽ, & Dei laudem.

Matth. 11.

Luce 10.

Psalm. 31.

Psalm. 50.

Iosue 7.

Prouer. 28.

Eccles. 4.

Eccles. 17.

Eccles. 31.

significatione hac, qua cõfiteri laudare & glorificare deum est, duæ illæ confessiones acceptæ sunt, quod & sapiens etiam supradicto loco satis ostendit. Cùm enim dixisset: Ante mortem confitere: addit: à mortuo quasi nihil perit confessio, Confiteberis viuens, viuus & sanus confiteberis & laudabis deũ, & glorificaberis in miserationibus illius. Igitur de hac peccatorum confessione, quæ ita vniuersaliter sumpta meritò secunda pars virtutis pœnitentiæ dici potest, non est opus in vniuersum loqui, nec de multiplici eius vsu, siue quæ ad placandũ proximũ, siue quæ ad satisfaciendum iustitiæ & scandalo publicè in Ecclesia fit, siue quæ etiam ob institutionem & consolationem animæ inueniendam. Hæc omnia pertinent ad virtutem pœnitentiæ vel iustitiæ, & constat in vsu fuisse antiquissimæ Ecclesiæ. Sed dicamus duntaxat de priuata hac peccatorum detectione, qualis hodie in Catholicæ Ecclesiæ vsu habetur, quam auricularem nonnulli dicunt, nos dignius, sacramentalem vocemus. Alia confessio peccatorum quæ fit Deo, ad cõtritionem pertinet, de qua satis suprà dictum est. Aliæ quæ fiunt homini, habẽt alios vsus, de quibus nunc non agimus: satis sit quod superius de publica & solenni pœnitentia dictum est. Confessio itaque hæc sacramentalis peccatorum omnium lethalium an necessaria sit, & quo iure, dicendum est: de qua re fuerunt olim diuersæ sententiæ grauium doctorum, & nunc est cum nouis dogmatistis acerrima & contentiosissima disputatio, hæreticis omnibus negantibus eam necessariam, nonnullis etiam perniciosissimã asserentibus, & catholicis non paucis in dubium hoc vertentibus, vt Erasmus in suo libello de modo confitendi, & nonnulli alij. Nam & Magister d. 17. & Gratia. de pœnitentia d. 1. in vtrãque partem hanc q. versantes, tandem neutrã opinionem damnare videtur: quare hęc res multis adhuc dubia apparet: & ideo non tantum opus est hoc loco obstinatis hæreticis respondere, sed etiam confirmare infirmos. Statuatur ergo nobis de hac re vnicum hoc fundamentum.

Eccles. 17.

Varia ratio confitendi peccata.

De cõfessione sacramentali.

Confessio peccatorum omnium mortalium ea moderatione, qua in Ecclesia fit sacerdoti proprio, eorũ scilicet quæ memoriæ occurrunt post diligentem inuestigationem, ad remissionẽ huiusmodi peccatorum quæ post baptismum committũtur, ex institutione Christi necessaria est.

Sũma doctrinæ catholicæ de confessione sacramentali.

Hoc igitur fundamentum primò ipsis auctoritatibus Euangelij probandum est, quæ de clauibus & potestate Apostolis data loquuntur: deinde, quoniam de earum sensu ambi-

Ordo et capita eorũ quæ de sacramentali cõfessione explicabuntur.

guitas esse potest, confirmandum est antiquorum omnium & perpetuo Ecclesiæ sensu atque doctrina, ab ipsis Apostolis vsq; ad nos & verbis & vsu ipso confirmatis: vbi est vera resolutio theologica, vt satis suprà probatum est: demum & conciliorum definitionibus hoc ipsum ostendendum est, in quibus est vltima controuersiarum omnium decisio, contra quam non nisi proteruè & insanè disputari potest: vltimò tandem diuersi sensus non contemnendorum doctorum sunt explicandi & in cõcordiam reducendi, vt, quantum in nobis est, omne offendiculum amoueamus. Atque ita parati sumus, si non omnia vbique, saltem quæ necessaria sunt, & in quibus viderimus vel hærere infirmos, vel proteruos inhærere, explicare vt opus est, nulla animositate aut contentione, sed desiderio & cura salutis proximorum.

Math. 16. Ostenditur necessitas cõfessionis ex Christi institutione.

Iam igitur loca ipsa Euangelij ante oculos statuenda, duo quidem præcipua: Alter locus habet verbum Petro dictũ, & est promissorium. Tibi dabo claues regni cælorum: & quodcunq; ligaueris super terrã, erit ligatum & in cælis: Et quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis. Quod idem verbũ postea omnibus etiam discipulis dicit: Amen dico vobis: Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis. Secundus locus, iam quasi illius promissionis impletio, ille est, vbi post resurrectionem Apostolis apparens insufflauit, & dixit eis: Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt. Circa hæc igitur Christi Domini verba non omnia nunc dicenda sunt, quæ pertinent ad explicationem clauium, potestatis atque vsus earum: de his enim postea. Nunc quod attinet ad duo illa prima loca ex Mathæo sumpta, notandum quòd Christus, non limitatam aliquam potestatem clauium, sed in vniuersum claues regni cælorum, hoc est, potestatem claudendi & aperiendi tradit, quacunque demum ratione ab homine fieri potest. Certum autem est remissionem mortalium peccatorum post baptismum ad hanc pertinere: nam (Paulo testante) qui illa agunt, regnum Dei non possidebunt. Excluſi sunt à iure hereditatis cælestis: à quo ergo introduci possunt, nisi ab eo qui habet clauem Dauid? Sed ille commisit suis claues. Igitur pars quædam potestatis clauiũ hæc sit, remissio peccatorum, non solùm per baptismum, sed & post: quam committit Christus vltimis illis verbis Ioannis: Quorum remiseritis peccata &c. Ex illis itaque verbis duo col

Matth. 18.

Ioan. 20.

ligi-

ligimus, quæ certe debent satisfacere volentibus non plus sapere quàm oportet. Primum, illis verbis cõstituuntur Apostoli & successores eorum iudices ad discernendum eos quibus remittenda sunt peccata, ab his quibus retinẽda. Frustra verò hoc factum esset, nisi subditi essent illis rei omnes. Ridicula esset iudiciaria potestas, cui nullus est subditus. Nulli ergo nisi ab eis remittuntur peccata. Omnes ab eis iudicandi de peccatis, non quibusdam, sed omnibus: hoc verò fieri non potest, nisi peccatoribus apertè confitentibus omnia: ergo sunt illis confitenda. Secundum quod ex eis verbis colligimus, est, quòd Christus ostendit omnibus remedium, quo remittantur peccata etiam post baptismum. Non enim limitauit ad ea quæ ante, vel quæ post &c. Ad quærendam verò remissionem illorum non est dubium teneri sub damnationis æternæ obligatione (hoc est, si saluari volunt) peccatores omnes, quod satis verbis ipsius Christi & scripturę, vbi præcipitur pœnitentia, indicatur. Igitur tenentur ad quærendum hoc remedium quod à Christo propositum est: & ergo ad submittendum se iudicio, an remittenda, an retinenda sint eorum peccata: quod iudices cognoscere nõ possunt, nisi ex eorum confessione: igitur ad illã omnes tenemur. Hæc duo planè ostendit locus ille: Quorum remiseritis peccata &c. constituit scilicet illos iudices ab eo, cui omne iudiciũ dedit pater (ab eo inquã, quod attinet ad hanc rem: vicarij constituti sunt) atque ita omnes reos illis subdi. Ostenditur, etiã omnibus hoc vnicũ remediũ, per iudiciũ scilicet eorũ, consequẽdi veniam peccatorum, ad quod quidẽ omnes tenentur. Nec putamus illa scrupulosius & subtilius (vt à nonnullis fit) pertractãda. Iuxta primum igitur, potestatem hanc remittendi & retinendi peccata non propriè ad Sacramentum Baptismi referendam esse, id satis ostendit, quòd alibi datur eis hæc potestas: Docete omnes gentes, baptizantes &c. quanquam & ibi sit nonnullum iudicium de remittendis vel retinendis peccatis, cùm discernunt dignos ab indignis: vel vt minimum, certum est, non ad id solùm referendam, baptismum scilicet, sed etiam ad eam remissionem quæ post baptismum fit, quæ nisi peccatis cognitis (vt diximus) fieri non potest: nec illa cognosci potest nisi confessione. Sed de his in fine huius lectionis latius.

Circa secundum verò etiam diligenter obseruandum, viam illam consequendi remissionem per auctoritatem illorum quibus commissa est, non esse aliam iudicandam à contritione & pœnitentia, vt (sicut quidam dicunt) ad hanc teneãtur quasi certiorem

tiorem, cùm illa contritionis incerta sit. Alienum est hoc à sensu scripturæ. Nec possum satis mirari ita sentientes. Si cõsequimur veniã peccatorum per contritionẽ, quæ via iam à Deo omnibus aperta est, & quasi naturali iure ostensa, sacramenti verò susceptio est alia: idem dicendũ erit de baptismo, & non erit omnibus necessarius, nisi fortè vt certius quoddã remedium. Absit hoc à sensu fidelium. Est necessarium omnibus hoc remedium sacramentale, quos necessitas non excludit à facultate suscipiendi. Quare hoc? nisi quia pœnitentia ipsa & contritio secum hoc adfert, vt pœnitens se subijciat remedijs omnibus, quæ à Deo ad hoc ipsum instituta sunt. Contritus ergo ante baptismum & pœnitens baptizari tenetur, non alia ratione, quam qua & pœnitere tenetur: ita contritus & pœnitens post baptismum tenetur iudicium adire à Christo institutum, ea ratione, qua pœnitere tenetur. Nec enim aliud hoc est, sed pars illius. Nam (vt apertius dicamus) tenetur se clauibus Ecclesiæ subdere, & per illas ingredi in regnum, à quo per peccatum exclusus est. Hic itaque est illius loci planus sensus, vltra quem nihil putamus quærendum, quo apertius probetur necessitas cõfessionis peccatorum ex institutione Christi: quam etiam satis ostendit manifestus vsus ipse confessionis, qui fuit in Ecclesia etiam Apostolorum tempore. Scribit enim Lucas, quòd Paulo apud Ephesum per biennium segregatis discipulis docente, & miraculis confirmante doctrinam multi credentium veniebant annuntiantes & confitentes actus suos. Vbi & de combustis libris eorum qui fuerant curiosa sectati, mentio fit: quod proculdubio ex pœnitentia factum est. Consideremus ergo nõ quasi nouum referri hoc, sed tanquam certissimę fidei argumentum, & indicium syncerissimæ doctrinæ Pauli. Non legimus hoc in ceteris ecclesijs, vbi fuerant Apostoli, factum: nec enim omnia scribenda erant, neque omnia scribi potuerunt: sed ex hoc vno de reliquis colligere possumus. Et Iacobus quidem hoc ipsum apertè non vt nouum aliquid statuit, sed doctrinã tradens Christi: Confitemini alterutrum peccata vestra, inquit. Qui locus, etsi alio detorqueatur ab hæreticis, nec negemus eum de confessione facta fratri ob consolationem, vel impetrandam orationem posse intelligi, tamen coniunctus verbo Christi, & præcedentibus atque sequentibus, satis conuenienter intelligitur de ea confessione, per quam potestati clauium subijcimur: & ita exponitur à Beda, de vtraque videlicet ista confessione. In hac (inquit) sententia illa debet esse discretio, vt quotidiana leuia-

Confessio sacramentalis Apostolorum tempore vsitata fuit.

Actuũ 19.

Iacob. 5.

leuiaque peccata alterutrum coëqualibus confiteamur: porrò grauioris lepræ immunditiã iuxta legem sacerdoti pandamus. Dixerat prius Iacobus: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum &c. Et post pauca: Si in peccatis est, dimittentur ei. Quod verbum Origenes & Chrysostom. vt postea latius dicemus, de remissione quę per confessionem fit, interpretãtur. Itaque satis ex his ostenditur, in vsu fuisse hanc confessionem tempore Apostolorum: Quod confirmat etiam præcursoris Ioannis vsus. Baptizabantur enim ab eo (inquit Euangelista) confitentes peccata sua. Constat enim Ioannem baptistam inter alia parasse viam Christo, assuefaciendo homines his quæ à Christo instituenda erant. Iam itaque illa confessionem istam, sicut & baptismum, portendebat. Non legimus qualis fuerit cõfessio, nec certè opus est vt fuerit qualis à Christo instituta est, sicut nec baptismus eius talis fuit, sed vmbra tantùm quædam illius. Et vt altius iam repetamus, confessio hæc in lege Moysi quoque fuisse satis ostenditur, præter illa quæ superius adduximus, sic præcipiente ipso in lege: Vir siue mulier cùm fecerint peccatum aliquod, suum confitebuntur peccatum &c. Et in Leuitico apertius certa quædam sacrificia iubentur offerri, atque distincta secundum distinctionẽ peccatorum: Si peccauerit (inquit) per ignorantiã: Anima quæ iurauerit, & non impleuerit. Quæ negauerit depositũ &c. Confideremus igitur nunc, quàm conuenienter mox à principio ipso legis inceperit populus Dei ad quandam confessionem peccati sacerdotibus faciendam assuefieri, ad confessionem quidem non admodum exactam, sed quæ sufficeret ad subiectionẽ & humilitatem coram sacerdotibus & ministris Dei. Deinde quomodo Ioannes Baptista ad eandem frequentius populum induxerit. Quę omnia cùm figura quædã fuerint Christi, & veluti rudia & informia quædam lineamenta ac vestigia, conuenientissimè ab ipso in noua lege perficienda erant statuto certissimo iudicio, cui se omnes subderent, & de omnibus peccatis sententiam audirent, efficacissimo scilicet remedio, & humanæ infirmitati summè necessario. Quod denique sub ipsis Apostolis videmus vsitatum fuisse. Hæc ex scriptura habemus.

Homil. 2. in Leuiticum.

Math. 3. Marci 1.

In veteri lege etiam quadã cõfessio peccati necessaria fuit.

Numeri 5. Leuitici 4. 5. & 6.

Sententia hæreticorũ de potestate ligandi & soluendi cõfutatur.

Non desunt hæreticis verba, quibus hæc peruertant. Ligatio (inquiunt) illa, remissio vel retentio fit per Euangelij prædicationem & baptismum. In vtroque enim (inquiunt illi) est remissio peccatorum vel retentio, ligatio vel solutio. Qui enim credunt prædicato Euangelio, consequuntur remissionem &

soluuntur,qui non credunt,contrà, cùm non consequantur remissionem peccatorum, retineri eis dicuntur: & cùm non soluantur ab eis,ligari. Idem etiam in baptismo fit. Et quia in vtroque horum certum est Apostolis & prædicatoribus Euangelij datum esse iudicium quoddam, vt discernant dignos ab indignis,hoc(aiunt)significant illa verba: Quorum remiseritis, & quidquid ligaueritis &c. Quibus omni modestia primò dicamus nos hæc non negare: fatemur prædicatione & baptismo remitti peccata, in quibus iudicium etiam quoddam dicimus esse: & ideo de his verba illa non negamus posse accipi: verùm vnde illi habent non esse etiam accipienda de remissione, quæ fit baptizatis iam per virtutem clauium in Ecclesia, & per iudicium & cognitionem peccatorum, quæ à baptizatis commissa sunt? Cur ipsi scripturã volunt restringere ad suum illũ sensum? aut cur putandum est Christum nullum reliquisse sacramentũ, quo peccata remittantur peccantibus post baptismum? cùm reliquerit ipsum baptismum ad remissionem eorum, quæ ante ipsum fiunt. Ex hoc enim sequetur, pauciora & minus efficacia remedia esse peccantibus post baptismum, quàm antea (cùm tamen hæc grauiora sunt illis) & minori negotio remitti peccata commissa post baptismum, quàm antea: cùm tamen in illis maior sit ingratitudo quàm in alijs, & digna maiori pœna. Et propterea optimè consideratum est à patribus, pœnitentiam hãc, qua quis subijcit se clauibus Ecclesiæ, secundum sacramentum esse remissionis peccatorũ, & quidem post baptismum. Immo si hoc rectè consideretur, & loca Euangelij expendantur, videbitur ab his, qui sine affectu partium & contentione salutem quærunt, potestatem prædicandi & baptizandi apertè alibi Christum dedisse: Prædicate Euangeliũ. Et iterũ: Docete omnes gentes baptizantes eos. Satis ex his locis & similibus alijs hoc erat explicatum, in quibus nihil dictũ est de iudicio, nihil de ligando & soluendo: quia certum est nullam ibi peccatorum præteritorum agnitionem necessariam esse. Et meritò quidem eorum, quę antequã ad Ecclesiã ventum sit, cõmissa sunt, extra Ecclesiam scilicet, nõ exigitur confessio, nec instituitur iudicium. At verò cùm dicitur: Quorum remiseritis, & quorũ retineueritis: ista solùm iudicium & potestatem significant circa peccata: quod meritò ostendit nõ propriè ad prædicationem Euangelij, nec ad baptismum pertinere, sed ad speciale hoc sacramẽtum: qui certè sobrius est & proprius scripturę sensus. Iam quæ ex euangelio adducuntur de leprosis, quos dominus ad sacerdo-

Matth. vlti.

tes

tes misit, Math. 8. Luc. 17. & quod in lege est de leprosis à sacerdotibus probandis: sicut & illud quod in Lazari resurrectione dictum est: Soluite eum, & sinite abire, testimonia sunt, quibus vsi sunt patres, sicut & illud etiam de soluendis asina & pullo: Soluite & adducite mihi. non quòd putemus istis efficaciter illud probari. Sunt probabilia quidem & persuadentia argumenta, quæ ex mysticis sensibus sumuntur, quæ magis rem probatam explicant & cõmendãt: quare reperiuntur vsi illis Augustin. Athanasius. Chrysost. quos impudentissimè nõnulli hæreticorum audent etiam mentitos dicere, quòd in Euangelio non legatur discipulis dictum: Soluite. cùm patres intellexerint non iuxta literam dictum, sed iuxta mysticam significationem. Clament ad hęc, tergiuersentur: nos omni ratiocinatione relicta, ad cõsensum omnium temporum ecclesiæ recurrimus, illi inniti- mur cùm de diuerso sensu scripturę dubium est. Ratiocinationes illas quas fecimus, si quietando alicuius animo sufficiunt, acceptentur ab eo: sin minus, sufficiat illi patrum auctoritas: immo omnibus ista requirenda est: de qua sequenti lectione. Math. 21.

LECTIO SECVNDA.

De eadem necessitate Confessionis ex testimonijs Patrum.

CONFESSIONIS, qua sacerdoti peccata detegũtur, doctrina atque vsus tam manifesta sunt in patrum omnium doctrina, vt apertum sit ab Apostolis eam incepisse. Omnes tanquam de re iam certa ita loquuntur, vt manifestum in singulorum testimonijs sit, nullã de hac re fuisse controuersiam. Immo reuera constat ex eorum testimonijs, multo seuerius tunc fuisse seruatam, & exactam etiam: cùm scilicet maior esset vitæ sanctitas, & seueritas disciplinæ. Pro publicis peccatis publicè etiã fiebat cõfessio & pœnitentia: nonnunquã & pro ipsis occultis, pro qualitate eorum & arbitrio sacerdotis, publica etiam corã Ecclesia fiebat humiliatio, atque ita confessio: quod vsque hodie etiam in ecclesia Romana ex illa antiqua cõsuetudine deriuatũ, fit. Nudantur pœnitentes & flagellantur accerrimè publice, quorũ peccata nec agnoscuntur: hoc tantũ fit in exemplũ &

ædificationem aliorum, & quandã manifestationem pœnitentię, quę in Ecclesia agitur. Fuerunt & circa hoc olim abusus aliqui, vt inferius patebit: sed hęc omnia confirmant, quam fuerit certa habita hæc confessionis peccatorum doctrina, & quanto rigorosius exacta, quàm nunc, Iam igitur audiamus vel singulorum temporum aliquot patrum manifestissima de hac re testimonia.

Origenes, Sit primus antiquissimus Origenes. Hic frequentissimè de ea mentionem facit. Vnde in Psalmum 38. Homil. 2. exponens hoc verbum: Quoniam iniquitatem meam pronũciabo, vt ille legit: Pronunciationem iniquitatis (inquit) id est, confessionem peccati frequentius diximus. Vide ergo quid edocet nos scriptura diuina: quia oportet peccata non celare intrinsecus. Vbi adducta similitudine eius qui indigesta esca aut phlegmate grauatur, & illa persuadens euomenda esse peccata, testimonium reddit vsui confessionis. Tantummodo (inquit) circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Et post multa de hoc & de sequendis eius consilijs dicta, addit. Si intellexerit & præuiderit talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, multa hoc deliberatione & medici illius consilio procurandum est. Vides apertè omnia prius sacerdoti tunc fuisse detecta, & quandoque iudicio illius Ecclesiæ.

Similiter & in homilia 2. super Leuiticum, inter ceteras peccatorum remissiones alteram dicit perdurã & laboriosam pœnitentiam, cùm lauat peccator in lachrymis stratum suum, & cùm non erubescit sacerdoti domini indicare, & quærere medicinam, sicut scriptum est: Iniquitatem meam pronunciabo. Vbi & illud Iacobi de hoc intelligendum dicit: Inducat presbyteros Ecclesiæ &c.

Tertullianus. Succedant Origeni duo ex antiquioribus latinis, Tertullianus videlicet & Cyprianus, quorum vterque eodem modo tanquam de re certissima de confessione loquitur. Primus quidẽ libro de pœnitentia, secundam pœnitentiam, quæ post baptismum scilicet fit, vocabulo græco dicit & exprimi & frequentari in Ecclesia, Exomologesis: qua delictum nostrum (inquit) confitemur: de qua ibi secundum illum seueriorem ritum, qui tunc in Ecclesia seruabatur, multa elegantissimè dicens, Exomologesis (inquit) prosternendi & humiliãdi hominis disciplina est. De ipso quoque habitu atque victu mandat sacco & cineri incubare &c. & post multa, presbyteris aduolui. Vbi pro con-

confessione hoc dictum esse, ex sequentibus patet. Exhortatur ad superandum pudorem confitendi, ita vt apertissimum sit de re notissima & vsitata illum locutum fuisse. Cyprianus sermone de lapsis apertissimè arguit temeritatem eorũ, qui post negatam fidem, ante expiata (inquit) delicta, ante Exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu sacerdotis, accesserunt ad altare. Et post multa in eodem sermone, de occultis etiam, & quę sola cogitatione perpetrata sunt confessionem docet faciendam. Arguens enim eos qui simulatoriè, & ita vt occultari possent consenserant sacrificijs idolorum, dicit: Quanto fide maiores, & timore meliores sunt, qui quamuis nullo sacrificij aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerũt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentur, Exomologesin conscientię faciunt, animi sui pondus exponunt &c. Quid manifestius de occultis cogitationum peccatis dici potest? Non omittamus Clementis & Dionysij, successorum & discipulorum Apostolorum testimonia: quanquã non desint qui scripta illa pro certis non habeant. Sunt tamen proculdubio non minimæ antiquitatis, nec parum probabile est illorum esse magna ex parte. Igitur Clemens Epistola prima: Quod si forte (inquit) alicuius cor vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat confiteri hæc huic qui præest, vt ab ipso per verbum Dei & consilium salubre curetur. Et post multa in eadem Epistola de Petro loquens: Quotidiana eius prædicatio hæc erat &c. vbi multis relatis: Instruebat (inquit) actus vitæ suæ omni hora custodire, & in omni loco Deum respicere, cogitationes malas suo cordi aduenientes mox ad Christum allidere, & sacerdotibus Dei manifestare. Dionysij verò extat pulcherrima illa Epistola ad Demophilum monachum, in qua illum acriter increpat, quòd procidentem sacerdoti impium atque peccatorem calce abiecerit, cùm ille (inquit) verecundè fateretur se ad peccatorum remedia quærenda venisse. Vbi vides manifestum vsum pœnitentiæ. Post hos accedant sequentis ætatis insignes illi Hieronymus, Ambrosius, Augustinus: & ex Græcis Chrysostomus & Basilius contemporanei, & studiorum atque pietatis socij. Hi igitur omnes manifestissima perhibent testimonia auctoritati & vsui clauium, atque ita confessioni. Hieronymus igitur illa verba Matthæi 16. Tibi dabo claues regni cælorum. quanquam reprehendens sacerdotes quosdam, qui aliquid sibi de supercilio Pharisæorum (inquit) assumunt,

Cyprian°.

Clemens.

Dionysius.

Hieronymus.

munt, vt vel damnent innocentes, vel noxios soluãt, ita inquit, adducta similitudine leprosorum legis: Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit, sic & hic ligat vel soluit Episcopus vel presbyter: non eos qui insontes sunt vel noxij: sed pro officio suo, cùm audierit peccatorum varietates, scit qui ligandus sit, quiue soluendus. Vbi diligenter considerãda est illa similitudo, & quo referatur. Sicut facit mundum & immundum ille veteris legis sacerdos, sic noster soluit. Non dixit absolutè, sic absoluit: sed, non eos qui insontes sunt & noxij, hoc est, non indifferenter & promiscuè, sed audita peccatorum varietate. Vbi vides quàm apertè de audiendis peccatis & discernendis fit mentio. Idem etiam in Ecclesiasten, expo nens illud: Si momorderit serpens in silentio &c. Si quem (inquit) serpens diabolus occultè momorderit, si tacuerit qui percussus est, & nõ egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & Magistro voluerit confiteri &c. Vbi vides pœnitentiam & cõfessionem coniunctam. Iam Ambros. qui nonnunquàm quędã dicit, quibus videtur docere non esse necessariam confessionẽ, vt in serm. de pœnitent. Petri: Inuenio (inquit) quòd fleuerit, nõ inuenio quid dixerit &c. Et deinde: Lachrymæ lauant delictũ, quod voce pudor est confiteri. Lachrymæ ergo pariter & saluti & verecundiæ consulunt: quod Gratian. de pœnit. d. 1. citauit. In libris tamen de pœnit. manifestissimè de confessione loquitur. Soluit (inquit) criminum nexus verecũda confessio peccatorum. Item manifestissimè admonet, non erubescendum esse confiteri. Hoc ergo (inquit) in Ecclesia facere fastidis, vbi nihil est quod pudori esse debeat, nisi non fateri, cùm omnes simus peccatores &c. Vbi multa de sequenti illa, quam superius diximus, confessione coram Ecclesia. Habentur libri illi ab omnibus doctis pro libris Ambrosij: nobis non omnino videntur eius esse. Nam præter hoc quòd loca aliqua scripturæ torquet, & peruertit sensum, disputans contra hæreticos, vt 2. cap. primi libri citato eo loco: Omnis qui me confessus fuerit &c. qui autẽ negauerit me &c. inquit: gratiã promittit omnibus, non omnibus minatur iniuriam. Et cap. 3. & 4. latius hoc prosequẽs, de negante exterius tantùm fidem loquitur minus sobriè, dicens tandem, quòd de his diabolus dicere poterit: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Et denique contra Nouatianos importunè nimium est verbosus, minus tamen habet sententiæ, nonnunquam eadem inculcans ad verbum. Et 8. cap. quandam sui accusationem prætexit valde insulsam, &

Cap. 20.

Ambrosius.

46.

Lib. 2. cap. 6.

Iudicium auctorum de libris de pœnitẽtia, qui D. Ambrosij dicũtur.

2. lib.

in-

indignam grauitate Ambrosij. Ego sciebam (inquit) quòd non eram dignus vocari Episcopus, quoniam dederam me huic sæculo &c. Imitatur in multis Ambrosium auctor ille, sed mox degenerat. Malumus itaque non ex eo libro tribuere Ambrosio quę vera sunt, quàm vt cogamur tam indigna ex eo postea suscipere. Sufficiat ergo ad iudicandum Ambrosij sensum & vsum Ecclesiæ suæ quod de eo Paulinus scribit in vita ipsius. Quotiescunque illi aliquis (inquit) lapsus suos confessus esset ob percipiendam pœnitentiam, ita flebat, vt illum flere compelleret. Causas autem criminum, quas illi cõfitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur. Ecce confessionem occultam peccatorum. Nec certè illud verbum: Lachrymæ lauant delictum &c. si bene consideretur, vlla ex parte excusat à confessione. Dicit lauari delictum lachrymis, quod voce pudor est confiteri, nõ tamen dicit: etiam si non confitearis, sed quòd lachrymæ & dolor faciant minus sentiri pudorẽ &c. Augustinus primò in libris de doctrina Christiana, manifestè docet potestatem clauiũ in Ecclesia, nec aliter donari peccata, quàm per illas. Et super Ioannem de resurrectione Lazari loquens, & illud exponens: Processit qui erat mortuus ligatus manus & pedes. Quando confiteris (inquit) procedis: sed vt cõfitearis, Deus facit magna voce clamando, id est, magna gratia vocando. Ideo cùm processisset mortuus adhuc ligatus, confitẽs & adhuc reus, vt soluerentur peccata eius, ministris hoc dixit Dominus: soluite illũ: Vbi vides quàm apertissimũ sit hoc testimoniũ confessionis & potestatis ministrorum. Dixit verò ministris, inquit Augustinus non Apostolis aut discipulis suis: nec enim hoc opus est. Sed quoniã aliquibus hoc dictũ est, qui hoc præstiterunt ministeriũ, illos dicit Augustinus figurã tenere sacerdotum omniũ. Et iuxta hoc, etiam si apud aliquem patrum legatur Apostolis dictũ, quod superius diximus aduersarios reprehendere, intelligi tamen potest, vel quod probabile sit ipsis dictũ esse, qui prõptiores erant ad ministrandũ Christo: vel certè intelligendũ, Apostolis dictũ esse in figura: illos enim quicũq; fuerũt ministri, figuificârũt, sicut omnes alios sacerdotes: Et in psal. illo 66. quẽ suprà citauimus: Confiteãtur tibi populi Deus, lętẽtur & exultẽt gentes. pulchrè exhortatur ad confessionem. Quid times (inquit) confiteri? si nõ confessus lates, nõ cõfessus damnaberis. Times cõfiteri, qui non confitendo esse non potes occultus? Damnaberis tacitus, qui posses liberari cõfessus. Vbi vide quòd tanquã necessariã exigit confessionem. Et apertius idip-

Augustin. ca. 17. & 18. Tract. 49.

idipsum: Ad hoc (inquit) exigit Deus confessionem, vt liberet hominem: ad hoc damnat non confitentem, vt puniat superbū: ergo tristis esto antequam confiteris, confessus exulta, iam sanaberis. Et ne quid desit: Confiteri (ait) exeat in confessione & defluat omnis sanies. Iam exulta, iam lætare, quod reliquum est facilè sanabitur. Vide igitur omnium peccatorum confessionē.

Cap. 65. Denique in enchiridio ad Laurēt. manifestè de remissione crīminum, & pœnitentia pro arbitrio eorum qui præsunt in Ecclesia loquens, satis indicat necessariam confessionem esse. Nec enim aliter ab Ecclesię ministris tempus & modus pœnitentię

Hilarius. præfigi posset. Sed nec omittamus hoc in loco horum etiā temporum vicinum & antiquiorem Hilarium, tantæ auctoritatis doctorem. Is igitur potestati clauium magnum perhibet testi-

Math. 16. monium in Math. primò exponēs illud dictum Petro: Tibi dabo claues &c. Beatus (inquit) cæli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in cælo, vt quæ in terris aut ligata sunt aut soluta,

Math. 18. statuti eiusdem conditionem obtineant & in cælo. Et iterum in alia verba dicta Apostolis omnibus: Quæcunque solueritis super terram &c. Immobile auctoritatis apostolicæ iudiciū præmisit, vt quos in terris ligauerint, id est, peccatorū nodis innexos reliquerint, & quos soluerint, confessione videlicet veniam receperint in salutem, ij Apostolicæ conditionis sententia in cę lo ligati sunt aut soluti. Quæ Hilarij verba apertè virtutem & operationem quandam tribuunt clauibus. Vult enim conditione illius sententiæ in cælo peccatores aut ligatos esse aut solu-

Cyprianus lib. 2. epi. 2. tos. Quod Cyprianus etiam apertissimè testatur in Epistola ad Corneliū. Ipse, inquit, qui legem dedit, promisit vt ligati in terris, etiam in cælis ligati essent: solui autem possent illi, qui hic prius in Ecclesia soluerentur. Interim verò quis putet Hilariū in illis verbis non meminisse confessionis peccatorum, aduertat quòd manifestè iudicium & cognitionem peccatorū oportere præcedere docet. De Basil. & Chrysosto. nunc dicendum. Et primus quidem manifestissimè de hac re loquitur, quod suf

Basilius ficeret, vt idem & Chrysost. sensisse credatur, qui studiorum &

Cap. 21. pietatis Basilij socius fuit. Basilius ergo in regula monachorū, iuxta Ruffini translationem, quæstioni huic, an omnibus confitenda sunt peccata, apertè respondet, his quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est, confitenda esse: & necessitatem cōfessionis ex locis illis actuum Apostolorum & Mathęi, quæ suprà adduximus, cōfirmat: & in eadem regula frequenter

de

de hac re sermo est. D. Chrysostomi auctoritas obijcitur nobis maximè ab aduersarijs contra confessionem ex homil. 2. in psal. 50. Peccata tua (inquit) dicito vt deleas illa: si confunderis alicui dicere quia peccasti, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico vt confitearis conseruo tuo, vt exprobret: dicito deo, qui curat ea. Igitur diligenter quid ille senserit considerandum. Et quidem in libris de sacerdotio manifestissima testimonia eius sunt de auctoritate clauium, & necessitate subijciendi se illis. In 2. lib. docet tanta auctoritate sacerdotum non esse importunè premendos peccantes, citato illo verbo Pauli: Non vt dominemur fidei vestræ. Et tandem inquit: Quamobrem multa quidem arte opus est, vt qui laborãt Christiani vltrò sibijpsis persuadeant sacerdotum curationibus sese submittere oportere: Multa ibi in hanc sententiam dicit, vt scilicet doceat necessarium esse, vt subijciant se peccatores ministris. Vnde tandem inquit: Quocirca multa quidem pastori opus est prudẽtia, sexcentis etiam (vt sic dicã) oculis, vt rectè vndique humani animi habitum circumspicere possit. Et multa de hac re locutus: itaque nihil horum (inquit) relinquendum est, quod probè nõ excutiat atque examinet Episcopus, quin omnia accuratè atque studiosè perscrutetur: tum demùm oportet illum sua ipsius remedia congruè, aptè ac commodè afferre: idque ne operam forte ludat. Vbi deinceps multa ad exhortationem Episcoporum, de diligentia circa peccatores curãdos adhibenda loquitur. Sed hæc satis ostendunt necessitatem subijcienda se illorum iudicio, & diligentiam examinis necessariam: quę omnia non aliter quàm per confessionem constat fieri posse. Iam in 3. lib. potestatis clauium sunt magna præconia, similia quidem Hilarij & Cypriani dictis. Habent (inquit) terrestres principes vinculi potestatem, verùm corporum solùm. Sacerdotum autem vinculũ ipsam etiam animam contingit, atque ad cælos vsque peruadit: vsque adeo, vt quæcunque inferne sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat. Multa ibi de hac auctoritate pulcherrimè. Hoc solùm verbum notemus: de sacerdotibus enim veteris legis locutus, ita inquit: Corporis leprã purgare, seu (vt verius dicam) non purgare quidem, sed purgatos probare, Iudæorum sacerdotibus solis licebat: At verò nostris sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Videbitur hoc contrarium ei, quod ex Hieronymo suprà citauimus in Mathæum: sed reuera non est contrarium. Ille pro arbitrio vel libi-

Obiectio cõtra cõfessionem ex Chrysost.

Testimonia pro necessit. confess. ex Chrysostomo.

libidine negat fieri posse, sed cognita caussa: hic verò illa cognita, dicit verè sacerdotē purgare peccata. Ex his itaque cùm satis ostendatur quid Chrysostomus senserit de confessione, putamus exponendū esse quod aliter visus est dixisse: maximè cùm apertè audierimus eū dicentē, multa arte opus esse, vt persuadeatur Christianis laborantibus oportere se subijcere. Possunt itaque illa referri ad confessionem illam seueriorem, qua peccata nonnunquā publicabantur in Ecclesia. Non dico (inquit) vt confitearis conseruo qui te prodat, hoc est, sic vt prodi possis. Confitere (inquit) Deo: quoniam soli illi veracius quàm homini secreta cōfessio fit. Nam in eo ipso loco diligenter admonet, non cessandum esse à confessione ob verecundiā. Cetèrùm in ea quę soli Deo fit confessione, non est admodum magna, immo reuera nulla erubescentia, quæ retrahere possit à cōfitendo. Dicit ibi: Dic in anima tua. Sed omnibus bene pēsatis, non potest colligi nō necessariam apertè dixisse confessionē. Fortè tunc putauit parum esse dissimulandū, cùm tamen alibi diligenter exhortetur ad confessionē, & sensum suum indicet. Nec ex vno aut altero, quantæcunq; etiā auctoritatis doctore, contra cōsensum aliorum & Ecclesię argumentum sumi debet. Augustinus solis libris canonicis voluit tantā tribui auctoritatem, vt de eis nulla ratione dubitetur. Consensum verò Ecclesiæ tanti facit, vt non dubitet ab Apostolis vel plenarijs concilijs profectum. Iam verò Ecclesiæ vsum apertissimis & sufficientibus testimonijs vidimus & Græcorum & Latinorum.

Exponuntur verba Chrysostomi quæ cōtra cōfessionem adducuntur.

Simili etiam modo respondendum est auctoritati Nectarij, qui (vt Zosomenus refert in tripartita historia) propter populi scandalum, presbyterū qui super pœnitentes erat, abstulit, singulos ad communicandum iudicio conscientiæ suæ relinquēs. Ex qua (ait auctor ille) sublata est antiquitatis consuetudo. Primò enim Nectarius prædecessor Chrysostomi, quanquam catholicus & pius, potuit tamen errare, re nōdum per plenarium concilium & vltimum Ecclesiæ iudicium satis definita. Deinde eo ipso loco apertè testatur auctor confessionem necessariam. Qui inquit confiteri refugiunt, maius peccatorum onus acquirunt. Affirmat etiam fuisse consuetudinem antiquitatis de cōfitendo, & ita visum fuisse antiquis Pontificibus. Cur igitur non præferemus eos vni Nectario? Et vnius illius Ecclesiæ Constantinopolitanæ auctoritas nō est tanta, quanta aliarū omniū Ecclesiarum. Deniq; si diligentius ille locus cōsideretur, non dicit occultam confessionem abrogatam, sed seueriorem illam,

De facto Nectarij, quē dicunt cōfessionē abrogasse. Lib. 9. cap. 35.

illam, qua publicè in Ecclesia peccata ostendebantur. Ita apertè auctor ipse inquit: visum esse antiquis Pontificibus, vt velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici populi delicta pandantur: & ad hanc rem presbyterum bonæ conuersationis, seruantemque secretum, ac sapientem virũ statuere. Hunc ostendit ibi pro arbitrio suo satisfactiones publicè in Ecclesia exoluendas imposuisse: & hunc inquit fuisse ablatum, & vnumquenque dimissum iudicio conscientiæ suæ ad communicandum: quod hodie in confessione illa secreta fit. Non enim si quis arcetur à communione, ita fit, vt prodatur aliquod peccatum. Igitur hæc omnia magis cõfirmant, quę de necessitate confessionis dicta sunt: ex quibus primæ illius ætatis Ecclesiæ habemus apertissima testimonia. Vnde constat non à posteriorum aliquo inuectam esse confessionem. Nã posteriores omnes eodem modo etiam de ea loquuntur: vt Leo, magnæ sanctitatis & auctoritatis Pontifex, multis locis: & inter cetera in epistola ad vniuersos episcopos per campaniam &c. Abusum quendam contra Apostolicam regulam (vt inquit) præsumptum damnans, quo de singulorum peccatorum genere confessionem libellis scriptam publicè in Ecclesia recitabant. Reatus (inquit) conscientiarum sufficit solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Vbi etiam hoc ideo auferendum ait, ne multi à pœnitentiæ remedijs arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis facta sua referare &c. Magnus etiam Gregorius rationem hanc secutus grauissimè statuit puniri sacerdotem, qui aliquid dixerit de his, quæ sibi confessa sunt peccata, vt habetur cap. Sacerdos. de pœnitentia dist. 6. Ex quibus iam vide tam persuasam esse confessionem in Ecclesia, & tantam fuisse seueritatem in ea, vt irrepserint abusus etiam isti, quos sancti Pontifices emendari curârunt, cùm tamen interim populi pro animarum suarum salute & Dei timore sustinerent duriora quàm necesse esset. Non est opus vt plura addamus ex singulorum doctorum doctrina: duo tantum hic volumus notata esse, quibus maximè hæc veritas confirmatur. Primùm. Cùm onus hoc cõfitendi omnia peccata grauissimum sit, & (vt inimici clamant) carnificina quędam conscientiarum, tamen vt hoc interim omittamus, contra quod inferius agetur, illud certũ est, infirmis & paruulis grauius hoc vnum esse, & difficilius ceteris omnibus Christianis moribus. Cùm igitur hoc ita sit, quis fuisset ausus in Ecclesiam tantum onus inuehere, si id ab ipso Christo præceptum esse non intellexisset? Probant hinc nonnulli cõfessionem à Christo præceptã,

Leo. 7.8.

Gregorius.

quoniam nulla potestate humana, etiam ab ipso Christo data Ecclesiæ, potuit præcipi vt occulta quis confiteretur. Nos interim, vt hoc omittamus, quòd subtilioris est disputationis, nec admodũ ad rem pertinet, nõ dubitamus Ecclesiam nunquã hoc ausuram, vt imponeret tam graue onus, si non intellexisset, à Christo edocta, præceptum esse. Immo addimus secundũ. Debuerant certè antiquiores illi manifestè dicere populo hoc non esse necessarium, ne laqueum inijcerent animabus, & imponerent onera grauia & importabilia: sed dixissent, hoc esse ad meliora exhortari. Ceterùm confessionem ita docere, vt superius vidimus Origenem, Cyprianum, Hieronimum, Augustinum, & ceteros tanquam necessariam & omnino faciendam docuisse, non admonentes quòd necessaria non esset, si aliter sentiebant, certè grauiter imponebant populo: quod absit à tãtis patribus. Sufficere ergo debent & illorum testimonia, & scripturæ ac Euangelij ipsius verba: quæ cùm aduersarij nostri dicũt de prædicatione Euangelij vel baptismi intelligi, opponamus eis tantorum patrũ auctoritatem: Hilarij, Cypriani, Hieronimi, Chrysostomi: & expendat apud se quicunque circa salutem suam non vult sciens errare, quibus magis credendum sit: Luthero & suis, ad prædicationem tantum Euangelij referentibus: an his tantæ auctoritatis patribus? Iam de iudicio & definitione conciliorũ, & ceteris agemus sequenti lectione.

LECTIO TERTIA.

De necessitate confessionis ex definitione conciliorum & sedis Apostolicæ: de vtilitate eius & veritate sacramenti pœnitentiæ.

Lib. 2. de baptismo cõtra Donatistas ca. 3. & 4.

QVONIAM (vt Augustinus inquit) vniuersalium conciliorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, in quibus sæpius aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat: quibus sine dubio cedere debet omnis priuata auctoritas: in illis meritò vltima est decisio controuersiarum fidei. Dicamus igitur iam quid circa hoc dogma in concilijs definitum sit. Nã post primos illos quos citauimus doctores, de sequentis ætatis docto-

doctorum consensu non est opus dicere. Constat enim quàm absque contradictione necessitatem confessionis tenuerint. Richardus & Hugo de sancto Victore, Bernardus. Gratian. Magister sententiarum, & scholastici omnes doctores: quanquam subindicent quidam eorum controuersiam nonnullam de iure, quo confessio introducta sit. Igitur primum quod de ea re inuenimus aliquid definuisse, concilium Lateranense fuit sub Innocentio tertio doctissimo & pijssimo pontifice. Fuit illud concilium frequentissimum, vt historiæ produnt, & prælatorum numero, & auctoritate, & regum omnium, atque imperij Latini & Græci consensu. In eo habetur illud celebratissimum decretum: Omnis vtriusque sexus &c. Quod quanquam omni genere conuitiorum & contumeliarum hæretici proscindant, ipso tamen tot annorum & ecclesiarum omnium in vnitate permanentium consensu & perpetua obseruantia ita firmatum est, vt illud reprehendere non sit aliud, quàm omnium piorum & doctorum auctoritati se opponere, & asserere tot annorum centenarijs desertam esse à Christo Ecclesiam. Præcipitur ergo ibi omnibus ratione vtentibus fidelibus, vt saltem singulis annis semel proprio sacerdoti confiteantur omnia sua peccata. Quod manifestè patet necessarium fuisse lapsa iam magna ex parte seueritate illa antiqua, in qua non semel tantum, sed frequentissimè & quoties peccatum esset, efficacissimè excitabantur fideles à pastoribus vt confiterentur. Et quàm apertè salubritas statuti illius manifestatur experientia ipsa? Quis enim non videt in tanta temporum horum & tepiditate & abundantia malitiæ, obliuioni etiam iam confessionem peccatorum tradendã fuisse, & abolendum vsum eius, nisi tantæ auctoritatis præcepto fulta mansisset? Profectò si rectè consideremus quomodo multa conciliorum, & illius quoque statuta, saluberrima etiam, seruentur, & quàm facilè nonnunquam posthabeantur: videbimus hoc tam durum quidem multis, non sine diuina prouidentia tam constanter obseruatum fuisse. Nam quod calumniantur inimici, illud à sacerdotibus, tyrannicè populum conantibus subijcere, tanta diligentia conseruari, præter temerarium iudicium quod habet, de alienorum videlicet cordium intentione, manifestè stultum esse docet experientia. Grauissimum est hoc onus ipsis sacerdotibus: & minus pij libenter id omitterent, maximè cùm nihil periret emolumenti & quæstus ipsorum, vt in plurimis locis sit. A pietate itaque Christiana, & Dei prouidentia fuit hucusque tam inuiolabilis

Concilium Lateran. sub Innocentio tertio.

Defenditur canon ille: Omnis vtriusque sexus.

huius statuti obseruatio: & vtinam tanta nostrorum temporum malitia non abeat in obliuionem, etiam vbi non vigent hæreses. Nam sciunt quid agatur à multis qui aliquo Dei timore id cõsiderant. Ex huius concilij statuto posteriores nonnulli scholastici, & grauiores quidem, vt b. Thomas, & S. Bonauent. putant definitam esse quæstionem illam, an iure diuino, an solùm statuto Ecclesiæ teneamur ad confessionem hanc. Vterque eorum distinct. 17. 4. in expositione literæ asserit opinionem illã, quam Magister refert, nec damnat (quòd videlicet sufficiat Deo confiteri, & quòd iure diuino non sit necessaria confessio) post determinationem illius concilij hæreticam esse: quod quanquam alijs recentioribus, vt Adriano & nonnullis alijs, non satis videatur probari: præcipuè quòd in eo concilio nulla definitio facta sit, sed tantum statutum vt confiterentur omnes: tamen & illi asserunt semper fuisse hæreticum, negare confessionem esse iuris diuini: quanquam ignorantia vel inconsideratione possit excusari aliquis id asserens, sicut Glossatur decreti. Tamen & hoc nõ omittendum, quòd priorum sententia magnam habet, si rectè pensetur, rationem. Considerârunt illi primum statutum illius concilij non vt nouum inuectum fuisse, aut imposuisse de nouo aliquid fidelibus, sed indicasse eos ad id teneri: & voluisse, vt saltem semel in anno fieret. Quid hæc verba significant? (vt id quod frequentius fieri deberet & vellet concilium, si non sæpius, saltem in anno semel fieret.) Cõsiderârunt deinde, quòd hoc concilium primò de hac re locutum est, non quidem illa in cõtrouersiam deducta à disputantibus, sed (vt videtur) à corruptis moribus obliterari cœpta. Itaque nullius alterius concilij innititur auctoritati, nullius vel consuetudinis vel statuti alterius mentionem facit, sed tanquam de re certissima & constantissima statuit, ne negligentia pereat. Itaque si non apertè definit, certè supponit dubitari non posse, illam obligationem maiori alio iure introductam fuisse. Nulla (vt diximus) auctoritas humana auderet hoc onus imponere. Confirmant ista quę in eodem statuto sacerdoti præcipiuntur de diligentia inquirendi peccatoris & peccati circumstantias, & adhibendi salubria remedia, more (inquit) periti medici. Itaque constat hanc necessitatem confitendi nunquam pertinaciter in dubium versam fuisse, vt opus esset in concilio definiri, vsque ad Ioannem VVicleph & hæreticos illos Bohemos: contra quos actum est in Concilio Constantiensi, in quo, sessione octaua, septimus error damnatur tanquam contra catholicam fidem, videlicet hic: Si

Concilium Cõstantie.

homo

homo fuerit debitè contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis. Et apertius postea ex eodem concilio habetur octauus eius articulus damnatus: confessio vocalis facta sacerdoti, introducta per Innocentium, non est tam necessaria, vt definit &c. Nonus articulus similiter damnatus. Graue est (inquit) & infundabile, presbyterum audire confessionem populi eo modo quo latini vtuntur. De qua etiam re damnatur articulus decimus eiusdem. In quibus videre apertissimum est insanias hæreticorum. Innocentius (inquit) definit necessariam confessionem: mendacium est apertissimum: interim tamen supponit proculdubio definitam. Postremò & in Concilio Florentino sub Eugenio quarto, certissimo & verissimo pontifice semper ab Ecclesia habito, conuenientibus etiam Græcis & Latinis: vbi Armenijs sese vnientibus Ecclesiæ, doctrina sacramẽtorum traditur, quam Romana Ecclesia tenet, & quam in principio tractatus huius sacramentorum proposuimus tanquam certissimam regulam, ei qui non vult ab vnitate secedere. Ibi apertior & manifestior de confessione est definitio, quam si coniungamus illi (de quo superius diximus) statuto Ecclesiæ excommunicantis eos, qui de sacramentis aliter senserint quàm Romana Ecclesia sentit, non videmus quomodo excusari possint iam, qui negare aut dubitare de necessitate confessionis, vel de ipsa institutione Christi volunt: vt faciunt nonnulli Iuristæ: glossa illa decreti de pœnitentia dist. 1. & Panormitanus Abbas: sed plus his (vt iudicant prudentes & pij multi) excesit Erasmus inter colloquia puerilia mouens de hac re dubitationem, & tandem in libro de modo confitendi dubiam etiam eam relinquens. Sunt tandem aliquando finiendæ controuersiæ & dubitationes, præcipuè de rebus ad salutem pertinentibus: nec quidquid olim dubitatum fuit aut in controuersia positum, semper ita manere debet (Augustino dicente, quod experientia ipsa, & ratio declarata facit, vt quæ prioribus dubia fuerunt, sint posterioribus certa) & maxime in hac re, de qua (vt ostẽdimus) priscis temporibus nullum dubium fuit, sed vt simpliciter necessaria confessio habita est ab his patribus quos citauimus, & ante paucos annos cœpit in controuersiam venire. Ceterùm non est omittendum, esse aliquorum Theologorum, & grauiorum quidem, de hac re opiniones, quæ parum videntur ab his quę diximus discedere, sed reuera sunt illis cõtrariæ. Hugo de S. Victore lib. 2. de sacramentis, dicit confessionem insinuatam à Christo, sed præceptã ab Apostolis, promulgante Iacobo: Con-

Concilium Florentinũ sub Eugenio 4.

ad abolendũ de hæret. Quidã Iuristæ & Erasmus de præcepto confess. aliter sentientes reprehendũtur.

P. 14. ca. 1. Sententia Hugonis & b.

Bonauẽturæ declaratur.

fitemini alterutrum &c. Sequitur illud b. Bonauent. d. 17. Verùm si bene omnia scripta eorũ legantur, non dubitant à Christo institutam, sed tantum dicunt non apertè ab eo mandatam: cuius etiam rationes adferunt, quòd scilicet satis erat infirmis indicasse remedium, & medicos quos adirent. Sed absit vt illi putauerint confessionem, quæ ad sacramentum necessaria est, & sine qua manifestè remissio vel retentio peccatorum fieri non potest post baptismum, esse humanæ institutionis. Explicatio igitur duntaxat confessionis tribuitur Apostolis ab illis. Consentientibus itaque & antiquis & recentioribus, hoc certum habemus, ex præcepto Christi, & necessitate sacramenti esse necessariam confessionem peccantibus post baptismum: nec sine periculo hæresis contrarium affirmari posse.

Cur Christus voluerit nos cõfiteri peccata nostra sacerdoti.

Inquiritur meritò, & quidem piè, de ratione huius institutionis & vtilitate, cur tantopere placuerit Christo hoc tam graue onus (vt multis videtur) imponere hominibus in lege summæ libertatis? De qua re quanquam multa scripta sint, & multæ collectæ vtilitates huius confessionis: quòd videlicet plurimum conducat ad frangendam superbiam humanæ elationis, ad seipsum cognoscendum: quòd ad satisfactionem peccati, & cauenda futura pudor ille valeat plurimùm & apud Deum & apud homines: denique quòd ad detestanda peccata plurimum valeat, & ad certiorem doctrinam circa mores à sacerdote accipiendam, & ad auferendam noxiam securitatem, ac desperationem: & ad consequendam non minimam consolationem, & absolutionem. Quanquam igitur hæc omnia Erasmus eo libello de modo confitendi, & post illum alij diligenter considerantes dixerint, quæ omnia meritò commendanda sunt & docenda, nos tamen putamus in ea re duo præcipuè agenda esse, quando coram populo opus est difficultatem hanc confitendi lenire. Primò, vt succurrat certissima fides, & subiectio atque reuerentia quę Christo & Ecclesiæ suę debetur. Et primò omnium certò statuatur, non potuisse ab illo quidquam excogitari aut imponi fidelibus suis suo sanguine redemptis, nisi ob maximam eorum vtilitatem, & nisi ille id ita lenire posset, vt omnis quæ videtur amaritudo & difficultas, conuertatur ab eo in dulcedinem & facilitatem. Nec dubitemus quin qui hoc crediderit, intelliget & experietur ita esse. Nisi crediderit is (inquit Esaias) nõ intelligetis. Cuicunq; igitur hoc difficile & asperũ est, agnoscat se modicæ fidei esse: petat augeri sibi fidem. Secundò diligenter ostendendum, quanta sit consolatio & leuamen in re tam necessa-

tessaria ad salutem (de qua nullus prudens potest sine anxietate & sollicitudine esse) habere & consilium & testimonium prudentis & timentis Deum, & amicissimi (qualem necesse est esse confessorem) & qui etiam sub propriæ salutis periculo, quàtum potest homo, certũ reddat pœnitentem: qui dicere possit: Quiescat vox tua à ploratu, oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo: vt est apud Hieremiam: qui etiam sit fideiussor apud Deum pro pœnitente. Ad hoc satis explicandum, ostendendum est quantæ prudentiæ sit, in rebus & negotijs grauioribus, cùm vel de statu aut conditione, aut maxima parte substantiæ agitur, non credere sibijpsi, maximè vbi quis se nosci affectu aliquo teneri: quàm in his causis dulce sit amicum habere, in cuius sinu curas suas quis possit deponere, & cuius consilium sequi. Tunc addatur, quanto iustius sit in hoc negotio propriæ salutis, vbi & de peccatis proprijs agitur, & eorum pœnitentia, non suo sensu iudicare qualia & quanta illa fuerint, & quanti habenda, & quàm digna eorum satisfactio. Nullus enim prudens suo iudicio fidere debet, vbi de seipso damnando vel absoluendo caussa agitur. Itaque summæ Dei misericordiæ fuit, homines nobis dare, qui non vt homines tantum, sed vt Dei etiam ministri & consulere, & efficaciter operari possint ad nostram salutem, ad quod sub propriæ salutis dispendio illi tenentur. Certè qui veram curam salutis animæ suæ habet, qui sentit peccatorum grauitatem, & timet æternam damnationem, qui sibi parum fidit: nouit quanta sit consolatio in exoneranda cõscientia coram prudente & fido sacerdote. Qui verò hoc graue reputat, timeat vehementer sibi, quasi qui minoris faciat peccata, quàm par esset. Denique qui ad confessionem deuota mente accedunt, experiuntur & testimonium spiritus sancti, & veram consolationem. Vbi hoc non est omittendum, de quo postea latius, ex hoc apertè ostendi, quanta cura sit quærendus doctus, prudens, & verè pius cõfessor. Huius enim solius testimonium dignum est fide, & quod possit meritò consolari pœnitẽtem: immo & excusare nonnunquam: de quo postea. Qui verò apud quoscunque hoc animæ suę onus gaudent deponere, & eò libentius, quò aut indoctiores aut impuriores illos putant, periculose certè, & nimium præposterè agunt. Erit inferius locus latius de his agendi. Cap. 38.

Vltimò demum ex his quæ tribus istis lectionibus dicta sunt, aduertamus institutionem sacramenti huius pœnitentiæ eiusdẽ probari testimonijs, quibus potestas absoluendi & ligandi, remit- De institutione sacramenti pœnitẽtiæ.

mittendi & retinendi probatur conceſſa. Illius enim poteſtatis conceſsio eſt vera inſtitutio huius ſacramenti: de qua re ſequentia notentur.

Quæ à pœnitente confitente & ſacerdote abſoluēte fiunt, conſtituunt ſacramentum pœnitentiæ.

Primùm, quod à pœnitente fit, cùm ſe Eccleſiæ ſubijcit & iudicio ſacerdotis, maximè in confeſsione, & quod viciſsim fit à ſacerdote erga pœnitentem in abſolutione, ſunt verum ſacramentum nouæ legis, atque ita à Chriſto inſtitutum. Hoc negant hæretici omnes moderni, & vanè de nomine tantum contendentes, & rem ipſam ignorantes. Probatur itaque hoc apertiſsimè. Illa quæ diximus ſunt res exteriores & ſenſibiles, atque ſigna ex diuina promiſsione operantia ſalutem animæ, remiſsionem peccati, & gratiæ diuinæ collationem: ſunt ergo ſacramentum. Hæc eſt apud eos etiam ſacramenti vera definitio, de qua ſatis ſuperius dictum eſt. Iam omnia illa quæ aſſumpſimus, & ſcripturæ, & patrum teſtimonijs oſtenſa ſunt. Sacerdoti data eſt à Chriſto poteſtas & virtus ad remittendum peccatum poſt cognitionem illius: quod non fit ſine gratia. Itaque ex promiſsione Chriſti virtutem habet ſacerdotis verbum: & ex eadem promiſsione ad remiſsionem peccati præparat & diſponit ſubiectio ipſa pœnitentis, præcipuè in confeſsione. Itaque non eſt quod dubitari poſsit de hoc ſacramento.

Secundum, hoc ſacramentum nonnullis placet vocari ſacramentum abſolutionis, vt diſtinctione 14.4. eſt videre in noſtris ſcholaſticis. Eſtque horum ratio: quoniam perficitur hoc ſacramentum & completur abſolutione, inchoatur verò confeſsione: cetera (ſi qua ſunt) non putant ad integritatem ſacramenti pertinere. Tamen licet hoc de nomine ſit, ſanior & grauior ſententia eſt, & Eccleſiæ ſenſui conſona, quæ hoc vocat ſacramentum pœnitentiæ. Ita in concilio Florentino nominatur, & eſt in communi vſu Eccleſiæ: cuius à principio huius tractatus rationem dedimus. Pœnitētia enim & actus eius ante inſtitutionem ſacramenti partim ratione naturali, partim diuina lege cōſtant: ſed cùm à Chriſto domino ſententia remiſsionis peccati ſacerdotibus reſeruatur, omnia quæ ad pœnitentiam pertinent, huc eſſe referenda, & in hoc iudicio tandem conſummanda, oſtenditur. Itaque in hoc ſacramento aſſūmitur pœnitentia & eius actus, ſicut in baptiſmo aqua, in materiam: & conſummatur verbis ſacerdotis abſoluentis tanquam forma: de quibus ſequenti lectione dicamus.

LECTIO

LECTIO QVARTA.

De Materia, forma, & reliquis pertinentibus ad hoc sacramentum, & necessitate confessionis atque præcepto eius.

QVAE pertinent ad rationem huius sacramēti, præter ea quæ de Contritione, Confessione, & Satisfactione dicta sunt & dicentur, nō sunt multa, nec admodum necessaria, meritò tamen scienda. Ex his igitur quæ superius diximus in quolibet sacramento esse considerandā, quæ quidem pertinent ad suscipiētem & dispositionem eius in hoc sacramento, magna ex parte in his quæ de Contritione diximus, explicata sunt, & quæ restāt explicabuntur in illis, quæ de confessione dicenda sunt. Similiter quæ pertinent ad fructum atque effectū sacramenti, qui hic est remissio peccati. Nunc igitur de materia & forma breuiter dicendum: de qua re sunt quidem diuersæ sententię, sed non admodum secundum rem differentes. Formā omnes dicunt esse id, quod à sacerdote in absolutione fit. Materiam verò alij dicunt peccata aut peccatorem ipsum, aut exteriores illius actus & gestus pœnitentię & subiectionis: nec desunt qui actus sacerdotis materiam dicant, sed hi minus rationabiliter. Probabilior igitur sententia est, quam beatus Thomas q. 84. 3. partis (in qua hæc tractat) asserit, quam sanior pars doctorum sequitur, & demùm in concilio Florentino explicatur tanquam ecclesiastica doctrina, & sensus quem Romana Ecclesia habet. Hanc ergo sequamur, & breuiter explicemus.

Materia huius sacramenti duplex inuenitur. Prior remota, illa scilicet, circa quam operatur hoc sacramentum, hoc est, peccata pœnitentis, quæ per hoc sacramentum (non quidem vt in alijs) vel assumitur vel sanctificatur, sed reijcitur poti⁹ in remissione peccati: tamen sine peccatis hoc sacramentum non perficitur. Sunt igitur peccata quæcunque, vel mortalia vel venialia, propria materia absolutionis. Vtraq; enim remissione indigent, vt suprà dictū est, & pœnitentia etiam nōnulla: sola tamen mortalia sunt necessaria materia, quia pro solis illis necesse est claues Ecclesię subijci & Sacerdoti. Venialia nō excludunt à re-

Peccata pœnitentis sunt materia remota & circa quā, sacramenti pœnitentiæ.

gno nec ab Ecclesia: vnde nec necessariæ sunt claues ad eorum remissionem: sunt tamen in hæc etiam efficaces. Qui enim dixit: Quorum remiseritis peccata, de omnibus locutus est. Sunt igitur peccata materia circa quam, non ex qua hoc sacramentum conficitur. Actus verò pœnitentis vel necessarij ad absolutionem, vel consequentes iudicis spiritualis sententiam & pœnitentiæ, sunt materia ex qua hoc sacramentum conficitur. Hi verò sunt contritio, confessio, & satisfactio. Hos diximus esse partes virtutis pœnitentiæ, quæ certè assumitur à Christo in materiam sacramenti huius. Quidquid ergo à Deo præcipitur pœnitenti vt veniam consequatur, vel ante claues concessas Ecclesiæ, vel post, illud necessarium est in hoc sacramento: hoc est, vt doleat, vt confiteatur, vt stet iudicio ecclesiæ in satisfactione exoluenda: quę sunt illa tria quę diximus. Quòd igitur hęc sint necessaria, de contritione & cōfessione probatum est, de satisfactione probabitur. Quòd verò hæc meritò materia sacramēti dici debeant, probat hæc ratio: quoniam materia sacramenti dicitur id, quod in eo minus perfectū est & quodammodo informe, vt in baptismo aqua. Omnes autem actus pœnitentis in hoc nostro sacramento notum est imperfectos esse, & perfici à clauibus, & virtute Christi quæ in eis operatur: illa igitur meritò dicuntur materia. Et quanquam absolutio perficiatur & consequatur effectum ante satisfactionem, tamen nō propterea minus illa dicenda est pars integralis materiæ, sine qua consistit nonnunquam (quod ad essentiam attinet) totum, sed mutilū. Est homo sine pedibus & manibus, deest ei aliqua pars integralis, sed non essentiæ: ita in hoc sacramento ante satisfactionem cōpletam, quia est iam in intentione pœnitentis & obligatione propter sententiam spiritualis iudicis, est integrum sacramentum, & paulatim perducitur ad perfectam integritatem cùm illa completur: quòd si dedit satisfactio, omittente eius impletionem pœnitente, non redditur nulla absolutio præcedens aut sacramentum, sed manet quasi mutilū, vt diximus: nec tamen hoc magni est momenti, nec videtur multum ad rem pertinere vt de hoc diutius disputemus. Illud tamen non omittamus, dignum certè consideratione, quod & consolari & confortare debeat animos, quòd hi actus pœnitentis, contritio, confessio, & satisfactio, quanquam ab illo fiant non sine diuina gratia, tamen sunt hominis actus. Nam (vt inquit beatus Thomas) in hoc sacramento Deus sanare vult infirmum hominem suis actibus, vt sępè sanantur ægri exercitatione aliqua, vel sudore, vel (vt exēplo

Qui actus pœnitentis sint materia.

Quomodo satisfactio ad integritatem huius sacramēti requiratur

Actus pœnitentis quatenus partes sa-

Ongenis

Origenis dicamus) vomitu. Sunt igitur isti actus nostri: sed tamen quia ex institutione huius sacramenti & proposito pœnitentis referuntur ad claues & virtutem Christi, sumunt multò maiorem virtutem ad remittenda peccata, quàm ex se antea habebant: sicut aqua virtutem habet abluendi animam, quam ante nullo modo habebat. Ita hæc quæ iam habebant virtutem aliquam, maiorem suscipiunt & habent ratione sacramenti, vt videlicet operentur nõnunquam postea, & sint efficacia non quia à nobis sunt, sed quia partes sunt sacramenti. Notat hoc b. Thomas quæst. 88. 3. part. & ibidem Caietan. diligenter considerat. Hæc quidem de materia. Nam nullum debet mouere, quòd contritionem (quæ interior est) partem sacramenti dicamus. Quanquam enim interior est, tamen in confessione manifestatur per signa. Debet enim illa lachrymabilis esse, atque ita contritio illi coniuncta, per eam significata, & subdita clauibus, est materia sacramenti. Et quia de contritione satis dictum est, & quod restat, quatenus videlicet ad sacramentum pertinet, inter ea quæ ad confessionem pertinent, dicendum est, & postea de satisfactione: nunc ista sufficiant.

cramenti sunt, multi efficactores quàm ex se sunt.

Cõtritio licet sit interna est tamẽ sacramenti pars.

Iam de forma, in qua magis conueniunt doctores, hoc sit primum. Forma necessaria huius sacramenti sunt verba sacerdotis, quibus significatur absolutio & remissio peccati. Hoc manifestè patet, quia per ea completur & perficitur hoc sacramentum. In omni sacramento verba dicimus esse formam, quia explicatiora sunt: & verba illa quibus perficitur sacramentum: ita igitur hic.

De forma sacramẽti pœnitẽtiæ.

Secundum. Verba hæc ex Ecclesiæ consuetudine sunt: Ego te absoluo à peccatis tuis, vel, ab omnibus peccatis tuis. Et est cõsentanea hæc forma ipsis verbis Christi, quibus clauiũ potestatem dedit: Quidquid solueritis super terram &c. Verùm (quod ex superius dictis etiam patet) si quis vteretur verbo remissionis, Remitto tibi peccata, vel, remittuntur tibi peccata: sufficeret ad integritatem sacramenti & formæ: non tamen sine peccato omittitur quod est in Ecclesię vsu: de quo superius dictũ est. Sed ad necessitatem sacramenti solũ necesse est significari, quòd fiat in præsenti remissio peccati. Itaq; explicanda est persona pœnitentis, te, vel tibi &c. item remissio vel absolutio de præsenti: deniq; peccata. His positis perfecta est forma sacramẽti: Absoluo te à peccatis tuis: remitto tibi peccata tua. Nõ desunt qui putent sufficere quęcunq; verba in modum sentẽtię definitiuę prolata: puta, placet tali remitti peccata: vt olim sentẽtiæ proferebantur:

Quantam mutationẽ patiatur forma absolutionis.

Cypria-

Quæ verba rectè aut secus addantur in absolutione.

Cyprianum episcopum placet capite plecti: sed hoc nimium est.

Tertium non omittamus: quod scilicet plura addere tãquam orationes præparatorias & præcedentes, nõ reprehenditur: immo omnino faciendum est iuxta consuetudinem cuiusque Ecclesiæ: sed hoc pertinet ad ritus & modum administrandi hoc sacramentum: Misereatur tui &c. Absolutionem &c. Et in verbis ipsis: Ego te absoluo &c. placet b. Thom. addi, in nomine patris & filij & spiritus sancti: quanquam id non ex necessitate. Quòd verò post illa verba: Absoluo te à peccatis, vel, ab omnibus peccatis, multa addantur: puta, ab omnibus quæ mihi confessus es, vel confitereris si memoriam haberes, aut, ab omnibus oblitis vel incognitis, non satis probatur à doctoribus. Sunt illa quidẽ plura verba, sed minus significant, & magis restringunt vniuersalem illam virtutem sacramenti, quę se extendit ad omnia peccata. Duo itaque in hac forma putamus obseruanda. Primum, ne illa quæ tam essentialis est & necessaria sacramento, inuoluatur cum alijs verbis eodem cõtextu vel prolatione: sed verba Christi (vt dignum est) seorsim, & certè nouo spiritu & virtute proferantur. Secundum, vt reliqua omnia verba præscindantur, & tantum dicatur: ab omnibus peccatis tuis.

De efficacia, significatione, & veritate verborum absolutionis.

Est circa hæc verba digna consideratione dubitatio, de propria eorum significatione atque virtute. Nam (vt patet) sacramenta efficiunt quod significant. Est ergo hic articulus de proprio effectu absolutionis sacramentalis. Necesse est enim id efficere quod significat: & è contrario, significare quod efficit. Est hæc quæstio & inter priores illos, Hugonem & Richardum de s. Victore: Magistrum ipsum & sequentes. Hi igitur omnes propter necessariam præparationem & contritionem ad absolutionem à peccatis consequendam, vehementer dubitârunt, quid verba illa sacramentalia operentur. Nam si (inquiunt) qui absoluitur contritus est, iam in contritione, & per illam remissa sunt ei peccata: si verò nondum est contritus cùm absoluitur, nondum remittuntur ei: quare non videtur quando verba hęc sacramentalia operentur absolutionem: nec videntur vera. cùm absolutio à peccatis effectus sit contritionis.

Sententia Hugonis Richardi & Magistri non probatur.

Nec sacerdos (inquit Magister) absoluit, nisi cùm diuinum iudicium sequitur. Hac itaque de causa priores illi, Hugo & Richardus, vt aliquid tribuerent absolutioni & clauibus, & ita verba illa vera essent, distinxerunt in peccato maculam & culpam ipsam: hanc dixerunt à solo Deo in contritione remitti, de hac intelligentes illud: Quis potest remittere peccatum, nisi solus Deus?

us? Alterum verò in peccato dixerunt reatum pœnæ æternæ, à quo (inquit) absoluit sacerdos. Itaque iuxta eos, verba significabunt absolutionem à reatu pœnæ æternæ, non verò à culpa. Quæ sententia reuera, præter hoc quòd ratio fidei coniuncta docet remissa culpa non posse reatum pœnæ æternæ manere (qui enim fieri potest, vt Dei amicus in æternum damnari possit?) nimium etiam detrahit illis verbis Euangelij: quorum remiseritis peccata, remittuntur: Dat eis potestatem remittendi peccata. Vnde & Magistri etiam sententia dist. 18. verba illa: Ego te absoluo, tantum significare, absolutum ostendo & Ecclesiæ reconcilio, eadem ratione minus sufficiens est. Nimium enim verba illa Euangelij: Quorum remiseritis peccata &c. extenuantur, si sic exponamus illa: remissa ostenderitis. Quapropter posteriores ferè omnes docent simpliciter verba illa intelligẽda esse, idque efficere quod significant, absolutionem scilicet à peccato & remissionem: quod consonat doctrinæ patrum, quã superius adduximus. Testantur enim apertissimè Chrysostomus & Cyprianus præcedere sententiam sacerdotis sententiam DEI: quo verè significant ideo peccata remissa esse coram DEO, quia à sacerdote facta est remissio. Itaque beatus Thomas art. 3. 84. quæst. illum sensum Magistri non sufficientem asserens, dicit conuenientius sic exponi illa verba: Ego te absoluo, hoc est, sacramentum absolutionis impendo: non quod propria significatione eorum significetur collatio sacramenti duntaxat, sed effectus sacramenti vt ab eo pendens. Itaque hæc verba, ego te absoluo, hoc significant: quantum est ex vi huius sacramenti absoluo te sacramentaliter, & ita respondetur omnibus dubitationibus. Primò, sacramentaliter absoluere est non propria virtute, sed vt instrumentum duntaxat & minister Dei. Deus absoluit solus vt primum agens & primam auctoritatem habens: Christus homo vt instrumentum coniunctum diuinitati, & prima causa meritoria absolutionis sacerdos verò duntaxat vt Christi minister, per quem Deus operatur. Deinde sacramentaliter absoluere est quantum ex virtute sacramenti pendet, quod est, nisi fuerit obex & impedimentum. Itaque reuera nullum est in hoc sacramento maius dubium quàm in alijs. Baptismus omnia peccata dimittit: sed si fictus accedas, non defectu sacramẽti, sed indispositione tua nõ consequeris remissionem: nec tamen propterea sacramentum minus est verum. Cùm igitur queritur, anne is qui absoluitur sit verè cõtritus antequam absoluatur? & ita ostendetur per absolutionem non remitti

Quid significent verba absolutionis.

Quid sit sacramentaliter soluere.

mitti peccatum, quia iam erat remissum per contritionem: respondemus idem esse iudicium de baptismo, si ante eius susceptionem sit contritus qui susciput. Sicut igitur in baptismo nihil propter hoc detrahitur eius virtuti, sed magis tribuitur (dicimus enim talem ex voto baptismi iustificatum fuisse) ita hic ex voto sacramenti pœnitentiæ, quod necesse est (vt ostendimus) in voto haberi. Et sicut in Baptismo cùm postea susciputur aut traditur, augetur collata gratia, ita hic. Si verò nõdum est contritus cùm absoluitur, impedimento suo & culpa sacramentum non operatur: non tamen minus est verum. Sed inter hæc duo medium inuenire est. Contingit enim vt cùm absoluitur, veraciter conteratur, non antea nec postea: & tunc (sicut in baptismo) integer est & plenus effectus sacramenti. Nec tamen propterea minor, quando antea ex solo voto sacramentum operatum est. Igitur sacerdoti Christi veram virtutem absoluendi & remittendi peccata tribuit scriptura, & sana patrum doctrina, vt suprà ostendimus. Nec verbum illud Hieronymi in Mathæum, quod Magistrum sententiarum conturbauit (vt suprà diximus) aliud docet, quàm quòd præcedere debet cognitio varietatis peccatorum, & dispositionis pœnitẽtis. Hæretici omnes moderni iuxta ea quæ superius admonuimus, verba hæc solùm putant ad prædicationem Euangelij pertinere, & confirmationem fidei: ita vt nõ aliud sit absoluere, quàm certam Euangelij doctrinã de remissione peccatorũ huic peccatori annuntiare, quam ille (inquiunt) certò tenetur credere, si vult sibi remitti peccata: hoc pertinet ad sensum illum horum verborum: Quorum remiseritis &c. quem suprà exclusimus. Itaque in altero detrahunt multum potestati sacerdotali, volentes sacerdotem nihil aliud efficere, nihil operari in remissione peccati, nisi quod annuntiat & prædicat illam: quòd certè à priuato quodlibet fieri potest. Vera autem patrum doctrina (vt suprà dictum est) virtutem & potestatem tribuit sacerdotibus. In altero verò nimij sunt, specialem illam fidem asserentes: quam multis rationibus superius ostendimus esse falsam. Et, vt alijs periculum in hac re ostendamus, admonemus institutionem illam additam concilio Colonienſi, cautè esse legendam, eò quòd in his duobus capitibus de fide speciali & imputata iustitia aberret à veritate.

De frequẽti eorundẽ peccatorũ cõfessione.

Non est etiam circa hæc omittendum, dubitari à multis, an absolutio operetur in peccata iam sæpius cõfessa & remissa etiam. Quoniam enim nullus catholicorum negat, non solùm fructuosè confiteri posse eadem peccata sæpius, propter verecundiam,

diam, consilium, & instructionem: sed etiam verum sacramentū illud esse pœnitentiæ, & veram absolutionem: meritò quæritur, cùm prior illa absolutio eorundem peccatorū vera fuerit, si semel iam absolutus est à peccatis, quomodo iterum erit verum quòd absoluitur? Et quidem si nondū ab omni reatu pœnæ peccatorum absolutus quis est, dici potest absolui tunc à peccatis quatenus manent, & quatenus adhuc propter ea ligatus tenetur: verùm si (vt fieri potest) iam ab omni etiam pœna immunis sit qui confitetur, non videtur reliquum aliquid esse à quo absoluatur. Et quanquam hoc coram homine constare non posset, tamen cauendum meritò videtur, ne si ab his, à quibus absolutus quis est, iterum absoluatur: periculum falsitatis sit apud Deum. Non defuerunt qui dicerent, in illa iterata confessione virtute clauium nihil effici, sed vtilem esse propter humiliationem: sed reuera alienum est à veritate & reuerentia sacramenti, in cassum proferre verba sacramentalia: & non esset tunc absoluendus, etiam si confiteretur. Quare his omnibus succurrit illa expositio: sacramentaliter absoluo. Vnde (vt beatus Thomas inquit dist. illa 18.) cùm hoc sit verum sacramentum, confertur in eo gratia: atque ita magis & magis absoluitur à peccatorum vinculis. Sicut itaque semper orandum est cùm propheta: Amplius lauame. ita etiam, Amplius absolue me. Ex quo semel peccatum est, manet in memoria peccatoris quòd reus fuerit coram Deo, & hac memoria adhuc reus tenetur: quare remisso peccato, etiam remissa pœna, cùm accedit ad confessionem, reum se agnoscit, commisisse se illa peccata fatetur, atque ita absoluitur ab illa conscientiæ accusatione: & in veritate per gratiam quæ augetur, si iam erat, Deo fit propinquior & charior, & elongatur magis à peccato, quod magis obliuioni traditur à Deo: atque ita (quantum est ex sacramento) magis remittitur.

Potest quis sæpius ab ijsdem peccatis absolui.

Iam sicut in alijs sacramentis diximus cōsiderandos esse ritus superadditos materiæ & formæ, ita hic qui sint ritus sacramenti nostri, siue necessarij, siue superadditi ab Ecclesia, inquiri possetnon tamen hic quidquam dicendum est, cùm nullos alios ritus videamus, quàm humiliationē pœnitentis, & sacerdotis auctoritatem. Illud solùm aduertendum, impositionem manuum in vsu esse quarundam ecclesiarum: vt scilicet cùm quis absoluitur, imponantur ei manus. Dicit quidem b. Thom. art. 4. illius q. 48. non pertinere id propriè ad hoc sacramentum, sed ad Confirmationem vel Ordinem, in quibus datur gratiæ plenitudo:

De ritibus absoluēdi, scilicet cū signatione crucis, & manū impositione.

vnde

vnde ille magis putat sacramento huic conuenire crucis signationem, quoniam in virtute passionis Christi peragitur: ita vt absoluens, cùm post essentialia verba addit: In nomine patris &c. crucem faciat: quia tamen in antiqua Ecclesia (vt apud Cyprianum, & concilia multa, & omnes antiquiores est videre) impositio manus erat signum reconciliatoris (per impositionem enim manuum dicit reconciliari ecclesiæ vel hæreticos vel pœnitentes, qui nondum absoluti erant) non est reijciendus ritus iste, vbi consueuit fieri, nec reprehendendi qui faciunt: quanquam illa impositio manuum in eis non legatur in absolutione sacramentali, sed in absolutione ab hæresi, aut excommunicatione, vel separatione ab Ecclesia propter peccata publica, ob que pœnitentes non admittebantur ad sacram communionem, quanquam credendum sit eos iam fuisse absolutos sacramentaliter, quando suscipiebant iniunctam pœnitentiam, segregatos tamen fuisse à communione. Hæc nobis dicta sint de sacramento pœnitentiæ, quæ (vt vidimus) ex verbis illis: quorum remiseritis peccata &c. (vbi est institutio huius sacramenti) consequuntur. Quæ verò ad clauas & earum potestatem latius pertinent (quæ à Magistro & doctoribus 18. & sequent. aliquot dist. traduntur) postquam de confessione egerimus, quantū necesse fuerit referemus. Nunc totos nos conuertamus ad agendum de confessione, quæ est secunda pars materiæ nostri sacramenti: nam de priori illa, contritione videlicet, satis diximus: & quod restat de ea dicendum quatenus pars est sacramenti, hoc est, vt confessioni coniuncta est, simul cùm ipsa confessione dicendum est.

LECTIO QVINTA.

De necessitate confessionis in speciali, & de ministro eius.

EX his quæ dicta sunt satis ostenditur quàm sit cōfessio necessaria, & ex eis etiā probatur sententia nostrorum scholasticorū asserentium nō minus necessariam confessionem post baptismum mortaliter peccanti, quàm baptism⁹ ipse necessarius est illi qui nōdum est baptizatus. Sicut enim dicitur: Nisi quis rena-

renatus fuerit, non potest introire in regnum dei: ita Paulus inquit: Adulteri, raptores &c. regnum Dei non possidebunt. Sed Christus dans auctoritatem hæc peccata remittendi, ostendit qua via liberari possint ab illis. Quare verisimè etiam dicitur ab illis, in hoc præcepto nullum posse dispensare. Non potest papa aut quisquam alius absoluere peccantem mortaliter post baptismum à præcepto confessionis.

Quo tẽpore faciẽda sit peccatorũ confessio.

Est inter eos digna consideratione quæstio de articulo siue tempore quo confiteri tenetur peccans: antea nunquam de hac re quæstio fuit. Antiquiores simpliciter exhortabantur peccantes ad confessionem citius certè faciendam: nam communio ip sa & participatio corporis domini frequentissima erat vt notũ est in antiquioribus; & periculosissimum putabatur diu differre communionem, vt inquit Cyprianus in exposit. orationis dominicæ. Ante communionem verò præmittebatur confessio, vt ex ipso etiam Cyprian. in sermon. de lapsis ostendimus. Itaque priscis illis temporibus non erat opus sub comminatione noui peccati inducere homines ad confitendum: nec enim tunc longo tempore sustinebantur vulnera grauissima peccatorum in anima sine remedio & curatione. Posteà verò cùm tã faciles simus ad vulnera & peccata, & ad remedia tam tardi & difficiles, opus est non propterea laqueum animabus injicere, & nimio zelo plura imponere peccata conscientijs. Itaque quæritur, quando teneatur qui post baptismũ peccat, sub nouo peccato confiteri, hoc est, quando sit transgressor huius præcepti de confessione facienda. Dixerunt nonnulli, quòd tenetur habita oportunitate. Fatentur hi cõtritione vera & proposito cõfitendi remitti peccatum: sed cùm oportunitas adest confitendi, faciendum id esse, alioqui aut non fuit illud verum propositum, aut certè contradicitur illi: & hoc quidem b. Bonauent. de laicis etiam dicit. Nam monachi, quorum tota vita pœnitentia est, statim (inquit) confiteri tenentur. Sed hæc sententia iudicatur seuerior. Rationabilior verò est illa b. Thom. & recepta cõmuniter, quòd, cùm hoc præceptum affirmatiuum sit, non obligat vt statim impleatur. Nam nec dilatio baptismi sine periculo peccatum est nouum. Igitur ad confessionem tenemur iuxta naturam præceptorum affirmatiuorũ. Colligunt itaq; posteriores, Durandus, Hadrianus, Petrus de Palude, & similes, quinque casus, quibus sub nouo peccato cõfiteri tenetur qui in peccato est. Primus manifestior ex Ecclesię statuto in cap. Omnis vtriusque sexus, semel in anno, in paschate videlicet. Hoc enim in cõ

Distinct. 17

Quinq; casibus sunt confitenda peccata.

1.

cilio Lateranensi definitũ est ab ecclesia, ad quã propriè pertinẽt cõmunia hæc iuris diuini præcepta determinare, & coaptare necessitati ac captui fidelium. Cùm itaque hoc ab Ecclesia præcipitur, determinatur tempus seruandi præcepti diuini. Secũdus casus est in articulo & probabili cõiectura periculi mortis: & hoc quidem ex ipso iuris diuini præcepto. Cùm enim astrictus sit confiteri habens peccatum mortale, aliquando id facere tenetur: ergo ante mortẽ, si quidem ante non fecit. Omnis itaq;, quem mors inuenit in peccato mortali nõ solùm propter illud punietur si non confiteatur, sed etiam propter transgressionem huius præcepti. Tertius est, quando susciendum est sacramentum Eucharistiæ. Hoc ab omnibus nostris scholasticis vt certum asseritur, & superius probauimus in tractatu de Eucharistia. Alij addunt, vt Petrus de Palude, ante susceptionem cuiuslibet sacramenti teneri ad confessionem eum qui in peccato est: sed est de hac re dubitatio & diuersus sensus, alijs putãtibus sufficere solam contritionem in omnibus alijs sacramentis ab Eucharistia. B. Thom. addit aliquando etiam ante susceptionem sacrorum ordinum. Nec opus est in hac re sententiã aliã ferre. Certè tutius est confessionem præmittere omnibus sacramentis, sed fortè nõ est necessariũ. Sanè in sacramẽtis illis quæ ad augmentum gratiæ & effectus præcedentiũ sacramentorum ordinantur, satis videtur necessariò præmittenda confessio: vt in cõfirmatione, quæ ordinatur ad perficiendam gratiam baptismi: si igitur hæc est amissa per peccatum, nõne per sacramentum quod in remedium huius institutũ est, quodq; est baptismi reparatio, pœnitentiã scilicet, est recuperanda? Similiter in extrema vnctione, in qua reliquiæ remissorũ in pœnitentia peccatorũ auferũtur. Sed vtcunque sit, hoc dicamus vel de istis, vel de omnibus consultius fore vt ita fiat, non tamen vt necessariũ asseramus. Duo alij casus afferuntur, quibus confiteri tenemur magis ex cõscientia ad id obligante, quàm alio præcepto. Primus (inquiunt) quando est oportunitas, & probabiliter creditur postea quando confiteri tenebitur, scilicet propè pascha, defutura. Si (inquiunt) adsit Episcopus vel alius à reseruatis potens absoluere, qui postea nõ poterit haberi. Hoc itaque magis est ex illo iudicio conscientiæ, quo putat sibi non futurũ postea possibile. Est alius, inquiũt, si quis putet se teneri sæpius ad cõfessionẽ: quod certè in omnibus præceptis est. Tenemur enim propter conscientiam, etiam errantem. Considerandum verò est nõ deesse, qui putent teneri aliquẽ sæpius cõfiteri, quàm semel

2.

3.

4.

5.

mel in anno, vel propter periculum obliuionis peccatorũ, quia videlicet putat, si in annũ differat, obliuisci se posse peccati: similiter propter vitanda pericula, aliorum peccatorum: cùm videlicet percipit se non modicum adiuuari contra recidiuũ peccati ex frequentiori confessione, & contrà, eius omissione grauari: hoc (inquit Caiet.) quilibet apud se iudicet: & hoc fortè intelligunt qui dicunt, cùm conscientia dictat, teneri ad frequentiorem confessionem. Nos quidem in his sicut putamus consultissimum esse, exhortari omnes ad frequentius confitendũ, si frequentius labuntur, & vt quilibet cum prudente & Deum timente spirituali suo iudice hoc statuat, vt scilicet ab eo accipiat quàm frequenter confiteri debeat, & quibus vti remedijs: ita non putamus in communi populo vltra esse aliquid imponendum. Qui bona fide semel in anno confitentur sequentes magisterium Ecclesiæ, & nihil aliud cogitantes, non videmus quare vrgendi nimium sint. Ceterùm in priuatis confessionibus multo commodius id decernitur.

Cui sit facienda peccatorũ confessio.

Quia (vt ostensum est) confessionis præceptum annexum est sacerdotali potestati remittendi peccata, meritò nunc inter principia confessionis, cui sit facienda, dicendum est: vbi simul de proprio ministro huius sacramenti agitur. Illi ex necessitate fieri debet confessio solùm, qui potestatem habet absoluendi, & qui à Deo constitutus est iudex. Non enim alia ratione probauimus necessariam esse confessionem. Sit itaque de vtroque istorum hæc propositio.

Solus sacerdos iurisdictionem habens est minister sacramenti.

Solus sacerdos iurisdictionem habens & superioritatem est proprius minister huius sacramenti, & illi soli confessio fieri debet necessariò. Duo hîc asserimus, quæ simul sunt necessaria manifestè patet: quia solis sacerdotibus datur hæc potestas, remittendi scilicet & retinendi peccata, & in ea soli ipsi succedũt Apostolis, vt patet in ipsorum ordinatione, de qua postea dicemus cùm de sacramento Ordinis agetur. Nunc apertè constat potestatem clauium Ecclesiæ traditam esse, nec aliquem eã habere, nisi cui ab ea communicatur: hi verò soli sunt sacerdotes, vt diximus. Secundũ necessarium diximus esse Iurisdictionẽ, hoc est, superioritatẽ & prælationẽ, qua secundũ distributionẽ Ecclesię subditos habet, quorũ animarum curã gerat. Quoniã itaque nõ hoc ipso quo ordinatur quispiam in sacerdotem, præficitur etiam alicui parochiæ aut plebi, nec datur ei aliquarum animarum cura: dicitur quidem habere potestatem ordi-

Solus sacerdos iurisdictionẽ habẽs est minister sacramenti pœnitentiæ.

Ad absolutionem requiritur vt sacerdos iurisdictionẽ habeat in cõfitentem.

nis,administrandi videlicet sacramentum pœnitentiæ,eamq; à Christo traditam. Ceterùm si non habeat subditos,deest illi materia circa quã exerceat & vtatur sua potestate: non aliter quàm si desit celebraturo panis & vinum:is enim etsi potestatem habeat consecrandi,propter defectum tamen materiæ consecrare non poterit:ita nec hic poterit absoluere. Propter primũ quod diximus requiri, etsi laico in necessitate fieri possit confessio, non tamen vera absolutio sacramentalis, nec verum sacramentum ab eo perficitur:quare nec necesse est ei confiteri,etiã cùm deest sacerdos. Propter secundum, si quis cõfiteatur quantũuis perfectè sacerdoti, cui tamen ab ecclesia nulla data est in eum potestas,nulla est etiam absolutio,nullũ sacramentum. Disputatur inter scholasticos dist.19.4.vnde hoc fiat, & quę illius propria causſa,vt,cùm sacerdos in ordinatione potestatem accipiat remittendi & retinendi peccata, non possit in quemlibet vti ea potestate. Alij putant id ex constitutione & prohibitione Ecclesiæ factum,cùm alioqui ex iure diuino indifferens esſet,vt Durandus refert: & tamen dicunt hac Ecclesiæ constitutione sine mutatione essentiæ sacramenti factum esſe, vt nulla sit absolutio quia subtracta est materia. Et si quidem(inquiunt) scienter quis confiteatur ei,cui Ecclesia prohibuit confiteri,hoc est, nõ proprio sacerdoti, peccat grauiter, atque ita non absoluitur à peccatis. Si verò ignoranter id agat & bona fide,fatentur absolui: & tamen teneri postea(vt obediat Ecclesiæ) ad confitendum proprio sacerdoti. Sed reuera vtrũque horum nulla ratione cõstat,& maximè hoc secundum, post remiſſa scilicet peccata teneri iterum confiteri ea. Et denique de necessitate sacramenti aliud quàm quod à Christo institutum est, necessarium asſerere,alienum est ab alijs sacramentis, & ab ipsa potestate ea instituendi Sine pane ex Christi institutione non potest confici Eucharistia: si ergo non subditus potest absolui ex eius institutione,absolutus erit:nec amplius tenebitur. Itaque nec illa sententia probabilis est, nec certè aliquid pro ea adduci potest quod habeat probabilitatem. Sunt alij(nec pauci)recentiorum,inter quos & ipse Durandus,qui iure ipso diuino putant à Christo soli Petro & succeſſoribus suis datam esſe prælationem & curam ouium cunctarum:Pasce oues meas:nec in aliquem posſe hanc curam exerceri,nisi deriuetur inde:quare etsi habeat ordinem, tamen iure ipso diuino, nisi commiſſa sit ei & deriuata in eum ab illo fronte prælatio & auctoritas,caret ea:quamobrem nihil efficit si attentet. Sed quanquam hoc nescio quid videatur habere

Quare præter potestatẽ ordinis necessaria sit iurisdictio ad absoluendum à peccatis q.2.

bere subtilioris ingenij, nihil tamen habet fundamenti: nec si haberet, quidquā pertinet ad rationem eius de quo modo agimus. Omnes Apostoli potestatem ligandi & soluendi, remittendi & retinendi acceperunt: omnibus dictum est in Euangelio: Quidquid solueritis &c. Quorum remiseritis &c. (nec de ipso Paulo quidquam dubitandum est) & acceperunt quidem illam potestatem sibi & successoribus. Non est negandum quin à Christo ipso & diuino iure habeant potestatem in suos subditos omnes Episcopi, & omnes parochi. Data quidem est Petro superioritas in omnes, sed non propterea ablata ab alijs propria potestas & iurisdictio. Nec antiquissimi illi episcopi, Cyprian. Augusti. &c. à Rom. Pont. quidquam sibi arbitrabantur in suis Diœcesi. commissum esse. Manebant in vnitate ecclesiæ & agnoscebant supremam auctoritatem illius apostolicæ sedis. Cetèrùm electione plebis & ordinatione comprouincialium, quasi ministerio quodam à Christo putabāt suscipere se auctoritatē, non quòd hîc quidquam reprehendamus eorum quæ postea in consuetudinem venerunt, quæ non est dubitandum conuenientissimam etiam habere rationem, & vtilem ecclesiæ: vt scilicet non nisi Rom. Pont. auctoritate & cognitione ordinentur episcopi: hinc tamen non probatur à Christo eos non accipere potestatem. Quacunque enim via id fiat, à Christo fit vt veri episcopi & pastores sint omnes reliqui. Nec posset (vt manifestissimū est) hoc in ecclesia auferri: ordo scilicet episcopalis. His igitur non multum est innitendum: solida & certa ratio, quare non nisi in subditum potestas absoluendi exerceri possit, hæc est: quia hoc sacramentum ex ipsâ Christi institutione iudiciale est, quare non nisi in subditum exercendū. Ita intellexerunt patres omnes, vt ex suprà citatis satis patet: confessionem (inquā) sit proprio pastori & magistro (vt Hierony. inquit) fieri debere. Hoc itaque requirit diuinū ius, vt in subditum exerceatur hoc iudiciū: quanquā distinctio subditorū, & diuersitas atq; gradus prælatorum ex determinatione sint ecclesiæ: sicut cùm ex iure diuino alienæ rei vsurpatio peccatū sit, tamen ex iure positiuo est distinctio dominij, vt scilicet hoc sit alienum, illud propriū. Quare sicut non dicimus furtum iure positiuo peccatum esse: ita non est iuris positiui, quòd solus sacerdos potestatē habens & prælationem absoluat. Est itaque certa prædicta propositio.

Vera ratio cur sacerdos nō nisi subditū absoluere possit.

Sed est in speciali circa eam aduertendum, quibus rationibus sacerdos iurisdictionem habeat, vt aliquem absoluere possit. In communi quidem certum est dupliciter id contingere:

Sacerdos habet vel ordinariã, vel delegatã auctoritatem absoluendi.

scilicet vel ordinaria via, vel delegata. Nam ordinariam quidem iurisdictionem habent proprij episcopi & parochi, & denique qui præfecti sunt gubernandæ plebi in spiritualibus. Delegatã vero habent, quibus ab istis committitur vel in generali vel in speciali: vt si proprius prælatus faciat liberum suis, vt confitean tur quibus voluerint: vel si alicui concedat facultatem audiendi suos. Ceterùm præter hos duos casus Caietanus in summula peccatorum, in titulo, Absolutio à peccatis, diligenter collegit quinque alias rationes, quibus fit vt sacerdos subditum aliquẽ habeat quẽ absoluere possit: nec est opus vt de illis nos amplius loquamur: videatur locus ille. Nos enim in hoc nostro labore vtemur præ ceteris illa summula, quæ breuius & multa resolutione & iudicio plurima tradidit, quæ ab alijs confusius tradita sunt. Perstringamus tantùm quinque illas rationes. Prima (inquit) est libertas eius qui confitetur: cùm scilicet nulli subditus est, idque vel ratione dignitatis, vt Papa: vel conditionis, vt qui nusquam habet certũ domicilium: vel etiam si habeat, nunquã tamen in eo manet: hic subditus est prælato apud cuius parochiam se inuenit: vel certè ratione peccati, quod scilicet nulli subditum est iurisdictioni, vt veniale peccatũ, quod sine cõfessione deleri potest, & cuilibet sacerdoti manifestari. Secunda ratio est necessitas imminẽtis articuli mortis dũtaxat. Tunc enim ecclesia vult quemlibet à quolibet sacerdote absolui posse, idq; iustissima ratione, etiam de quocunque peccato: ne in illo articulo tãtum remedium desit homini. Habetur de hoc caput. Pastoralis. De officio ordinarij, extra. Tertia ratio est facultas à iure commissa & episcopis omnibus & prelatis, abbatibus scilicet & prioribus omnibus exemptis, eligendi sibi confessorem: in cap. vltimo de pœnitentijs & remissionibus. Quarta ratio est licentia & facultas implicita eligendi cõfessorem à proprio prelato cõcessa: cùm scilicet episcopus licentiam dat peregrinãdi: implicitè enim concedere videtur, vt possit in peregrinatione cõfiteri, saltẽ cùm Ecclesia præcipit. In quo loco Caiet. rationabiliter vel ex pontificum cõcessione, vel certè ex ipsa æquitate, peregrinantẽ omnem putat absolui posse vbicunque se inuenerit in paschate, idq; eo iure, quo alij subditi illius loci, hoc est, ab his à quibus alij absoluuntur: sicut ad hãc licentiã implicitã putat pertinere, si episcopus scit & tolerat parochos & canonicos sibi inuicem confiteri, vel pro libito eligere confessorẽ: videtur enim id probare, cùm alioqui sacerdotes omnes diœcesis alicuius episcopo confiteri debeant, aut superioribus quos sub epi-

Quinq; modis fit vt sacerdos habeat auctoritatẽ absoluendi quẽpiam.

Primus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

episcopo habent, nisi (vt dictum est) consensu episcopi possint libere sibi inuicem confiteri. Reuera exigit hæc caussa, & tanta sacerdotum ignorantium multitudo, vt episcopi circa ista diligenter prouideant. Quinta denique ratio est ex consuetudine, non eligendi confessorem, sed dandi alijs facultatem: quod ad proximam videtur pertinere rationem, licut (inquit ille ibi) quod cardinales familiæ suæ facultatem tribuant eligendi confessores: hoc enim videtur interpretatiuè illis concessum esse cùm toleratur. *Quintus.*

Circa ista disputantur multa à recentioribus canonistis, & ab his qui summas scripserunt, de religiosis priuilegiatis vt audire possint confessiones: in Clement. Dudum. de sepulturis. Fuit enim res hęc multa cõtentione & diu agitata inter pastores ordinarios & religiosos, quibus à Papa facultas concessa est audiendi confessiones sine inferiorum episcoporum & sacerdotum licentia. Disputatur itaque an possint ipsi absoluere: an saltem absoluti teneantur rursus in quadragesima proprio confiteri sacerdoti peccata, de quibus absoluti sunt. Quas quæstiones non est opus prolixè tractare. Nullus doctorũ dubitat episcopũ committere posse sacerdoti cui velit, vt omnium diœcesis suæ audiat cõfessiones, etiã incõsultis parochis, sicut ipse potest omnes audire: ita etiam de Romano pontifice habet iam recepta ecclesiarum consuetudo, vt id possit: quod tamen non est dubium alijs superioribus non conuenire, vt Archiepiscopo vel primati. Qui itaque priuilegia habent à pontifice vel audiendi, vel certè confitendi cui voluerint, possunt illis vti, nec vlla ratione iteranda est confessio quæ iuxta illa fit. *De ijs qui priuilegiũ habẽt à papa audiẽdi quoslibet vel cõfiteri cuiuis.*

Addit b. Thomas istis duo digna cõsideratione in 4. d. 17. q. 3. art. 3. vbi de hoc agit. Primum, non fieri inferiori præiudicium aliquod, si à superiore cõmittatur alteri potestas audiẽdi illius subditos. Secundum, prælatũ quemlibet debere facilem esse ad concedendam facultatem subditis alij confitendi: Alioqui (inquit) inuoluet conscientias illorũ multis periculis, & per consequens suam etiam. Primi ratio est, quia nulla (inquit prudentissimè) iurisdictio & superioritas est in Ecclesia, nisi in fauorem subditorum, & non prælati: quod ipsissimum est Euangelij dictum: Reges gentium dominantur eorum &c. vos autem non sic &c. Igitur si in subditorum vtilitatem cedat & in bonum Ecclesiæ, vt confessiones eorum audiant alij, doctiores fortè aut meliores, non est dubium id sanctè illis committi. Itaque in his abesse debet liuor omnis, præsumptio & ambitio: & *Prælatus facilè cõcedat subditis vt alteri confiteantur.* *Lucæ 22.*

quærenda tantùm Dei gloria & vtilitas Ecclesiæ: quod cùm sit, quæstio illa primatus &c. indigna est veris Christianis, multo magis ministris Ecclesiæ. Secundi ratio hæc est, quoniam hac auctoritate audiendi omnes subditos & absoluendi, nō debent prælati vti cum periculo infirmorum. Sunt qui potius non confitebuntur aut mentientur, quàm vt confiteantur veraciter illi qui displicet. Est hæc magna infirmitas, sed interim toleranda: nec quærere debent (inquit ille) prælati agnoscere vultū suorū subditorū per confessiones, sed pet diligentem exterioris cōuersationis obseruantiā. Hæc duo si rectè pensentur, auferunt multā occasionem contentionū in Ecclesia. Sed & illi quibus specialia hæc cōceduntur priuilegia audiendi non subditos, similiter vti ea debent in omni modestia, sine vllo propriorum prælatorū & parochorum vel incōmodo vel cōtemptu: vt noue rint se esse adiutores, atque ita, quod ad eos attinet, seruos in Christi charitate. Valde itaque cauere debent, etiam si sint, vel sibi videātur esse sufficientes magis quàm sint, proprij prelati, ne aliquid agāt vnde subditi proprios suos pastores minus agnoscāt, aut minus reuereantur. Itaq; omnes in vera pace & charitate superiores inuicem arbitrantes, vt Paul. arbitratur, atque honore præuenientes debemus in Ecclesia cōuersari. Qui etiā priuilegia habent eligendi sibi confessores quos volunt, timere debent, & cum magno timore vti eis: de quo inferius plura.

Notēt qui habent priuilegium quorūlibet cōfessiones audiendi.

His etiā quæ dicta sunt, annexū est, quod de reseruatione casuum, quę à superioribus fit, traditur à doctoribus. Circa quod hoc sit primū, sanctè & iustè à superioribus episcopis aut Romano pontifice reseruari quædam peccata grauiora & maiora, à quibus inferiores non absoluant: idque consonè etiā antiquitati Ecclesię. Ratio huius est duplex vtilitas nō minima. Altera, quia deterrentur à grauioribus peccatis cōmittendis hac ratione infirmiores. Quod enim à quolibet absolui potest, pro nihilo ducitur & facilius cōmittitur. Altera ratio est, quòd maiores & periculosiores morbi reseruātur peritioribus medicis: ita olim in Ecclesia quidquid graue erat Episcoporū iudicio reseruabatur. Secundum de hac re istud sit, hac reseruatione fieri, vt absolutio reseruatorum ab inferiori nulla sit: subtrahitur enim per illam iurisdictio illi in reseruata. Itaq; nō plus agit, quàm si nō subditum absoluat. Quare qui in audiendis cōfessionibus versantur, sicut tenentur scire, an quos audiunt sibi sint subditi: ita tenentur scire quæ peccata sint superioribus reseruata: alioquin non est dubium ipsos grauiter peccare, exponentes se periculo vsurpandi

De reseruatione casuum.

Inferioris sacerdotis absolutio à peccatis reseruatis inefficax est.

pandi iurisdictionem alienam, & quos audiunt exponunt periculo deceptionis, vt putant se absolutos cùm nõ sint. Ceterùm quid circa hoc eos scire oporteat, scribunt latius summistæ in verbo, Casus: & Caietanus breuiter complectitur, quamuis in communi. Duo itaque in vniuersum sunt notanda. Primum, Papæ nihil reseruari nisi propter excommunicationem: sunt tamẽ multæ excõmunicationes ei reseruatæ, quas tenentur scire qui limitatam habent potestatem audiendi confessiones. Ponuntur à summistis omnibus in verbo, Excommunicatio, & diligẽtius à Caietano. Illud circa hæc sciendum, quòd si absolutus fuerit ab excommunicatione Papæ reseruata aliquis, iam de peccato absolui potest ab inferiori, cùm solùm ratione excommunicationis reseruatum fuerit peccatum.

Papæ nihil reseruatur nisi propter excommunicationem.

Secundum istud est, casus reseruatos Episcopis non esse certos, sed in qualibet diœcesi Episcopum posse pro suo arbitrio id facere: quare eorum statuta, & consuetudo cuiuslibet diœcesis agnoscenda est & seruanda. In extra vaganti quadam constitutione, quæ incipit: Inter cunctas, quatuor dicuntur Episcopo de iure reseruari. Peccatum clerici propter quod incurrit irregularitatem: Crimen incendiarij: peccatum omne propter quod solennis pœnitentia indicẽda esset, hoc est, publicum, & omnẽ ecclesiam scandalizans: quod quidam dicunt de graui & scãdalosa blasphemia: denique omnis excõmunicatio maior. Ex quo etiam patet, oportere eos qui confessiones audiunt, casus maioris excommunicationis agnoscere, casus quoque irregularitatis clericorum: quæ omnia à summistis latius traduntur. Neq; est opus hæc omnia recenti memoria tenere, sed in communi saltem & in confuso agnoscenda sunt, vt cùm occurrit vel casus vel dubium, possint iura consuli & eorum periti, quę reuera innumera sunt & varia. Adduntur etiam ex consuetudine: quidã alij casus: scilicet homicidium volũtarium: crimen falsarij: violatio Ecclesiasticæ libertatis vel immunitatis: Sortilegium: Diuinatio &c. Sed præter hæc multa alia episcopi consueuerũt reseruare: quæ tamen scribunt multi non esse reseruata religiosis priuilegium à pontifice habentibus audiendi confessiones, sed illa tantùm, quæ in constitutione de qua diximus expressa sunt. Notant etiam doctores circa hoc, non facilè Episcopum debere reseruare casus: & postquam reseruauerit, facilè concedere ipsos iam reseruatos propter infirmitatem pusillorum vel pauperũ, qui nõ possunt facilè adire superiores: quod maximè in reseruatione Romano Pontifici custodiendum, quam non possu-

Casus Episcopis reseruati non sunt certi neq; vbiq; idem.

Casus Episcopi reseruati.

mus negare multa consideratione debere fieri, & diligenter cauēri, ne sit in onus graue subditorum: aut in periculum conscientiarum. Certum est in antiqua Ecclesia aut nulla, aut pauca fuisse reseruata Romano pontifici. Quilibet Episcopus in sua diœcesi erat arbiter: sed non propterea hoc omnino reijciendum est aut contemnendū à veris & consentientibus filijs Ecclesiæ, quod credendum est necessarijs causis cœpisse, & deinde firmatum esse consuetudine. Si quid igitur circa hęc occurret difficile, consulendi sunt superiores: à Parochis quidem Episcopi, ab ipsis vel Archiepiscopi vel pontifex: & non statim mittendi Romam subditi, præcipuè infirmi aut pauperes, aut verecundi. Multa sunt circa hæc considerandā. Vnde Gerson in tractatibus quibusdam & epistolis de hac re dicit: Peccata interiora vel occulta non debere reseruari propter multa pericula & scandala infirmorum: nec puerorum (inquit) peccata. denique & consultum putat, non tantùm absolutionem peccatorum permittendam, sed etiam dispensationem multorum votorum, quę à pueris, vel leuitate aliqua fiunt: cùm tamē cōmuniter nulla dispensatio permissa sit inferioribus. Hæc de reseruatione casuū, quæ propter necessariam iurisdictionem dicta sunt, sufficiant, vt admoniti sint sacerdotes hæc sibi in speciali agnoscenda esse.

LECTIO SEXTA.

De eodem, scilicet ministro huius sacramenti, & necessarijs illi.

Excōmunicatus nemi nem potest absoluere, et si tentet, irrita est absolutio.

EX prima propositione præcedētis lectionis, qua duo necessaria ministro diximus, Ordinem & iurisdictionem, sequitur, etiā ab excommunicato sacerdote non posse absolutionem fieri. Hunc enim manifestum est priuatū esse omni vsu iurisdictionis: separatus enim & præcisus est ab Ecclesia: itaque verè deest illi iurisdictio, sicut dist. 19. 4. à nostris docetur, non posse videlicet vti claue excommunicatum. Certùm est excommunicatum priuatum esse iurisdictione & superioritate: Hæc enim cùm (vt probatum est) non conferantur per sacramentum ordinis, sicut potestas consecrandi, sed per electionem aut commissionem qua præficitur aliquis plebi: per prohibitionem Ecclesiæ

fiæ ita auferri possunt, vt nō tantùm ea prohibente illicitè vsurpentur, sed vt omninò irritum sit quod ex illorum vsurpatione agitur. Si itaque excommunicatus aut etiam degradatus consecret, peccat quidem, sed perficit sacramentum: quia illa potestas ab eo auferri non potest: sed non absoluit. quia illa potestas fuit ordinis sacramento collata, hæc non. Eadem ratione verus quidem est baptismus ab excōmunicato collatus, etiam si illicitè conferat: non tamen valet absolutio quam impendit. Et huc videtur pertinere quod Gratianus dixit 24. quæst. 1. cap. Subdiaconus. Sacramentum enim pœnitentiæ, cuius proprius effectus est conciliatio peccatoris Deo & Ecclesiæ, quomodo conferri potest ab eo qui separatus est ab Ecclesia? Nam baptizatus ab hæretico per impositionem manus, & reuera per hoc sacramentū reconciliatur ecclesiæ: hoc igitur sacramentum nullum est, nisi ministerio ecclesiæ susceptum. Duo itaque certa esse debent in hoc articulo. Primum. Nullo casu licere ab excommunicato absolui, nisi beneficio speciali & concessione ecclesiæ. Secundum. Quòd si id fiat, sacramentum nullum est: sicut nec est sacramentum susceptæ absolutionis à non habente iurisdictionem.

Quod verò dicimus beneficio & concessione Ecclesiæ licitum esse ab excōmunicato absolui, & ita absolutionem valere, fit primò propter moderationē Concilij Constantiensis ad euitanda scandala &c. In quo Concilio permittitur, vt ab excommunicato generaliter non denunciato sacramento suscipiantur, sicut vt illi communicetur in omnibus: quæ moderatio saluberrima fuit: & non aliud agit quàm vt virtutem illam sententiæ excommunicationis, qua aufertur omnis iurisdictio excōmunicato, suspendat vsque ad denuntiationem. Vbi tamen diligenter considerans iura Hadrianus in 4. & hunc articulum tractans, notat moderationem illam locum non habere in eo qui nominatim excommunicatus est, etiam si non sit denuntiatus: quanquam Caietanus & alij indifferenter videantur loqui: sed certè concilium tantùm dicit de generaliter excommunicatis: antequam moderationem publicè excommunicatum præcipiunt iura vitari ab omnibus: similiter occultè vitandum præcipiūt ab eo qui nouit eum excommunicatum, in cap. Cùm ab homine, de sentent. excō. Et certè nulla ratione hoc potest negari, cùm tā apertè iure ipso probetur. Diximus illud etiā secundò propter eum qui ignoranter ab excommunicato absoluitur: nam communi beneficio iuris, cùm communiter ignoratur

Ex decreto cōcilij Constātiens. generaliter excōmunicatus et nō denūtiatus efficaciter absoluit.

excom

excommunicatus, & alioqui sustinetur ab Ecclesia in administratione huius sacramenti, efficax est absolutio per eum facta: vt videlicet si parochus aut vicem eius tenens, aut denique qui ab Episcopo potestatem habet audiendi confessiones, sit excõmunicatus, & ignoretur. Ceterùm extra hos duos casus non dubitandum est non minus esse inualidam confessionem & absolutionem, quàm quæ fit alieno sacerdoti. Explicat hæc Caietanus in titulo, Absolutiò à peccatis, in fine.

Vniuersa hęc quę dicta sunt, & ex quo de ministro necessario huius sacramenti loquimur, pertinent ad potestatem & iurisdictionem. Sunt verò & alia necessaria ministro huius sacramenti, quæ sunt meritò consideranda: de quibus videatur Caietan. in verbo, Confessor, in principio: vbi præter potestatem ordinis & iurisdictionis tria alia necessaria ad rectè absoluendũ inuenies: videlicet scientiam, prudentiam, & bonitatem: nam de sigillo agendũ est postea, de quo ibidem Caietan. De his itaq; tribus in speciali dignum est paucis dicere, quomodo videlicet necessaria sint & quanta.

De scientia confessoris necessaria.

De scientia quidem nõ est opus multis nunc agere, & ex his quæ in principio huius nostri operis dicta sunt, & ex constitutione illa cõcilij Lateranensis, Omnis vtriusque sexus, manifestè constat, oportere eum qui audit confessiones, habere scientiam discernendi grauiora à leuioribus (in qua multa continentur) & medendi infirmitatibus animarum: quod ita intelligendum ibi Caietan. meritò docet, non vt omnia illa in promptu habeat & recenti memoria: sed vt vel dubitare possit cùm occurrerit casus, modò communia & certa certò sciat. Verùm meritò circa hoc dubitatur, an huius scientiæ defectus irritum reddat sacramentum? ita videlicet, vt neque confessio neque absolutio valeat, sed sit iteranda: nec facile in hac re ferenda est sententia. Sunt qui putent, quòd si sacerdos nesciat an confessa sibi peccata mortalia an venialia sint (intelligamus hoc de communibus & manifestis) non magis valet absolutio aut confessio, quàm si ipsa non audiret, quia nimirum aut surdus est, aut alieno idiomate ei dicuntur: ita enim hic ignorans nescit peccata, quanquam sciat ea quæ sibi dicuntur. Alijs videtur hoc nimis durum. Nam si imperitus omnino iudex proferat sententiam, valet quidem: & si casu iustam proferret (vt fieri potest) etiam probaretur à superiori: si igitur ignarus sacerdos contritum verè coram Deo, nescíens quidem quod agit, sed tamen absoluat: non videtur quare non sit rata absolutio. In hoc ergo discrimi-

An confessio indocto sacerdoti facta sit irrita.

ne

ne certè non paruo (atque vtinã raro) Caietani moderatio (quã ille in titulo, confessionis iteratio, in fine ponit) videtur tutior. Putat quidem ille ad necessitatem sacramenti requiri, vt sacerdos communia illa sciat: tamen an ex ignorantia absolutio sit nulla, arbitrio & conscientiæ cuiuslibet relinquendum putat. Nonnunquam ignorantia cõfessoris adiuuatur ab ipso pœnitente qui doctior est, vel certè tam promptus, vel tam cõtritus, & tam plenè suam exonerauit conscientiam, vt illi nihil maneat dubij: ceterum (inquit ille) tanta potest esse ignorãtia vtriusq;, vt ipse pœnitens intelligat se nõ confessum, hoc est, nec intellexisse conscientiam suam, nec in quibus peccauit, nec denique quidquam aliud, quàm quòd quædam sua facta recensuerit: & tunc non dubitandum est illum debere iterum confiteri. Sunt quædam scrupulosiores conscientiæ & timidiores, quæ nõ debent dubitationibus his credere, & id quidem consilio doctorum: at qui ignoranti cõfitetur, meritò timere debet. Certè aut absolutio est nulla, aut valde dubia & ambigua, & non nisi casu valida. Quare inter cetera hoc præcipuè curandum. Tanti fieri debet necessaria hæc scientia sacerdotis, vt cùm deest apertè iura permittant subdito, etiam sine licentia parochi ignorantis, alteri confiteri, vt Magister sententiarum citat distinctione 21. 4. & habetur cap. placuit, de pœnitent. distinctione 6. Quod de tali ignorantia non dubium est intelligendum esse, quæ priuat necessaria scientia cognoscendi peccata. Sunt quidem (vt ibidẽ beatus Thomas & Bonauentura) alij casus, in quibus, etiam renitente proprio sacerdote, alteri posset quis confiteri: vt si graue scandalum timeatur ex confessione illi facta, aut ipse sollicitator sit ad malum, vel reuelator confessionum: sed interim nullus certior, quàm cùm ignorans est. Itaque satis hinc apparet, quatenus sit necessaria scientia.

Prudentia verò quanta & ad quid necessaria sit, explicatur eo loco diligenter à Caietano. Est enim necessaria ad quatuor: vt scilicet ad aperiendam conscientiam suã inducatur peccator: in quo non parua industria opus est cum infirmis & ignorantibus. Admonet de hoc multa Gerson in specialibus tractatibus. Deinde opus est singulari prudentia ad interrogandum & inquirendum de his, quæ necessaria sunt ad discernendum mortalia à venialibus, vtque id fiat sine scãdalo infirmorum, ne scilicet admoneantur de quibus alioqui non cogitarent. Tertio ad inducendum pœnitentem ad veram contritionem & dolorem peccatorum: & prudenter iudicandum an verè id fiat, in neu-

De prudentia necessaria ei qui confessiones audit.

neutram partem declinando. Vbi etiam illud Pauli obseruandū: Nemini citò manus impoſueris: hoc eſt enim communicare peccatis alienis, & (vt ſuprà diximus) viuificare animas quæ nō viuunt. Quartò denique neceſſaria eſt prudentia ad conuenientem imponendam ſatisfactionem, & adhibenda remedia ſalutaria ac coaptata morbis atque conditioni infirmi. Hæc ſi conſiderentur, terrere poſſunt, & verè deterrere ab audiendis confeſsionibus etiā non indoctos nec imprudentes. Nam hęc omnia requirunt (vt apertum eſt) ſcientiam, quæ ex lectione & diſciplina doctorum paratur: & experientia, quæ exercitio ipſo virtutum & expugnatione vitiorum acquiritur: & denique ſpeciale Dei donum. Quare non poſſumus aliter credere, quam non poſſe ſine graui periculo ab aliquo huic muneri intendi, audiendis ſcilicet confeſsionibus & abſoluendis peccatoribus, niſi aſsidua lectione ſcripturę & patrum, & diligenti auditione ac conſultatione peritorum. Qui aliter agunt, & non ſolùm inexperti & indocti, ſed nihil hęc curantes, hāc quam Gregorius vocat artem artium ſuſcipiunt, neſcimus quam rationem reddituri ſint Deo, & quomodo excuſari poſsint. Verùm fateamur exactè & perfectè rarò iſta inueniri, nec quenquam tantum ſibi fidere debere, vt putet in his perfectum ſe eſſe. Timorati poſt diligentem operam circa hæc omnia, timore & oratione ſe muniunt antequam audiant confitentem (vt dignè id efficiant) & poſt, vt ſuppleat Dei miſericordia quod defuit. Et quidem fieri poteſt, vt defectu horum nonnunquam confeſsio ipſa & abſolutio nulla ſit, quia vel defuit contritio, vel ſufficiens explicatio peccatorum: ſi tamen nihil horum deeſſet, idem videtur dicendum quod de ſcientia diximus.

1. Timot. 5. Ezech. 13.

De cōſcientiæ puritate neceſſaria ad audiendas cō feſsiones.

Bonitas verò ſiue conſcientiæ puritas neceſſaria eſt in adminiſtratione cuiuſlibet ſacramenti, vt ſuprà dictū eſt: non tamen defectus huius aut confeſsionem nullam reddit, aut pœnitentem ipſum obnoxium culpæ, cùm ſimpliciter accedit ad eum qui in Eccleſia toleratur: quod de excommunicato etiam ſuperius diximus. Sunt nihilominus peccata quædam aut adeò ſcandaloſa, aut tam contraria huic ſacramento, vt (quod paulò antè admonuimus) propter illa liberum ſit etiam proprium paſtorē relinquere, & alium (ſi ipſe tam iuſtam noluerit concedere facultatem) etiam eo inuito adire: vt ſi ad malū prouocet, vel reuelator ſit confeſsionis: & certè vita publicè ſcandaloſa & perdita meritò poteſt iſtis adnumerari: in quibus omnibus præcipua cura eſt habenda ſalutis animæ propriæ, nec debet diſpoſitio

tio aliqua positiui iuris impedire. Sunt nonnulli doctorum nimium propensi in fauorem & auctoritatem conciliandam proprijs prælatis & pastoribus, iustè quidem id, sed videndum ne interim faueatur supercilio, quod Hieronymus reprehendit, & minus consulatur saluti infirmorum, cui semper credendum est & leges & superiores fauere voluisse. Alij etiam nimium in alterā partem declinant, libertatem dantes pœnitentibus adeundi meliores: quod si puro zelo salutis animarum fiat, laudandū est: sed cauenda pericula infirmorum, non tam ouium, quàm pastorum etiam. In omnibus itaque seruandum, ne quid nimis: & in his putamus locum habere æquitatem & moderationem prudentiuæ, maximè cùm superiores haberi non possunt, aut intenti sunt longe alijs rebus. Ex his itaque putamus constare, quantum satis sit, quod pertinet ad ministrum huius sacramenti. Nunc ad ea quæ ipsi sacramento & confessioni necessaria sunt accedamus.

LECTIO SEPTIMA.

De *necessarijs conditionibus Confessionis.*

QVALIS esse debeat confessio hæc peccatorum meritò quæritur à doctoribus, scholasticis quidem distinct. 17. 4. & à summistis in hoc verbo, Confessio, positæ sunt 16. celebres conditiones confessionis, quas breuiter attingemus, vt à beato Thoma supradicto loco. Sunt igitur illæ conditiones positæ à doctoribus considerantibus quid vndique ad confessionem concurrat, & quid illi necessarium sit vt integrè, perfectè, & cum magna laude fiat, vt scilicet decet tale opus tanti fructus, & tam acceptum Deo fieri. Quare multæ earum etiam si non seruentur, non propterea aut nullam reddent confessionem, aut grauiter reum efficient confitentem: deerit quidem aliquid ad exactissimam rationem confitendi, interim tamen sustinendum in infirmo. Sunt tamen nonnullæ necessariæ omnino, quæ nullam reddunt & confessionem & absolutionem, si desint. Hæc sunt meritò diligentius consideranda. Primò itaque explicemus quàm breuissimè omnes, deinde has tam necessarias eligamus, vt circa eas etiam necessaria explicentur. *q. 3. art. 4.*

Nō omnes cōditiones cōfessionis sunt æquè necessariæ. *q. 3. art. 4.*

Illæ

Illæ igitur 16. conditiones (quas diximus) sic à b. Thom. illo loco probantur & explicantur. & post illum diligenter etiã explicantur à Caietano & alijs summistis in verbo, Confessio.

Quatuor cõditiones cõfessionis communes sunt omni perfecto actui virtutis.

Quatuor itaque earum cõmunes sunt omni perfecto actui virtutis. Nam (vt in proprio loco diximus) omni actu virtutis quatuor opus est vt habeat conditiones, virtutum scilicet omnium cardinaliũ. Fiat itaque opus est à volente & sciente (inquit philosophus) propter hoc, hoc est, non inuoluntariè neque coactè, prudenter, & propter debitum finem. Certum est quidquid aliter fit, etiam si bonum sit, non tamen bene factum esse. Additur quartum, vt constanter, animo scilicet immobili nec leuiter ab ipsa virtute separabili. Hæc igitur quatuor in confessione seruanda sunt, si laudabiliter & studiosè fieri debeat: quæ his verbis significata sunt: Libẽs, hoc est, non ex timore humano, præcipuè infamiæ vel alterius incommodi, sed verò salutis propriæ desiderio. Vbi etiam mirandum non erit, nec reprehendendum statim, si aliquid horum moueat vel cogitetur (præcipuè timor æternæ damnationis) aut si nonnihil grauatim suscipiatur confessio, modò tamen vera deliberatio animi sit, Deo velle obedire & saluti suæ consulere.

Confessio libens

Discreta.

Secunda est, discreta, hoc est, vt prudẽter fiat & in peccatis recensendis, & in modo, & in quærendo prudente confessore, inquit Caietan.

Pura.

Tertia, vt sit pura, hoc est, inquit b. Thom. propter rectum finem: quanquam Caietan. alio detorqueat, puram dicens, non mistam impertinentibus.

Fortis.

Quarta denique fortis, hoc est (vt diximus) constanti animo, & qui non verecundia aut respectu alio quidquam taceat eorum quæ cõfitenda sunt.

Confessio habet tres cõditiones à virtute pœnitẽtiæ.

Hæc itaque quatuor sicut omni virtute, ita specialiter confessioni sunt necessaria. Sequuntur iam tres aliæ cõditiones, quæ confessioni accedunt ex virtute pœnitentiæ: est enim illa pœnitentiæ actus, vt ostensum est: pœnitentia verò incipit (inquit b. Thom.) à verecundia, quæ ex cognitione turpitudinis peccati nascitur: progreditur ad dolorem de ipso peccato, & terminatur in humilitate ac suijpsius deiectione: Confessio igitur fiat verecundè & apud se, & coram ipso confessore: fiat cum dolore & cum contritione, hoc est (vt dicunt) sit lachrymabilis, fiat denique humiliter cum vera sui deiectione coram Deo & Ecclesiæ illo iudicio.

Verecũda.

Lachrymabilis.

Humilis.

Confessio habet quatuor proprias conditiones.

Accedũt tertio loco quatuor aliæ conditiones propriæ confessionis ipsius, quæ cùm non sit aliud quàm manifestatio cordis, hoc est, infirmitatum & vulnerum eius, opus est vt habeat quod omnis recta manifestatio requirit. Primò scilicet veritatem, hoc est (vt dicunt) sit fidelis:

Fidelis.

deinde

deinde perſpicuitatem, ne obſcura ſit inuolucris verborum, quam vocant nudam: tertiò ſimplicitatem, ne ſcilicet aut rethoricis coloribus, aut alijs minus ad rem pertinentibus, aut deniq; multiloquio aliquo vel ornetur vel oneretur: hanc vocant ſimplicem: quartò denique vt ſit integra, nihil omittens eorũ quæ ad illud iudicium pertinent. Quæ quatuor ſi ſeruentur, perficitur manifeſtatio peccatorum vt in tali iudicio conuenit. Sed quoniam confeſsio etiam pars eſt ſacramenti, per eam iudicio ſacerdotis pœnitens ſubijcitur: tria alia opus eſt vt habeat huic iudicio neceſſaria. Primùm, vt ſe accuſet, & tanquam reus & ſuijpſius accuſator accedat pœnitens. In hoc enim iudicio ſic impetratur abſolutio, per ſui ſcilicet accuſationem. Sit itaque accuſans ipſum qui confitetur. Secundò ad hoc iudicium pertinet, vt ſit ſecreta. Non enim ex huius iudicij conditione tenetur vel coram teſtibus, vel per literas confiteri pœnitens: ſed ita duntaxat, vt ſoli iudici loco Dei fiat noſtra cõfeſsio. Vltimò opus eſt vt parata ſit pœnã & ſatisfactionem ſubire in illo iudicio moderandã: de quo ſuo loco dicemus: ſit ergo parere parata. Hæc ſi rectè cõſiderentur, oſtendunt confeſsionem quæ iſta habuerit, eſſe vndiq; perfectam, nihilq; ei deeſſe quod ad rationẽ virtutis, vel pœnitentiæ, vel iuſtæ manifeſtationis, vel denique humilis ſubiectionis clauibus Eccleſiæ pertineat: quæ omnia 14. qualitates & conditiones confeſsionis ſunt. Duæ reliquæ conditiones adduntur non tam neceſſariæ quàm vtiles, atque ideo quas obſeruare conſultum valde erit, non verò neceſſarium. Vt videlicet ſit frequens & accelerata: vt ſi ſæpius peccatum fuerit, non pigeat etiam ſæpius confiteri: vel etiam cùm ad ſui humiliationem opus eſt, aut ad quærenda remedia, eadẽ peccata etiam non ſit durum ſæpius confiteri. Acceleratam verò dixerunt, ne diutius differatur remedium tam lethalis & periculoſi vulneris. De quibus duobus ſuperius diximus, oſtendentes quando ſit neceſſarium confiteri, & quid ſentiendum de iterata eorundem peccatorum confeſsione.

Nuda. *Simplex.* *Integra.* *Confeſsio qua ratione eſt pars ſacramẽti pœnitẽtiæ & tres habet conditiones.* *Accuſans.* *Secreta.* *Parere parata.* *Duæ cõditiones confeſsionis vtiles, non neceſſariæ.* *Frequens.* *Accelerata*

Sint igitur nobis hæ conditiones ſic explicatę, ne ignorentur omnino: & ne ignorentur ab alijs, expedit eas docere, & virtutis huius pulchritudinem oſtendere: è contrario quoque defectum & inconuenientem formam, & (vt ita dicamus) faciem minus dignam virtute. Ceterùm ex his eligendæ ſunt quę omnino neceſſariæ iudicantur, ſine quibus nec cõfeſsio ipſa, nec abſolutio quidquam valet: & de his diligentius agendum in ſequentibus. Sunt itaq; tria maximè neceſſaria confeſsioni. Primùm meritò

Tres cõditiones cõ-

Fessionis omnino necessaria sunt.

inter cetera, vt sit cum contritione & dolore: lachrymabilis, inquiunt. Cuius defectus magna ex parte vel nullum reddit sacramentum ipsum, vel fructu eius & vtilitate priuat. Secundum integritas est: vt scilicet nihil omittatur. Vbi & de veritate necessaria simul dicendum est. Et quidem hæc duo ad integritatem sacramenti & fructum percipiendum præcipua sunt. Tertium verò respicit vel iudicem ipsum, vel iudicij modum: vt scilicet sit secreta: de quo etiam vltimò agendum est.

De contritione igitur dictum est superius absolutè, nõ in ordine ad sacramentum, hoc est, vt cõiuncta confessioni, & ordinata ad Ecclesiæ claues, atque illis subdita: de quo meritò nunc agendum est: quomodo scilicet in confessione ipsa (quę non est aliud quàm subijcere se clauibus Ecclesiæ) necessaria sit contritio. Duo igitur de hoc inter scholasticos disputantur. Primum, an confessio sine contritione valeat? ita videlicet, vt subsecuta absolutione sacramentum verum perficiatur, vt neutrum oporteat repeti & iterari? Secundum, an qui confitetur sine contritione, satis faciat saltem illi præcepto Ecclesiæ in cap. Omnis vtriusque sexus? Et circa vtrunq; sunt longè diuersæ sententię, cùm tamen non sit parum ad salutem necessarium de quo disputatur.

De cõfessione informi, hoc est, quæ sit sine peccatorũ remissione.

Dicamus igitur de singulis.

Prima igitur quæstio est de confessione informi siue ficta, an valeat? Informem quidem vocant, quòd illi desit peccati remissio, atque ita diuinę gratię infusio. hæc est enim virtutũ & operum nostrorũ ómnium forma, & in cõfessione specialiter (quæ pars sacramenti est) constat perfectionem esse, quam ex absolutione & fructu eius habet. Si quis igitur ita confiteatur, vt nec gratiam nec remissionem peccatorum habeat, etiam si absoluatur, informe est quidquid agitur. Rursum quoniam non remitti peccatum in hoc sacramento, non aliunde esse potest, quàm ex defectu veræ pœnitentiæ & cõtritionis: hanc fictionem vocãt.

Confessio est informis & ficta ob defectũ contritionis.

Quod enim exterius agitur ab eo qui cõfitetur & petit à peccatis absolui, ostendit veram pœnitentiam: quę si non sit, est simulatio, fictio, atque falsitas. Itaque omnis informis confessio ficta est, & omnis ficta informis est: & vtraque talis est ob defectum contritionis: de qua meritò proposita est hæc dubitatio.

De qua quæstione sunt duę extremæ sententię. Prima (quam tribuũt quidam beato Thomæ) tria asserit. Primum, confessionem sine cõtritione, quamdiu sic manet infructuosam esse, nec per illam, etiam absolutione secuta, peccatum remitti: quod manifestissimum est ex ipsa vocũ significatione. Si enim est informis,

mis, non remittitur peccatum. Secundum, confessionem illam nihilominus validam esse, & cum absolutione secuta verum sacramentum complere: quare nō est iteranda, etiam fictione deprehensa. Tertium denique, illud sacramentum habere effectū suum & operari, cùm defectus & fictio illa deprehensa deleta fuerit vera contritione & confessione, aut cùm superueniente diuina gratia peruenerit homo ad perfectum dolorem. Ex quibus cùm primum (vt diximus) manifestum per se sit, & tertiū ex secundo sequatur: in secundo probando tota difficultas sita est. Sic verò ex dictis à b. Thom. dist. 17. (vbi hoc tractat) probatur. Sine contritione potest pœnitens se ostendere atque subijcere Ecclesiæ iudicio & clauibus: sed hoc satis est ad cōfessionis veritatem (nec enim ob aliud illa fit) erit igitur vera confessio, & si quidem subsequatur absolutio, verum sacramentum. Sumitur hæc ratio ex b. Thoma illo loco: quanquam non possit dici ipsum tenere vniuersaliter hanc sententiam. Potest (inquit) esse sine contritione valida confessio. non tamen dicit semper validā esse. Confirmatur tamen illa ratio etiam ex sacramento baptismi, quod ex Augustini & Ecclesiæ sententia constat à ficto sine contritione, immo & cùm voluntate peccādi integrè sumi, licet non quò ad fructum & remissionem peccati. Ex quo certè satis efficaciter arguitur, quòd cùm non minus nec magis ad remissionē peccati ordinetur baptismus quàm pœnitentia, cùm proprius eius effectus sit remissio peccati, & tamen sine illa contingit perfectum esse: quare non etiam pœnitentiæ sacramentum perfectum erit sine remissione peccati? Ad baptismum enim eadem ratione non minus requiritur contritio (vt suprà diximus, & apertè scriptura docet, Petro dicente: pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrūm) & tamen cùm deest, perficitur sacramentum: quare ergo non similiter pœnitentia? Iam si sacramentum perfectum est: cùm iuxta primum nihil proprij effectus fuerit operatum, nec tamen repetendum iuxta has rationes: operabitur ergo postea: alioqui frustra diceretur sacramentum esse. Sit igitur hæc prior sententia.

Sententia eorum qui dicunt ex confessione informi & absolutione ne perfici sacramentū, neque repetendā talē confessionem. q. 3. art. 4. q. 4.

Secunda huic ex diametro opposita in altero extremo, quam Scotus & posteriorum multi sequuntur, hæc est: Confessionem omnem, etiam absolutioni coniunctam, sine vera cōtritione & remissione peccati nullam esse, atque ideo repetendā: in cuius confirmationem multa dicuntur, nec parū habentia probabilitatis. Primum (quod magis morale est) quærunt, an qui confitetur, suam illam fictionem & contritionis defectū confiteatur &

Sententia eorum qui dicūt confessionem informem repetendā esse. & quare.

Gabriel. Hadrianus manifestet,an non? Si quidem illam manifestat: cùm in ea permaneat,notum est absoluendum non esse,& absolutionem omnino repugnare rationi ipsius iudicij. Iudicium enim hoc pœnitentiæ & clauium sacerdotalium ex natura sua hoc habet, vt feratur sententia iuxta illud quod ex confessione rei constat: quod si contra id proferatur sententia,repugnat iudicio, & ideo necesse est nullam esse. Hoc satis ex his quæ superius diximus iuxta patrum sententias de illis verbis: Quidquid solueritis &c. probatur. Constat apertè Hieronymũ & alios asserere sacerdotem nihil efficere,nisi iuxta Dei iudicium. Itaque cùm reus se & imparatum & indignum absolutione ostendit: nihil fit si absoluatur. Si verò illam suam fictionem nõ confitetur,inquiunt: irrisor est sacramenti,nec veraciter confitetur: Probatio. Quòd si cùm confitetur fictionem, nulla est confessio: multo magis cùm non confitetur. Hinc proceditur ad alia, & disputatur de diuersarum fictionum rationibus, de quibus suprà, cùm de sacramento baptismi ageretur,aliquid diximus. Notũ est fictionem illam quæ sacramento baptismi repugnat, ipsum nullum reddere: vt si baptizetur intendens nihil omnino suscipere, sed irridere: nullum est sacramentum. Ceterùm alia posterior fictio, quę sacramento non repugnat,sed alicui eius effectui,vt remissioni peccati,non reddit sacramentum nullum: quæ omnia verissima sunt. Ex quibus arguunt,quòd in sacramento pœnitentiæ fictio,quæ remissioni peccati opponitur (qualis est hæc de qua loquimur)nullũ ipsum reddat, eò quòd in hoc sacramento nihil aliud agatur,quàm remissio peccati. Per baptismũ in peccato susceptum annumeratur baptizatus familiæ Ecclesiæ, & fit capax suscipiendorum aliorum sacramentorum: quę omnia ante remissionem peccati sunt: Hic verò nihil est aliud,quàm remissio peccati. Deinde pergunt ad inquirendum, vnde absolutio, quæ cùm fieret,sine fructu erat: postquam transijt, iam operari posit,cùm nihil reliquerit in anima absoluti? Nam baptismus (inquiunt)operatur recedente fictione per characterem illum, quem imprimit animæ indelebilem,etiam in dãnatis ipsis: pœnitentia verò nihil relinquit: Vbi confugiunt alij ad quendam ornatum animæ,asserentes,quòd sacramenta omnia ficte susceptа operari possunt recedente fictione, eadem ratione qua baptismus: atque ideo volunt, vt quæ characterem nõ imprimunt, imprimant quandam dispositionem in anima & quendã ornatum,cuius virtute postea,recedente fictione, operetur gratiam: Sed quia reuera nec scripturæ nec patrum auctoritate probari

poteſt

potest hæc dispositio siue ornatus, meritò iudicatur figmentũ: Quod si ita est, fortior erit ratio huius sententiæ, quòd nõ possunt hęc sacramenta, postquam semel sine fructu perfecta sunt, postea operari. Restat igitur vt nulla sit talis confessio, maximè cùm nec illud de baptismo, quòd recedente fictione operetur, omnes recipiant. Scotus enim planè negat. Non (inquit) baptismus operatur, sed ipsa confessio & cõtritio, qua deletur fictio, vt August. inquit, tunc incipit valere, cùm veraci cõfessione deleta fuerit. Multò igitur magis in hoc sacramento confitenda est ipsa fictio, & certe omnia peccata, quæ fictus contritione & dolore carens confessus est: nullum enim fuit sacramentum.

Media sententia quæ probatur.

Inter hæc duo, quæ verè extrema sunt, tenenda est sententia media, quam omnes prudenter æstimantes sequuntur: vt sit videlicet defectus aliquis cõtritionis reddens confessionem omnino inualidam: nec tamen omnis defectus talis sit: quod (vt diximus) b. Thom. suprà dicto loco manifestè ostendit. Nam nõ omnem confessionem informem aut sine contritione validam esse, necessariò dixit: sed tantum posse esse, in aliquo videlicet casu. Sed & multi qui contra illum docent, hoc ipsum non negant: quare reuera neutrum horum extremorum tribui potest b. Thomæ, vel Scoto, vel certè alicui alteri doctorum. Nullus enim credit omnem absolutionem & confessionem, in qua non verè remittitur peccatum, nullam esse & iterandam: Similiter nullus existimat nunquam ob defectum contritionis irritam effici pœnitentiam, & ita iterandam esse. Tantus potest esse defectus, vt manifestum sit irrisionem fuisse, non confessionem. Rursus tam paruus potest esse defectus, vt nec agnosci possit: quo casu nullus dicit repetendam cõfessionem: hoc enim esset perpetuò sollicitum reddere pœnitentem de confessione iteranda. Vt igitur in hac re non parum necessaria salati, quid senserint qui diligenter de ea scripserunt, & quid sentiendum sit, habeamus: tractanda est hoc loco alia quæstio, ex qua intellectus huius magna ex parte cognosci possit. Est igitur hoc loco Scoti & quorundam aliorum sententia considerandа, quam illi putant dignam valde esse, & dignitate legis gratiæ, & saluti animarum vtilem. Dicunt enim per sacramentũ pœnitentię, etiam sine contritione perfecta peccatum remitti. Ita dist: 14. & nonnullis alijs eiusdem libri locis, ad efficaciam huius sacramenti & dignitatem, ac ad legis gratiæ suauitatem dicit pertinere, vt non tantum per cõtritionem & integram pœnitentiam remittantur peccata ante baptismũ vel post (sicut reuera remittebantur

Explicatur Sententia eorum qui dicunt per sacramẽtũ pœnitentiæ sine perfecta contritione peccata remitti.

tur in ipsa veteri lege) sed oportere vt Christus faciliorem & certiorem viam salutis nobis aperuisse credatur, vt æquum est credi per institutionem sacramentorum (baptismi maximè & pœnitentiæ) hoc addidisse, quod magnæ misericordiæ & gratię est, vt videlicet sola horum sacramentorum voluntaria susceptio sine obice contrario gratiæ, hoc est, sine peccato actualiter, vel opere, vel voto cõmisso, sola (inquam) hæc susceptio sufficiat ad remissionem peccati: quod ille multis rationibus contendit: vt scilicet hoc modo potestas clauium & absolutio sacerdotis veraciter remittant peccatum, & lex gratiæ securiores nos reddat & certiores de salute nostra: alioqui (inquit ille) quid nobis vltra attulit Euangelium quàm lex, si necessaria est etiam cum sacramento contritio? Et quod maximè hoc videtur confirmare, est ratio ex baptismo sumpta. Duplici enim via (inquit) non baptizatus iustificari potest. Altera, contritione & pœnitentia: quæ in lege veteri atque in lege etiam naturæ iustificabat, nec per baptismum abolita est aut inefficax reddita. Altero verò per susceptionem baptismi, Christo dicente: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: per susceptionem (inquam) baptismi sine obice contrario. Si enim (inquit) per solam contritionem remittitur peccatum, quare non per solum baptisma? vt sentiamus Christum in institutione baptismi nouam attulisse gratiã, & viam faciliorẽ salutis aperuisse. Nam si etiam cum baptismo contritio requiritur, non solùm Christus non contulit nobis maiorem gratiam, sed restrinxit illam, & superaddidit nouum onus contritioni, scilicet baptismum: ita vt & contritus teneatur baptizari, & baptizatus nisi verè contritionem habeat, nõ consequatur veniam: quod multis placet. Nec enim (inquit Hadrianus) perfecta contritio in baptismo necessaria est. Ex quo statim putat inferri, duplici etiam alia via post baptismum remitti peccatum mortale: Pœnitentia videlicet & vera contritione, sicut antea: & susceptione sacramenti pœnitentiæ, in quo non est quare plus dicamus requiri contritionem (virtutem scilicet illam) perfectam: quam in cõtritione (vt per eam remittatur peccatum) sacramentum. Huius sententiæ fecimus superius mentionem, cùm de necessitate confessionis ageretur: quòd scilicet esset alia via consequendi veniam peccatorum absq; confessione: & reprehendimus illam: sed nunc circa hunc articulum est magis consideranda. Nam secundum hanc sententiam sola confessio quæ fit cum proposito vel opere peccati mortalis actualiter, est informis: Et in omni alia confessione remittitur peccatum.

Reprehenditur prædicta sententia.

catum. Et quanquam Gabriel suprà dicta 14. dist. diligenter conferens Scoti dicta, nonnihil in eis contradictionis inueniat: illis tamen omissis, putat ipse susciptendum esse sacramentũ pœnitentiæ cum aliquo dolore & proposito cauendi, sine actuali cõtrario proposito, vt remittantur peccata: & tamen non veretur dicere, quòd sine omni bono motu animi, sola susceptione voluntaria sacramenti remittatur peccatum. Secundùm hunc igitur modum verisimum est, per sacramentum pœnitentiæ non plenè contritũ absolui: & non tantùm ex attrito fieri contritum per virtutem eius: sed haberi vt cõtritum apud Deum, quamuis non sit. Nullus itaque defectus contritionis confessionem facit informem: nec vnquam repetenda est confessio, nisi cùm actuale peccatum, vel propositum eius confessioni coniunctum est: & tunc iterandam confessionem & nullam esse, nullus est qui dubitet. Illa itaque sententia de semper iteranda cõfessione informi, non solùm non est strictior si huic coniungatur, sed multò latior altera, quæ dicit non iterandam. Iuxta illam enim tantùm duo sunt statuendi diuersi gradus imperfectionis & defectus contritionis in remissione peccati. Alter est cùm solùm deest dolori & contritioni vel debita intensio, de qua dictũ est, vel puritas illa finis, de qua etiam diximus, & hic duntaxat defectus, secundum hos doctores: non impedit absolutionem peccati, quantuscunque sit. Alius est defectus contritionis, quando oppositum eius, scilicet voluntas & amor peccati, vel propositum committendi illud, inuenitur: quia videlicet vel actu placent peccata, vel actu proponuntur committenda: qui defectus impedit remissionem peccati, & reuera nullam reddit pœnitentiam: quod proculdubio certum est, & probatur vt efficaciter ratione illa, quæ pro secũda extrema sententia adducta fuit: quod scilicet vel confitetur hunc defectum, vel non &c. Itaque hinc apertissimè probatur, esse fictionem & defectum contritionis, qui nullam ipsam confessionem reddit & iterandam. Ceterùm quod minor ille defectus nunquam impediat absolutionem, ex illa pendet sententia, quæ putat solam sacramenti susceptionem sine contrario motu, sufficere ad remissionem peccati. Si enim sufficit: & absolutio tenet, & perfectum est sacramentum. Ea igitur nunc attentè consideranda: quòd certè magnopere putamus pertinere, vt sana doctrina tradatur populo Christiano. Videndum itaque, an sit hoc credendum, & ita docendum. Ait igitur ille, quòd sola voluntaria susceptio sacramenti sine aliquo bono mentis motu, siue cum quacunque displicentia

Ostenditur quod non sola susceptio sacramenti pœnitētiæ sufficit ad remissionem peccati, absque perfecta contritione.

& proposito, remittat peccatum. Primò igitur hanc sententiam suspectam reddit patronorum raritas: nam vix est aliquis aliorū doctorum, qui eam audeat asserere: deinde neque scripturæ, neque patribus consona, nec animarum saluti & sobriæ doctrinæ conuenit: ostendit maximè præsentes hæreticos verbum illud, sine bono motu mentis peccatum remitti adulto. Ne igitur hæc sine ratione videamur dicere, probemus illa. Primò repugnat scripturæ, quę sine fide & conuersione in Deum peccata non remitti apertè dicit (adultis videlicet: de his enim nūc loquimur) atque adeo sine pœnitentia peccati: Nisi pœnitentiam egeritis, inquit Christus: vbi non loquitur de sacramento. Oportebat itaque dicere per institutionem sacramenti pœnitentiæ reuocata esse (quò ad necessitatem) omnia quæ apud Ezechielem de pœnitentia legimus: quod est, illam iam non esse necessariam: & illis omnibus: Conuertimini ad me &c. iam nihil opus esse: quibus omnibus nihil potest absurdius dici. Accedit illud (quod apertius est) ex scriptura: Qui non diligit, manet in morte. Et illud: Qui diligit patrem & matrem plus quàm me, nō est me dignus. Necesse est enim iuxta illam Scoti sententiam fateri, remissa esse peccata plus amanti alia quàm Deum: id quod ita sequitur. Remissa sunt ei qui non est perfectè contritus: sed dilectio Dei præ ceteris omnibus veram cōtritionem includit: necesse est enim peccatum DEO contrarium præ ceteris magis odio haberi ab eo qui super omnia Deum diligit, vt suprà diximus. Denique sequeretur remissionem peccati non esse veram mutationem animæ contrariam motui peccati. Nam iuxta hanc sententiam nondum contrito, hoc est, in Deum non conuerso (quòd si nondum in DEVM conuerso: ergo hærenti adhuc, saltem virtute, in peccato) remissum est peccatum. Quod vt apertius ostendatur falsum, ita ex proprijs ipsius dictis contra illum arguamus. Actuale peccatum impedit remissionem: hoc est, actualis voluntas peccandi (quod ille fatetur) ergo non minus virtualis: qui verò non est contritus perfectè, vt superius probatum est, saltem virtute est auersus a Deo, & est in peccato. Simul itaque erit remissum peccatum, & virtute voluntas hærebit in peccato: quo nihil certè potest fingi absurdius. Longè itaque esse debet à Catholico sensu illa sententia, quæ gignit etiam persuasionem nimiam remittentem animos in contritione, dum, qualitercunque suscipiatur sacramentum, putatur sufficere: & præbet hæreticis magnam ansam calumniandi Catholicos. Nec omittendum quòd hæc sententia

tentia non solùm nihil plus tribuit Euangelio & sacramentis nouæ legis, sed potius detrahit multum: quod duplici ratione probamus. Primò, quia constituit Euangelicæ legis iustitiam & sacramentorum virtutem in rebus externis duntaxat sine vero cordis motu. Parum itaque refert constituere iustitiam & munditiam cordis in lotione aquę lustrationis Iudaicę, vel aquę baptismatis: modò solùm illius susceptione, sine vera cordis mutatione credatur vera obtineri iustitia. Erit igitur hæc iustitia pharisaica. Nam si fingamus esse hominem aliquem longiori vitæ tempore sacramentis pœnitentiæ & Eucharistię participantem, nunquam vero corde & affectu animi quidquam mutatum aut proficientem, illum non solùm saluari, iuxta prædictam sententiam, sed neq; cùm paruo gratię diuinæ augmento, credendum est: quo nihil potest dici Pharisaicæ iustitiæ similius. Secundò etiam probatur idem: quoniam qui tribuit sacramento duo, scilicet virtutem excitandi & mouendi animum ad veram contritionem: secundò virtutem ad sic remittendum peccatum: plus tribuit illi, quàm qui vltimum tantùm sine priori attribuit: quod illa sententia Scoti facit. Certè (vt superius probatum est) maioris virtutis est & mouere cor & peccatũ remittere, quàm duntaxat sine cordis aliqua mutatione peccatum remittere. Perfectionem itaque sacramentorum nostrorum, & nouæ legis excellentiam in virtute & efficacia cõuertendi animas & immutandi corda constituamus: quæ verè magna est & digna Christo virtus: non verò in nuda quadam externa ceremonia. Quod hac maximè ratione isto loco diximus, vt intelligant huius sacramenti ministri, & qui populum instruere debent, qualia sint sanæ doctrinæ maximè conuenientia, vt illa teneantur & doceãtur semper quidem, maximè verò attentius, quando hæretici etiam syncera calumniantur. Ex quibus duo accipiamus huic quæstioni necessaria.

Primùm, vt intelligamus (quod huius articuli proprium est) quàm necessaria sit perfecta illa contritio (de qua suprà locuti sumus) ad remissionem peccati, etiam cùm ipso sacramento vel pœnitentiæ vel quocunque alio: atque ita quomodo illa conditio confessionis, scilicet lachrymabilis, sit intelligenda.

Secundum etiam, vt ex illa sententia & impugnatione eius habeamus, quid in præsenti quæstione de confessione informi omnes sentiant. Nam reuera parua aut nulla est in verborũ tanta diuersitate rei diuersitas. Omnem informem cõfessionem ex defectu duntaxat perfectæ intensionis in contritione, aut cuiu-

ſuis alterius conditionis (quæ tamen ſine nouo peccati propoſito, ſiue præteriti complacentia fuerit) nullus putat iterandam. Ceterùm illam quæ cum nouo peccato eſt, nullus quoque negat repetendam. Quid igitur in ſpeciali tutius & modeſtius de tota hac quæſtione informis confeſsionis dici poſsit, ſequenti lectione explicabitur breuiter: quando ſcilicet ſit iteranda, & quando non.

LECTIO OCTAVA.

De *confeßione informi.*

EX illis quę dicta ſunt lectione proxima, conſtat ſatis (etiam ſecundum omnium ſententiam) in hac quæſtione, an reiteranda ſit informis confeſsio (quæ ſcilicet ſine contritione perfecta eſt) de qua nunc agimus, tenendum eſſe medium: vt ſcilicet nō omnem defectū contritionis dicamus confeſsionem nullam reddere, nec nullum. Quædā igitur eſt iteranda, quędam nō eſt. Vbi laborat Caietanus & multi alij in inquirenda vera ratione iterandæ informis confeſsionis: vt ſcilicet ex illa reſpōderi poſsit omni dubitationi. Alij igitur diſtinguunt poſitiuam fictionē & priuatiuam. Primam, (quam tum adeſſe dicunt, cùm eſt propoſitum aliquod vel actus peccati in confeſsione: vt ſi placeat peccatum, vel proponatur committendum) afferūt nullam reddere confeſsionem. Priuatiuam verò (quæ adeſt cùm duntaxat deficit perfectus dolor) dicunt non reddere confeſsionem nullam. Caietanus verò in propria de hac re quęſtione in fine 3. partis, magis putat alio referendam eſſe hanc rationem, ad integritatem ſcilicet confeſsionis. Putat enim ille quòd ſi is qui fictus eſt, ex intentione nihil omittat cōfiteri eorum quæ deprehēdit & putat cōfitenda eſſe, ſemper confeſsionem eſſe validā: quanquam poſtea nonnihil addat his: quòd ſcilicet etiam ſi ex intentione non omittat, ſi tamen tanta eſt negligentia & incuria diſcutiendi conſcientiam, vt meritò æqui valeat intentioni apertè non diſcutiendi idem ſit, ac ſi ex intentione non integrè confiteretur. Hadrianus aliud reſpiciēs, putat poſſe rationabiliter credi, ſemper per ſacramentū pœnitentię remitti peccatum, & perduci eum qui ſuſcipit hoc ſacramentum, ad perfectam cōtritionem, niſi nouum aliquod peccatum committat in negligentia diſcu-

discutiendi aut dignè æstimandi peccata: non quòd sine contritione remittatur, sed quòd sacramentū semper illam operari in pœnitente credendū sit, cùm ritè, hoc est, sine peccato suscipitur. Quę sententia non habet parum pietatis, nisi haberet etiam multū voluntarij. Nulla certa ratione probari potest, sicut nec illa Caietani, præterquàm quòd vltimo illo dicto priora magna ex parte tollit. Deniq; cùm in speciali de media sententia eligēda agitur, magna est diuersitas. Satis igitur est, vt, quod tutius cōscientijs, & dogmatibus catholicis magis consentaneum, nec nimium conscientiam grauat, nos sequamur. Quare secundum diuersos gradus imperfectę contritionis sequentes propositiones putamus probabiles esse, sine alterius partis præiudicio.

Non solùm opus vel propositum cōtrarium contritioni, hoc est, vel complacentia in peccato, vel propositum committendi, sed etiam solus defectus perfectæ contritionis, qui vel à pœnitente ipso, vel sacerdote deprehenditur, nullam reddit cōfessionem, & meritò ac necessariò repetendam. Prior huius pars nulli est dubia. Illud contrarium, propositum scilicet vel complacentia facit, vt grauissimum sacrilegium committatur, cùm petitur vel confertur absolutio. Est igitur illa nulla: cùm manifestè diuinæ sententiæ repugnet. Et istud probat ratio illa pro Scoti sententia adducta: quia siue confiteatur pœnitens huiusmodi peccatum, siue non, nulla est absolutio: sed (vt diximus) est contraria rationi ipsius iudicij. Secunda verò pars eadem ratione probatur: quia similiter committitur sacrilegium grauissimum, siue pœnitens id confiteatur, siue non: & est apertè contra rationem iudicij huius. Ex hac itaq; propositione duos gradus habes informis cōfessionis & fictæ, & vterque dici potest fictio positiua, peccatum scilicet nouum. Videtur hæc nonnihil contraria Caiet. supràdicto loco, sed puto nec illum eam negaturum iuxta ea quę postea dicit. Vtcunque verò sit de eius sententia, hæc propositio nec nimium onerosa est, nec è cōtrario nimium lata: & consonat doctrinæ patrum de conformitate sententiæ sacerdotis cum diuina sententia. Seruat itaque mediū, Quid enim manifestius, quàm eum qui confitetur, & in ipsa confessione nouum peccatum vel proponit committere, vel in eo sibi placet, siue illud apertè confiteatur siue non, non posse absolui, & nullā esse absolutionem, si impendatur illi? Committit enim & ipse, & absoluens, grauissimum sacrilegium. Sicut & illud etiam eadem ratione sequitur, quòd, si is qui cōfitetur, tam tepidè dispositus sit, vt apertè vel ipse vel iudex spiritalis deprehendat

Prima propositio. *Defectus perfectæ cōtritionis ab ipso pœnitente vel sacerdote deprehensus facit confessionē irritam.*

hendat nõ esse in eo veram pœnitentiam, similiter nulla sit absolutio, sed grauissimum sacrilegium committatur, nouum scilicet peccatum, de quo nulla agitur pœnitentia, sed potius tunc de nouo committitur. Neque in his duobus casibus vlla perplexitas aut confusio imponitur timoratis, nec datur occasio vlla dubitandi perpetuò de veritate sacramenti. Manifestum est enim quando commissum sit nouum peccatum, vel quando non fuerit vera pœnitentia, idque ex defectu cognito à pœnitente vel confessore: nulla igitur in his potest esse confusio: Nam hoc tantum dicimus, quòd tunc pœnitens certus est, inter confitendum nouum se commisisse peccatum, quando vel ipse apertè deprehendit, vel spiritualis iudex certò etiam admonet eum, quòd non verè ipsum pœnituit peccatorum, quia non deseruit vel peccata vel occasiones manifestas, nec aliud quidquã habuit, quàm quòd nonnihil displicuit illi peccasse, sine omni efficacia satisfaciendi & cauendi peccata. Ista tam manifesta sunt, vt non sit cur ex eis scrupulus aliquis generetur. Sunt porrò alia minus manifesta, ad quæ omnia descendendum est. De his igitur sit secunda propositio.

Secunda propositio. Quis defectus perfectæ contritionis faciat irritam cõfessionẽ.

Defectus perfectæ contritionis duntaxat, etsi non deprehendatur à pœnitente vel sacerdote, tantus tamen & talis, vt meritò deprehendi debuerit, hoc est, qui deprehenderetur si vterque in eo negotio non negligenter & minori cura, quàm par erat, se gessisset, reddit etiam nullam confessionem, & (sicut in præcedenti dictum est) necessariò repetenda. Hæc eadem ratione probatur qua suprà dicta. Similiter enim committitur graue sacrilegium, & est contra ipsam rationem iudicij, nec diuinæ sententiæ consonat. Est quidem hæc propositio magis contra Caiet. sed certè, quanquam præcedente paulò grauior, satis tamen moderata. Quando enim neque pœnitens neque sacerdos rectè funguntur suo officio, atque ideo non excusantur à graui peccato, quare excusandi sunt à repetendo hoc sacramento? maximè cùm defectus iste facilè deprehendi possit (vt diximus) & debeat, alioqui hæc eorum negligentia prodesset illis.

Ex hac verò propositione habemus tertium gradum fictionis, quæ etiam positiua dici potest. Sit iam hæc tertia propositio de minori alio defectu.

Tertia propositio. Quis defecet

Defectus perfectæ cõtritionis qui deprehensus nõ est à pœnitente vel sacerdote bona fide & debita diligentia (quę videlicet probabiliter iudicata est sufficere) agentibus, etsi nõnunquã fructum

fructum auferat absolutionis, non tamen nullam reddit confessionem, aut repetendam, sed est validum sacramentum, quod postea recedente fictione operabitur. Hæc est in qua solùm locum habet prior sententia illa: & rationibus quæ pro illa factæ sunt satis probatur, Nullum ibi peccatum committitur, non repugnat rationi iudicij illius sententia illa, nec diuinæ. Bona fide se subijcit Ecclesiæ clauibus pœnitens: & sacerdos secundū eas similiter bona fide absoluit: ratum est ergo vtrunque. Et confirmatur hoc, quia alioqui semper sollicitum oporteret esse pœnitentem de iteranda confessione, cùm nunquam posit certus esse de remissione peccatorum, etiam cum sacramento. Quæ ratio probat efficaciter, quandoque etiam cùm sacramento non remitti peccatum ex solo defectu contritionis, qui latet & pœnitentem & absoluentem, etiam bona fide & diligēter agentes: alioqui certi possemus esse de remissione peccati susceptō sacramento: cùm posimus nos bona fide, & quantum putamus sufficere, egisse ad consequendā remissionem: sed vera est semper illa sententia: De repropitiato peccato noli esse sine metu. Et ideo iuxta hanc respondendum est obiectionibus, quæ factæ sunt contra primam sententiam, quod non erit difficile rem ipsam magis quàm speculationes quærentibus. Cùm igitur quærunt rationes illæ, quid per illam absolutionem relictum sit in anima, quod postea operatur remissionem peccatorum (nam in baptismo constat relinqui characterem) fatemur nihil relinqui, nec ad nos hoc aliquid pertinere putamus: solùm hoc relinquitur, quòd sententia illa prolata est à ministro Christi fideliter agente: atque ideo apud Deum rata habita, & propter eā, cùm ascenderit ad perfectum contritionis, remittentur peccata. Cur nō satis erit vt sacramentū hoc operetur, sicut passio Christi in veteris testamenti patribus? Nec hic locum habet alia inquisitio, & quod ex ea inferturi an scilicet confiteatur, vel non, illam fictionem: Nec enim tenetur, cùm nec teneatur eā agnoscere. Quod verò alij contra hoc asserunt, quòd sacerdos non debet intendere absoluere, nisi rectè dispositum, quod est, sic vt cōsequatur remissionem peccati, alioqui non consonaret diuinæ sententiæ ipsius illa sententia: contra intentionem verò absoluentis nulla est absolutio. Hoc itaque nimium est scrupulosum, nec vlla ratione prudenter agens sacerdos hanc intentionē habere debet, sed duntaxat absoluendi, quem bona fide & probabili diligentia iudicat absoluendum esse. Apertè itaque dicimus imprudentis trepiditationis esse, vt sacerdos aliquam cōditionem

Eius cōtritionis non reddat cōfessionem irritā, licet aliquando impediat effectū absolutionis.

Respondetur aliorū argumētis.

Sacerdos sine cōditionem

one absolutè absoluat.

titionem apponat cùm absoluit, aut in corde illam retineat: quod nonnunquam etiam Gerson putat faciendum esse: certè aut non debet absoluere, si iudicat fieri non debere, aut dubium habet: agit enim contra conscientiam: sed cùm iudicat absoluendum esse, absolutè absoluat, relinquens Deo: interim rogans, vt ratũ Deus habeat quod bona fide ab eo fit: nec aliter intentionem suam restringere debet, nisi similis velit esse iudici, qui iubet reo in iudicio, vt soluat quod ab eo exigitur, si id debet. Esset contra hæc pietas illa Hadriani, quod scilicet credendũ sit tunc illum à Deo absolui: aut si non, ideo esse, quia aliquod impedimentum de nouo peccans opponit, cui satis superius respõsum est: nulla videlicet ratione hoc probari: vel reuera est magis de nomine quæstio. Hoc sit satis, nullum, etiam suscepto sacramẽto, certũ esse posse de remissione peccati, vt dictum est, & apertius inferius declarabitur.

Duplex cõtritionis defectus, qui non facit absolutionẽ irritam.

Habemus nunc ex his quæ dicta sunt, quòd defectus perfectę contritionis minimus duplex est: alius qui per sacramentum ipsum aufertur: cùm scilicet virtute eius ex attrito fit pœnitens contritus. Alter qui non aufertur per sacramentum, sed manet absolutus in sua imperfectione. Et primus quidem cùm non permaneat aduenientę virtute sacramenti, non reddit vel nullam, vel sine effectu absolutionem. Alter verò sine fructu illam relinquit. Hi duo gradus ponuntur communiter ab his qui prudenter saniorem partem sequuntur in hac materia. Et quidem ratio eorum (cùm reuera experientia hoc non constet) est ex arbitrij nostri libertate, & ex diuinæ gratiæ diuersitate & grauitate collatione. Diuidit singulis Deus prout vult, & nulli est astrictus, vt ei suæ gratiæ auxilium impendat, etiam cùm quoduis sacramentum recipit. Pactio illa Dei, vt nonnulli dicunt, in sacramentis hæc est, vt dignè se præparanti conferatur gratuita: sed hęc digna præparatio cui datur, mera diuina gratia datur: Dat nobis (inquit Paulus) vel & perficere pro bona voluntate. Liberum etiam arbitrium nostrum nonnunquam tepidè, nonnunquam deuotè & ardenter se præparat: & in his multi sunt gradus. Nam (quod superius, cùm in cõmuni de sacramentis ageremus, probatum est) sola mentis euagatio, quæ etiam citra mortale peccatum est, & præter intentionem in ipsa sacramenti susceptione, impedit ne tunc aut de nouo conferatur gratia, aut augeatur: quare fieri potest, vt qui alioqui efficeretur per sacramentum cõtritus, sola illa euagatione inabsolutus maneat à peccatis. Dicant igitur tunc repetendam esse confessionem.

Et

Et certè hoc quod de euagatione diximus, quanquam alijs non placeat, tamen & Caietano & multis valde probatur, & est consentaneum doctrinæ beati Thomæ & patrum. Necesse est animam moueri actu cùm diuinę gratię sit particeps, quod dicimus de eo qui vsum rationis habet. Igitur non est cur putemus semper in sacramento Deum ad perfectam contritionem erigere pœnitentem, cùm manifestè scriptum sit, non esse nobis in sacramentorum susceptione fidendum. Nolumus (inquit Paulus) vos ignorare fratres, quòd patres nostri omnes eandem escam spiritualem manducauerunt &c. Sed non in pluribus eorum beneplacitum fuit Deo &c. Hæc autem in figura facta sunt nostri. Quod vt magis explicetur, consideremus quæ superius de perfectione contritionis dicta sunt. Cùm enim ad hanc requiratur veritas atque efficacia & puritas finis (vt scilicet sit propter Deum) & perfectio siue intensionis siue appretiationis, & tandem vt prædominetur affectus illæ diuinæ dilectionis ceteris omnibus, vt dictum est: ex his pensandum est quàm perfectus sit hic dolor, iuxta gradus supradictarum propositionum. Vnde fit, vt, etsi aliquando possit certò agnosci imperfectus, nunquam tamen certò iudicari possit perfectus dolor, quod satis supradictum est. Hæc omnia & ex superioribus in materia contritionis, & ex proximè dictis satis constant: voluimus tamen ea addere, vt admoneremus, quomodo ex his iudicari debeat dispositio pœnitentis. Certè cùm sic quis confitetur, vt nec statum peccati relinquat, nec occasiones quas experientia didicit proximas esse, etiam si absoluatur, illa est fictio, de qua in secunda & prima propositione diximus. Potest enim multos habere gradus, sed satis est quòd non habeat veritatem & efficaciam: id quod manifestè constare potest bene iudicanti. Ceterùm cùm nihil horum est, sed fortè in Dei oculis (qui solus inspector est cordis) non prædominatur affectus ille ceteris, illa fictio est, de qua in tertia propositione: nisi fortè in hoc tanta esset tepiditas, vt manifestè bene consideranti appareat non tanti fieri peccatum, vt necesse est: quod timendum est ne in multis inueniatur. Hæc ideo quàm potuimus diligentissimè conati sumus explicare, vt admoneamus & pœnitentes ipsos, & spirituales iudices, vt non leuiter hæc pertranseant: est enim totius salutis nostræ cardo in vera mutatione animæ. Cùm igitur hoc oscitanter facimus & negligenter, tam medici spirituales quàm infirmi, certè grauissimè timendū est, ne socordia nostra omnia Dei beneficia conuertantur nobis in perniciē, &

Deus non semper in sacramēto pœnitentiæ supplet defectū pœnitentis. 1. ad Cor. 10.

Ex quibus æstimandū, an dolor cōtritionis sit perfectus.

Certè cognosci potest imperfectio doloris nostri, sed nō perfectio.

ex qui-

ex quibus consequuturi eramus salutem, proueniat perditio: dum scilicet fit mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum: & obscurantur oculi eorum ne videant: quod idem sic dicere possumus: fiat baptismus eorum: fiat confessio eorum &c. Est igitur confessori (vt Chrysostom. superius audiuimus dicentem) opus sexcentis oculis, vt habitum mentis eius qui confitetur agnoscat, vt excitet ad pœnitentiam, vt ab admonitione & oratione non desistat, quousque, quantum dabitur, agnoscat pœnitentem ascendisse ad perfectum contritionis & charitatis: Et pœnitenti similiter opus est, vt seipsum diligenter discutiat, sicut Paulus inquit: Si nosmetipsos dijudicaremus: & non putet leuiter aut obiter curandum esse tantum negotium, in quo agitur de consequenda venia mortalium peccatorum. Et cùm ambo probè fuerint functi suo officio, dicant: Domine, serui inutiles sumus: & timeant. Quòd si hoc illi: quid acturi sunt qui nihil hæc omnia curant?

An qui sine pœnitẽtia cõfitetur, satisfaciat præcepto Ecclesiæ de confitendo.

Ex his respondendum est alteri quæstioni: an scilicet qui sine pœnitentia confitetur, satisfaciat præcepto Ecclesiæ quod habetur in capite: omnis vtriusque sexus: quanquam reuera hæc quæstio magis curiosa sit quàm necessaria: parum enim prodest satisfacere interim Ecclesiæ præcepto, si non satisfiat diuino: nec certum aliquid potest in hac quæstione asseri. Sunt diuersæ sententiæ: illa tamen probabilior nobis videtur, sine aliorum præiudicio, quòd cùm in confessione ipsa peccatum sacrilegij committitur contra sacramentum, in casibus scilicet primæ & secundæ propositionis, cùm sacramentum iterandum est, non satis fit Ecclesiæ præcepto. Cùm verò bona fide peragitur confessio & Absolutio, nec repetenda est iuxta tertiam propositionem, tunc satisfactum est Ecclesię præcepto. Ratio horum est, quoniam probabiliter credendum est Ecclesiam, cùm præcepit omnibus confitendum semel in anno, illam confessionem præcipere, quam Deus iussit fieri absque temporis determinatione. Non enim aliud agit Ecclesia, quàm tempus definire, in quo fieri debeat quod absque certi temporis definitione Deus statuit. Cùm igitur quis ita confitetur, vt illa confessio maius peccatum sit, nec Deo satisfiat: non est cur credatur satisfactum esse Ecclesiæ. Statuit Alexander 3. in cap. Quod quidam, de pœnitentijs & remissionibus, recipi debere impœnitentis confessionem, & monitis salutaribus indicandam ei esse pœnitentiam, non tamen impendendam ei absolutionem dicit. Quare nec probat illud esse sacramentum,

si fieret,

si fieret, nec satisfieri Ecclesiæ, quæ certè præcipit vt sacramentum pœnitentiæ suscipiatur. Alij aliter distinguunt, & quidem Durandus argutè magis quàm solidè in dubiũ vertit, an Ecclesia præcipere possit cõfessionẽ fieri: quia (inquit) nõ potest cognoscere transgressionẽ huius præcepti. Vnde (inquit) intelligi potest, quod de sumendo sacramento Eucharistiæ sit præceptũ in illo cap. Omnis vtriusque sexus de confessione verò solùm admonitio. Non enim potest Ecclesia agnoscere, an ritè quis fuerit confessus. Sed hæc non admodum pertinent ad rem: certè ad Ecclesiam pertinet de sacramentis & præceptis Dei definire, quando & quomodo sint vel suscipienda vel implenda. Satis itaque dictum sit de pœnitentia in confessione necessaria. Non enim tanta exigitur, vt sacramentum sit ratum, quanta vt peccatum remittatur: de qua re plura superius diximus.

LECTIO NONA.

De *Integritate Confessionis.*

QVIA inter Confessionis conditiones præcipuas diximus esse, vt sit integra, quemadmodum vt sit lachrymabilis, & de hac proximè diximus: restat vt nunc de integritate dicamus. Sit igitur de ea hoc certissimum fundamentũ, vnde cetera deducamus. *Summa'do Etrimæ de integritate cõfessionis.*

Ex ipso Christi præcepto in huius sacramenti institutione, necesse est omnia mortalia, quorum sibi quisque conscius est, secundum speciem & numerum, quantum pro fragilitate humana fieri potest, eidem sacerdoti integrè confiteri. Vbi tria asserimus meritò & probanda & explicanda. Quòd igitur vni sacerdoti & eidem sacerdoti omnia confiteri oporteat apertè probat, quod superius de sacramenti huius institutione dictũ est. Omnia mortalia sunt reseruata à Christo, & subdita clauibus Ecclesiæ: mortalia (inquam) post baptismum commissa. Ceterùm quòd eidem sacerdoti omnia sint confitenda, non tam facilè est probare. Nam quanquam de conclusione ipsa nullus dubitet (regulariter enim, omissis quibusdam specialibus casibus, de quibus dicemus, vni integrè confessionem fieri oportere asserunt omnes, & oppositum hypocrisim grauissimam esse affirmant') de ratione tamen nonnulla est dubitatio: sed non est *Vni et eidẽ sacerdoti omnia mor ta tania peccata confiten da.*

q.3.art.4. opus multis de hoc agere. B. Tho. d. 17. 4. vbi de hoc loquitur, id probat ex medici corporalis similitudine. Non potest ille bene vni morbo adhibere medelam, nisi ceteros etiam cognouerit: sæpe enim quod vni prodest alteri nocet. Sic igitur nec potest sacerdos spiritualem adhibere medelam & conuenientem, nisi omnes animæ ægritudines cognouerit. Arguit Durādus rationem hanc minus sufficere: quia (inquit) quod attinet ad remittenda & sanāda peccata omnia commissa, vna absolutione quasi vnico remedio tantum opus est: quod verò attinet ad cauenda futura, quamuis diuersis remedijs opus sit, tamen (inquit) non est de necessitate veræ pœnitentiæ, non labi rursus in peccata: quo videtur innuere, nec ad veritatem pœnitentiæ requiri, vt adhibeantur remedia preseruatiua. His respondetur ab alijs. Sed non est opus de hoc cōtendere, res certa est. Hæc verò ratio b. Thom. magis similitudo quædam est, qua id explicari possit & proponi, quàm probatio. Nobis illa ratio videtur efficax & certa, quam eo loco b. Thom. etiam ponit, & Durandus ab eo sumpsit: quod videlicet confessio hæc eo modo fieri debeat sacerdoti, quo fit interius Deo per contritionem. Est enim exterior illa confessio huius interioris signum. Sicut ergo non est vera contritio, quæ de vno peccato est & non de omnibus, ita nec vera confessio. Et (vt apertius dicamus) confessio sic fieri debet, vt sequi possit vera absolutio, & diuinæ absolutioni cōformis. Cùm igitur Deus ab vno peccato non absoluat, nisi simul ab omnibus, de quo superius dictum est: nec sacerdos potest nisi ab omnibus absoluere: omnia igitur confitenda. Video multos huic rationi non inniti, quoniam (vt inferius patebit) putāt aliquem posse absolui à diuersis sacerdotibus: ab vno scilicet de his, ab altero de alijs peccatis: cùm scilicet sunt casus reseruati. Sed putamus rationem hanc efficacem esse, etiam si illud ita sit. Probat enim pœnitentem, quantum in ipso est, bona fide hoc debere agere, vt in vno & eodem iudicio se offerat de omnibus iudicādum simul, sicut simul de omnibus à Deo iudicādus est. Si quid verò per Ecclesiæ ordinationem huic obstat, aut alia aliqua ratione, pœnitens agit quod debet, quantum in ipso est. Probat itaque ratio hæc regulariter hoc requiri in iudicio confessionis, vt sicut à Deo absoluitur, ita absolui possit à sacerdote. Et post hanc rationem etiam illa similitudo satis est efficax, si rectè pensetur. Duo sunt præcipuè in hoc iudicio attendenda. Primum, præteritorum peccatorum remissio, & de hoc intelligenda prior ratio. Secundum, præseruatio à futuris: vbi bene

Petrus de Palude.

Adrianus in quarto.

bene respondent Durando alij, quòd quamuis non pertineat ad rationem veræ pœnitentiæ, nec ad illam sit necessarium, non peccare rursum: est tamen necessarium habere verum propositum non peccandi: atque ita susc ipere remedia necessaria. Magnus est error & pernicios us certè, putare minus curandum esse in confessione de remedijs necessarijs ad cauenda peccata. Tam necessarium id est, vt manifesta huius negligentia reum faciat & pœnitentem & confessorem. Huc spectat illa beati Thomæ similitudo: Necesse est ita confiteri, vt cognoscat spiritualis iudex quibus remedijs sit vtendum: quod fieri non potest, nisi omnia cognoscat peccata: Sunt igitur eidem confitenda. Et hæc diximus de primo, quod prædicta propositio continet. Iam ad duo reliqua accedendum:

Primum est, confitendas species mortalium peccatorum: furtum videlicet, homicidium &c. species (inquam) omnes. Istud non alia ratione opus est probare, quàm quod aliter non omnia confiteretur: si videlicet tantum diceret se multa peccata commisisse, ex hoc non fiunt illa homini cui confitetur, nota: confiteri verò non est aliud, quàm manifestare ei cui confitemur. Sunt itaque species omnes confitendæ. Notat tamen Caietanus, hoc diligenter considerans in propria de hac re quæstione circa finem tertiæ partis beati Thomę confitendas esse species illas, quæ diuersam continent malitiam, quas dicere possumus morales species: non verò opus esse ad alias descendere. Exempli gratia: b. Thom. diuersas species diuinationis ponit, per somnia, per garritus auium, per terram vel aquam: & tamen eadem est peccati malitia in his omnibus: quærere per pactum cũ dæmonijs, per adinuenta signa ab illis futurorum præcognitionem. Quare non erit opus vlterius descendere. Tamen furtum & rapina, quorum primum occultè, alterũ manifestè & violenter fit, diuersę sunt species, & diuersam cõtinent malitiã: ideoq; confitendũ vtrunque. Continet etiam illa propositio numerum mortalium peccatorum esse confitendum: quod eadem probatur ratione. Non est minus peccatum decimum, quàm primum: nõ omnia itaque manifestat peccata, qui non explicat numerũ. Caietanus tamen hoc prudenter considerans supradicta quæstione, diligenter explicat, quod dignum est consideratione, vt quantũ fieri potest, tædium omne, & importuna quædã numeri peccatorum exactio auferatur à pœnitentibus. Est necessarium vt id fiat, ceterùm alia sunt multo magis necessaria: vera

Omnes species mortaliũ peccatorum sunt confitendæ.

Quæ species peccatorũ confitendæ.

Numerus mortalium peccatorũ est confitendus.

scilicet contritio, & cauendi futura diligentia: quę procul dubio magis vrgenda sunt. De numero itaque sequentia, iuxta Caietanum & reliquos, notanda sunt: Primum, Numerus certus certò etiam manifestandus est in confessione, dubius verò conuenientiori modo quo fieri potest, vt scilicet intendat qui cõfitetur, quàm manifestè potest numerum explicare: de quo hoc secundò annotetur. In hac explicatione, non tam attendendũ vt integram & exactam notitiam peccatorum confessor habeat, quàm vt sciat, quid ad adhibenda salutaria remedia expediat. Probat hoc supradicto loco & explicat Caietanus conuenienti ratione. Omne iudicium huius vitæ, quod in Ecclesia ministerio CHRISTI fit, non ad integram punitionem peccatorum, sed ad salutem potius animarum ordinatur. Hoc itaque curandum est, vt agnoscatur quod ad animarum salutem pertinet. Ex quo sequitur tertium, quòd in hoc numero incerto peccatorũ manifestando non magnopere curandum est, si parum aut plus aut minus dicatur. Quartum, vt in peccatis, in quibus diutius perseueratum est, magis curetur vt diuturnitatem ipsam & tempus, frequentiam, & propensionem voluntatis in peccatũ quis confiteatur, quàm numerum aliquem. Inde melius potest aduertere spiritualis iudex, quam debeat adhibere medelã: quàm ex importuna calculatione. Exemplum est manifestum in publica peccatrice, quæ melius confitetur, si tempus quo in peccato permansit, aperiat: & an semper affectus peccandi perseuerauit, an non, atque frequentiam, quàm si importunius per singulos dies discurrens cuncta reducat ad numerum: quanquam id fieri possit, sed certè non debet.

Circa cõfessionẽ, numeri peccatorũ quædam notanda.

Ex hoc fundamento, & omnibus quæ circa illud diximus, sequitur etiam, quid de circumstantijs sentiendum sit. Circa quas illud primò omnium certum est omnibus, confitendas esse omnes circumstantias, quæ addunt nouam speciem peccati mortalis, quod est, noui præcepti transgressionem. Et quoniam alibi de circumstantijs dicemus, quid videlicet sint, & quot, nunc nõ est opus plura dicere, satis sit istud exemplo declarare. Vulnerare vel occidere hominem peccatum est contra quintum præceptum Dei, occidere verò vt fureris & rapias illius bona, circumstantia est finis, & contra septimũ Dei præceptũ: Qui igitur fatetur se occidisse tãtùm cùm occiderit animo furandi, nõ omnes confitetur malitias mortales: & sic in ceteris omnibus. Nec circa hoc vlla est difficultas. In genere id tantum obseruandum, vt circumstantiæ manifestentur, vt verę sunt tanquam cir-

De cõfessione circumstãtiarum.

circumstantes ipsum peccatum, non seorsim: nam in exemplo posito non debet confiteri pœnitens se occidisse, & furatum fuisse, seorsum: sed occidisse vt furaretur.

Est quidem de alijs circumstantijs nonnihil dubij, de quibus sequentia notanda.

Primum. Quod de circumstantijs variantibus speciem mortalis peccati diximus, id etiam de illis, quæ transgressionem mortalem eiusdem etiam speciei, vel contra idem præceptum addunt, apertè est intelligendum. Nam ratio quæ de alijs dicta est, etiam de his probat. Si quis furetur centum, vt alia totidem possit furari: vel occidat Petrum, vt postea occidat Ioannem, manifestum est non satis confiteri, si dicat se occidisse hominem: sicut qui duos occideret, etiam vnico ictu, duo homicidia commisit, & ita confiteri tenetur. *Circũstantiæ variãtes speciem peccati.*

Itaque quot (vt ita dicamus) malitię mortales sint in actu quę confitetur, manifestandum est, siue sint eiusdem speciei, siue diuersæ. Ex hoc est secundum considerandum (vbi diuersæ sunt sententiæ) de circumstantijs scilicet non nouam transgressionem continentibus, sed augentibus eam quæ iam est: quantitate videlicet furti, vel grauitate illatæ iniuriæ siue violentiæ. Si furetur quis mille, longè maior grauitas est, quàm si centum: quanquam nec sit alterius speciei, nec eiusdem nouum peccatum. An itaque furti quantitas necessariò sit manifestanda, sicut quantitas illatæ contumeliæ siue vulneris, meritò dubitatur. Sunt qui putent non esse necessarium huiusmodi manifestare, hac sola ratione, quòd non addãt nouam transgressionem: alijs videtur omnino esse necessarium: quod efficaci certè ratione probari videtur. Si enim (vt prius diximus) cẽtum furetur quis, vt possit alia centum furari, manifestum est: multo autem est grauius, si semel mille furetur. Quare satis probabile videtur, omnem quantitatem, quæ ex se sola mortale constituit peccatum, manifestandam esse. Quanquam enim furatum fuisse semel mille aureos, vnum peccatum sit, non est tamen dubium æquiualere mille peccatis, quibus mille tantùm aurei furto accepti sunt. Si itaque (vt verbi gratia dicamus) in furto quantitas vel aurei, vel minoris alicuius summę peccatum mortale constituit, confiteri oportet quanta huiusmodi furatus quis fuerit: tot enim peccatis illud vnum æquialet. Siluester in verbo, Confessio, de nuditate confessionis loquens, citat vtranque sententiã, & putat mediũ tenendũ: vt scilicet quantitas tunc necessariò sit manifestãda, quando vt sacerdos iudicare possit quid agendum *De quãtitate vel grauitate furti, iniuriæ &c.*

sit, vel imponendum pœnitenti, necessarium est. Vt si iniuria aut violentia illata sit clerico, an fuerit leuis, an grauis. Nam grauis & enormis iniuria clerici excommunicationem habet reseruatam pontifici Romano: Leuis verò iniuria tantum Episcopo reseruata est. Necesse est itaq; sacerdotem hoc agnoscere, vt intelligat quid sibi agendum sit. Similiter in furto, quia restitutio necessaria est, eaq; iuxta facultates, & oportunitatem est iniungenda: necesse erit agnoscere, quanta sit quãtitas. Itaque ista manifestanda sunt, nõ quidem tanquã propter seipsa necessaria, sed (vt dictũ est) vt rectè iudicare possit sacerdos: ceterùm alioqui non putat esse necessariũ. Nos verò putamus tutius esse, vt cùm certa est quantitas, manifestetur. Et vniuersaliter vel numerus vel magnitudo, prout fieri potest, ostendatur. Non minus ista aggrauant peccatũ, quàm si vt minimũ in eadem specie plura committerentur, vt diximus. Nec certè vlla ratio ostendit, quare illa de quibus prius diximus, magis sint cõfitenda, quàm ista: sed in omnibus his, quod bona fide agitur à pœnitente & sacerdote, id satis esse debet: nec putamus contendendum esse de his. Nullus est qui magnã & enormem iniuriã, aut furtũ maximi alicuius thesauri non putet confitenda esse. Si quis verò ex his velit etiã probare, magnitudinẽ affectus quo peccatur, necessariò confitendũ esse: nõ enim minus illa grauat peccatum, sed reuera magis quàm magnitudo effectus: respondendũ est, quod in affectu non est tam aperta nec manifesta diuersitas. Et certè quando manifestissima est affectus magnitudo, & (vt ita dicamus) insolita dignum est vt manifestetur. Verùm quia gradus affectuum nostrorum non facilè metiri possumus, nec de hac re putamus inquietandos esse eos qui confitentur: sed admonendi sunt inter cetera, vt cogitent, quanto affectu Deum offenderint, tanto magis pœniteat eos sic eum offendisse.

De circũstãtia loci.

Sunt circa hoc de quibusdam circũstantijs speciales difficultates, de quibus breuiter dicendum. De loci circumstantia, vbi scilicet peccatum sit commissum, in prophano scilicet an sacro loco: illud certũ, quædam peccata iure quidem positiuo sacri loci reuerentiã & sanctitatem violare, furtum scilicet sanguinis aut seminis humani effusionem. In his peccatis circũstantia loci sacri, addit nouam transgressionem diuini præcepti. Furtum enim in loco sacro est etiam sacrilegium: quare illa circumstãtia necessario est confitenda. Ceterùm alia peccata, quanquam in loco sacro cõmissa irreuerentiã illi inferant, vt penuria, detractiones, non sunt tamen specialia sacrilegia, nec necessariò confi-

confitenda. Est apud multos dubium, de furti aut homicidij, aut luxuriæ cogitationū peccatis, & denique omnibus alijs minoribus, ipsumque actum præcedentibus. Sed loco corporali non nisi externis & corporalibus fit propriè irreuerētia: de interioribus anxiè curandum nō est: confiteatur quisque quàm potest plenius & manifestius, & sacerdos sit contentus in his omnibus mediocri cognitione. Ex his verò quæ de loco diximus sacro, de ceteris circumstantijs sacrilegium constituentibus iudicandum est. Vbi & circūstantia, quis, scilicet sit qui peccat, secularis an sacerdos, clericus an monachus. Similiter circumstantia, circa quem, an cum consecrata Deo muliere peccatum sit, an non. Vbi quod de loco diximus obseruandum est. Sunt quædam peccata consecrationi ipsi repugnantia: cùm scilicet specialiter cōtra illa consecratus quis est: illa sunt etiā sacrilegia, & ita in eis necessariò confitenda persona quæ, vel circa quam, non omnia alia. Si sacerdos fornicetur, est circumstantia necessaria, quia cō tra votum & cōsecrationem sacerdotalem peccat: si verò peieret, aut detrahat, non est etiam sacrilegium. Ita in reliquis omnibus. Vniuersaliter verò quanquàm sæpius ex qualitate eius qui peccat, peccatum grauius fiat (grauius enim peccat senior quàm iuuenis, prælatus quàm subditus) non tamen hæc necessariò manifestanda sunt.

De circū-stātia perdum et circa quā peccatur.

De circumstantia sacri temporis similiter est dubium. Multi præcepto obseruationis festorū putant prohiberi peccata. Est in hac sententia non minima pars doctorū: Vnde fit, vt in festo peierans aut detrahens transgrediatur etiā tertium præceptum: Sabbatha sanctifices. Hoc est enim sanctificare diem, cultui diuino mancipare. Alij putāt tertio illo præcepto nō aliud quàm seruilia opera corporalia interdici: specialiter verò præcipi cultum illum, quem Ecclesia definiuit: astare videlicet sacræ Missę officio &c. Quare aliorum peccatorum commissio secundū istos nō est contra hoc præceptum, quanquam sit contra finem eius: cuius sententiæ videtur esse b. Tho. Quare multi illum sequentes, vt certissimū hoc haberi volunt, & reprehendunt eos, qui non apertè ita docent: ne videlicet ex contrario laquei inijciantur animabus. Verùm nos nō ita putamus certum esse, vt non possit tutius prior illa sententia asseri & multorum auctoritate doctorum, & ratione ipsa sanctificationis festi: quāquam & contrarium putemus tutò teneri posse.

De circū-stantia sacri tēporis.

Sunt etiam specialia quædam circa hoc dubia, quæ non est opus persequi: vt est illud, quòd publicè & coram alijs peccare,

De scādalo quod ex

peccato nascitur. circumstantia est trahens ad speciem scandali peccatum, & tum proculdubio necessariò confitendum: sicut aliorum auxilio vel consilio peccare, & ita alios participes facere peccati, siue inducere quouis modo, scandala sunt, & ita noua peccata. Dicit etiã Hadrianus hoc loco, quòd similiter peccare contra conscientiam, sit necessaria circumstantia. Nam si bonum (inquit) agere contra conscientiam, mortale est: ergo malum similiter contra conscientiam commississe, duplicem habet malitiã: quare multo magis etiã erit confitendũ, si scienter peccetur: quod tamen (vt ipse fatetur) nec docti confessores exigunt, maximè cùm communiter scientes peccent qui peccant. Et certè cum dubio conscientiæ peccare, magis alleuiat quàm aggrauat peccatum, quod alioqui ex se peccatum est. Nec scienter peccare aliud est quàm peccare. Diximus superius quòd magnitudo siue intensio affectus quo peccatur, non sit necessariò confitenda.

De eo qui contra conscientiam peccat.

Vltimò demum circa circumstantias notari volumus, quod de recidiuãte in idem peccatum b. Thom. dist. 22. 4. dicit, quãquam peccata præterita per sequens peccatum non redeant, vt dictum est, atque ideo nec illa iterum confiteri sit opus, tanquã de quibus petenda sit absolutio: vt necessaria tamen ad conuenientem adhibendam medelam recidiuo manifestanda sunt, quasi quædam circumstantiæ. Constat enim quàm efficaciori remedio opus sit contra peccata inueterata, quæ iam in consuetudinem & naturam abierunt: manifestanda sunt igitur præterita, non quidem in speciali, sed satis erit, vt ostendat se pœnitens grauatum consuetudine illa peccandi.

LECTIO DECIMA.

De *integritate etiam Confessionis.*

RESTAT iam vt latius agamus de hac integritate Confessionis: Primò Casus, in quibus iure quidem non solùm diuidi potest confessio, & hoc vni, illud alteri manifestari, aut omnino aliquid omitti, sed debeat etiã omnino fieri, referamus, & rationem eorum. Primò igitur, cùm sine graui scandalo vel periculo peccatum manifestari non potest, siue id ex culpa sit facer-

sacerdotis (qui probabiliter scandalizandus putatur, vel prouocandus ad malum, vel confessionem ipsam reuelaturus) siue ex alia quauis causa: sententia est certa doctorum, quærendum esse alium, cui confiteatur: aut si habere eius copiam non potest alia manifestanda esse, & illud omittendum. Quò ad illud enim perinde est, ac si non habeatur copia confessoris. Quo casu nō ex intentione diuidit confessionem, aut quidquam tacet qui libenter omnia confiteretur: atque ideo non exhibet se inabsolubilem à Deo, cui omnia veraciter confitetur, & contritione atque proposito integrè confitendi omnium remissionem cōsequitur. Nec tamen dubitandum est, habita copia eius, cui ritè id confiteri possit, teneri ad hoc agendum. Est tamen circa hoc considerandum (quod mouetur à nonnullis) non ideo omittendam manifestationem peccati alicuius, vel circumstantiæ, quòd inde cognosci possit persona fortè, cum qua peccatum est, nec timendum est ibi periculum peccati detractionis, aut infamiæ proximi, sed cōsulendum est propriæ saluti, cùm talis est sacerdos, vt meritò non debeat timeri infamia, aut publicatio peccati. Cui propria peccata fidimus, non est cur & aliena illi fidi non possint, nisi aliunde periculum probabiliter timeretur. Reuera tamen, cùm sine confessionis reuelatione manifestari non potest peccatum, omittendum est, aut quærendus alius sacerdos: cùm scilicet creditur non posse non cognosci persona quę cōfessa fuit, & similiter peccatum eius.

Peccata reseruata quo modo confitenda.

Secūdò, circa hoc est non parua quæstio, de peccatis reseruatis, quomodo scilicet manifestanda sint, cùm nec ab inferiori possit pœnitens de omnibus absolui, nec superior consueuit aut vult omnia audire: & maximè propter consuetudinem multarum ecclesiarum, in quibus (vt Caietanus hoc loco in quit) absoluitur à superiori de reseruatis tantum, ab inferiori de alijs. Quidam igitur putant nullo modo sacramentaliter absolui posse aliquem, nisi ab eo qui omnia audierit peccata. Si itaque superior solùm reseruata audiat, & absoluat: eam non credunt sacramentalem esse absolutionem: sed remissionem quādam. Ita sentiunt Hadrianus, Durand. & multi alij. Reprehendit hoc Caiet. sed non probat certa ratione esse sacramentalem absolutionē quæ fit à superiori: quoniā (inquit) tenetur ille sigillū seruare secreti. Sed (vt inferius dicetur) multi tenentur secretū seruare, qui nec sacramentaliter absoluunt, nec etiā vlla est absolutio sacramentalis. Quare nō potest negari illā sententiam tutiorē esse, nec certa cōsuetudine Ecclesię potest probari cōtra-

ria. Nam quòd in Roma. Ecclesia, & alijs, superiores absoluant à reseruatis tantum (vt Durand. dicit) potest intelligi, quòd absoluant à sola excommunicatione: vel, vt intelligantur ad inferiorem remittere absoluendum. B. Tho. obiter hoc attingẽs in 4. sentent. dicit inferiori cõfitenda esse omnia, & ab eo absoluẽdum esse confitentem à non reseruatis, & remittendũ ad superiorem, vt absoluatur ab alijs. Permittit itaque diuidi absolutionem, quanquam non confessionem. Et idem Caiet. in summula, vni vult omnia cõfitenda & manifestanda esse, sed à diuersis absolui. Et hæc videtur media quędam sententia. Sunt enim qui ex oppositio prioris sententię tenent, in hoc casu reseruationis & confessionem, & absolutionem diuidi posse: vt scilicet superiori reseruata tamen confiteatur quis & ab ijs absoluatur: inferiori reliqua: quæ etiam satis probabilis est sententia. Nec vlla videtur ratio, quare potius absolutio diuidi possit, quàm confessio: rursum, nec quòd teneatur quis sæpius eadẽ cõfiteri peccata. Igitur quãlibet harum sequatur quis sententiã, maximè si sit cõsuetudo suę Ecclesię, aut si à superiore ita prȩcipiatur, tutus erit: nec opus est scrupulosius hęc tractare: Siue confiteatur quędã vni, alia alteri, & ita absoluatur, vt dictum est: siue omnia vni, & à diuersis absoluatur, siue ab vno tantùm sacramentaliter absoluatur, non est vlterius inquietãdus. Quanquã quęstionis ipsius vltima decisio aut concilij vniuersalis, aut Apostolicę sedis examinationem & auctoritatem (vt Durandus inquit) requirat. Satis sit, quod ad propositum attinet, quòd integrè confiteatur, qui voluntate & intentione nihil omittit. Si tamen Ecclesiæ ordinatio diuersis (vt ita dicamus) tribunalibus diuersa reseruat peccata: atq; ideo in eis ita à diuersis iudicatur & absoluitur pœnitens, per eum nihil detractũ est integritati: nec effectus vnius absolutionis corã Deo impedietur: cùm apud illum nõ desijt integrum propositum pœnitentis. Nec etiã inconueniens vllũ esset, iuxta ea quæ suprà dicta sunt, si penderet effectus vnius absolutionis, & alia superueniẽte quasi vna integra sequeretur remissio: sicuti vna absolutio nonnunquam operatur longè post, vt ostendimus cùm de fictione ageremus.

dist. 17. q. 3. art. 4.

De peccato oblito.

Restat de integritate, quid sentiendum, cùm alicuius peccati oblitus est pœnitens, cuius postea est memor: an scilicet omnia præterita confiteri teneatur? cùm nec tunc integrè confessus fuerit, vt patet: nec nunc, si id tantum, cuius memor est, dicat, integrè confiteatur. De quo speculatiuè quidem certa est sententia, quòd, si diligenter conscientiam discussit pœnitẽs, quantum

tum scilicet iustè putauit sufficere, vt in memoriam reuocaret peccatum: quantum in ipso est integrè fuit confessus, nec tenetur amplius repetere. Si verò ex negligentia & incuria discutiendi conscientiam & rememorandi peccata cõtingit obliuio, tunc negligentia illa imputatur, & perinde est ac si noluisset integrè confiteri: quare nulla est illa confessio, & tota repetenda. Diximus hæc manifesta esse speculatiuè. Ceterùm in speciali iudicare, qualis fuerit negligentia, & quanta, certò quidem vix possibile est, maximè in rudioribus & rarò accedentibus ad cõfessionem. Quis enim satis intelliget, quanta fuerit diligentia examinandi conscientiam? Quanquam sic illud iudicare, vt sufficiat ad hoc, vt in misericordi Dei iudicio non imputetur nec pœnitenti, nec confessori, non sit difficile prudenti & timenti Deum sacerdoti, & non negligenter expendenti quæ ad hoc pertinent iudicium. Ceterùm ab idiotis & negligentibus circa similes pœnitentes, vix intelligere possumus, quomodo fieri possit: nec id sine dolore dicere possumus. Quanquam hoc malum non in hoc articulo solùm noceat, sed ferè in omnibus.

Quãta diligẽtia examinãda cõscientia.

Ad iudicandum igitur, an sufficiens fuerit diligentia, hæc est communis doctorum sententia, manifesta etiam ratione probata: Adhibendam esse in confessione non minorem diligentiam, quàm in arduis & grauibus negotijs magni momẽti, aut ex quibus pendet vel substantia, vel vita hominum, adhiberi solet. Idcirco dicitur libro de falsa & vera pœnitentia: Faciat pro salute animæ suę in æternum victurus, quod pro salute corporis facit moriturus.

Diligentia adhibenda circa tria.

Hæc igitur diligentia adhibenda est circa tria maximè: scilicet circa rememoranda peccata, circa dolorem & contritionem de illis, vbi etiam includitur cautela contra futura peccata: denique circa hæc ipsa, contritionem scilicet & discussionem cõscientię, rectè examinanda & iudicãda, an sufficientia sint. Cùm enim ex his tribus pendeat remissio peccati, ad quam consequendam tanta meritò est adhibenda diligentia: constat eandẽ ad hæc tria requiri. Cùm igitur hoc certum sit in vniuersali, iã satis ostẽditur in particulari, quàm difficile sit de hoc iudicare. Sunt quidam, quorum feruor & diligentia manifesta est, quantum est in homine. Sunt alij, quorum negligentia etiam apertissima est. Sunt medij, de quib⁹ meritò dubitari potest. Circa hos igitur debet esse cura & propria, & sacerdotis: vt scilicet excitentur ad maiorem diligentiam, & quantum fieri potest, examinentur: de quo sequentia in speciali sunt notanda.

Pri-

Primum. Tanta illa necessaria diligentia intelligenda est iuxta proportionem: vt scilicet sicut ad vitam saluandã nihil omittitur eorum quæ necessaria iudicantur, ita ad peccatorum veniã consequendam nihil omittatur necessariorum, hoc est, eorum quæ probabiliter creduntur necessaria. Ceterùm in ipsis temporalibus negotijs, vbi cùm hominibus agendum est, sæpe maiores incidunt difficultates, & ideo maiori etiam opus est sollicitudine. In discussione verò pœnitentiæ, & dolore peccatorũ solùm opus est vt secum agat pœnitens, & cum Deo: faciat ergo quantum ad hæc putauerit satis esse.

Secundum. Sine vlla cura prius examinandi conscientiam ad confessionem accessisse (nisi fortè cùm expectatur per examinationem sacerdotis & admonitionem posse fieri quod satis sit ad rememoranda peccata) signum est defectus necessariæ diligentiæ. Si verò ex diligentia sacerdotis admonitus est pœnitens, & vterque iudicat factum esse satis, nõ est putanda minor hæc diligentia.

Sacerdos debet iudicare de examinatione conscientiæ & dolore cõfitentis.

Tertium. Cùm duo hæc, examinatio & dolor, præcipua sint de quibus iudicare debet sacerdos, sine vlla cura & discretione horum absoluere, cùm nõ sunt manifesta, graue periculum est, nec videmus quomodo excusari possit sacerdos ipse à graui peccato, & pœnitens etiam à graui negligentia: nisi fortè ex bona fide absque vlla malitia sequeretur iudicium confessoris. Ceterùm quia nec conuenit, vt confessores indiscretè & nimium in his examinandis molestent pœnitentes, prudenter est agendum, & ex toto ipso discursu confessionis, & conuenientibus ac temperatis valde interrogationibus (an scilicet cogitauerit à confessione proxima, vbi & cũ quibus egerit, quæ tractauerit, quæ occurrerint occasiones peccati &c.) iudicare debet, sicut de dolore. In quo iudicio non opus est anxiè procedere, sed diuinæ misericordię occultiora relinquere: & certò statuere, Deũ non imputaturum ad culpam, si quid defuerit: sed potius sua bonitate facturum, ne illud impediat.

Vltimò denique & hoc obseruandum: quòd, quia negligentia ipsa peccatum quoddam est, hæc etiam remittitur per confessionem & cõtritionem. Vnde cùm quis de hac negligentia dolet, & eam confitetur: si quidem in extremo periculo est, nec iã maior fieri potest, etiam ab hoc peccato & ceteris credendum est eum absolui. Imò etiam si instaret tempus, quo sine scandalo omitti non posset communio, absolui etiam credendus est, sed supplenda est postea negligentia. Quidquid igitur bona fide agi-

agitur, illud etiam quieta mente suscipiendum est. In maxima verò negligentia & incuria rerum tam necessariarum, nulla potest esse securitas.

Mouentur circa istas duas conditiones, integritatem scilicet & dolorem cõfessionis, à posterioribus dubia nonnulla. Quædã, quæ nonnunquam occurrere possunt, quanquam rarò: quædam quæ certè vix aut nunquam: quare possent fortè illa omnia melius prudentis arbitrio relinqui: sed breuiter de his annotanda sequentia. Primum. Si sacerdos nouit pœnitentem oblitum alicuius peccati, quod fortè ipse vidit eum committentẽ, & tamen non confitetur, & nihilominus putat eum conscientiã suam discussisse quantum putat sufficere: si quidem sine scandalo eius potest, admoneat eũ illius peccati: quod si timet scandalum: agat quantum potest, vt illius meminerit: quòd si tandẽ illud non confiteatur, non propter hoc est absolutio deneganda. Nam in hoc iudicio debet cauere sacerdos, ne ex cognitione quacunque, quam extra iudicium illud habet, moueatur ad ligandum vel soluendum. Potest ex illa fieri cautior & diligentior ad examinandum. Ceterùm non debet iudicare, nisi ex pœnitentis confessione.

Secundum, de quo etiam Gerson, Hadrianus, & alij mouent dubia. Si sacerdos timet pœnitentem non rectè discussisse conscientiam, aut nõ plenè contritum, si quidem probabiliter hoc putat, maximè ex ipsa eius confessione, non dubitandum quin teneatur omnem adhibere diligentiam, quousque probabiliter credat satis actum esse in illis duobus. Notat tamen Gerson, quòd cùm pœnitens non est paratus, aut sine scandalo non sustinebit diutius examinari vel interrogari, posse sacerdotem (facta hac protestatione, quòd non proderit ei absolutio, si non sit dispositus) absoluere. Quod verum est, cùm ex ipsa eius confessione non habet, vnde non credat eum dispositum, quãuis aliun de forsan dubitare posset. Nec etiam putamus (vt suprà dictum est) debere conditionem addi in huiusmodi casibus dubijs, vel mente retineri. Melius est vt absoluens intendat agere quantum potest.

Tertium. Dubitãt etiam, quid acturus sit sacerdos, cùm videt pœnitentem ex ignorantia putare aliquid non esse peccatum, & ideo non confiteri: an scilicet teneatur eum docere? Vbi asserunt nonnulli, quod si ex illo peccato nullum damnum tertio inferatur, nec timeatur illum rursum commissurum tale peccatum, etiam si ex ignorantia iuris diuini sit, posse sacerdotem tacere,

cere, nec de hoc admonere pœnitentem, si inuincibiliter (inquiunt) ignorat: quia (inquiunt) non est cur illū admoneat. Nec enim opus est vt pœniteat eum illius peccati, cùm non peccauerit, nec vt caueat, cùm non sit timendum, ex casu posito, quod occurret occasio illud iterum committendi: nec, vt satisfaciat, cùm nec illud sit necessarium. Affirmant secundò nonnulli, quòd eo casu etiam si peccatum sit in præiudicium tertij, si tamen non est spes correctionis aut vtilitatis alicuius, melius facit sacerdos tacendo, quàm frustra aliquid admonendo. Sed tūc (inquit Had.) non debet absoluere. Alij docent, etiam tunc absoluendum esse. Fatetur tamen Hadrian. quòd, si tantum esset ignorantia facti (vt si contraxit maritus cum secunda, viuente prima, sed vterque id ignorat sine culpa) & ex admonitione nihil aliud sperari posset quàm turbatio & anxietas infirmorum, qui alioqui tutam habent conscientiam, melius tunc sit tacere.

Circa hæc omnia nunc proximè dicta de his ignorātijs, nos putamus raro aut nunquam posse ea contingere vt proponuntur. Quomodo sciri potest, quòd laboret quis ignorantia inuincibili iuris diuini, nisi fortè dicamus, quòd à proprio episcopo, aut parocho, viris doctis audierit pœnitens non esse peccatū, iurare falsum in iudicio ne occidatur homo, atque ideo id fecerit? Sed esto ita: nunquam certum esse potest, non posse eum rursum in hoc incidere. Quare crediderim de his quę certò iuris sunt diuini, semper admonendum & docendū esse pœnitētem, cùm sacerdos quacunque ex causa iudicat illum ignorare. Neque quod aiunt: timet nihil vtilitatis futurum: puto posse contingere: nec est hoc vlla ratione de alio iudicandum: quòd si postea hoc ostenderetur, quòd ille scilicet repugnaret doctrinæ, non puto esse absoluendum. Meritò inquit tunc Adrianus non esse ignorantiam inuincibilem: cùm nō sit paratus admonitus se emendare. Igitur de omnibus quæ sunt iuris diuini vel humani, & concernunt pœnitentem, præcipuè si ea scire teneatur, tutius est vt instruatur pœnitens à sacerdote, maximè vbicunque præiudicium est tertij. Ceterùm solùm in ignorantia facti, cùm timetur pusillorū infirmitati, rationabile videtur, tacendū esse. Sed hæc omnia, propter diuersas quæ accidere possunt circumstantias, sacerdotis arbitrio melius est relinquere, si doctus sit: si non sit doctus, consulat peritiores.

In his omnibus est aduertendum, teneri quidem sacerdotem ad examinandam & discutiendam pœnitentis conscientiam,

præ-

præcipuè quo ad ista duo, integritatem scilicet & contritionē: quare tenetur & interrogare tam circa ea quę confitetur pœnitens, quàm circa alia quæ putat conuenientia illi. Propterea videretur huic articulo conuenire, vt de interrogationibus necessarijs ageremus: sed hæc in alium articulum differamus.

Mendaciū vitandū in cōfessione.

De hac igitur conditione confessionis solùm hoc restat breuiter admonendum, quòd ad eam etiam pertineat veritas: vt scilicet in confessione non admisceatur mendacium, sed prout in animo habet, ita pœnitens manifestet: dubia vt dubia, certa vt certa. Admonet Caietanus bene, excusari posse illum, qui putat se melius agere, si peccatum de quo dubius est, sibi certò imputet & confiteatur. Verùm dubium nonnullum est, an sit peccatum circa venialia peccata mentiri, negando scilicet interrogatus quod commisit, aut cōfitendo quod non commisit: vbi Caietanus scrupulosior videtur multis. Tenet enim, quòd, si venialia accipiat pœnitens vt materiam confessionis, cùm fortè sola illa confitetur, peccet, si circa illa mentiatur. Sed tandem ille ita temperat hanc rem, vt vix aut nunquam inueniri possit illud peccatum mortale. Quare tutò teneri potest, mendacium circa venialia nunquam esse mortale: quamuis si valde in tam tremendo iudicio fugiendum.

LECTIO VNDECIMA.

De *ratione secreti necessarij in Confessione.*

PONITVR etiā inter cōditiones confessionis, quòd sit secreta: circa quā duo nobis dicenda sunt. Primum. Quatenus secretum ad necessitatem sacramenti pertineat. Secundū. Quatenus teneatur ad seruandum secretum minister ipse sacramenti sacerdos. Circa primum igitur sequentia adnotentur. Primum. Potest pœnitens vel pluribus sacerdotibus simul, vel sanè sacerdoti coram pluribus alijs publicè etiam confiteri: Hoc enim præter auctoritatem libri de vera & falsa pœnitentia, quam & Gratianus citat de pœnitent. distinct. 1. cap. Quem pœnitet: vbi dicitur: Quanto pluribus quis confitetur, tanto plenius

con-

consequitur remissionem, propter erubescentiam. Præter hanc auctoritatem (inquam) habet rationem manifestam : quoniam non est cur pœnitens nō possit sicut vni seorsim, ita simul multis sua peccata manifestare, & medicinam quærere. Tenent etiā hoc communiter nostri : & addit Petrus de Palude in 4. hoc in religionibus consuetum fuisse, siue aliquando factum. Nihil itaque est, quare de hoc sit dubitandum. Sed dubitant alij, an confessio hæc sacramentalis sit : de quo iam secundum addamus.

Confessio plurib⁹ vel publicè facta est sacramentalis.

Confessio hæc pluribus facta, aut coram pluribus, nō est minus sacramētalis, quàm si vni tātum fieret. Hoc manifestè probatur. Ratione quidem, quia in hoc sacramento nō potest probari aliud esse necessarium, quàm quòd subijciat se pœnitens iudicio & clauibus Ecclesiæ. Nec de ratione iudicij huius aliud est, quàm vt omnia, occulta etiam, in eo manifestentur. Quòd verò vni, & non pluribus fieri debeat confessio, id in fauorem est pœnitentis, cui si voluerit renuntiare, non est cur non fit perfectum iudicium. Consonat etiā hoc antiquæ Ecclesiæ vsui & auctoritati. Superius namque ostendimus & ex Origene, & ex historia Tripartita, consuetum fuisse, vt coram tota Ecclesia nonnunquam occulta peccata manifestarentur à pœnitentibus. Et Leo (vt etiam diximus) prohibuit, ne ad hoc cogerentur pœnitentes, vt in scriptum redigerent peccata, manifestanda deinde Ecclesiæ : ne hac occasione deterrerentur peccatores à tam necessario remedio. Verùm nulla est vel suspicio, quòd illā non putārit sacramentalem confessionem : quod aduertendum est etiam contra aduersarios Ecclesię. Illi, cùm negare non possint, confitentur quidem fuisse olim in Ecclesia confessionem, sed publicam (inquiunt) nō occultam, qualem modò videmus. Vbi certè duo inconsideratissimè dicunt contra seipsos. Primum: Quòd non vident multò esse mitiorem & minus grauem confessionem occultam quàm publicam. Quare nō possunt negare, nunc in Ecclesia multo suauius & mitius cum peccatoribus agi, quàm cùm publicè confiteri cogebantur: & multo tunc ardentius peccatores pœnitentiam egisse, quàm modò. Secundò non aduertunt, publicū vel occultū non variare iudicij & clauiū Ecclesię auctoritatem. Non igitur alia est cōfessio & absolutio quę modo fit, quàm quę tunc fiebat. Nam si dicere rentent, tūc tātum de publicis factā esse confessionem, cùm publicè fieret: cōtradicit apertè Origenes loco supra citato, cōtradicit apertè Tertullianus de pœnitent. & ceteri antiquiores, asserētes per il

lam

lam confessionem quæ tunc fiebat, peccatores sese prodere: & ad hoc exhortantes ne vereantur facere, vt suprà satis ostensum est. Igitur secretum non est necessarium huic sacramento. Sed nec hoc vnquam necessarium pœnitenti est, vt pluribus confiteatur: tantùm tenetur ex præcepto Christi subdere se iudicio clauium: quod integrè fit, cùm vni confitetur.

De cõfessione per interpretem, nuncium, vel literas.

Tertium istud fit: Ad necessitatem huius, sacramenti sufficit per interpretem, vel nuncium, aut scripto confiteri: & eodem modo nuncio vel scripto absolui. Tenent etiam hoc plures nostrũ, Petrus de Palude, Hadrianus, Sylvester. Quanquam Caietanus de hac loquens conditione, absentem, vel per scriptũ nullo modo putet aliquem posse absolui, vt sit verum sacramentum: Sed securè aliorum sententia teneri potest: quæ ratione etiam satis probatur sumpta ex natura huius sacramenti, quod nõ est aliud, quàm iudicium quoddam à Deo institutum: in iudicijs verò & causſæ disceptatio, & sententia nõ solùm scripto fieri potest, sed multo conuenientius fit. Non igitur hæc confessio propterea minus erit sacramentalis. Duo tamen circa hæc sunt notãda. Primum. Quòd, cùm coràm & voce fieri potest, non sufficit facere per nuncium vel scriptũ: ita b. Tho. d. 21. 4. (vbi de hoc nostri) apertè dicit, quod sequitur magna, & magis digna auctoritate doctorum pars. In hoc sacramento manifestatio requiritur: fieri igitur debet, si potest, certiori & cõmuniori modo: adde etiam quòd ipsa scriptura cõfessionem exigat: confessio verò nõ nisi voce confitentis fit, nisi fortè cùm vox suppletur scripto. Per se igitur manifestatio vocis necessaria est. Quod & Gratian. ex lib. de vera & falsa pœnitent. in illo cap. Quem pœnit. probat: Ad sacerdotes (inquit ille) mittuntur leprosi, & ore suo manifestare iubentur. Secundò etiam circa hoc aduertendum, quod sicut non est licita & sufficiens hæc confessio per nuncium vel scriptum, cùm fieri voce potest: ita non est necessaria, etiam cùm aliter fieri non potest. Est etiam hęc Doctorũ communior & sanior sententia. Tantũ Christus obligat pœnitentem ad manifestandum se iudici, cui illi potestatem tradidit: non alicui alteri. Si igitur non potest nisi per interpretem: si quidem fecerit, rectè facit, & consequetur sacramentũ: si autem non, sufficit ei contritio, sicut non habenti sacerdotem. Ita de scripto vel nuncio. Hęc enim per se manifestant peccata alijs: nuntius namque alius est à iudice: scriptum etiam à quocunq; legi potest. Vbi tamen aduertendum, quòd si casu accideret, vt pœnitens loqui nõ possit, sicut tenetur per nutus & signa confiteri, si cõmodè potest: quia

illa per se non manifestant alijs peccata: ita videretur ille teneri etiam ad confitendum per scripturam, si posset presente ipso sacerdote & legente, ita scribere, vt mox deleri posset scriptura. Satis enim occulta manifestatio tunc est. Quanquam his omnibus signis vel nutibus, vel scriptura, non putarem nimium grauandum esse pœnitentē, maximè in extremo periculo. Ista maximè signa satis cōfusè possunt manifestare peccata, vt magis curandum videatur, ad veram contritionem & pœnitentiam recurratur, sed non est id omittendū. Et hæc satis de priori articulo, qualiter scilicet sit necessarium secretū huic sacramento.

Quare sacerdos debeat secretū seruare.

De secundo iam dicendum, quomodo sacerdos teneatur audita in confessione celare. Vbi primò quasi fundamentum explicandum est, vnde hæc obligatio sit, & quanta: de qua re beat. Thom. & reliqui dist. 21. 4. Communiter quidem respondent, obligationem hanc ex natura ipsius sacramenti esse. Cùm enim sacramenta efficiant quod significant: in hoc verò sacramento significetur absolutio à peccatis, quę nihil aliud est, quàm tectio quædam peccatorum, iuxta illud: Quorum tecta sunt peccata: Efficit igitur hoc sacramentum, vt meritò minister ipse teneatur etiam ea tegere. Quam rationem etsi Durandus putet non sufficere nec enim, inquit, sacramentum efficit quidquid consequenter significatur, sed id quod primò & directè: quare satis (inquit) est, vt hoc sacramentum efficiat remissionem peccati, non verò hanc obligationem celandi) ille tamen nimium scrupulosè hanc rationem considerauit. Illud sit dictum, vt conueniētia quædam & persuasio. Valde certè consonat rationi, vt sacerdos se conformet Deo, qui peccatum, quod ante confessionem dicitur in scriptura conspexisse, per absolutionem & remissionem dicitur non videre: Auerte faciem tuam à peccatis meis. Sacerdos ergo quæ antea non nouerat, meritò habere debet secreta. Continet tamen etiam hæc ratio efficacius aliquid, cui verè innititur hæc obligatio. Natura sacramēti huius quid aliud habet, quàm quòd sit iudicium quoddam (vt ita dicamus) superhumanum: cæleste scilicet & diuinum, & consequens illam potestatem Christi, qua constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum? Solus ille potuit præcipere, vt occulta & peccata omnia suis ministris reuelarentur: vt superius probatum est. Ex hoc fit, vt sacerdos qui audiuit, non sciat illa vt homo, nec naturali aliqua cognitione, sed solùm vt vicem Dei tenens: vnde veraciter dicere potest, se nescire quod in confessione audiui. Meritò igitur ex hoc iudicio, quod alienum est ab hominum

Psalm. 50.

conui-

conuictu & conuersatione, sed solius Christi in salutem animarum, nihil trahi potest ad humana iudicia vel conuersationem vitę: alioqui ex isto iudicio turbaretur quidem & cõfunderetur humanarum legum ordo & ratio. Itaque obligatio ista seruandi secreta quæ audita sunt, ex ipso diuino iure est, consequens præceptum ipsum confessionis. Vnde meritò tenent omnes, neque à Papa dispensari posse in hoc: esset enim hoc mutare naturam huius iudicij Christi. Quare meritò Gregorius grauissima pœna puniri iubet sacerdotem quidquam reuelantem: deponi scilicet ab officio, & infamem perpetuò manere. Nec vlterius aliquid hic quærendum est. Ex his sequitur, nulla ratione, nullo casu, vel euitandi cuiuscunque periculi caussa, nulla obedientia, vel iuramento, secretum hoc reuelari posse. Illa enim si sciuntur, vt tamen inter homines dicantur nesciri. Longè itaque maius est vinculum huius secreti, quàm secreti quod ex lege naturæ est, & quo astringimur, quæ nobis ratione aliqua bona fide sunt commissa secretò seruare, aut occulta proximorum peccata, cùm ad nos perueniunt, celare. Hæc enim in multis casibus debent etiã manifestari: vt cùm imminet periculum Reip. aut certè cùm saluti expedit vel ipsorum qui cõmiserunt, vel aliorum. Quæ verò in confessione credita sunt, nulla ratione sunt manifestanda, vt diximus. Quare etiam si quis dicat se in confessione aliquid indicare alteri, modò non fit confessio, non tanto vinculo est seruandum secretò: nec maiori reuerẽ, quàm illa alia de quibus diximus. En igitur explicatum quod proposuimus, vnde fit obligatio hæc secreti, & quanta. Ex quibus iam breuiter sequentia sunt notanda.

Quãta obligatio secreti cõfessionis.

Quæ sint celãda hoc secreto.

Primum. Ad secretum hoc seruandum primò quidem ipse sacerdos tenetur qui audit confessionẽ, siue vnus siue plures sint, iuxta proximo articulo dicta. Secundò verò etiã omnis ad quẽ quacunque via, licita videlicet vel illicita, confessionis notitia peruenit. Vnde ille, cui reuelata est confessio cõcedente eo qui confessus est (vt dicemus postea) vel etiam sacerdote infideliter agente, tenetur ad idem sacramentum. Similiter & interpres, si eo vsus qui confitetur. Deinde quicunq; alius, qui fortè aut casu aut fraudulenter quidquam audiuit. Ratio horũ omnium eadem est: omnes enim participes facti sunt (siue peccauerint, siue nõ) illius manifestationis quæ Christo tantummodo fit.

Quos astringat hoc secretum.

Secundum. Etsi non quidquid dictum est inter confitendum sub hoc secretum cadat, omnia tamen peccata & circunstantiæ sic secreta seruanda sunt, vt nec in specie, nec in genere

ex reuelatione sacerdotis agnosci possit aliquod peccatū confitentis, aut circunstantia: deniq; nec tertia persona, cum qua fortè peccatū est: & tandem quæcunq; illa sint, per quę veniri potest in notitiam alicuius peccati confitentis, Et ratio quidem horum manifestissima: quia omnia sub illo iudicio cadunt. Ex quibus multi in speciali notant doctores, meritò cōsideranda confessoribus: de quibus Caietanus in hac conditione cōfessionis, scilicet secreta: Siluester in verbo, Cōfessio. 3. Non potest sacerdos dicere, talis confessus est mihi hoc peccatum, etiam si illud sit publicum, & publicè ei fuerit cōfessus: potest tamen de quocūque dicere, cōfessus est mihi sua peccata: nihil enim hic reuelat: potest dicere, se aliquem absoluisse: non verò è contrario, quòd non absoluerit. Sed illud etiam prudenter admonent doctores, quòd quāuis quædam in laudē dici possint, maximè post mortem, vel ante etiam: quòd scilicet magna contritione cōfiteatur quis, magna puritate, quòd nō inuenerit in eo peccata mortalia: timendū tamen est, ne cùm ista de alijs nō dicuntur, inde consequatur, vt intelligant alios hæc nō habere. Satius itaque est omnino tacere, vel saltē cùm de duobus aut pluribus est sermo, nō de vno hęc dicere, & de alio tacere. Possunt audita in cōfessione quærendi consilij gratia sic manifestari, vt inde non agnoscatur peccator. Addunt doctores instruere parochos & alios, ad quos pertinet administrare sacramētū Eucharistię, quomodo sine reuelatione cōfessionis, cū audierint publicū peccatorem, nec absoluerint, publicè etiā repellere possint à sacramēto: dicētes scilicet, oportet te publicè pœnitentiā & emendationē ostendere.

Quibus casibus reuelari possit cōfessio.

Tertium. Sunt nonnulli casus specialiter considerandi, quos animaduerterunt doctores. Primò igitur de licentia confitentis manifestari potest quidquid in confessione auditum fuit. Nec opus est id scrupulosius tractari, quàm vt ille facultatem concedat. Dixerunt quidam opus esse, vt extra confessionem iterum reuelet: sed vanum est: Quod in fauorem tertij etiam iure diuino introductum est, ille potest remittere: sicut id, ad quod ex iuramento tenemur prestandum. Secundò. Quæ extra confessionem sacerdos cognoscit, siue antea, siue post: ex eo quòd in cōfessione eadem audiuit, non tenetur magis secreta seruare: nec reuelando eam cognitionem quam extra confessionem habet, facit contra secretum confessionis. Fuerunt etiam in hoc scrupulosius quidam loquentes: sed hoc tutū & certum est. Tertiò denique magis dubium est, quid de peccatis, quę in confessione manifestantur, sentiendum, cùm sacerdos videt in magnum rei-

publicæ

publicæ nocumentum, aut temporale vel spirituale damnū esse: vt audit hæreticum secretè corrumpentem populum: aut coniuratum aliquem de tradenda ciuitate, vel regno hostibus. Vbi cùm illud certum sit, propter nullum periculum reuelandam esse confessionem, confugitur à doctoribus, vt quæratur, an illa sit confessio, an non: quod meritò considerandum est: quanquā non sit libertas reuelandi adeò extendenda, vt à nonnullis fit. De hoc igitur sunt sequentia notanda.

Primum. Quando peccatum manifestatur absque vllo dolore, aut spe, aut intentione veniæ obtinendæ, quantumuis testetur, qui sic manifestat, se in confessione dicere, non tamen secretum confessionis tunc obligat. Itaque reuelandum tunc erit, cùm in damnum reipub. vel priuati cuiusquam esset. Patet hoc, quia nullum ibi sacramentum confessionis est, nulla submissio clauibus ecclesiæ &c.

Secundum. Ex hoc Innocentius, Panormitanus, & nonnulli alij theologi dicunt, peccatum futurum, & quod non proponit vitare qui confitetur, non cadere sub sigillo confessionis. Vt si confiteatur se velle prodere ciuitatem &c. nulla ibi videtur esse confessio. Sed de hoc dubitant alij: timent enim graue scandalum, si prodereturQuare melius est in hoc medium tenere. Si salutis animæ suæ causſa quis manifestet peccatum, quamuis illud non proponat vitare, & quamuis futurum sit, videtur tamen sub sigillo cadere. Vnde b. Thomas loco citato erroneam dicit sententiam, asserentem peccatum, quod vitare nō proponit qui confitetur, non cadere sub sigillo. Potest enim (vt inquit) esse confessio ficta. Igitur in primo tantùm casu & similibus, cùm manifestè nulla est confessio, sed vel irrisio, vel multo peior exquisitio rationis ad committendum peccatum: dicendum est sigillum non habere locum. In ceteris omnibus, cùm vel consilium quæritur, vel nonnullum desiderium salutis ad manifestandum peccatum ducit, etiam si ex infirmitate aut quauis alia causſa non sit dignus absolutione, aut non omnino proponat vitare, sub sigillum tamen credendum est cadere: nec periculū siue spirituale, siue temporale reipub. sufficere debet, vt reueletur aliquid eorum, quæ sub hoc sigillo cadunt, sed aliter obuiandum est, si fieri potest: vt in communi admonendo ad quos pertinet spiritualis vel corporalis custodia: vel alia aliqua ratione. Quòd si ita non possit (vt inquit beatus Thomas) cognitio illa confessionis cùm non sit humana, perinde habenda est, ac si non esset.

DE SATISFA-
CTIONE.
Tertia videlicet parte Pœnitentiæ.

LECTIO PRIMA.

Vt confessio, ita satisfactio est duplex.

QVONIAM (vt in principio Tractatus huius dictum est) satisfactio tertia pars atque vltima pœnitentiæ ponitur, siue vt pœnitentia virtus est, siue vt est Sacramentum: de ea nũc vltimò est agendum. Et sicut de confessione diximus, quòd alia est virtutis pœnitentiæ (quæ & ante institutionem sacramẽti, & naturali quadam ratione ostenditur, & in lege atq; Prophetis docetur apertius) alia verò est magis determinata: peccatorum scilicet omnium mortalium post baptismũ commissorum faciendã ministro Christi: quę meritò sacramentalis dicitur, & pars sacramenti pœnitentiæ: ita de satisfactione nunc dicendum est. Est enim alia satisfactio quę voluntariè assumitur à pœnitente, proprio scilicet arbitrio suo: proprio (inquam) sed iuxta Dei voluntatem in scriptura ostensam: hoc est, illa satisfactio, quam in lege & Prophetis Deus exigit, & ratio ipsa naturalis ex parte ostendit. Alia verò est, quam minister Christi ex potestate clauium iniungit pœnitenti pro qualitate criminum, & dispositionis propriæ: quæ meritò sacramentalis dicitur: nec aliter differt à priori illa satisfactione, quàm sicut determinatum quoddam & speciale à communi. Deus vult peccatorem satisfacere dolore, lachrymis, abstinentia atque mortificatione: minister verò Christi pœnitenti moderatur & quãtitatem, & qualitatem eius: sicut confessio illa sacramentalis est determinatus quidam modus manifestandi peccata, quæ manifestanda aliqua ratione esse ante sacramentum institutum, docet & scriptura & ratio. Dicendum est igitur de duplici ista satisfactione: & primò de satisfactione in cõmuni & in vniuersum: secundò specialiter de ea quę imponitur à sacerdote illi, qui se subijcit clauibus Ecclesiæ.

Quia verò & in hac vltima parte pœnitentiæ, non minus molesti sunt nobis hæretici, quàm in reliquis: Vt enim nihil intactum relinquant, eorum maximè quæ ad salutem tantopere sunt

necessa-

necessaria: vt blandiantur vulgo, & seruiant affectibus: quidquid oneris & difficultatis est ad salutem, auferre conantur: clamant mirabiliter contra satisfactionem. Quia igitur ita etiam in hac parte aduersantur nobis, dicamus primò de satisfactione in genere, quid habeat Ecclesiastica & Catholica doctrina: vocent (si eis placet) scholasticam: deinde facilè videbitur quid illi impugnent, aut qua ratione eis responderi debeat.

De satisfactione in communi.

Primum igitur agnoscimus satisfactionem pro peccatis in ipsa scriptura sacra apertè doceri, & exigi a peccatoribus: sicuti Daniel apertè loquitur Nabuchodonosor regi: Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum. Et in Prouerbijs scriptum est: Misericordia & veritate redimitur iniquitas. Ecce verbum redimendi, quod iustitiæ est, sicut & nomen satisfactionis. Quare etiam huc pertinent multa alia quæ in scriptura de eleemosynæ virtute dicuntur. Isaias clamat: Subuenite oppresso, & defendite viduam &c. Et addit: & venite & arguite me. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur &c. Ecce quomodo Deus eleemosynis ostendat satisfieri pro peccatis, dum vult se argui quodammodo, & cõstringi ad dimittenda peccata propter eleemosynas. Et Thobias inquit: Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat. Et ipse Dominus: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Esse itaque opera quibus peccatis satisfit, & ea redimuntur, ex his locis scripturæ colligitur, & ex pœnitentia illa Niniuitarum tantopere, à Deo probata. Et hæc opera intelligunt patres esse fructus illos dignos pœnitentiæ, quos Ioannes & Christus Dominus exigunt mox in Euangelicæ prædicationis principio, vt in eum locum Chrysost. apertissimè ostendit, vt suprà diximus: debere scilicet eum quem verè pœnitet peccatorum, si quid furatus est, eleemosynis diluere: si fornicatus, abstinentia etiam licitarum delectationum. Vnde & de satisfactione est constans & apertissima patrum doctrina, tanquam de re certa, ab initio statim ipsius Ecclesiæ. Et quãto duriorem exigebant illi patres satisfactionem, quàm nunc exigatur in Ecclesia, ipsa eorum doctrina apertissimè ostendit. Cyprian. in serm. de lapsis quàm durè arguit, quòd sine satisfactione admissi essent ad cõmunionem, qui fidem negauerant? quàm ibi dãnat eos, qui peccatorũ vulnera leuius cõtrectant, atque ita non sanant? Tertulli. in lib. de pœniten. (quanq; in eo vt Nouatianus loquatur) manifestissimum perhibet testimoniũ pœnitentialium satisfactionum: quæ seueriss imè in Ecclesia tunc exigebantur. Origenes

Daniel 4.

Prou. 16.

Capite 1.

Thobiæ 4.

Lucæ 11.

Cap. 70. Homilia 8. in Leuiticum, de his etiam apertissimè loquitur. Denique Augustinus ipse in Enchiridio (in quo certę & catholicæ doctrinæ colligit compendium) apertè inquit remitti quidem maiora & grauiora peccata in Ecclesia si non satisfactio cõgrua negligatur. Itaque non abhorret ab hoc vocabulo antiquitas Ecclesiæ, nec certè scriptura. Nam rem ipsam apertius omnis antiqua & catholica doctrina docet.

d. 15. & 16. Ex his Magister sentent. in hac materia pœnitentiæ satisfactionem necessariam docet, & partem ipsam pœnitentię constituit: atque definiuit etiam ex libro qui Augustino tribuitur, de vera & falsa pœnitentia: vbi posteriores, hanc scripturæ & patrum doctrinam magis explicantes, sequentia docent.

Primum. Nullum posse perfectè & integrè, nec certè vel ex minima parte Deo pro peccatis satisfacere, secundum scilicet æqualitatem iustitiæ: cùm nec pro susceptis beneficijs, etiam sine omni peccato, Deo possit æquale reddi. Hoc manifestissimũ esse & ratione, & scriptura ipsa ostendunt. Quidquid in nobis est Deo debemus, à quo cuncta recepimus: illius sunt omnia: nihil ergo ei reddere possumus. Quis prior (inquit Paulus) dedit illi, & retribuetur ei? Quidquid agimus boni, ab ipso accipimus. Quid habes quod non accepisti? Nulla itaque æqualitas nostri ad Deum esse potest: quare nec vlla perfecta iustitia.

Rom. 11. 1. Cor. 4.

Secundum. Proportione quadam & gratuita Dei acceptatione inueniri potest aliqua satisfactio peccati in nobis. Est (inquit Philosophus) iustum quoddam paternum, siue (vt ita dicamus) amicabile: quod si non æqualitatem contineat, rei videlicet ad rem: habet tamen proportionem quandam, quæ inter amicos satis esse debet: cùm videlicet amicus pro beneficio quod acceperat ab amico, si non quantum accepit, quantum commodè tamen potest, reddit: quod meritò ab amico acceptandum est quasi æquale, non quidem si consideretur res, sed animus. Ex his igitur dicunt, quòd Deus, quanto superior est, tanto benigniorem & humaniorem hominibus se exhibeat, vt verus videlicet pater, vt sponsus amantissimus denique vt amicissimus. Quare quidquid benignissimus amicus, & ditissimus à paupere amico suscipit, eo etiam nomine Deus dignatur suscipere à nobis. Propterea sibi petit satisfieri, & reddi alia debita obedientiæ & seruitutis, non austeritate aliqua, sed dignatione maxima.

Tertiò denique docent, Deum à nobis exigere satisfactionẽ vltra ea quę iam diximus, contritionem scilicet & cõfessionem.

Et

Et hoc quidem nonnunquam in communi sub nomine pœnitentiæ: Si impius egerit pœnitentiã &c. Et: Pœnitentiam agite. Nonnunquam etiam specialius, sicut & duo alia. Non enim contenta est scriptura dicere: Pœnitentiam agite &c. Addit specialiter de contritione & tristitia illa, quæ secundum Deum est, sicuti cùm dicitur: Dole & satage filia Syõ. Aut: Lauabo per singulas noctes lectum meũ. Vnde & Moyses: Inuenies (inquit) Dominum Deum tuum, si tota tribulatione animæ tuæ quæsieris eum. Et de confessione etiam vidimus superius præcepta: Confitemini alterutrum &c. Ita igitur de satisfactione (quæ includitur quidem in communi nomine pœnitentiæ) specialius dicitur: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Vbi omnes patres intellexerunt satisfactionem. Hanc igitur exigit à nobis Deus, non quasi condignam & sufficientem pro peccatis (hoc enim esse non potest, vt diximus) nec certè quasi ipsius remissionis peccati meritoriam (gratis enim peccatum dimittitur) sed persoluendam tãquam necessariam nobis ob tres maximè causas. Prima, ad satisfaciendum & persoluendum temporalem pœnã, cui sæpius post remissam culpam manet peccator astrictus corã Deo. Nam quòd remissionem culpę non consequatur remissio totius pœnæ, superius probauimus scripturæ manifestis exemplis: vt Augustinus etiam probat in libris de peccatorum meritis & remissione. Primò in ipso Adam & peccato quod ex eo contrahimus: remissum est illi, & nobis etiam in Baptismo: & tamẽ exigitur mox illius peccati pœna, mors scilicet, & reliquæ huius vitæ afflictiones: fames, sitis &c. Idem in Dauid patet, cui bis remisso peccato impositæ sunt grauissimæ pœnæ. Itaque nihil derogat diuinæ gratiæ in remissione peccati: nihil quoq; derogat efficaciæ meriti passionis Christi, quem Deus nobis dedit propitiatorem, si eum cui culpam remisit, & in suam amicitiam recepit, temporaliter flagellet. Cùm itaque hoc generaliter constet, specialiter etiam Ecclesiastica doctrina & certa fides habet, in Baptismo peccata omnia actualia, & pœnam etiam eorũ omnino remitti: quia ibi est plena & perfecta cõfiguratio mortis Christi & resurrectionis eius, & plena participatio meritorũ eius, quoad remissionem peccati atque regenerationem: ita vt nihil culpæ vel pœnæ ob commissa peccata reliquum sit. Peccantibus verò post baptismum, in hoc sacramento pœnitentiæ curatio tantùm & velut medicina datur, per quam nõ ita plenè omnis pœna remittitur, sed manet peccator remissa culpa, reus exoluendę pœnæ. Propter quod ministro huius sacramenti

Deut. 4.

Satisfactio necessaria est ob tres causas.

datur potestas non tantùm soluendi, sed & ligandi, ad pœnam scilicet pro qualitate delicti. Nam quod attinet ad remissionem peccati, omnium delictorum æqualiter fit. Cetertùm pœna pro omnibus non æqualis est. Ad soluendam igitur hanc pœnam exigitur satisfactio, remissa iam culpa. Huic rationi possent & multæ aliæ adiungi, quæ ad eam pertinent. Cur videlicet ita placuerit Deo, quòd peccantes post baptismum non sint immunes à pœna etiam remissa culpa: de quibus Augustinus supradicto loco. Quod certè misericorditer à Deo prouisum est tanquàm patre: ad deterrendos scilicet nos à frequentia peccati: vt intelligamus grauiora esse quæ post baptismum committimus, dum nō sine grauioribus flagellis nobis remittūtur omnino. Quàm verò hoc sit necessarium, experimur apertè. Nam nec his omnibus retrahimur à peccatis: quāto igitur minus si semper omnia (vt in baptismo) absque flagello aliquo remitterentur? His etiam pœnis admonemur ad recordationem peccati, & humiliationem, ad imitationem & configurationem Christi crucifixi: vt videlicet mortificationem Iesu semper in corpore nostro
2. Cor. 4. circumferamus: & (vt alibi etiam Paulus inquit) cum Christo
Gal. 2. & 5. crucifigamur. Hæc itaque certissima fidei doctrina consonè traditur à patribus, & antiquioribus concilijs, circa ea quæ superius explicauimus de potestate ligandi atque soluendi. Nihil in eorum doctrina apertius, quàm imponendas esse satisfactiones pro qualitate delictorum. Consentaneum est etiam hoc exemplis veteris legis, Quare non sunt audiendi hæretici vanè contra hoc clamantes.

Secunda verò ratio huius satisfactionis est, propter ipsas reliquias & animæ propensiones in peccata, quæ manent remissa
Roman. 7. culpa: id quod primò in baptismo notissimum est. Remissis enim in eo peccatis, manet primò lex illa peccati, propter quā lamentatur Paulus, iā certè iustificatus: Video in membris meis legem repugnantem &c. Hæc verò est corruptæ carnis nostræ in illicita motus rationi repugnans. Deinde manent mali habitus peccatorum, qui ex actibus acquisiti sunt. Qui assuetus est intemperantiæ, iræ, & similibus, manet etiam adhuc in hęc vitia procliuis: contra quam infirmitatem adhibenda sunt contraria opera, quibus & illa auferatur, & in contraria inclinetur animus. Quod Origenes pulchrè in homilia illa in Leuiticū suprà citata, hac similitudine ostendit. Nō satis est percussō à sagitta (inquit) si auferatur telum quod infixū erat: sed postea adhibenda sunt medicamina, quibus sanetur vulnus. Itaque peccatū ipsum commis-

commissum velut sagittã infixam animæ putat, iuxta illud psalmi: Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi &c. Dei enim dici possunt sagittæ peccata, in quæ non nisi Deo nos deserente incidimus. Remissio ergo peccati est eductio sagittæ. Restat ergo vt adhibeantur medicamina in satisfactione. His itaque de causis doctrina Catholica tenet illam esse necessariam. Et medicinas istas intelligunt doctores scholastici esse hæc tria præcipuè: eleemosynam scilicet, ieiunium, & orationem: & ideo has tres partes satisfactionis posuerunt & scripturæ auctoritate, & ratione etiam manifesta. De eleemosyna in Daniele habemus: de ieiunio in Niniuitis: de oratione in publicano. Et sunt de his innumera alia scripturę loca. Ratio etiam manifesta est. Nam peccata omnia in horum oppositis consistunt. Peccamus enim per concupiscentiam carnis, contra quam est ieiunium: peccamus per concupiscentiam oculorum, hoc est, diuitiarum amorem, contra quam est eleemosyna: denique & per superbiam cordis peccamus, contra quam est humiliatio orationis. Sed & per hæc tria omnium bonorum quæ nobis à Deo data sunt, sacrificium ipsi offerimus. Per orationem sacrificamus animam & interiora nostra: per ieiunium corpus: per eleemosynã exteriora omnia. Nihil itaque reliquum est.

De tribus operib⁹ satisfactoriis.

Hæc igitur est Catholicorum doctrina de satisfactione in communi, contra quam hæretici hoc tantùm clamant, quòd derogatur virtuti passionis Christi, cùm nos volumus ei aliquid addere: deinde & diuinæ gratiæ, cùm volumus quasi mereri remissionem peccatorum, non gratis accipere à Deo: atque his etiam addunt tertium, incertos nos fieri de remissione peccatorum. quibus abundè iam superius satisfecimus, cùm de iustificatione ageremus. Omnibus nostris operibus, quibus cooperamur in remissione culpæ vel pœnæ, nihil putamus nos addere meritis Christi vel gratiæ, sed ab vtroque horum, à Christo scilicet, merito ipsius, & à gratia, quidquid agimus, credimus nos suscipere. Quid habemus quod non accepimus? & accepimus ex gratia Dei per Christum? Nec fidimus nostris operibus, vt incerti esse debeamus, sed diuinæ gratiæ. Et stultissimè clamantibus hæreticis, iniurium esse Christo, quòd velimus aliquid eius meritis addere: respondet Paulus: Adimpleo quæ desunt passioni Christi, siue suppleo (quod alij habent) in carne mea &c. Sed hunc locũ inferius latius explicabimus: Est enim ad alia magis necessarius. Igitur de satisfactione hac in vniuersum sint nobis hęc dicta. Nã partes tres illas ei⁹ pertra-

Reprehendunt hæretici satisfactionem.

Ad col. 1.

pertractare, orationem scilicet, ieiunium, & eleemosynam, non est præsentis loci. Diximus de illis in expositione sermonis domini in mõte: & in hoc tractatu dicemus inferius inter moralia. Restat iam vt de sacramentali satisfactione aliquid dicamus.

LECTIO SECVNDA.

De *sacramentali satisfactione*,

SICVT de Contritione & Confessione diximus, ita & de satisfactione nunc dicendum. Est (vt proximè diximus) quædam virtutis pœnitentiæ satisfactio: quæ videlicet suscipitur pro cuiusque pœnitentis arbitrio: ad quam exhortatur nos scriptura sacra. Etiam ante institutum sacramentum pœnitentiæ à Christo exiguntur ieiunia, lachrymæ, & eleemosynæ à pœnitentibus. De hac satisfactione locuti sumus. Est alia, quæ arbitrio & auctoritate sacerdotum imponitur in Ecclesia: quam intellexerunt patres in illis verbis: Quidquid ligaueritis supra terram &c. Et quorum remiseritis &c. vt suprà vidimus. Tenetur enim spiritualis iudex curationem adhibere pro qualitate peccatorum: & diligenter agere, vt non tantũ remittantur peccata præterita, sed à futuris etiam præseruetur pœnitens: quod maximè fit per satisfactionem impositam. Differt itaque hęc satisfactio ab illa priori, vt speciale aliquod & determinatum ab vniuersali & cõmuni: sicut contritio & confessio sacramentalis à contritione & confessione virtutis. Præcipitur pœnitentibus in communi quidem, vt satisfaciant, redimant peccata eleemosynis &c. nulla itaque in speciali definitur satisfactio: præcipitur verò in institutione huius sacramenti pœnitentibus, vt subdant se iudicio & clauibus Ecclesię, & pro arbitrio ministrorum eius hos fructus pœnitentiæ faciant. Vbi nihil aliud agitur, quàm vt id quod in genere præcipiebatur, in speciali iam applicetur huic pœnitenti: probata itaque superius necessitate satisfactionis, quam Deus exigit, probato etiam iudicio illo ministrorum Ecclesiæ, cui Christus præcipit peccatores subijci: manifesta relinquitur hæc alia satisfactio specialis & sacramentalis, qua nihil est in antiquorum cõciliorum vsu frequentius. Decernuntur in multis illorũ tempora pœnitentiæ pro his aut illis criminibus. In ipso statim concilio Nicæno negantibus fidem imponuntur decem

De seueritate satisfactionis olim seruata.

decem anni pœnitentiæ,aut pauciores,prout grauius aut leuius deliquerint. Ita in multis alijs concilijs. Vnde Isidorus(vt Gratianus citat cap. Hoc ipsum,33.q.2.) pro grauioribus delictis inquit septem annorum pœnitentiam dari consuetam. Certum est toto tempore pœnitentiæ sequestratos fuisse pœnitentes à cõmunione. Insuper & ieiunijs ac abstinentijs in cinere & cilitio, prout moderabantur episcopi, vacasse,& in Ecclesia lamentabiliter sese ostendisse: cuius sunt in omni antiquitate Ecclesiæ multa testimonia. Et quanquam fuerint tempora præfixa,fatentur tamen patres, magna ex parte tempus & medium agendæ pœnitentiæ relicta esse arbitrio sacerdotum, Ita Hieronymus, citante Gratiano capite Mensuram, dè pœnitent. d.1. Et Innocent.3.id satis ostendit cap. Deus qui, de Pœnitent. & Remiss. Huius Augustin Enchiri.suo ad Lauren. & meminit, & rationẽ assignat vtriusque horum : quare scilicet certa tempora statuta fuerint pœnitentiæ,& quare arbitrio relinquatur sacerdotũ. Sic enim inquit. In actione pœnitentiæ non tam consideranda est mensura temporis,quàm modus. Verùm quia plerunque dolor cordis alterius occultus est alteri:rectè constituuntur ab his qui præsunt Ecclesiæ,tempora pœnitentiæ, vt fiat etiã satis Ecclesiæ,in qua remittuntur peccata. Vides itaq; de temporibus pœnitẽtiæ quàm fuerit certa in antiquis doctrina: vides & rationẽ: vt fiat (inquit)satis Ecclesiæ,quod est,vt ex humilitate perseueranter subeundi pœnitentiam,iudicare possit Ecclesia, hoc est, ille spiritualis iudex constitutus ab Ecclesia,veritatem pœnitudinis cordis. Ex hac igitur libertate ab Ecclesia concessa ministris pro suo arbitrio decernendi pœnitentiã,ex infirmitate etiã nostrorũ temporũ factum est , vt nimiũ fuerit remissa seueritas ista satisfactionum. Dum enim iubemur infirmitati condescendere peccantiũ , & non imponere onera grauia & importabilia, iudicant prudentes doctores cõsultius esse,modica imposita satisfactione,quam pro infirmitate sua, siue corporis, siue animæ peccator subire potest,reliqua iudicio diuino relinquere: quàm in desperationem aut nimiã tristitiam deijcere hominem. Itaq; nostris temporibus non est quod calumnientur hæretici , quasi duriora imponantur modò:cùm minima sint,& ferè nulla,quæ in satisfactionem imponuntur,si conferantur antiquioribus.

Cõfutatur sententia hæreticorũ de canonicã pœnitẽtialibus.

Hæc est de satisfactionibus siue pœnitentijs impositis à sacerdotibus catholica doctrina, quã etiam impugnant hæretici pulcherrimis certè rationibus. Primò inquiunt (quod negare non possunt) fuisse antiquum morem imponendi satisfactiones,

nes, sed hoc tantùm in terrorem & exemplum factum fuisse. Quare (inquiunt) ritus tantùm politicus fuit, nihil ad conscientiam vel remissionem peccatorum pertinens. Et progrediuntur vlterius nonnulli eorum, vt audeant dicere, ex superstitione additas esse post Apostolos longiores illas satisfactiones, & iam tanquam impossibiles omnino obliteratas. His breuiter (nec enim multis verbis opus est) respondemus, primum quidem contra patrum sensum & absque vlla ratione dici Quare satisfactiones istæ non pertinent ad conscientiam & remissionem peccati, quæ auctoritate Christi imponuntur? Nonne inquit: Qui vos audit me audit? Nec hoc tantùm id probat: sed quod sunt etiam Sacramentales, hoc est, pars sacramenti, & virtutem sacramenti participantes. Sunt enim cæremoniæ & ritus exteriores habentes verbum & promissionem: Quidquid ligaueritis, & quidquid solueritis &c. Secundum verò quàm est stultum & temerarium, vt audeant superstitionis arguere antiquissima concilia. Præferat se itaque nunc Philippus Melanchton Concilio Nicæno trecentorum decem & octo S. patrum, qui aliter legerant scripturam quàm ipse: arguat eos superstitionis. Sed (quod miserabilius est) habent isti qui eos audiant, vel potius, qui surdis auribus sequantur.

Propositio 1. Quomodo non sit necessaria satisfactio.

Nunc restat vt stabilita ista sacramentali satisfactione, ad specialia descendentes, quod maximè necessariũ de ea nostri pertractant, dicamus. Primò igitur de necessitate illius dicendum: De qua, sicut & de ceteris quæ iam sequuntur, breuiter & in summa tantùm agamus. Sit igitur de necessitate prior propositio. Ad sacramenti pœnitentiæ veritatem, vt scilicet absolutio rata sit, & fructum operetur remissionis peccati, non est simpliciter & in vniuersum necessaria impositio pœnitentiæ, siue satisfactionis. Omissio itaque huius non reddit sacramentũ nullum, immo quandoque etiam licita est. Vtrunque probatur. Casu quo probabiliter iudicari potest pœnitentem perfectè satisfecisse pro peccatis quæ confitetur, aut imminere iam illi mortem, siue martyrium, patet in his omnibus frustra imponi satisfactionem. Potest etiam culpabiliter omitti: cùm scilicet opus foret vel ad satisfaciendum pro peccatis præteritis, vel in remedium futurorum. Nec tamen tunc sacramentum redditur nullum, aut impeditur remissio peccatorum. Hoc patet. Quia potest pœnitens verè esse contritus, & adesse materia & forma sacramenti. Igitur (vt superius etiam dictum est) satisfactio pars integralis tantùm sacramenti huius est, non essentialis. Erit

itaque

itaque sine illa verum sacramentum, sicut verus est homo ex anima & corpore: sed non erit integrum, sicut nec homo sine manu aut pede. Ex quo sequitur hæc secunda propositio.

Propositio 2. Quãdo & quare, ac quomodo necessaria sit satisfactio.

Impositio pœnitentiæ cùm ad cauenda peccata futura, & satisfaciendum pro præteritis probabiliter iudicatur expediens, debet sub peccato mortali imponi à sacerdote, & acceptari à pœnitente. Hanc propositionem multi negant recentiorum, sequentes Scotum. Putant enim non teneri pœnitentem acceptare etiam minimam: & sacerdotem tunc debere absoluere. Probant hoc: quia cùm hęc satisfactio tantùm sit pro pœna temporali, quæ remanet remissa culpa: potest (si velit) post hanc vitam exoluere, nec vllum videtur peccatum, hoc velle. Nos verò nulla ratione putamus hoc asserendum. Est enim contra sensum patrum, nec à grauioribus hoc asseritur: & reuera detrahit multum auctoritati clauium, & præcipuo fini iudicij huius. Hæc omnia satis ex superioribus patent. Audiuimus Chrysostomum, Hieronymum, & ceteros asserentes summè necessarium esse, vt spiritualis iudex agnoscat pœnitentium infirmitatem & vulnera, & conuenientes adhibeat medicinas. Hoc putauerunt ex officio illius esse, & ex illo Christi verbo: Quorum remiseritis peccata &c. Et quidquid soluerit is &c. Falsissimum itaque est, satisfactionem imponi tantùm propter temporalem pœnam reliquam: maximè enim imponitur in medicinam: quod proculdubio tam necessarium est, vt officio suo non satisfaciat sacerdos, si hoc omittat. Peccat igitur mortaliter in tam graui negotio omittens quod tam necessarium iudicatur, & quod maximè intenditur à Christo. Peccat etiam & ipse pœnitens, & indignum se reddit beneficio absolutionis. Certè si quis ex scriptura & patribus quærat, quàm subditus debeat iudicio Christi stare pœnitens, quam debeat iudex curam adhibere, nulla ratione poterit hanc satisfactionem tantùm voluntariam credere: quod recentiores illi dicunt.

De omissione satisfactionis.

Tertia propositio, quę etiã ex his sequitur, sit hæc. Satisfactio impositа iudicio & arbitrio cõfessoris pro grauioribus & lethalibus peccatis, est necessariò exoluẽda pœnitenti, ita vt volũtaria eius, sine necessaria & rationabili caussa omissio, sit peccatũ mortale. Negat hoc Caietanus, & multis arridet eius sententia. Sed proximis rationibus nos omnino offendimus falsam esse. Valde sanè contemptibile est iudiciũ, in quo non tenetur parere mandatis reus, & subire pœnã impositam. Quòd si dicas, tãtùm imponitur ad satisfaciendum pœnę reliquæ: nam apertè videmus

hoc

hoc esse falsum. Imponitur maximè in remedium. Reuera valde indispositum se ostendit, & parui æstimare peccata, qui recusat, vel contendit in illo iudicio de rationabili & moderata satisfactione non subeunda, vel ex intentione illam omittit. Augustinus superius dixit imponi satisfactionē, quia interior dolor cordis non est notus: quomodo ergo Augustinus crederet veraciter pœnitere illū, qui ex proposito omittit satisfactionē implere? Asserunt hoc quod nos grauiores etiam doctores. Vbi tamen nō est omittendum, quod multi eorū opinantur, quòd omissio & obliuio satisfactionis impositæ obliget ad repetendam confessionem peccatorum. Sed in hoc magis cōsentimus posterioribus: rationabilius enim hi tenēt peccata semel remissa, & confessionem semel integrè factā non esse amplius repetendā, nec inualidā reddi propter peccatū sequens. Confitebitur hoc peccatū, qui omisit & oblitus est pœnitentię: illud etiam, sicut cetera, est remissibile. Hæc igitur de necessitate satisfactionis sint dicta.

De vtilitate & fructu satisfactionis.

Dicamus secundò de vtilitate & fructu satisfactionis. Vbi illud primò certum est: opera illa quæ imposita sunt, multo esse gratiora Deo, & vtiliora pœnitenti ad satisfaciendū pœnę, & ad cauenda peccata, quàm quæ sua ille voluntate facit: ex obedientia videlicet, qua se subdit iudicio Christi, & ex virtute etiā clauium Ecclesię, ac proculdubio ex maiori participatione passionis Christi & meritorum eius, quæ sine dubio virtute clauium applicatur pœnitenti vltra propriam eius dispositionem.

Itaque in tribus prædictis, imposita satisfactio excellit eam, quæ proprio arbitrio fit: quod sufficere debet, vt non solùm suscipiatur imposita, sed vt sibi iniungi pœnitens ardenter desideret. Vnde & beatus Thomas probabiliter asserit, quòd si sacerdos post absolutionem siue impositam satisfactionem istud addat: quidquid boni feceris sit tibi in remissionem peccatorum, vt multi habent in vsu: his verbis, omnia quæ postea facit pœnitens in satisfactionem, fieri efficaciora. Ait enim sacerdotem posse imponere satisfactionem pœnitenti pro arbitrio ipsius, cùm videlicet ille aut talis est, aut sic dispositus, vt meritò fidendum sit illi. Quare cùm illa verba dicit, hoc videtur significare, quod arbitrio eius permittit vlteriorem satisfactionem. Quamuis itaque in his rebus, quæ ex diuino iudicio pendēt, nihil debeamus certi statuere, sed Deo relinquere: hæc tamen b. Thomæ opinio sufficiat, vt verba illa semper addātur à sacerdote, & Deo relinquatur quantum operentur: Hic igitur est primus & certus impositæ satisfactionis fructus.

Quodlibe. 3. art. 28.

Addunt

Addunt nonnulli, Scotum sequentes, alterum: qui si verus esset, foret meritò gratus. Dicunt igitur tantum prodesse, vt si impleta fuerit, liberum reddat pœnitentẽ ab omni pœna pro peccatis, vel hic, vel in futuro sęculo exoluenda: etiam si fortè maior deberetur, quàm quæ imposita est: modò non sit imposita satisfactio tam parua, vt nec digna sit pro minima quauis culpa. Si igitur (inquiunt) satisfactio ex parte aliqua condigna est, etiã si distet ab ea quæ in iudicio diuino exigenda foret, putant sufficere: prout statim explicabimus. Huius ratio hæc est secundũ eos: quoniam sacerdos arbiter est inter Deum & pœnitentem, vt videatur Deus arbitrio eius reliquisse satisfactionem: igitur iustum est, vt vtraque pars stet eius arbitrio. Si igitur minorem imponat satisfactionẽ, quàm rigor diuinę iustitiæ exigat, æquũ est nos credere, Deum qui ipsum constituit arbitrum, condescẽdere illi ex æquitate. Hoc enim in omni arbitro ratio ostendit obseruandum. Istud tamen Scotus non putat vniuersaliter verũ. Si enim minima vel nulla imponatur satisfactio: per eam non putat ab omni pœna liberum fieri pœnitẽtem. Sed sicut (inquit ipse) in iusto precio rerum, & in iusta pœna delicti & latitudo, vt alia sit rigorosa & seuera pœna, alia mediocris, alia mitissima, & tamen omnes iustæ: ita & in hac satisfactione, si imponatur mitissima satisfactio, liberabitur ab omni alia maiore, etiam iusta. Hæc tamen sententia magis est plausibilis quàm vera: & apparens, quàm in re multum contineat. Communiter grauiorum sententia est, quòd à minori imponatur satisfactio, quàm apud Dei iustitiam requiritur, etiam ea persoluta exigendã esse reliquam. Nec illa ratio arbitrij valde est ad propositum. Non vt pro arbitrio suo faciat, concessum est sacerdoti: sed pro Dei arbitrio: cui si non conformet se, non satis fit. Nec latitudo illa seueræ, mediæ, & mitissimæ pœnę in iudicio diuino propriè locum habet: vbi omnia certo pondere, numero & mensura definita sunt. Quòd eò maximè diximus, ne propterea faciliores sint vel ipsi iudices spirituales, vel peccatores in quærenda cõdigna satisfactione. Multo vtilius erit, si iuxta communem sensum putemus satisfactionem certam à diuina iustitia exigi: quã cùm nec sacerdos neque pœnitens possit cognoscere, hoc agit iudex spiritualis, vt magis vires & dispositionem animæ pœnitentis, & pericula considerans, imponat quod his conuenit: reliqua diuinæ iustitiæ relinquat.

Ex quo etiã sequitur, quòd si fortè maior imponeretur satisfactio, quàm à diuina iustitia exigatur: etiam si illa non fuerit

persoluta, immunis erit ab omni pœna coram Deo, quando exoluerit quod satis est secundum eius iustitiam: idque eadem ratione, qua superiora, apertè probatur. Tenet in hac parte Hadrianus, quod persoluta omni pœna pro peccatis debita, si satisfactio imposita impleta non est, exigendam esse pœnam pro ea in iudicio Dei. Sed neque hoc antiquorum est, nec certè posterioribus placet, nec denique habet certam rationem: nisi, quod etiam certum est, cùm in illa omissione culpa committa est, deberi in iudicio Dei pro illa nonnullam pœnam. Sed potest multis modis satisfactio omitti sine culpa.

In 4. in materia de clavibus.

De operibus satisfactorijs.

Tertiò dicamus quæ & qualia sint imponenda in satisfactione. Quòd quanquam ex proxima lectione satis possit patere: propter hæreticorum tamen importunitates nolumus omittere. Dicunt igitur primò nostri supradicto loco, satisfactionem fieri per opera pœnalia siue afflictiua: id quod & patrum & scripturæ auctoritate satis ostenditur. Satisfactio recompensatio quædam est diuinæ offensæ: hæc verò exigit, vt qui alterum offendit, vsurpans quod sibi illicitum erat, omittat & offerat illi aliquid eorum quæ aliàs licitè sibi poterat retinere: atque ita sibi auferat bonum, quo alioqui licitè vti poterat, vt ita deijciatur & humilietur coram eo, quem iniustè læsit. Hoc verò non est aliud, quàm opus aliquod pœnale: siue ieiunium, quo corpus affligitur: siue oratio & compunctio, qua animus: siue eleemosyna, qua & animus & corpus. Addunt verò (quod diligenter est obseruandum) satisfacere etiam pœnæ peccatorum diuina flagella infirmitatũ, aut aliarũ aduersitatum: modò patienter sustineantur & acceptentur. Quamuis enim (inquit beatus Thomas) cùm offensus offendenti se pœnam imponit, illa magis videatur vindicatio quàm satisfactio: tamen ex voluntaria patientia fit etiam ipsius patientis, & acceptatur vt satisfactio. Quanquam b. Thomas hoc nõ putet de doloribus & afflictionibus vltimis ipsius mortis. Mortem inquit, ille pœnam esse primi peccati Adæ, & per illã non satisfieri peccatis proprijs: alioqui cùm mors omnium terribiliũ maximũ sit: per mortem solueretur pœna omniũ peccatorum. Hoc quidem ille de morte naturali. Ceterùm per violentã mortem putat omni pœnæ satisfieri: nec maiori purgatione egere, etiã grauissimum peccatorem. Hæc omnia asseruntur etiã à patribus, dum docent illũ, qui illicitum vsurpando peccauit, debere postea sibi etiã licitũ subtrahere. Ex quo secundum addunt: imponendã videlicet satisfactionem non solùm operũ pœnaliũ, sed etiam taliũ, vt aliàs

D. Tho. d. 15. quarti. q. 1.

non

nō sint debita. Verbi gratia, inquiūt: ieiunium, ad quod etiā qui non peccat tenetur ex Dei præcepto vel Ecclesiæ, nō satis est si imponatur vt satisfactio pro peccatis. Sumunt hoc ex patrum auctoritate. Gregorius enim in homilia centesimæ ouis perditæ asserit, & exemplo Dauid probat, priuandū esse peccatorē licitis, qui illicita prius occupauit. Ita & Chrysost. in locū illum Math: Facite fructus dignos pœnitentiæ (cuius suprà meminimus) interpretatur illud Pauli: Qui furabatur, iā nō furetur: magis autē operetur manib⁹, vt habeat vnde tribuat necessitatē patiēti. Ex his Ansel. in lib. Cur Deꝰ homo, asseruit vniuersaliter, satisfactionē fieri per opera nō debita. Irridēt hoc hęretici, sed vanè: cū tā apertis auctoritatib⁹ sit fundatū. Vbi tamē aduertendū, multos posteriorū ac recentiorū doctorū tenere, quod quāquā illud Anselmi verū sit de satisfactione secundū rigorē iustitię perfecta & integra: quia tamē satisfactio sacramētalis ista, & omnis satisfactio peccati non est nisi amicabilis, & ex diuina acceptatione tantū sufficiēs: potest etiā opere aliās debito fieri. Et quidē quādo aliās debitū est, & iniunctū in satisfactionē peccati: non dubiū est per illud satisfieri peccatis cōmissis. Ieiuniū quadragesimę etsi ex præcepto diuino sit seruandū: satis sit tamē eius obseruatione pro peccatis: & ita videtur imponi posse. Quanquā itaq; in alijs nō sit ita manifestū, tamē satis probabiliter creditur etiā alia, ad quæ ex præcepto tenemur, satisfacere. Martyriū susceptū, pro confessione fidei, cū ad id tenemur ex præcepto Christi, plenissima est satisfactio pro peccatis. Ita igitur & de ceteris: vt videlicet nihil detrahat operi satisfactionis, esse præceptū. Simul enim potest opus aliquod esse & obedientię, & religionis, & pœnitētię, & aliarū multarū virtutū. Hęc possunt probabiliter credi: reuera tamē regulariter satisfactio fieri debet per ea quę volūtaria sunt, & ad quę aliās nō tenemur. Ad minus cū imponitur, nō nisi de his imponēda est. Nec tamē eū qui contrariū faceret, vel putaret ita cōuenire, dānamus peccati.

Huic proximum est quod à nonnullis mouetur, an simul possit quis præceptum Ecclesiæ implere (puta de audienda missa) & implere pœnitentiam iniunctam: si videlicet ibi simul legat psalmos impositos in satisfactionē. Ista minutiora sunt, nec opꝰ est specialius tractare, aut quenquā inquietare propter illa. Qui putat tuta conscientia se posse simul & audire sacrū ad quod tenetur, & in eo psalmos aliquos, ad quod ex officio diuino tenetur, & similiter impositam satisfactionem legere, relinquatur suo arbitrio. Qui autem infirmior est & scrupulosior, do-

ceatur hæc non magni facere. Hæc diximus de imponenda satisfactione in communi quidem: nam in speciali inferius, cùm de medicinis necessarijs contra peccata agetur, est latius dicendum. Est enim illud vnum ex præcipuis quæ sciri debent à iudicibus spiritualibus: de quo suo loco.

Vltimò iam restat dicendũ de ratione implendæ satisfactionis huius impositæ: an videlicet posit in peccato mortali vtiliter, & vt Deo sit grata, impleri, De qua re quãquam sint diuersę sententiæ doctorum, omissis controuersijs, breuiter sequentes propositiones notentur.

Prima propositio. De persolutione satisfactionis.

Satisfactio imposita non est necessariò ad euitandũ nouum peccatum exoluenda in charitate & Dei gratia. Qui itaq; post peccatum, & in eo manens eã implet, non cõmittit nouũ peccatũ. Quod ita probatur. Quia nõ est cur ad maiorem sanctitatẽ obliget illa impositio sacerdotis, q̃ diuina præcepta: quæ tamen in peccato mortali implentur sine nouo peccato. Satisfacit præcepto eleemosynę qui illã dat cùm tenetur, etiã si sit in peccato mortali. Ergo & impositã satisfactionem implens in peccato.

Secũda propositio.

Satisfactio in peccato persoluta nõ est efficax, nec per eã libe ratur sic satisfaciens à pœna debita pro peccatis dimissis. Hæc probatur à b. Tho. & grauioribus doctoribus. Quia nulla satisfactio nostra efficax est, nisi ex Dei amicabili acceptatione. Deus verò amicabiliter acceptat amicorũ, non inimicorum opera: Respexit Deus (inquit scriptura) ad Abel, & ad munera eius: Prius enim debet esse gratus offerẽs, tũc opera eius & oblatio grata esse possunt. Præterea omnis peccati remissio ex gratia tantũ est: atq; ita & remissio omniũ, ad quę ex peccato corã Deo astricti & obnoxij sumus. De operibus factis extra gratiã superius quod satis esse debet, diximus: & de satisfactione hęc nũc addimus tanquã certè probabiliora. Itaq; quod nõnulli disputãt, an saltẽ ad bonũ aliquod tẽporale valeant, siue ad diminutionem pœnæ inferni: satius est deo relinquere, q̃ multis de hoc agere.

Tertia propositio. Quãdo sit aut non sit repetẽda satisfactio.

Satisfactio sic in peccato persoluta nõ semper est necessariò repetenda, cùm quis ad statum gratiæ redierit: repetenda quidẽ est, vt impleatur satisfactio: vt liberetur videlicet à pœna: nam alioqui diximus impletã esse debitam iudici spirituali, qui satisfactionem imposuit, etiam si in peccato sit exoluta.

Hanc b. Tho. & sui tẽporis alij doctores tenẽt, sic distinguẽtes satisfactoria opera, vt dicant quædã esse, quę relinquũt post se effectũ: vt ieiunia & eleemosynę: & hęc putãt non esse repetenda. Videtur velle, quòd, quia manẽt in suis illis effectibus, satisfa-

tisfaciant pœnæ pro peccatis debitę. Alia verò dicũt esse, quæ post se nõ relinquunt effectum: vt orationes. Hęc volũt repetẽda esse in statu gratię. Et quanquã hęc distinctio nõ sit admodũ constãs, vtcunq; sit, hoc illi volunt, vt tantũ orationes & huiusmodi alia repetantur, nõ verò afflictiones corporis vel eleemosynæ: in hoc magis condescendentes fragilitati humanæ, & interpretantes Deum non minus etiam eidem condescendere.

Probabiliter nihilominus acceptari potest Caietani sententia, quã nõnulli alij sequuntur. Omnes videlicet satisfactiones impositas à sacerdote, si in peccato mortali exoluãtur, illo amoto quasi obice, valere: sicut de baptismo Augustinus dixit, & tenet hoc tota Ecclesia: quòd, si in peccato suscipiatur, recedente illo, valere incipit & operari: & ita de ceteris sacramẽtis probabile satis est, vt virtus sacramenti (quę non humana est, sed diuina) multò efficacior sit virtute naturali: atque ita ablato impedimẽto, quo fiebat ne operaretur, mox incipiet operari. Quod quanquam de Eucharistia nonnulli putant apertè falsum esse: nos certè non putamus. Cur enim cùm pœnituerit illum qui indignè accesserit ad altare, & veraciter vtrũque peccatum deleuerit, non incipiet in eo operari virtus Eucharistiæ? Ita igitur (inquit Caietanus) omnis sacramentalis effectus si impediatur per peccatum, redit recedente peccato. Cùm igitur hęc satisfactio imposita sacramentale opus sit, hoc est, non ex sola dispositione operantis effectũ habens, sed ex virtute clauium & merito Christi, quod est ex ipso opere operato (diximus alibi) etsi impediatur per peccatum, eo recedente operabitur quod antea operaretur, absolutionem scilicet à pœna. Est certè rationabilis & digna sententia hæc, vt in operibus sacramentalibus non id tantum cogitemus, quod ex nostra dispositione habent, sicut & cetera opera: sed quod ex ipso opere operato. Præterea secundũ hanc sententiã satisfactio sacramẽtalis siue imposita multò est vtilior & efficacior, & non tantum ostenditur patienter suscipienda, verùm etiam desideranda & exigenda ab ipso sacerdote, cùm tantùm prosit ex iniunctione sacerdotis feciſſe opus aliquod, vt etiam in peccato factum, redeunte gratia sit nihilominus efficax. Sufficiant hęc de satisfactione, vltima parte pœnitentiæ, & tota etiã pœnitentia, siue virtute siue sacramento: de qua plura diximus propter summam eius necessitatem. Atq; vtinam hæc sufficiant ad dignè de ea cogitandum, & operandum secundum eam.

Quarta propositio.

DE PVRGATORIO, ET SVFFRAGIIS MORtuorum, ex consensu Ecclesiæ vniuersalis præcipue.

LECTIO PRIMA.

SACRAMENTVM pœnitentiæ partes, atq; institutionem eius (vt ex supradictis patet) sequuntur multa: de quibus nunc ordine dicendum est. Hoc enim exigit perfecta doctrina. Cōstat ex his quę diximus, esse in Ecclesia claues: quid verò sint, & quis illarum actus, restat dicendum. Vbi de excommunicatione & Indulgentijs dicendum est. Constat etiam remissa culpa sæpius restare exoluendam pœnam: ex quo consequitur etiam (vt statim ostendemus) purgatorium, & necessitas suffragiorum pro defunctis: de quibus etiam meritò est dicendum. Hæc omnia postulat materia ipsa & ordo doctrinæ. Hoc etiam exigit tēporis huius corruptio, & nouitas tāta doctrinę. Primò igitur simul de purgatorio dicamus & suffragijs: hæc enim sequuntur quæ proximè diximus de satisfactione.

Sit itaque de his hoc certissimum fidei catholici fundamentum nobis constitutum contra errores omnes. Sicut certa fides docet quorūdam animas mox à corpore solutas in æternam ire damnationem: aliorum autem in perpetuam fœlicitatem: ita tenet alias prius purgari, atque teneri abditis quibusdā locis, vbi orationibus, sacrificio altaris, eleemosynis, & pijs viuentium operibus adiuuari, ad citius purgationem suam absoluendam, & ad transeundum in fœlicitatem æternam.

Duo prima quæ asserimus hic, apertissimis scripturæ auctoritatibus probantur. De damnatione quidem sufficit illud Euangelij apud Lucam: Mortuus est diues, & sepultus est in inferno. Luc. 16. Et quamuis apud multos litera hæc aliter distinguatur, vt videlicet seorsim proferamus illud: Mortuus est diues, & sepultus est: deinde verò quòd sequitur, in inferno, coniungendum sit sequentibus hoc modo: In inferno eleuans oculos suos: secundum tamen vtranque literæ lectionem id satis probatur. Cui simile

mile est illud Iob: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Secundum verò de felicitate perpetua, quanquam oppositum fuerit error multorum Græcorum, satis tamen confirmatur etiam ab eodem Euangelista, dicente domino latroni: Hodie mecum eris in Paradiso. Et quod S. Paulus Corinthijs scribens apertè docet: Scientes quòd dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino: audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum. Vbi apertè vides perfectorum & sanctorum animas mox vt peregrinantur à corpore, quod fit ante vltimam resurrectionem, præsentes esse apud Deum: dicente etiam Christo Apostolis suis: Iterum veniam, & assumam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. De hoc verò errore nõ est opus nunc plura dicere: qualiter scilicet rationibus, quibus Græci illum confirmant errorem, respondere debeat: & quibus nostra confirmanda sint. Satis sit, Ecclesiam illum damnasse. *Luc. 23.* *2. Cor. 5.*

Iam tertium, quod nostræ est intentionis, de medijs illis animabus scilicet, quæ purgatione egent, dicẽdum est. Vbi duo simul asseruimus, quoniam coniuncta sunt. Nec enim vnum sine altero potest constare: Purgatio scilicet animarum post hãc vitam, & suffragia quibus à viuis iuuantur. Hæc igitur certa catholicæ fidei dogmata à multis catholicis nostri temporis doctoribus asseruntur, & confirmantur multis auctoritatibus scripturæ & rationibus. Nos verò priusquam quidquam de his dicamus, ad auctoritatem vniuersalis Ecclesiæ confugiendũ esse putamus: hanc solam sufficere ad confirmanda dogmata omnia fidei manifestum est, neque nunc opus est probare. Dicit enim Christus: Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et Paulus inquit: Quæ est columna & firmamentum veritatis. Propter quod (vt à principio, & deinde frequenter admonuimus, quia frequenter etiam aduersarij contrarium loquuntur) Augustinus tam intrepidè docet, quidquid per totum orbem quacunque terrarum diffusa vniuersa seruat Ecclesia, pari auctoritate habendum esse, qua id quod in scriptura est. Cùm itaque tam firma sit vniuersalis Ecclesię auctoritas: de purgatorio ac suffragijs mortuorum est tam euidens & certa eius traditio, vt nulla alia certius ista probari possint: meritò diximus prius ad eam confugiendum. Valde enim in confirmanda fide & confutandis hæreticis curandum est, solidis firmamentis inniti: ita vt si quando dubia aliqua, aut ambigua adducere visum fuerit *Epist. 118.* *Purgatorij primò vniuersalis Ecclesiæ auctoritate cõfirmatur.*

(quod nonnunquam fortè propter diuersa & infirma ingenia oportet fieri, cùm sæpius quæ minus certa sunt, quorundam ingenia magis cõuincant) semper tamen distertè admonendi sunt omnes, illis fundamentis innitendum non esse: ne ita contemptibilis fiat fides, & irrisioni pateat hæreticorum. Certissimum & euidentissimum igitur purgatorij & suffragiorum testimonium est vniuersalis Ecclesiæ auctoritas, quæ semper in sacrificio altaris, & in multis alijs ad id institutis officijs pro defunctis orat, eorum liberationem à Deo petẽs: vt docent doctores omnes, concilia omnium nationum ab ipso principio Ecclesię: quod non est opus multis probare. Certè Augustinus libro de cura agẽda pro mortuis, mox in principio adducta ad hoc probandum auctoritate ex libro Machabæorum (de qua postea) ita inquit: Sed etsi nunquam in scripturis veteribus legeretur, non parua est Ecclesiæ vniuersæ, quę in hac cõsuetudine claret, auctoritas: vbi in precibus sacerdotis, quæ Domino ad eius altare funduntur, locum habet hæc commendatio mortuorũ. Et hoc ipsum toto illo libro confirmat, Similiter in Enchiridio, & lib. 9. Confessionum de matre sua loquens. Hoc ipsum Ambrosius in orationibus funebribus Valentiniani imperatoris & Theodosij apertè confirmat tanquam certum in Ecclesia, dum pro illis orat, & oraturum se perpetuò, & oblaturum sacrificium dicit. Hoc ipsum Gregorius magnus, multis adductis miraculis in quarto libro dialogorum confirmat: iuuari scilicet defunctorũ animas orationibus viuorum & sacrificijs. Et vt de Græcis doctoribus aliquid dicamus: Damascenus in propria de hac re oratione, in qua probat iuuari defunctorum animas viuentium orationibus, adducit omnium ferè antiquorum Græcorum testimonia, à Dionysio Areopagita incipiens. Quj vltimo capite Ecclesiasticæ hierarchiæ de ritu Ecclesiæ circa defunctos, apertè dicit sacerdotem ad altare pro illis orare & precari: adductis etiã verbis, quibus hodie in cõmendatione defunctorum vtitur Ecclesia, Vbi etiam & Gregorij Nazianzeni, & Nissẽni, Chrysostomi, & plurimorum aliorum adducit testimonia: intrepidè asserens hoc ab Apostolis traditum esse Ecclesiæ. Et denique Augustinus libro de hæresibus Aërianos refert hæreticos, negantes orandum esse pro defunctis. Bernardus etiã sermone 66. super Cantica, alios etiam refert hæreticos, & admonet vitandos esse illos, qui (inquit) ignem purgatorium restare post mortem non credunt: sed animam solutam à corpore statim ad requiem transire vel damnationem asserunt. Et (ne

Augustin⁹ Cap. 1.

Cap. 109. & 110.

Cap. 11. & 13.

Ambrosi⁹.

Gregorius.

Damascenus qui plurimorũ veterũ testimonia adducit.

(ne hoc omittamus) sunt plurima de hoc antiqua concilia omnium ferè nationum, in quibus de orando pro defunctis multa statuuntur, tanquam de re certissima. Ita concilium Carthaginense tertium cap. 29. & quartum cap. 79. de commendatione defunctorum, & sacrificio pro eis offerendo, & de oblationibus pro ipsis loquuntur, In quibus concilijs est totius Africæ consensus. Concilium itaque Vasense cap. secundo de orando pro his qui inopinato casu moriuntur, apertè præcipit. Similiter & Toletanum tertium cap. 22. & septimum cap. tertio de sepeliendis episcopis & religiosis, cum psalmis & orationibus loquuntur. In quibus concilijs consensus etiam Gallicarum & Hispanicarum ecclesiarum manifestus est. Et tandem in concilio Constantiensi damnatur error negantium purgatorium. Et in concilio Florentino, Græcis se venientibus Ecclesiæ, apertè traditur esse purgatorium credendum: de quo iam ante multos annos illi errabant, vt in opusculis beati Thomæ contra errores Græcorum, & contra Græcos, Armenos, & Sarracenos ostenditur. Itaque hæc omnia & purgatorium ab Ecclesia semper creditū fuisse, & apertius semper in ea pro defunctis fusas orationes, & oblata esse sacrificia ostendunt. De quibus & à Gratiano decretum concilij Cabillonensis citatur, de consecratione dist. 1. cap. Visum præterea: vbi, vt in Missa quotidie defunctorum agatur memoria præcipitur. Multa etiam alia Gregorij, Innocentij, & aliorum pontificum testimonia adducit 13. q. 2. Ex quo certissimo fundamento orationum Ecclesiæ pro defunctis, necessariò purgatorium sequitur. Orationes enim illæ pro damnatis notum est non fieri ab Ecclesia: de quibus certa fides tenet, saluari eos non posse (Christus enim dicit: Ite in ignem æternum) nec pro beatis etiam facit Ecclesia: constat enim illis non esse necessarias. Sunt igitur defuncti medij: qui scilicet purgatione egent. Vnde Augustinus dixit supràdicto libro, pro omnibus in vnione Ecclesiæ defunctis fieri debere: quoniam non possumns nos discernere qui illi sint, quibus prosint. Melius igitur (inquit) est vt superfint his qui non egent, quàm vt desint egentibus. Frustra itaque oraret Ecclesia pro defunctis, si non esset purgatorium: quod ipsa suis orationibus confitetur. Nihil hac probatione euidentius esse potest: quam nec ipsi aduersarij negare possunt, sed recurrunt ad quærenda à nobis scripturę testimonia, quia vel ambigua sunt, vel facilè ab eis secundum apparentiam saltem peruerti possunt. Nos verò eis primò obijciamus hanc auctoritatem, quam si negant, meritò

irridendi sunt quærētes scripturæ auctoritatem. Dicemus enim eis, vnde constet hanc scripturam certam esse, nisi per auctoritatem Ecclesiæ, quam illi iam negant? Certè in dubijs fide, & in ambiguis sensibus scripturæ, sicut in recipiendis ipsis sacris libris, sola est Ecclesiæ auctoritas: quam recusantes alienos se à Christo ostendunt, & amantes contentiones. Quare non solùm fidei ipsi, sed omni humanæ rationi & sensui contradicūt, cùm nolunt in controuersijs & dubijs alium iudicem: quàm sensum suum habere: dum Ecclesiam, si non aperte negant, ita obscurant. Vt nullus certus relinquatur iudex in controuersijs.

Confirmatio itaque hoc dogmate certissima Ecclesię auctoritate, iam quibus scripturæ auctoritatibus aut rationibus probari possit, & quàm illa sint efficacia, breuiter insinuandum est.

Quib⁹ auctoritatib⁹ scripturæ efficaciter probetur aut nō probetur purgatorium.

Igitur nonnullæ scripturæ auctoritates adducuntur à pijs & doctis, quos non reprehendimus (fortè enim volunt ex communibus quibusdam incipere) quæ tamen minus apertæ & minus sunt efficaces, & minus probant. Illis igitur non est nobis vtendum ad probandum purgatorium: sed illo probato ex alijs, possunt de eo exponi. Adducitur illud: Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos, & reducit. Quasi inde probetur esse infernum, ex quo educantur homines: atque ita purgatorium. Et illud Pauli: In nomine Iesu flectatur omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum. Quasi ibi probetur infernus, non damnatorum, vbi non flectuntur genua Christo: sed purgatorium. Sicut illud etiam Zachariæ: Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos &c. Quasi illud de purgatorio, & non de limbo patrum intelligi debeat. Omnia igitur ista & similia reuera non aliud probant, quàm Dei immensam virtutem & passionis Christi efficaciam vbique, etiam in inferno, se diffundentem & operantem, qualiscunque demum infernus sit ille, vel damnatorum, vel patrum &c. Possunt tamen (vt diximus) exponi de igne purgatorio, modò aliunde constet illum esse.

1. Reg. c. 2. Philip. 2. Cap. 9.

Adducuntur & alia scripturæ loca efficaciora quidem, sed quorum multa diuersos habēt sensus: & ita ambigua sunt. Inter cetera illud efficacius videtur, quod apud Mathæum scriptum est, dicente Christo de blasphemia in spiritum sanctum, quòd non remittitur neque in hoc seculo, neque in futuro. Ex quo loco etiam Augustinus lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 24. arguit, Nec enim (inquiens) veraciter diceretur de quibusdam, quod nō eis remittatur neque in hoc sæculo, neq; in futuro, nisi essent qui-

Cap. 12.

bus,

bus, etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro. Et Gregorius lib. quarto Moraliū cap. 39. eodem modo arguit. Ita & Bernardus supràdicto sermone in Cantica. Itaque disciplinatis & consentientibus sufficere meritò debet hic locus. Quia tamen ille magis præsupponit quidem hoc, quàm asserat: si aliunde id non probaretur, responderi posset quod nunc respondent hæretici: illud videlicet dictum esse secundum quandam exaggerationem & hyperbolen. Quare sicut non est necessarium, ita nec oportunum credimus, huic auctoritati inniti. Secunda verò quæ adducitur auctoritas, est ex Paulo: Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superædificauerit, mercedem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse tamen saluus erit, sic tamen quasi per ignem: cùm prius dixisset Apostolus de Christo fundamento, & superædificatis, ab alijs quidem ligno, fœno, & stipula: ab alijs verò auro, argento, & lapidibus pretiosis: Et dixerat: vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur. Quæ quidem verba multa certè continent ad hoc probandum: quædam scilicet esse opera digna quidem combustione & igne, quibus tamen à salute non impeditur illa operans. Ait enim quòd hæc opera ardebunt, & operans detrimentum patietur: deinde saluandum hunc esse per ignem: Saluus (inquit) erit. Ex quibus vel inferri videtur, vel a pertè asseri purgatorius ignis. Inferri inquam, quoniam meritò inquiri potest, quid si cum illis operibus quis ex hoc seculo decedat, nonne purgandus est igne? Asseri verò apertè purgatorium ibi à multis creditur, quoniam (inquit) dies Domini reuelabit. Nō enim in scriptura sacra dies Domini, nisi de iudicij vniuersalis vel particularis die solet dici. Quanquā igitur hæc tā efficacia videantur, quia tamē & Augustino in Enchiridio: & lib. 21. de ciuitate Dei, hęc verba magis de tribulatione huius vitæ exponēda videntur, nec certè sine efficacissima ratione: quod sequutus est Gregorius supràdicto loco Dialogorū: hoc satis est vt saltē ambiguus sit ille locus, & plures habēs sensus. Quare nec efficax, nec certus ad cōfirmanda fidei dubia. Mouet enim meritò Augustinū in illis locis, vt de purgatorio post hāc vitā id intelligi non debeat: quoniam ignis (inquit) de quo eo loco loquutus est Paulus, talis debet intelligi, vt ambo per eum transeant, id est, & qui ædificat lignum &c. & qui ædificat argentum, aurum &c. Quare cùm in futuro purgandi non sint qui ædificant aurum: restat vt de tribulatione intelligendum sit: de qua illud dictum

1. Cor. 3.

Cap. 68.

Cap. 26.

ctum est: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Aduenientè (inquit ille) tribulatione qua temporalia amitti necesse est, qui ædificauerat super fundamentum lignum &c. hoc est, qui cum charitate nimium illa amauerat: in amissione torquetur, & pœna illa purgatur. Qui verò ita possederat hæc temporalia, vt tamen ædificauerit aurum & lapides pretiosos, hoc est, non illa, sed cælestia amauerit: nullum patitur detrimentum vel cruciatum: sed tribulatio illa fit ei augmentum coronæ: in qua tribulatione (inquit ille) & ipsa mors carnis intelligi potest, & persequutiones Ecclesiæ, quibus martyres coronati sunt, & illa etiam, quæ in fine futura est Antichristi. Itaque efficacissimè certè hæc ratio arguit, ibi non probari purgatorium post mortem: aut si cui videtur nihilominus probari posse, certè propter ambiguitatem sensuum minus est euidens. Quare nec illi innitendum. Sensus ambiguus loci scripturæ (vt ex ipso Augustino lib. 3. de doctrina Christiana patet) ex certis dogmatibus fidei confirmandus est, non dogmata fidei ex illo.

Cap.12. Vltimò denique locus est ex Machabæorum libro secundo de Iuda Machabæo, qui pro defunctis offerri curauit, vbi additur: Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis orare: satis certè manifestus est. Sed quoniam de libri illius auctoritate, an scilicet canonicus sit, dubium fuit apud antiquos, quod tempore *Cap. 23.* Augustini non satis explicatum videbatur. Ait enim ille libro secundo contra Gaudentij Epistolam, librum illum receptum ab Ecclesia propter insignes quasdam martyrum passiones: si *2. Mach. 14* tamen (inquit) sobriè legatur. Id quod propter mortem Raziæ dicit, fortem quidem, sed non conformem Christianæ doctrinæ, nec certè rationi naturali. Ille enim sese occidit. Quanquam (igitur) hoc dubium de libri illius auctoritate, post Augustinum multis Concilijs videatur sublatum: in quibus inter Canonicos computatur: quia tamen libri, de quibus dubitatum est aliquando etiam si postea recipiantur, non propterea æqualis sunt auctoritatis cum ijs de quibus nunquam dubium fuit: dogma hoc de purgatorio & suffragijs defunctorum certius & euidētius putamus, quàm sit illius libri auctoritas. Minus enim de his dogmatibus dubitatum est, quàm de illius libri auctoritate. Non est igitur cur euidentiora minus euidentibus confirmemus. Itaque auctoritates hæ scripturæ suo loco adducantur: sic tamen, vt hæretici intelligant, cui potissimum innitamur. In hac igitur re auctoritas Ecclesiæ nobis præ ceteris est habenda

habenda: non quia maior quàm ſcripturæ, de quo nunc non agimus, ſed quia euidentior in hac parte.

Ex his itaque habemus primò, quàm ſit fides hæc purgatorij certa & euidens in Eccleſia, & quàm fuerit ſemper: Ex quo illud putamus (ſaluo prudentiorum iudicio) neceſſariò inferri, non eſſe fidem hanc à catholicis doctoribus, cùm contra hereticos diſputant & catholica tradunt, ſilentio pretereundã. Non deſunt qui amore pacis & vitandi ſcandali gratia, hæc, quia hæreticis odioſiora ſunt, putent tacẽda. Nos vero, quod tã apertè ſemper tota docuit Eccleſia, putamus neceſſariò eſſe confitendum & docendum, ne rei ſimus coram deo de omiſsione confeſsionis fidei & doctrinæ neceſſariæ. Si perſequutionis tempore, qui erubeſcit Chriſtum confiteri, reus eſt: vt qui negat quando articulus fidei, quando certiſsimũ dogma Eccleſiæ ab aduerſarijs impugnatur: certè nõ licet tacere catholicis, & permittere ſupprimi veram doctrinam fidei. Humanæ ſapientiæ eſt Chriſtum erubeſcere & ſermones ipſius: maximè cùm nullus ex hæreſi admittendus ſit in Eccleſiam, non reuocatis erroribus in ſpecie, quos prius ſequutus eſt. Requirit igitur & fidei veritas, & ſalus animarum, vt apertè hoc doceatur. Nolunt tacere hæretici: quare catholicis ſilendum eſt? Hæc igitur ad confirmationem purgatorij ſufficiant. Reſtat vt aduerſariorum reſpondeatur rationibus. quod breuiter ſequenti lectione fiet.

LECTIO SECVNDA.

De Purgatorio.

ANTEQVAM reſpondeatur obiectionibus aduerſariorũ, non eſt omittendum, probari etiam purgatorium à recentioribus nõ ineſficacibus rationibus ex fide & ſacra ſcriptura petitis, quæ meritò ſunt cõſiderandæ. Duplici itaque via hoc oſtendunt. Primò, ex venialibus culpis hoc modo. Cùm ex ſcriptura ſacra conſtet peccata venialia reum non facere æternæ damnationis, nec priuare beatitudine: poteſt quis cum eis ex hac vita diſcedere ſine mortalibus: non igitur damnabitur. Rurſum conſtat tantã eſſe cæleſtis illius beatitudinis puritatem & mun-

Duabus rationibus oſtenditur eſſe purgatorium poſt hanc vitã.

ditiam,

ditiam, vt meritò in Apocalypsi scriptum sit de illa: Non intrabit in eam aliquid coinquinatum: prius ergo venialia peccata delenda sunt: sed hoc non sine pœnitentia & dolore (quem purgationem dicimus) fieri credendum est post hanc vitam maximè, vbi iam tempus meriti & satisfactionis cessauit: cùm nec in hac vita sine aliqua displicentia dimittantur, vt suprà dictū est. Purgandi igitur sunt à venialibus, qui cum eis decedunt. Hæc ratio est satis efficax, maximè coniuncta loco Euangelij Matthæi 12. de quo suprà: vbi innuitur in futuro sæculo quædam remitti. Quia tamen est nonnullum de hoc dubium inter Catholicos, de quo inferius dicemus: nunc satis sit hanc rationem proposuisse.

Est altera via & ratio hoc probandi, priori efficacior, ex pœnis sumpta, & ex necessitate satisfactionis, de quibus loquuti sumus superius. Sic itaque probant. Constat ex scriptura, remissa culpa sæpius restare obligationem ad pœnam in iudicio Dei exoluendam. Huic verò probauimus etiam satisfieri per impositas à sacerdote pœnas. Sed fieri potest, vt his non persolutis, nec impleta satisfactione quis discedat. Cùm verò diuina iustitia exigat, vt nullum malum impunitum relinquatur: sequitur non peruenturum hunc ad fœlicitatem, nisi persoluta omni pœna. Vbi apertissimè locum habet illud Euangelij: *Math. 5.* Non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantē. Quem locum nonnulli adducunt ad probandum purgatorium: quamuis non satis efficaciter probet Christum loqui de carcere, à quo aliquando exeundum sit. Verbum illud, donec, intelligi potest, sicut frequenter in scriptura, vt non putetur postea fieri, quod negatur ante: vt: Donec ponam inimicos tuos &c. *Psal. 109.* Probat tamen hic locus, eum qui ad diuinum iudicium peruenerit non persolutis peccatorum debitis, nullo modo liberandum donec omnia integrè soluat: Ne fortè (inquit) tradat te aduersarius iudici, & iudex ministro, & in carcerem mittaris: non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Hæc itaque ratio, quæ pœnas residuas exoluendas dicit in purgatorio, propterea (vt diximus) certior est ipsa doctrina, quam sensus huius loci, quia de ea nullus catholicorum dubitat. Sed ostendunt duæ istæ rationes, quare purgatorium ponatur: hoc est, secundum catholicam sententiam, veram rationem atque ordinem diuinæ iustitiæ post hanc vitam cum peccatoribus & peccatis aut grauioribus, aut minoribus.

Quid

Quid igitur aduersarij contra hanc certam fidem adferant, non est opus multis referre: nec enim multa sunt, nec noua, nec certè difficilia. Qua ratione negant satisfactiones necessarias, negant & purgatorium. Vnica (inquiunt) satisfactio Christi sufficientissima est, & superabundans. Cui argumento centies responsum est, quòd non ab omnibus æqualiter participatur, nec per omnia etiam sacramenta eadem ratione. Aliter enim per baptismum, aliter per pœnitentiæ sacramentum, aliter per afflictiones & crucem: quæ vel voluntariè suscipimus, vel patienter sustinemus: sed de his satis suprà dictum est. Nec enim dubium est eos etiam, quibus ante Christum peccata remissa sunt, vt Adam, Dauid, non consequutos fuisse hanc remissionem, nisi meritis Christi & participatione satisfactionis eius: hæc verò si (vt aiunt aduersarij) sufficiens est & superabundans, quare ab eis alia pœna exacta fuit diuinæ iustitiæ ordine, nisi quia illa diuersimodè participãtur, & nõ statim omnis eius efficacia habetur? Quid apertius? Non est alia remissio peccatorũ, nec alia virtute fit nunc, quàm in lege veteri. Cur igitur nunc volunt remissa culpa nullam reliquam esse pœnam? cùm apertè legamus contrarium.

Quid obiiciãt aduersarij contra purgatoriũ, et quomodo eis respondendum.

Illud tantum consideremus, quomodo tergiuersentur, & quod negare non possunt, vel temerè & inuerecundè reijciant, vel torqueant, vel peruertant. Tota Ecclesia semper pro defunctis orauit & obtulit sacrificium: non possunt negare: sed quo (inquiunt) verbo: quo præcepto diuino vel auctoritate scripturæ? Vide inuerecundiam. Errauit ergo apud eos tota Ecclesia: errârunt omnes patres. Quare non sufficiet sensus omnium doctorum, vt saltem & ipsi tam magni doctores dubitent, & in dubio malint tantorum iudicio credere, quàm suo? Nos ergo dicimus cùm quæritur, quo verbo oratio pro defunctis sit introducta, quòd verbo non scripto, sed tradito ab Apostolis, vt Damascenus apertè docet. Hoc est verbum de quo Paulus apertè dicit: Tenete traditiones nostras, siue per sermonem siue per epistolam.

2. Thess. 2.

Pergunt adhuc. Orârunt (inquiunt) pro defunctis, sed non certi de purgatorio. Ostenderunt se dubios. Nam Augustinus in Enchridio, vbi suprà post hanc vitam esse aliquem ignem purgatorium dicit inquiri posse, & incredibile non esse. Ecce (inquiunt) non certò credit purgatorium. Quod igitur orârunt pro defunctis, interpretantur factum esse vel ad exhortationem viuentiũ & cõsiderationem, vel certè vt in dubio illo

an

an esset purgatorium, an non, non deessent charis suis, si fortè adiuuari possent: Hæ sunt tergiuersationes & calumniæ, quibus seducunt innocentes. Absit vt Ecclesia tota cultum exhibuerit Deo tam frequenter, tam assiduè & indesinenter, dubia & incerta: cùm omnis cultus confessio quædam fidei sit: & orare pro defunctis sit testari, posse eos adiuuari, & testari Deo hoc gratum esse, & hoc catholicam fidem tenere. Quomodo Ecclesia potest esse dubia in tam aperta confessione? aut quomodo tam perpetuus cultus sine certa fide. Non esset Ecclesia columna & firmamentum veritatis, in cultu maximè Dei & doctrina fidei, si errare vel dubitare possit & nutare: maximè cùm oratio opus fidei sit. Postulet (inquit Iacobus) in fide nihil hæsitans. Sicut igitur alibi dictum est, ad orationem opus est fide in communi & vniuersali (Deum scilicet posse cõcedere quod petimus, & non esse cassas orationes apud illum) non tamen in speciali. concessurum scilicet mihi quod peto. Ita in oratione pro defunctis opus est fide, quòd grata sit apud Deum, non vana: quòd egeant qui in purgatorio sunt: nõ tamen quod iste aut ille egeat, pro quo fit oratio. Nec enim fide tenendum est eum non esse damnatum: nec etiam beatum: sed (vt Augustinus dicit in Enchridio) in dubio melius est vt supersint quibus non sunt necessariæ (qui scilicet iam sunt beati) vel quibus prodesse non possunt (damnatis scilicet) & vt sint consolationes viuorum, quàm vt desint egentibus. Ita igitur orat Ecclesia pro defunctis sicut pro viuis, Deo relinquens exauditionem: certa tamen hoc esse gratum Deo. Nam (vt apertè dicamus) si vera fides est, omnem ex hac vita decedentem mox ad æternam fœlicitatem vel infœlicitatem transire, quod ipsi testantur, contra fidem est vt oretur pro aliquo: quando ipsi & nos concedimus, nec pro beatis nec pro damnatis orandum esse. Non igitur orationes Ecclesiæ fieri possunt, nisi fide certa credatur, quosdam esse exspectantes post hanc vitam purgationem perfectam. Quod igitur dicunt dubitasse patres de purgatorio impostura est: si quidem procedat ex ignorantia, certè nimium crassa & inexcusabili, & ex malitia ac proprij sensus amore procedente. Nam quod exempli gratia de Augustino dicunt, vide quàm apertum mendacium. Inquirendum dicit Augustinus an sit ignis purgatorius: aiunt illi, & non est incredibile. Ita dixit Augustinus, fatemur, illo loco: sed oportebat alia legere eius scripta, aut lecta non tacere. Certè lib. 21. de ciuitate Dei, quem suprà citauimus, non minus ex professo de purgato-

Cap. 109. 110.

Cap. 24.

gatorio agit: vbi de mediocriter bonis loquens, tales (inquit) constat ante diem iudicij per pœnas tẽporales, quas eorum spiritus patiuntur, purgatos receptis corporibus æterni ignis supplicijs nõ tradendos. Constat, inquit Augustinus: non ergo dubius fuit de purgatorijs pœnis. Sed isti cẽsores omniũ & doctores certissimi omnia confundunt, non discernentes quid certa fide teneatur, quid probabilibus rationibus disputetur. An sit ignis purgatorius, inquirendum dicit Augustinus, ignis videlicet corporeus, an alterius alicuius rationis: non verò an sint purgatoriæ pœnæ: de quibus constare dixit. Vbi quoniam hæc doctrina, quæ grata est auribus simplicium, tam multos seducunt hæretici, iustum est & salubre simplicioribus, vt ostendatur apertè eos esse mentitos, & contra conscientiam loquutos: quod, si in aliquo loco, in hoc certè maximè ostendi potest. Dicunt Augustinũ dubitasse de purgatorio, quoniã in Enchiridio dixit inquirendũ esse. Est ne credibile eos locum hũc quem citauimus de ciuitate Dei non legisse, cùm nullum, qui vel modicè Augustini doctrinam attigerit, lateat, quòd eo loco Augustinus de purgatorio loquatur? Si legerunt, sciunt Augustino constare, esse purgatorium: imò constitisse antequam scriberet librum Enchiridij, quem multo post libros de ciuitate Dei edidit, vt 2. lib. retractationum patet. Nec in eo libro his quæ prius dixerat in lib. de ciuitate Dei, contradixit, nec dubitat de quibus prius certus fuerat, quod ex ipsis retractationibus etiam patet: admonuisset enim de hoc August. sicut de alijs minutioribus monere solet. Non possunt itaque non scire Augustinum certum esse de purgatorio: mentiuntur igitur planè. Quis ergo audeat se ipsis committere in vlla alia re, quæ ad salutem pertinet? quos constat circa doctrinam fidei propriæ sententiæ & gloriæ amore apertè mentiri, & imponere vni magnæ auctoritatis patri & magistro Ecclesiæ? Quòd si quis vult magis beneuolus in eos esse, vt putet latuisse eos dictum illud Augustini, saltem conuincuntur præcipitationis & inconsiderationis summæ. Quare igitur non expectârunt vt legerent, aut cur noluerunt cum alijs conferre à quibus de sensu Augustini doceri poterant? Nonne hæc sunt circa doctrinã fidei vitia, quæ meritò suspectos reddant eos, quos de his conuicimus tam apertè? Cap. 24.

Nos igitur ne in tantas tenebras incidamus, certissima fide credamus purgatorium: & iam deinde quid ab antiquioribus patribus, & à recentioribus dubitetur & inquiratur suo loco sta-

tuamus: inter probabilia videlicet, & non inter certa dogmata.

Dist. 20. et 21. quarti. De loco purgatorij.

Sequentia itaque circa purgatorium disputantur. Primum, de loco purgatorij, quis sit: an scilicet infernus aliquis, an potius superior. Et circa hoc sunt diuersæ opiniones propter reuelationes nonnullas, de quibus beatus Gregorius quarto libro dialogorum. Communior tamen & sanior circa hoc sententia est, secundum communem legem infernum quendam locum esse, vbi purgantur mediocriter boni, proximum quidem inferno damnatorum: sicuti locus sanctorum vsq; ad passionem Christi, infernus, subtus terram videlicet fuisse creditur ex ipsa scriptura. Secundum verò specialem aliquam dispensationem nonnunquam alibi purgantur animæ: quod reuelationes illæ beati Gregorij ostendunt. Augustinus de hac quæstione in Enchiridio solùm dixit, abditis quibusdam receptaculis contineri animas. Quidquid itaque vltra hoc dicitur, probabili magis coniectura quàm fide asseritur.

Cap. 109.

De pœnæ purgatorij. Psal. 31. Dist. 20.

Secundum, de grauitate & quantitate pœnæ purgatorij disputatur etiã. Vbi est Augustini auctoritas in expositione verborum illorum: Domine ne in furore tuo arguas me, neque &c. quam Magister sententiarum citauit. Grauior ignis erit ille, quàm quidquid in hac vita pati potest homo: quod nulla ratione dubitandum est: esse videlicet pœnas illas purgatorias maiores omnibus supplicijs huius vitæ: & post inferni pœnas secundum tenere locum. Et quidem de pœna damni, hoc est, carentia diuinæ visionis ac beatitudinis manifestum est spiritus illos maximè dolere, cùm agnoscant se sua culpa, finita iam via & tempore meriti ab eis ablato, teneri extra fœlicitatem & terminum proprium, quem non possunt totis viribus non desiderare. Reliqua pœna, quæcunque illa sit, ab igne, vel quacunque alia ratione (de quo nunc non disputamus, pertinet enim hoc ad alium locum) creditur tamen nonnulla esse in purgatorio huiusmodi maior etiam quacunque huius vitæ: siue id sit ex maiori perceptibilitate animæ iam separatæ, quæ non potest nõ tota sentire (vt b. Thom. vult) siue ex diuina iustitia, quæ sibi ita non satisfacit per inflictas pœnas & post hanc vitam, sicut per eas quas sibi in hac vita assumũt homines voluntariè, vt b. Bonauentura inquit.

Dubitatur tertiò, à quo & quomodo post hanc vitam ibi purgentur animæ mediocriter bonæ: quæ videlicet sine culpa mortali discesserunt hinc. Itaque dubium est, an à culpis venialibus purgentur ibi, an verò à pœnis duntaxat, quas vel propter venialia

nialia, vel propter mortalia iam remissa debent. Et quidem de secundo hoc nulla dubitatio est: quòd videlicet exoluuntur ibi pœnæ pro culpis iam remissis debitæ. De primo verò, an etiam ibi remittantur peccata venialia, diuersæ sunt sententiæ. Cùm enim constet apud omnes, ob peccata venialia non priuari beatitudine animas, neque cum illis posse ingredi beatitudinem: tamen quibusdam visum fuit, nullum veniale post hanc vitam remitti. Puto hos mouisse, quod post hanc vitã non sit tempus meriti, vel profectus siue augmenti charitatis, aut cuiuscunque virtutis, vt certissima fides tenet. Venialia verò (vt superius diximus) pœnitentia aliqua vel profectu feruoris charitatis dimittuntur. Hi igitur asserunt venialia semper, si qua restant, ante mortem, per ipsam videlicet finalem gratiã in qua decedũt, remitti. Tunc enim (inquiunt) gratia videtur superare, & excludere iã ab anima omnem concupiscentiã & inordinatos affectus, qui contrahuntur ex carne. Quia tamen hoc incertum est, imò multa habet cõtraria ex ipsa experientia: cùm multi subitò moriantur in somno, aut alio modo sine mentis aliqua mutatione, cùm tamen in peccatis venialibus ante fuerint. Et quia patres ex illo verbo Christi, de quo suprà, intrepidè dicunt culpas aliquas remitti post hãc vitã, sed leuiores, vt ait beatus Gregorius: cõmunior sententia contraria est priori huic, & asserit ipsa etiã peccata venialia remitti. Quomodo verò id fiat extra locũ profectus & meriti, cùm quæritur: non est dubitandum conuersione ipsius animę & pœnitentia, atque ita diuina etiam gratia fieri, qua non imputatur culpa illa, quæ non est contraria charitati, & displicet animæ, saltem à corpore separatæ, si antea nõ displicuit. Itaque iuxta hoc (vt Durandus asserit) satis est probabile peccata omnia venialia non diutius hærere in anima separata, quę in charitate discedit, sed statim remitti. Manet verò pœna, quã debet, maior vel minor, secundũ quòd magis vel minus adhęsit peccatis. Et hęc est ratio breuioris vel longioris purgationis. Vide tamen hæc omnia probabiliter, & nõ certa fide asseri. Sicut illud etiã, quod quæritur: an in purgatorio puniantur animæ à dæmonibus, an ab angelis? sed neutrum creditur: sed à sola diuina iustitia puniuntur. Et illud etiã, qualis ille sit ignis: an sit materialis, vel cuius rationis? De quo Augustinus dubitauit, & inquirendum esse dixit. Creditur à multis materialem ignẽ futurum, sicut inferni: eademq; ratione punire. Hæc quidẽ probabiliter. Illud scrupulosius disputatur à nonnullis, an certæ sint de sua salute animæ in purgatorio? Omnes quidem qui aus

Matth. 12.

sunt asserere dubias illas esse de salute sua, quacunque ratione, vel quia absorptæ sunt pœnis, ita vt non aliud, quod eas consoletur, cogitent: siue quacunque alia ratione: temeritatis arguũtur, quòd rem minus certam asserant, imò reuera falsam, & alienam ab omni fidei ratione & auctoritate patrum. Primò illud certa fides tenet, mox à solutione animæ à corpore, eam iudicari, & (vt diximus) æternæ felicitatis aut infelicitatis participem esse, nisi ad felicitatem consequendam impedimentum aliquod adsit culpæ vel pœnæ. Hoc non possunt fidelium animæ ignorare: manet enim in eis hæc fides. Mox igitur vt vident sibi differri beatitudinẽ, necesse est vt credant se non fore damnandas. Nam damnatio iuxta fidem nulli differtur. Certæ ergo sunt, quòd sint in statu salutis. Sed nec hac ratiocinatione opus est: cũm fides credat fieri statim iudicium, & in eo manifestari animæ sua vel merita vel demerita. Certè illud Pauli: Omnes manifestari oportet ante tribunal Christi. Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus: non dubitat fides ad speciale cuiusque iudicium, quod in morte fit, referendum esse. Nec credendum est ita vi pœnarum affligi animas, vt nulla eis relinquatur cõsolatio in purgatorio. Sunt enim in vera Dei gratia, & flagellantur vt filij, mox introducendæ in hæreditatem. Quis itaque dubitare potest, non denegari à Deo illis hanc consolationem? Et (vt meritò inquit b. ille Rossensis Episcopus contra Lutherum) credendum est à sanctis angelis custodibus in eo statu eas non deseri, sed frequentibus admonitionibus confortari. Meritò ergo Leo decimus inter cetera quæ in Luthero damnat, & hoc refert, ac cum ceteris hæresibus damnat, quod non omnes animæ in purgatorio certæ sunt de sua salute. Hæc igitur satis de purgatorio, & ceteris quę ad illud pertinent, iuxta sanam doctrinam sint nobis dicta.

LECTIO

LECTIO TERTIA.

De *suffragijs defunctorum in speciali.*



VANQVAM (vt ex præcedentibus patet) adiuuari defunctorum animas, adeò sit vniuersalis Ecclesiæ auctoritate confirmatum, vt apertius etiam sit & euidentius, quàm vt egeat confirmari alijs: cùm ex hoc etiam ipsum purgatorium cõfirmetur: tamen explicandum est magis quàm probandum, rationibus ex fide & sacra scriptura sumptis: & dubia quæ circa id mouentur à nostris tractanda breuiter, prout à Magistro & alijs dist. 45. 4. agitur. Quod igitur possit vnus alterius operibus iuuari, & quomodo ex scriptura sacra, & rationibus explicatur. Primò ex vnitate Ecclesiæ, & communicatione membrorum vnius corporis mystici. Nam (vt Paulus inquit) Omnes vnum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra. Et (vt idem inquit) Si quid vnum patitur membrum, compati debent alia membra. Apertum autem est caput, quod omnia membra mouet, ministerio aliorum alijs prodesse. Et Denique nullum membrum est, quod non ceterorum omnium opera egeat & vtatur. Igitur in hoc mystico corpore Christi ita sentiendum est. Nullum viuum Christi membrum non est particeps operum, quæ per omnia alia ipse Christus operatur. Et hic est ille articulus Symboli: Sanctorum communionem: de quo illud psalmi est: Particeps sum ego omnium timentium te. Quare Paulus vt viuum membrum dicit: Quæ desunt passioni Christi, adimpleo in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia. Quem locum & superius citauimus, & inferius explicabimus latius. Hæc est igitur prima radix suffragiorum, quæ alij alijs præstare possunt: communio videlicet charitatis & vnitatis Ecclesiæ. Accedit huic & altera: intentio scilicet specialis siue generalis operantis. Aequitatis enim ratio iudicijs humanis hoc exigit & efficit, vt possit vnus alterius debitum soluere, & nonnunquã pœnam pro altero subire: multò igitur magis hoc in Dei iudicio, apud quem & maior est æquitas, & plus valet charitas, locum habet, vt opera quæ quis habet in potestate, & ad quæ nulla alia lege tenetur, possit deputare alterius vtilitatibus. Itaque ex priori ratione, sine vlla operantis intentione, vnius membri opera sunt vtilia omnibus:

Rom. 12. 1. Cor. 12.

Psal. 118. Coloss. 1.

ex hac verò secunda, cùm quis propria intentione pro altero & in vtilitatem illius operatur, cedunt ei illa opera, atque hæc est duplex ratio suffragiorum. Obseruandum tamen, ad quid, & quantum prodesse possint, & qualiter, de quo breuiter sequentia statuantur.

Primum. Ad mutationem status, quod est, ad conuersionem à peccato ad gratiam, sicut ad augmentum gratiæ vel gloriæ essentialis, nullius priuati hominis bona alteri prosunt per modũ iustitiæ & meriti. Quod apertissimè patet: cùm nullus, nisi secundum propriam dispositionem, & Christi Domini merita, & diuinam gratiam vel ex impio fiat iustus, vel ex iusto iustior. Hoc enim est propriũ Christi, quem proposuit (inquit Paulus) Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. De ceteris omnibus meritò inquit idem Paulus: Quid igitur Paulus? quid Apollo? Ministri eius cui credidistis. Et iterum: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? Propter quod meritò alibi inquit: Probet opus suum vnusquisque, & sic in semetipso gloriam habebit, & non in altero.

Quomodo & ad quid prosint vel nõ prosint alterius opera.
Rom.3.
1.Cor.3.
1.Cor.1.
Galath.6.

Secundum. Ad ea quæ consequuntur statum, & maximè ad pœnæ satisfactionem, etiam secundum rationem iustitiæ prosunt alteri alterius bona. Quod rationibus primò positis satis ostenditur. Potest enim aliquis ieiunium aut eleemosynam suã in alterius vtilitatem dirigere.

Tertium. Nihilominus certa ratione asseritur, quòd per modum orationis atque impetrationis (quę innititur liberalitati diuinæ, non iustitiæ nostræ, & ad iustificationem, & ad profectũ ac augumentum, atque ad reliqua omnia) iuuantur alij aliorum pietate. Quod hac duntaxat ratione satis ostenditur. Quia non sunt orationes Ecclesiæ, quas pro conuersione peccatorum, cõseruatione & profectu iustorum, etiam Apostolorum præcepto quotidie fundit ad Deum, cassæ & irritæ. Qua auctoritate etiã vsa sunt antiqua concilia, & patres, vt Celestinus epistola ad omnes Episcopos Gallię ostendit. Legem (inquit) credendi lex statuat orandi.

Epistola 1. Celest. c. 11

Hoc itaque sic stabilito in vniuersum, de defunctis non est difficile etiam idem ostendere: de defunctis (inquam) in vnitate & cõmunicatione corporis Christi decedentibus. Sunt enim illi membra huius corporis. Cur igitur non participabunt bonis eius? Egent præterea purgatione & liberatione à peccato. Nonne igitur si adiuuari non possent, meritò dici posset, charitatem excidere cum vita? Itaque quòd trãsierint iam in alium sta-

ſtatum, & tribunali Dei aſsiſtãt, nihil impedit charitatis efficaciam & virtutem, nihil tollit connexionem illam cum ceteris membris. Igitur ſicut viuentes ipſi, ita defuncti omnes in hac vnione participant pijs operibus viuentium, vel ad ſatisfactionem pœnæ ex intentione operantium, ſecundum rationem iuſtitiæ, vt diximus: vel ad remiſsionẽ etiã, & breuiorẽ liberationem, per modũ impetrationis: vel deniq; ad gaudiũ & cõgratulationem: idque ſecundum ſtatum in quo cõſtituti ſunt defuncti in hac vnione, ſiue beati, ſiue adhuc purgandi ſint, vt inferius oſtendetur. Quæ quidem ratio, quod attinet ad defunctos, cùm auctoritate Eccleſiæ roboratur, tam efficax eſt, vt indiſciplinati ſit & proterui, non acquieſcere.

Igitur hoc vt certo fundamento fidei collocato, non erit difficile ceteris, quæ circa hoc mouentur, dubijs & quæſtionibus reſpondere: de quibus breuiter nunc ordine eſt dicendum, idque ex proximè dictis, tanquam ex principijs certis deducendum.

Quorũ ſuffragia alijs proſint.

Primò igitur, quorum ſuffragia vtilia ſint defunctis, quæritur & vniuerſaliter, etiam viuis. Huic ergo inquiſitioni ex proximè dictis facile eſt reſpondere. Primò omnium ex vnitate Eccleſiæ & charitatis eſt, vt vnus alij prodeſſe poſsit: quia ſumus inuicem membra. Igitur ſoli hi qui in charitate ſunt, poſſunt alijs prodeſſe, & illorum dũtaxat opera Deo grata ſunt, & corã eius iudicio ſatisfactoria. Itaque duplici ratione extra Dei gratiam & charitatem exiſtentes, alijs prodeſſe non poſſunt. Primò, quia nec ſibi proſunt: Secundò, quia nec alijs communicare poſſunt, quibus non ſunt vniti. Eſt tamen hic diſtinguendum inter principalem auctorem operis, & miniſtrum ſiue exequutorem. Si enim principalis auctor in charitate ſit, etiam ſi miniſter aut exequutor ab ea ſit alienus, vtilia ſunt & ipſi principali auctori, & alijs, quantum ex ipſo eſt. Vt ſi per iniquum ſeruum Dominus bonus largiatur eleemoſynam. Ita ſentiendum de his qui teſtamento ordinant, aut quacunque alia ratione mãdant pia fieri opera. Exequutorum bonitas vel malitia non aufert meritum vel ſatisfactionem: neque cõfert. Quod verò nõnullis videtur, non prodeſſe mandata opera, niſi cùm fieri mandantur, in charitate ſit is qui mandat: nõ putauerim tanto rigore ſuſcipiendum. Satis eſſe videtur, vt in charitate ſit mandans quamdiu in poteſtate eius eſt: in poteſtate (inquam) voluntatis, probare vel reuocare mandatũ. Itaque ſi fortè cùm condit quis teſtamentum, extra charitatem ſit, & tamen poſtea in charitate

decedat: prodesse nihilominus crediderim testamento mandata, quæ in morte reuocari poterant, & tunc placuerunt. Atque ita in vita ipsa, qui præcepit seruo aut dispensatori vt cētum distribuat in eleemosynā: etiam si cùm præcepit non sit in charitate, satis erit, vt eleemosyna sit vtilis, si, cùm fit, aut antea ad charitatem redierit.

Tunc enim, cùm reuocare posset si ei displiceret, nec reuocat, est ei grata: & illa voluntate fit eleemosyna. Ex quo etiam apertè ostenditur, orationes & sacrificium, quæ ex persona Ecclesiæ fiunt, etiam si à malis ministris, prodesse nihilominus propter Ecclesiam, quæ est principalis auctor: quod superius, cùm de sacrificio altaris diceremus, probatum est.

Huic quæstioni proxima est & altera. Quibus defunctis prosint suffragia. Vbi certum est, beatis iam & Deo fruentibus nō esse necessaria. Nullo enim egent iam auxilio. Valent quidem omnia pia opera beatis ad augmentū accidentalis gaudij, cùm illa agnouerint. Congratulantur enim beati & gloriæ Dei, & saluti nostræ, cùm agnoscunt aliquid his dignum fieri à nobis, quorum salutem cupiunt. Vtrum verò omnia bona opera nostra agoscant, & quomodo: non est præsentis loci dicere. Secundò etiam certum est existentibus in purgatorio, mediocriter videlicet bonis, prodesse posse suffragia. Et hi sunt, pro quibus propriè fiunt, & propter quos duntaxat fiunt. Nam (vt superius ex Augusti. diximus) ideo pro omnibus fiunt defunctis, quia ignoramus quales sint, & qui capaces illorum. Igitur de damnatis omnibus fuit inter antiquiores aliquos Theologos nonnulla quæstio, & sententiarum non parua diuersitas. Fuerunt qui dicerent quibusdam damnatis vsque ad diem iudicij prodesse posse: his videlicet qui mediocriter sunt mali, hoc est, qui cum fide & multis bonis operibus, quanquam extra charitatem defuncti sunt. Istos enim dicunt illi esse mediocriter bonos, quibus August. dicit prodesse suffragia. Nec timuerunt quidam horū fateri, posse per suffragia pœnas omnes dānati alicuius vsq; ad diem iudicij auferri ab eo: post iudiciū tamen in vltima resurrectione iterū pœnas redituras esse. Alij ne hoc dicerēt, semper aliquid pœnarū, quantūuis suffragia multiplicentur, remanere volebant: dicentes proportionaliter & mathematicè minui pœnas, atque ita in infinitum. Sed hæc omnia vana sunt, & contra Ecclesiæ sensum: vt postea ostendemus. Alij verò nō diminui pœnas, sed iuuari nihilominus damnatos confortatione quadam volebant. Et alij aliter quærebant, quomodo vtilia esse pos-

se posint damnatis hæc nostra opera. Omnibus istis objicienda est auctoritas Ecclesiæ. Illi præcipuè tota hæc doctrina innititur. Cum igitur illa pro damnatis non oret, imò hoc nefas & blasphemiam reputet: non est credendum illis quidquam prodesse: primò quia crudelis esset Ecclesia, si prodesse illis posset, & non faceret: quod blasphemum est credere: Secundò, quia nō dubitamus non esse gratum nec ratum apud Deum, quod præter Ecclesiæ auctoritatem exhibetur. Qua vnica ratione putamus meritò temeritatis arguendas omnes sententias adductas, & quascunque alias conātes hoc asserere sicut b. Thom. inquit hoc loco. Nulli igitur extra corpus Ecclesiæ constituto, maximè post hanc vitam, quidquam valent viuorum pia opera. Hinc pro nō baptizatis etiam Catechumenis prohibet Ecclesia orari, aut sacrificium offerri: adeo vt nec pro paruulis non baptizatis fieri debeat: vt August. in lib. de origine animæ asserit tanquā errorem damnans, asserere pro aliquo offerendum esse sacrificium mediatoris, qui non est insitus corpori mystico eius. Quod verò de Catechumenis diximus, de his intelligendum est, qui sine desiderio baptismi mortui sunt: per quos scilicet stetit, ne baptizarentur: alioqui propositum & desiderium baptismi adultos inserit corpori Christi, vt pro illis orari & sacrificari debeat: sicut Ambrosius de obitu Valentiniani iunioris dicit. Sed de his superius, cùm de baptismo egimus, habes plura. *dist. 45. 4. q. 2. art. 3.*

Non desunt qui iuxta sententiam illam quam superius adduximus, cùm de remissione peccatorum venialiū ageretur, quæ credit in peccato mortali satisfieri pro pœnis peccatorum iam remissorum: immo & in inferno ipso illas tandem exolui: & ab eis liberari, asserant sustineri posse circa hos duos articulos, primò, existentes extra charitatem posse prodesse suis suffragijs defunctis ad huiusmodi pœnarum persolutionem: secūdò, prodesse etiam ipsis damnatis. Sed certè hoc satis contra illam sententiam esse debet, quod ista sequantur: quorum vltimum quidem contra sensum Ecclesiæ est, quem diximus: quia nulla ratione pro damnatis orat: primum etiam alienum est ab ea sententia, quæ valde certè ecclesię consentanea est & scripturę, qua ex sola vnione charitatis docemur bona vnius alteri communicari posse. Priora igitur teneamus, quæ sunt multò probabiliora, & ad sensum Ecclesiæ conuenientia.

Quib⁹ operibus subueniatur defunctis.

Tertiò, quę opera vtilia sint defunctis, quæritur: idque propter August. qui in lib. de cura agenda pro mortuis, & alibi, sacrificium altaris, orationes, & eleemosynas vtiles dicit tantum.

B. Tho. ar. 3. q. 2. dist. 45.

Vbi quia sola ieiunia omissa videntur, hoc est, quæ pertinent ad corporis afflictionem, de illis dubitatur. Nam per eleemosynas vniuersa opera pietatis & misericordiæ: per orationes omnia pia mentis exercitia intelligunt: tantum ergo restant ieiunia & afflictiones corporis. Igitur nec de his dubium est, quin prosint defunctis. Omne opus pium, sicut operāti & viuis prodesse potest, maximè ad satisfactionem, ita & defunctis. Quare verò magis b. Augustinus de tribus illis dixerit, quàm de ieiunijs: rationabiliter explicatur. Quia videlicet sacrificium altaris & eleemosynæ maximè pertinent ad vnionem charitatis: ex qua fit (sicuti diximus) vt opera vnius alij prosint. In orationibus verò propriè est intentio ordinata in eos, pro quibus oratur: vnde etiam est communicatio operum, vt dictum est. Hæc igitur magis propria sunt: sed non est dubitandum omnia alia bona opera prodesse. Et certè Augustinus tantum exclusit exequiarum pompam, & apparatum sepulturæ, quæ magis putat solatia esse viuorum: & nihilominus nonnunquam vtilia (inquit) sunt defunctis, dum eorum memoriam renouant, & excitant ad orandum pro illis. Damascenus in oratione illa de mortuorum suffragijs, & luminaria, & thus, aquam benedictā, ac orationes quascunque prodesse dicit. Priora quidem, vt fidei protestationes quædam: oblationes verò, vt eleemosyna prosunt. Nec de eo dubitandum est, cùm moderatè & iuxta Ecclesiæ ritum fiunt. Quid verò inter hæc vtilius sit, à nonnullis disputatur: & quantum prosint cùm testamento ordinantur ista: & quid magis expediat, suffragia statim implenda testamēto relinquere, an perpetuis temporibus aliquid exoluendum mandare: vt anniuersarium, vel huiusmodi aliud. De his igitur magis putauerim tacendum esse, quàm aliquid afferendum. In speciali arbitrandum est de eis, cùm occurrunt, aut in consultationem veniunt. Vide, si placet, plura nō negligenter, nec indoctè scripta apud Gabrielem in expositione Canonis lectione 56. & nonnullis sequentibus.

Quibus & quantū valeant suffragia. Dist. 45. 4. b. Thomas q. 2. art. 4.

Vltimò denique, quantum valeant suffragia hæc, & an magis illi pro quo specialiter fiunt: ac, an vni magis quàm pluribus, agitur à nostris supradicto loco. Igitur de his omnibus illud est certissimum, hæc omnia, quatenus fiunt in satisfactionem pœnæ, finita esse, & quod diuino iudicio ad exoluendum pro certa quantitate pœnæ acceptantur. Quare si pro pluribus offeran tur, inter eos diuiduntur, & minus prosunt singulis. Ceterùm ad gaudium & consolationem, ad impetrandum (quæ omnia ex

radice

radice charitatis habent) non minus pluribus, quàm vni prosunt, nec minus his, pro quibus specialiter non fiunt. Quandoque enim hæc omnia secundum merita ipsorum defunctorum, & gradum charitatis, atque vnionem ipsorum cum Ecclesia, prosunt. Itaque & sacrificium altaris, & orationes nõ est dubitandum æqualiter prodesse multis, non minus quàm vni: de quo quoniam superius, cùm de sacrificio hoc loqueremur, plura diximus, non putamus hic esse alia addenda.

Ex quibus etiam & illi quæstioni respondendum est, qua à nonnullis quæritur, an ei, qui hæc opera pro alijs facit, prosint. An videlicet propterea quòd pro alijs operatur pia & bona opera, priuetur ipse vtilitate eorum? an potius aliquam consequatur, & quam? Itaque ex his quæ superius de charitatis vnione diximus, colligendum est, non parum prodesse etiam operanti, quæ pro alijs fiunt, & quò ad multa quidem atque præcipua, nõ minus, sed magis potius: quo ad meritũ enim facienti prosunt, & semper eum commendant Deo: & magis quidem, quò maioris est charitatis, velle prodesse. Ceterùm satisfactio potest tota cedere alijs, si ita ille velit.

Ex quo rursum colligi potest, quantum exequutio eorũ quæ testamento mandata sunt, adiuuet defunctum: & quantũ omissio siue dilatio illi noceat. Quantum enim ad meritum attinet, certum est nihil illi augeri exequutione, sicut nec quidquam detrahitur omissione. Quantum ad liberationem verò celeriorem à pœna, non est dubium citius liberari pro quo illa fiunt, & tardius cùm omittuntur. Vnde graue peccatum est illa aut omittere, aut differre. Non tamen putandum est nunquam liberari à purgatorio eos, qui testamento talia reliquerunt, nisi cùm illa exequutioni fuerint mandata: etiam si inter hæc restitutio debitorum connumeretur. In Dei iudicio cuilibet certa pœna pro qualitate delicti statuta est, qua exoluta liberabitur, etiam non persolutis debitis: quanquam in vita ille neglexerit: modò huius negligentiæ, sicut ceterarum culparum, remissionem sit consequutus dum viueret.

DE

DE CLAVIBVS ECCLESIAE.

LECTIO PRIMA.



QVONIAM igitur (vt visum est) necessitas confessionis, & totum sacramentum pœnitentiæ in potestate clauium fundatur: de illis nunc dicendum est; circa quas quatuor præcipuè sunt nobis meritò dicenda. Primum, de ipso nomine atque definitione clauium. Secundum, de numero & diuisione illarum, quot scilicet & quæ sint. Deinde quis earum vsus siue actus. Denique quartum, qui illas habeant. Quæ omnia Magister sententiarum, & ceteri distinct. 18. & 19. 4. satis diligenter & iuxta antiquorum patrum doctrinam tradiderunt, & nos quidem superius de his non pauca diximus. Quare nunc breuius multa horum absolui poterunt.

Quid nomẽ clauium in Ecclesia significet.

Ab ipso igitur nomine incipientes id primò notemus, nomen hoc ab ipso saluatore primò Matth. 16. vsurpatum, & in alijs locis tam noui quam veteris testamenti, metaphoricè & per translationem sumptum ad duo maximè significanda in spiritualibus poni: quanquam horum duorum vnum in alterò includi possit, sed ad maiorem explicationem illa distinguimus. Primò enim & vniuersalius potestatem gubernandi Ecclesiam, & dispensandi omnia, quæ in ea continentur diuina & spiritualia charismata, germana translatione significat. Sicuti enim qui totius domus claues habet, is omnia possidet quę in domo sunt, omnia potest pro suo arbitrio aut claudere aut aperire, retinere vel dispensare: & is cui totius domus claues collatæ sunt, supremus est omnium, quæ in ea sunt, dispensator: Ita in hoc loco regni cælestis claues, primò significant Ecclesiæ (quæ regnum cælorum dicitur) vniuersalem auctoritatem dispensandi vniuersa quæ in Ecclesia sunt, & quæ ad eam pertinent. Quam quidem auctoritatem in Christo homine diuina collatione scriptura testatur esse, virtutique passionis & meritorum eius initi. Sic enim per Esaiam inquit Dominus de Eliachim, sed in figura Christi, vt interpretatur Hieronymus: Dabo clauem Dauid

Cap. 22.

uid super humerũ eius,& aperiet,& nemo claudet: & claudet,& nemo aperiet. Quod enim super humerũ eius inquit,id ipsum est,quod alibi ipse Esaias explicat: Factus est principatus super humerum eius: Quo significatur proprijs meritis Christi inniti potestatem hanc,& auctoritatem eius. Vnde & in Apocalypsi Saluator inquit: Hęc dicit fidelis & verax,qui habet clauem David,qui claudit,& nemo aperit &c. Hanc igitur quam Christus excellenter & super omnes à patre potestatem habet, Petro, & deinde ceteris Apostolis communicat: Tibi (inquiens) dabo claues regni cælorum. Et mox actus illarum nonnihil aliter explicans,non dixit: Quidquid aperieris vel clauseris: sed: Quidquid ligaueris vel solueris: vt intelligamus metaphoricè omnia ibi sumi. Et cùm postea de Ecclesia loquens dicit Dominus: Quidquid ligaueritis super terram, & quidquid solueritis &c. intellexerunt patres eandem potestatem datam reliquis,& perpetuò in Ecclesia seruandam. Ecclesiæ enim ipsi, sed in illis & per eos datæ sunt, ad quos pertinent illarum vsus in ipsa Ecclesia, vt Augustinus inquit primo de doctrina Christiana,& multis alijs locis. Secundum igitur hanc acceptionem, certè valde consonam ipsi scripturæ,in clauibus omnem Ecclesiasticam iurisdictionem,& potestatem dispensandi, administrandi, præcipiendi,docendi,& denique quidquid ad gubernationem Ecclesiæ opus est, & alijs locis scripturæ explicatur, intelligimus. Itaque ad has pertinet & doctrina, & definitio dubiorum fidei, & librorum canonicorum,conuocatio concilij, atque æditio ac publicatio legum, excommunicatio & absolutio, peccatorum remissio,ac impositio satisfactionis,atque relaxatio eius: denique in vniuersum cuncta quæ in Ecclesia necessaria sunt, & ad eius gubernationem pertinent.

Cap.3.

Apocal.3.

Verùm & Magist. Sentent. & ceteri post illum specialius hoc nomen acceperunt, intelligentes tamen potestatem pertinentẽ ad remissionem peccati vel retentionem, siue ad exclusionem ab ecclesia, aut reconciliationem: hinc sumentes metaphoram, quòd sicut claue aperitur porta: ita sacerdotes auferunt peccatorum impedimenta, quibus homines sibi claudunt regnum cælorum, & id quidem dum absoluunt: dum verò aut negant absolutionem,aut excommunicant,nõ aperiunt,atque ita claudere dicuntur: sicut Deus excæcare aut obdurare dicitur, cùm non illuminat, aut conuertit. Atque isti definierunt claues esse potestatem, qua iudex ecclesiasticus indignos excludere,& dignos admittere potest ad regnum: referentes hæc omnia ad re-

Definitio clauiũ secundũ Magistrum.

mo-

motionem peccati, & impedimenti quod ab eo est. Possent etiã hæc verba definitionis vniuersalius accipi, & omnia alia, quæ suprà diximus, illis intelligi: sed neque hoc magni momenti est, nec reprehendi debent, qui ita acceperunt. Considerarunt enim hoc nomen iuxta ea quæ proximè à Christo addita erãt de ligando videlicet vel soluendo: quod ad peccata pertinet. Prior tamen illa acceptio communior est, & omnia hæc includit. Siue itaque illo, siue isto modo accipias claues: vel omnem potestatem ecclesiasticam, vel illam specialius, quæ peccata respicit, significat.

Ex qua explicatione atque definitione clauium facilè, quod secũdo loco proposuimus, intelligi potest: de diuisione scilicet clauium. Diuiduntur igitur primò claues in potestatem ordinis, & potestatem iurisdictionis: atque ita claues ordinis, & iurisdictionis dicuntur.

Clauis ordinis. Clauis siue potestas ordinis est, quæ per consecrationem & sacramentum ordinis confertur, ad cõficienda scilicet & administranda sacramenta: de qua beatus Thomas hoc loco optimè inquit, ipsam esse characterem sacerdotalem, & potestatem conficiendi Eucharistiæ sacramentum, ac absoluendi à peccatis.

Clauis iurisdictionis. Clauis siue potestas iurisdictionis est, quæ ad gubernandum populum, & ad tenendum illum subditum simplici iniunctione, absque vlla consecratione datur: sicut cùm instituitur quis parochus, plebanus, aut huiusmodi. Et hæc potestas iurisdictionis est rursum duplex, sicut & duplex est forum: alterum videlicet, in quo de peccatis omnibus, etiam occultis iudicatur loco Dei, atque ideo secretò: quod vocatur interius forum conscientiæ: & ita respondet illi iurisdictio interior & secreta. Alterum verò forum est, vbi publica & manifesta peccata cognoscuntur & iudicantur: quod forum exterius dicitur: atque ita exterior iurisdictio illi respondet: & hæc omnia ad claues pertinent.

Iurisdictio ecclesiastica duplex.

Duæ sunt claues iurisdictionis Ecclesiasticæ. Quare rursum in qualibet harum potestatum duas constitue runt claues, occasione sumpta ex ipso verbo Christi, vbi nõ singulariter, sed pluraliter inquit: Claues regni cælorum: adiuncta etiam conuenienti ratione. Igitur quælibet harum potestatum (inquiunt) primò vt rectè exerceatur, præcedere debet cognitio atque iudicium certum causſæ. Deinde sequi debet & exequutio eius, quod iudicatum est. Vt enim ex his quæ superius diximus, cùm de his locis Euãgelij loqueremur, satis patet, nõ pro

pro libito suo, sed pro meritis caussarum, & iuxta diuinæ legis regulam iudices spirituales absoluere possunt, aut ligare. Duæ itaq; claues necessariæ sunt: vna scientiæ: altera potestatis. Scientiæ clauem (vt patet) nō scientiam (quæ nec traditur cum sacramento, nec habetur ab omnibus ordinatis) sed potestatem cognoscendi, inquirendi videlicet & iudicandi dignum vel indignum esse aliquem absolutione, intellexerunt: quam tamen sine scientia nec ritè administrari, nec sine graui peccato susci pi, ex dictis satis constat. Clauem verò potestatis intelligunt auctoritatem ipsam absoluendi vel retinendi peccata, & admittendi vel excludendi à regno.

Clauis scientiæ.

Clauis potestatis.

Qui sint verò actus clauium, & ad quæ se extendant (quod tertio loco proposuimus) ex dictis etiam intelligi potest. Si claues vniuersali illa acceptione sumamus, omnes actus ecclesiasticæ potestatis sunt actus clauium. Specialius verò acceptis clauibus (vt secundo modo diximus) pauciores actus eis assignantur: absolutio videlicet à peccatis. Circa quam disputatur hoc loco, an extendat se ad ipsam remissionem culpæ, an verò pœnæ tantum? de quo nos satis superius diximus, ostendentes ex ipsa scriptura & patribus, sacerdotes verè remittere peccata: de hoc igitur actu non est opus vt plura dicamus. Ponuntur etiam duo alij actus, de quibus inferius specialius est agendum: excommunicare videlicet & indulgentias concedere: de quibus, quàm sint efficaces, & ad quid se extendant, mox ordine dicemus.

De actibus clauium.

Quod igitur quarto loco propositum est, qui scilicet habeāt claues & earum vsum, & circa quos, est etiam breuiter explicandum. Claues igitur sacerdotum legis nouæ proprias esse, quod attinet ad potestatem absoluendi à peccatis, est certissimum fidei catholicæ dogma, ex scriptura ipsa euangelij & vsu ecclesiæ apertè probatū. Christus enim solis Apostolis dedit claues (vt dictū est) aut fortè etiam (si placet) reliquis septuaginta discipulis, quos similiter misit: nō tamen Christianis omnibus aut baptizatis. Apostoli verò & ecclesia solis sacerdotibus hanc potestatē tradiderunt: soli ergo illi claues habent. Vbi vitandi sunt errores illi iam olim ab Ecclesia damnati, vel omnes Christianos, vel solos sanctos & iustos claues habere. Habēt enim sacerdotes solùm, siue iusti, siue peccatores sint. Habent verò hi tantam tanquam ministri, non vt primi agentes, quod solius Dei est: nec tanquam suis meritis quidquā operantes, quod est proprium Christi: sed vt ministri tantùm & instrumenta.

Qui habeant claues.

Vsus

Vsus verò harum clauium sanctus quidem & licitus solùm est iustorum sacerdotum, & eorum qui intra ecclesiam sunt. Ceterum excommunicati & peccatores si eis vtantur, modò adsint omnia alia necessaria, peccant quidem, sed non propterea carent effectu eorum actus.

In quos verò exercere possint earum potestatem qui claues habent, quod ad absolutionem à peccatis attinet, superius est explicatum: quòd scilicet in solos subditos. De excommunicatione verò & indulgentijs inferius dicetur.

Quomodo aduersarij reprehendãt claues.

Quid aduersarij catholicæ ecclesiæ contra potestatem hanc clauium loquantur, non est opus multis referre vel confutare. Lutherani nolunt aliam potestatem agnoscere, quàm verbi ministerium. Doctrina (inquiunt) ligantur & soluuntur peccatores: cùm videlicet annuntiatur eis peccatorũ remissio, vel econtrario iusta damnatio quę imminet illis, contemnentibus euangelium. Clamãt multi illorum hunc esse germanum sensum locorum euangelij. Quibus primò respondemus, satis superius probatum esse, totum consensum patrum & ecclesiæ potestatẽ hanc soluendi & ligandi retulisse non ad prędicationem euangelij, sed ad administrationem sacramentorum, atque adeò ad ipsam absolutionem, cùm ipsi nec in sacramentis quidquam aliud agnoscant, quàm verbi annuntiationem: quod satis superius confutatum est. Secundò etiam addimus, negari nõ posse, ministros ecclesiæ habere præter auctoritatem doctrinæ, potestatem operandi ad animarum salutem: indulgendi atque do-
2. Cor. 10. nandi etiam. Paulus inquit gloriari se posse de potestate sibi tradita in ædificationem, non in destructionem. Et alibi dicit se donasse, indulgentiam videlicet pœnitenti. Ego (inquit) quod donaui, si quid donaui, propter eos in persona Christi. Gerunt itaque ministri personam Christi. Ipse cùm mulieri peccatrici dixit: Remittuntur tibi peccata: aliud agebat quàm docebat: sic & ministri. Ceterùm & hoc, & quòd ipsi hæretici legitimam istius potestatis ecclesiasticę traditionem ignorant, dum ignorant sacramentum ordinis: proprio loco, cùm de ipso sacramento ordinis egerimus, latius patebit. Hæc itaque de clauibus in communi dicta sint. Tantum restat vt de excommunicatione & indulgentijs, duobus scilicet actibus illarum, dicamus.

LECTIO

LECTIO SECVNDA.

De excommunicatione.

DE excommunicatione igitur multa necessaria cognitu sunt ministris precipuè sacramẽtorum. Et quanquam hæc nomine non negetur ab aduersarijs catholicæ fidei, re tamen ipsa contemnitur. Quare primò opus est vt virtutem atque efficaciam eius, ac originem atque auctoritatem ostendamus catholicis, & obedientibus filijs Ecclesiæ, deinde cetera explicemus, quæ necessaria sunt cognitu circa illam.

Quid excommunicatio.

Excommunicationem itaque definierunt nostri dist. 18. quarti, vbi post Magistrum de illa agunt, esse separationem à cõmunione fidelium & participatione sacramentorum. Nam duo hęc perfectam & integram excommunicationem, quam maiorem vocant, continere, probatur ex euangelico præcepto, & consuetudine Ecclesię ab ipsis Apostolis inchoata. Sit tibi (inquit Christus de eo qui peccat, nec audit Ecclesiam admonentem) sicut ethnicus & publicanus. Ethnici verò nomine notum est gentilem, siue non baptizatum, & alienum ab Ecclesia intelligi. Sic enim Christus dominus alibi ethnicos distinguit à fidelibus. Igitur docet auferendum esse ab eo, quod per baptismum confertur. Baptismus verò, qui ianua est Ecclesiæ & sacramentorũ, duplex ius confert baptizato. Primum, communionis exterioris, secundum quam ad orationem & diuinorum mysteriorum celebrationem conuenitur in vnam domum. Hanc verò communionem externam sequitur communio atque participatio spiritualis orationum, & piorum omnium operum. Sumus etenim (vt Paulus inquit) inuicem membra, & inuicem compatimur & congaudemus: & quidquid operatur vnum membrum, cedit in vtilitatem reliquorum. Quare Paulus ipse inquit: Vnũ corpus & vnus spiritus estis, sicut & vocati in vna spe vocationis: quo certè cõuenienter significatur duplex ista societas, exterior videlicet & interior. Et hoc dicimus primum ius, quod ex baptismo habetur. Vbi etiam hoc aduertendum, quòd est adhuc alia communicatio naturalis siue politica, ad quam natura ipsa, & politia humana vocat homines, etiam ante baptismum: propter quam dictum est, quod homo sit animal politicum: qua

Math. 18.

Qua communione priuetur excommunicatus.

Es videli-

videlicet communicant sibi homines in his, quæ ad vitam hanc naturalem necessaria sunt: in legibus videlicet & statutis ciuitatum, in contractibus ac commertijs, in mutuis salutationibus, & reliquis signis ac effectibus humanæ amicitiæ. Quæ quidem omnia quanquam priora sint baptismo & religione Christiana, per hanc tamen magis confirmantur, & ordinantur etiam ad altiorem finem, sicut gratia ipsa naturam eleuat, & ordinat ad sublimiora. Quare & de his omnibus Ecclesia rectè statuit, concedit, vel prohibet quod ad salutem animarum & religionis conseruationem pertinere cognoscit. Ex quo fit, vt etiam ista humana & naturalia commertia auferat ab his quos excommunicat: præcipiens scilicet, vt ab alijs hęc denegentur ipsis: ita Apostolis præcipientibus. Paulo quidem frequentissimè ad Corinthios. Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator aut auarus &c. cum huiusmodi ne cibum sumere. Et iterum: Si quis nō obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur. Et Ioannes in canonica etiam scribit: Si quis venit ad vos, & non adfert hanc doctrinam, nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis. Ecce itaque qualiter Apostoli naturalem etiam communicationem interdicunt excommunicatis. Itaque & ista communio etiam includitur in illa, quam ex baptismo diximus christianis cōuenire. Iam secundum ius quod ex baptismo habemus, est participandi sacramentis Christi: Eucharistiæ scilicet & reliquis quę in Ecclesia administrantur. Quæ participatio sacramentorum priorem cōmunicationem includit, & aliquid superaddit illi. Nec enim particeps potest esse sacramentorum, quæ in Ecclesia & per illam exterius administrantur fidelibus, qui expers est exterioris illius communionis, & interioris etiam participationis orationum. Itaque omnis qui priuatur communione fidelium, priuatus est participatione sacramentorum: non è contrario. Atq; ita duplicem distinguunt iura ipsa excōmunicationem, qua vtitur disciplina ecclesiastica. Alteram vocant minorem: quæ priuat tantum sacramentorum participatione. Alteram maiorem, quæ à sacramentis & communione fidelium separat. Hanc definiunt vt suprà diximus: & de hac dicturi sumus prolixius: postea verò breuiter de minori.

1. *Cap.* 5.

2. *ad Thes.* 4.

2. *Cap.* 1.

Duplex excōmunicatio.

De maiore excōmunicatione.

Hæc igitur maior excōmunicatio, quæ priuat iure illo, quod per baptismum accepimus, patet quàm conuenienter definita sit, quòd est separatio à communione fidelium & participatione sacramentorum. Quia tamen communicatio illa fidelium (vt diximus)

ximus) est non tantùm exterior, sed interior & spiritualis: quidam ad id magis explicandum addunt, quòd sit separatio quoad fructum & suffragia generalia: intelligentes per hoc, non tantùm priuari excõmunicatum externis illis bonis, sed etiam fructu ipsorum: auxilio videlicet gratiæ, quod per orationes ecclesiæ acquiritur, quæ etiam per sacramenta confertur. Hæc itaque satis ostendunt virtutem excommunicationis & originem eius.

Quid Lutherani de excõmunicatione sentiant.

Est tamen attentius considerandum propter aduersarios & contemptores ecclesiæ, duo circa hæc ab eis impugnari: ab alijs quidem apertè & inuerecundè, ab alijs autem occultius, sub surratione potius quadam, quàm aperta ratione. Primò itaque impugnant vim ipsam & efficaciam excommunicationis, quam Lutherus adeo docuit non esse timendam, vt potius tanquam medicina amanda sit. Quem sequentes discipuli eius, etsi verecundiùs, excommunicationem tamen tantùm esse externam quandam pœnam in confusionem excommunicati putant: nec agnoscunt effectum aliquem spiritualem, aut damnum quod infert animæ: quare coram hominibus & in faciem tantùm videtur timenda, non coram Deo. Secundò quasi in altero extremo reprehendunt Ecclesiam, seuitiæ & crudelitatis eam notantes, quòd filios suos quasi non agnoscat & proijciat à se, atque ita in desperationem & præcipitia cogat. Vtrunq; igitur horum quanquã ex dictis facilè possit refelli, est apertius reijciendũ Christi & Apostolorum auctoritate, & patrum perpetuo consensu.

Cõfutatur sententia Lutheran. de excommunicatione.

Contra primum itaq; hoc certo statuatur, excommunicationem non quidem priuare communione illa charitatis, qua per gratiam omnia membra ecclesiæ primum Deo ipsi & Christo, deinde sibi inuicem cõnexa sunt, sed nec solùm priuare exteriori cõmunicatione atq; participatione fidelium, quæ est in actibus legitimis exterioribus, siue naturalis societatis siue Christianę, de quibus diximus: sed priuat etiam cõmunicatione & spiritualis & interioris auxilij, quod per communes orationes & suffragia Ecclesiæ habetur. Sunt itaque iuxta hoc tria considerandа: duo extrema, reliquum medium. Primum est interior communio charitatis, de qua dictum est à Christo: Qui manet in me, hic fert fructum multum. Et: Ego sum vitis, & vos palmites. Et in Psalmo: Particeps ego sum omnium timentium te. Hanc communionem solus Deus aufert, sicut ab eo solo est. Et aufert non sine peccato mortali præcedente. Excõmunicatio verò est pœna per Ecclesiã inflicta Presupponit igitur separationẽ hanc à charitatis communione, vt infrà dicetur: sed illam non efficit.

Secundum verò quasi in altero extremo positum est, cõmunio & participatio exterior & corporalis, qua conuenitur in eadem domo Ecclesiæ à fidelibus: oratur simul: participatur sacramentis: salutamus etiam inuicem: & alia humanæ societatis ac Christianæ opera inuicem exhibemus. Et quidem aduersarij Catholicæ Ecclesiæ aut apertè aut occultè hoc sentiunt & docent, per excommunicationem solùm istis priuari excommunicatum: vt videlicet confundatur & erubescat. Atque ita certè non est cur magnopere timeatur excommunicatio: quandoquidem nihil spiritualis incommodi ista habent: maximè cùm ab alijs inuitis nobis auferũtur: quod propter sacramenta dicimus, quibus priuari certè incommodum est: sed hoc potest voluntate propria & deuotione suppleri. Hanc sententiam omnino erroneam esse nobis probandum est, & alienam à sensu ac vsu scripturæ & Ecclesiæ. Considerandum igitur tertium, medium inter hæc duo, participatio videlicet orationum & piorum operum ex intentione speciali operantium. Nam (quod etiam ex superioribus intelligi potest) quanquam ex communi ratione charitatis participent omnes in ea existentes, secundũ aliquam rationem omnium aliorum operibus bonis, tamen ex intentione vel orantis, vel satisfacientis pro alio, multum accrescit ei, in cuius vtilitatẽ hoc ordinatur. Hæc verò intentio orantis vel satisfacientis pro alio est duplex: altera priuata tamẽ: quæ scilicet à priuato aliquo ex speciali ratione fit: cum nimirum pro amico, pro benefactore, & huiusmodi alijs quis orat, aut aliud aliquid facit. Secunda verò est intentio publica totius Ecclesiæ, qua illa suis publicis orationibus sollicita est, vt salutem omnium filiorum suorum operetur. Vbi duo sunt consideranda. Primum, quanto hæc Ecclesiæ vniuersalis intentio efficacior sit & vtilior, quàm sit priuata cuiusque, maximè ad Dei gratiam conciliandam, quæ est præcipuus fructus participationis bonorum operum. Tanta igitur hæc efficacior est priuata illa, quanto tota Ecclesia acceptior est Deo & gratior, quàm priuatus quilibet: maximè (quod superius de sacrificio Missæ agentes explicauimus) cum Ecclesiæ preces & opera non ex præsentium tantùm fidelium & nunc viuentium pietate ac deuotione, sed etiam ex sanctorum omnium gratia & meritis pensanda sint. Nec enim dubitandum est omnium illorum merita clamare apud Deum, & ipsum non minus respicere Christianum populum propter Apostolorum, martyrum, & reliquorum sanctorum merita, quàm olim Iudaicum respiciebat memor Abraham, Isaac, & Iacob, seruorum suorum:

Quibus bonis internis & spiritualibus priuetur excommunicatus.

Secundò

Secundò considerandum est, quòd vniuersalis hæc intentio etiam regula est & directio atque medium omnium specialium intentionum. Quidquid enim singula membra operantur in Ecclesia, iuxta eius intentionem (si sanè & prudenter sentiunt) dirigunt, & per illam Deo offerunt. Nec vllus qui Ecclesiæ vnitus est, aliter quidquam agit, etiam si hoc non cogitet. Ex his igitur colligamus quam sit graue communione Ecclesiæ priuari. Cùm enim (vt iam patet) illa non tantùm exterior sit, & in corporeis actionibus sita, sed multo magis spiritualis, in orationibus & pijs operibus, non est dubitandum illis etiam priuari eum, qui excõmunicatur, & consequenter vtilitate ac fructu illorum: quod locus ille Euangelij significat: Sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Quæ itaque pro membris suis ecclesia specialiter agit, his omnibus priuatur excommunicatus: habetur enim quasi non baptizatus. Ceterùm non possumus satis existimare, quanta sit Dei benignitas, quàm pius respectus eius in ecclesiam suam, & in omnia eius membra, pro quibus scilicet ipsa orat, quãuis fortè humana aliqua infirmitate à vera Christi charitate exciderint, nec tamen meruerint, vt ab Ecclesia tãquam putrida membra resecentur. Confirmat hoc maximè & illud, quod saluator de excommunicatione apertè loquens dixit: Amen dico vobis, quidquid ligaueritis super terram, erit ligatum & in cœlis. Dixerat enim prius: Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Si igitur excommunicatio tantùm externam societatem Ecclesiæ auferret, non erat opus in cœlo ratam haberi: nihil enim cœleste auferret. Nunc autem, si Christus Dominus dicit ligatum excommunicatione etiam ligari apud Deum: constat illam efficere, vt ab eius gratia & respectu, quod cõmendatos ab Ecclesia respicit, separet excommunicatum. Quod ipse etiam vsus ecclesiæ ostendit. Prohibet enim sacrificium offerri, & publicas orationes fieri pro excommunicatis, maximè in speciali: sed nec in generali vnquam pro excõmunicatis orat, etiam si nonnunquam pro hæreticis & infidelibus oret. Non quòd à charitate Ecclesiæ omnino abijciantur excommunicati: nam Paulus inquit: Nolite eos quasi inimicos reputare, sed corripite vt fratres. Ceterùm non habet illos eo ordine & loco, quo coniuncta sibi membra. Hoc ipsum quoque patres omnes senserunt, quorum multas auctoritates Gratianus collegit 11. quæst. 3. & 24. quæst. 3. quibus locis apertè est videre consensum omnium patrum ab Apostolis, de timenda excommunicatione. Vide Augustini verba cap. Omnis Christianus: Et cap. Nihil sic *Matth.* 18.

timere debet. Chrysostomi item atque Hieronymi, & ceterorum denique pontificum & doctorum, quorum doctrina Ecclesia illustratur. Ex quibus M. sentent. gratia diuina dicit priuari excommunicatum ac diuina protectione, & diabolo expositum relinqui. Quæ beatus Thomas exponens, notat orationibus Ecclesiæ & gratiam impetrari nonnunquam his, qui extra eam sunt, & augmentum eius his, qui eam habent: quibus priuantur excommunicati, & propterea etiam gratia. Deinde eisdem orationibus conseruationem virtutum & perseuerantiam ecclesia impetrat, & ne tententur fideles sui, vel saltem non superentur tentatione. Quare excluſus ab his orationibus, hæc etiam amittit, conseruationem scilicet virtutis, & liberationem à tentationibus. Hęc itaque omnia quoties sentimus nobis contingere, quoties Dei gratiam vel nos conuertentem, aut ad profectum vocantem; quoties conseruationem aut liberationem à tentatione experimur: & certè quoties nobis hæc contingunt (sepè enim cùm nec cogitamus nec intelligimus, à multis eripimur periculis) omnia Dei misericordiæ in primis & bonitati, Christi etiam meritis tribuenda sunt: sed hæc omnia medijs Ecclesiæ precibus & orationibus statuere debemus nobis prouenire. Ipsa enim est dilectissima sponsa semper Deo grata, semper efficax apud illum: in ea sunt sancti ipsi, qui iam regnãt apud Deum, quorum merita semper ipse respicit. Quantum igitur his omnibus priuari sentiendum est & timendum? & quàm inconsideratè ac stultè contrarium docetur? Hæc igitur contra primum illum errorem & extremum.

Ecclesia nõ est crudelis dum excõmunicat. 1. Cor. 5.

Iam quod reprehenditur in Ecclesia hęc tam necessaria disciplina, quàm sit stultum, loca ipsa Euangelij & Apostolorum superius citata satis ostendũt, immo & ipsa visibilia miracula, quibus in primitiua ecclesia grauitas excommunicationis probatur. Propter hoc enim Paulus satanæ se dicit tradere, quos excommunicat, in interitum (inquiens) carnis, quia mox vexabantur corporaliter ab ipso satana. Itaque si crudele videtur priuare beneficijs membrorum & obedientium filiorum Ecclesiæ, eos qui se indignos reddunt illius societate: reprehendatur Christus, qui inquit: Sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Et Paulus arguatur crudelitatis, qui tradidit hominem satanæ &c. Cùm itaque hæc blasphema sint, consideremus potius quàm conformiter diuino iudicio ecclesia in excommunicatione faciat. Deus (vt in scripturis patet) dupliciter solet peccatores punire vt conuertat: nonnunquam flagellis durissimis & confu-

confusione: Imple (inquit psalmus) facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine &c. quandoque verò subtractione gratiæ suæ, vt labantur, atque ita humiliores redeant, qui prius sibi videbantur fidere. Ita reliquit Petrum. Ita etiam in psalmo scriptum est: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Vtrunq; igitur horum ecclesia imitatur in excõmunicatione. Cùm aufert beneficia communia, & salutationem fideliũ: flagellat ad confundendum. Sic enim inquit Paulus: Vt confundatur. Dum verò suffragia orationum subtrahit, relinquit hominem suis viribus, vt sic destitutus agnoscat infirmitatem suam. Itaque & præcepto Christi & Apostolorum, & imitatione diuinæ iustitiæ excommunicatio ostenditur non crudelis, sed pia quædam medicina. Non est igitur cur stultè reprehendatur, maximè (quod inferius ostendemus) cùm indies ecclesia magis semper temperauerit seueritatem antiquam, & rigorem excommunicationis: piè semper consulens infirmitati maiori, in quam quotidie labimur.

LECTIO TERTIA.

De Excommunicatione.

COGNITA efficacia excõmunicationis, & origine atque ratione eius, dicendum est in speciali de singulis maximè quæ necessaria sunt ministris sacramentorum, idq; breuiter.

Primò igitur de caussa, propter quam excommunicatio fieri potest, dicendum. Vbi hæc omniũ certissima sententia, nullum nisi propter peccatum mortale excommunicari posse. Quod in ipso Euangelio fundamentum habet: Si peccauerit in te frater tuus &c. Et rationem etiam habet manifestam. Est maxima pœna ecclesiæ, & separatio ab his quę ex charitate ecclesiastica debẽtur, orationibus videlicet. Nullus igitur his priuandus est, qui nõ prius seipsum charitate priuauit. Quare meritò Petrus de palude (quem sequũtur ferè omnes) censet eum, qui se liberũ iudicat à mortali peccato, tuta cõscientia posse liberum etiam se credere ab excõmunicatione. Vbi itaq; dubium aliquod esset propter actum qui sub excommunicatione

Tantùm propter mortale peccatum excõmunicari quis debet.

prohibetur, si cõscientia etiam in illo actu iudicat se nõ peccasse mortaliter, securus poterit esse ab excommunicatione. Exempli caussa: excommunicatur percutiens clericum: percussit aliquis vel se defendendo, vel ioco, vel præter intentionem lædendi, quocunque modo: certè in his casibus vel similibus etiam qui non exprimuntur à doctoribus, quia meritò iudicare potest nõ fuisse peccatum mortale, nõ est timenda excõmunicatio. Quod ideo tam disertè admonemus, quia valet ad quietem conscientiæ, & ad libertatem Christianam, atque ad reprimendas etiam aduersariorum calumnias. Non injiciunt laqueos sententiæ ecclesiæ & statuta, sed omnia libera sunt & tuta syncerè in obedientia ecclesiæ agentibus. Quod verò diximus non esse excommunicandum aliquem, nisi propter peccatum mortale, de excõmunicatione certum est intelligi, quæ ob culpam præteritam infligitur à iudice & superiore. Cetertùm quando sub excõmunicatione prohibetur futurum aliquid, siue à iure siue ab homine, non est opus vt id alioqui ex natura sua peccatũ sit mortale. Potest prohiberi ab ecclesia, quod per se nec peccatum est: vt, ne clericus nutriat barbam, aut ne ingrediatur tabernam, vel ne interfit spectaculis. Et quia ea quæ prohibentur ab ecclesia, ex sola eius prohibitione peccata fiunt, maiora vel minora pro qualitate materiæ, vel intentione præcipientis (de quo alibi sumus dicturi) quidquid prohibetur sub pœna excommunicationis, intelligunt doctores sub peccato mortali prohiberi: quia grauitas pœnæ hoc indicat præcipientem voluisse. Quanquam enim sit certum, non propterea incurri excommunicationem, quia sub excommunicatione aliquid prohibetur, nisi addatur apertè, quòd ipso facto incurratur absque vlla sententia: quia tamen faciens quod prohibitum est sub pœna excommunicationis, dignum se reddit qui excommunicetur, peccat proculdubio mortaliter. Quãdo scilicet tanta est inobedientia, vt meritò excõmunicari debeat, tunc certum est peccasse mortaliter. Alioqui non quæcunque transgressio eius, quod sub excõmunicatione prohibetur vel præcipitur, mortalis iudicanda est, de quo inferius plura, cum de præceptis ecclesiæ agetur, dicenda sunt. Hoc itaq; primò certissimũ esse debet de caussa excõmunicationis. Cui secundum etiam addendum est, non minus dignum consideratione, nec minus certum: nõ pro quocunque peccato mortali excommunicari aliquem posse, nisi adiungatur etiam peccato contumacia, qua scilicet nolit parére ecclesiæ: dicente domino: Si ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus &c.

Vocant

Vocant verò contumaciam doctores, cum vel non vult cõparere in iudicio vocatus, vel sine licentia recedit, vel denique cùm non vult stare sententiæ iudicis. Rationem huius reddit beatus Thom. & reliqui. Quoniam sapientis medici est à leuioribus remedijs incipere: Excommunicatio verò grauissima omnium est pœna: quare non nisi vltimò ferenda: cùm scilicet nulla iam spes est alio remedio mederi posse infirmo. Et quanquam duo ista, quod ad causam attinet, sufficiant, vt nullus meritò cõqueri possit de excommunicatione: tamen addunt adhuc iura nonnulla alia obseruanda, quò maturius & rarius tanta pœna inferatur: quæ meritò considerandæ sunt, vt agnoscatur moderatio ecclesiæ, & consulatur etiam conscientijs & subditorum & prælatorum. Igitur Innocentius in concilio generali statuit, vt nullus nisi post trinam admonitionem excommunicetur, quam fieri præcepit coram testibus, additis rationabilibus causis, ita vt de omnibus constare possit: grauissimè hoc commendans prælatis, addita etiam pœna in cap. Sacro, de sententia excommunicationis, in decretal. Innocent. 4. etiam in concilio Lugdunensi præcepit, vt non nisi scripto feratur excommunicationis sententia, causis etiam appositis rationabilibus, quæ etiam excõmunicato ipsi tradi infra mensem debet, si petierit. Itaque his omnibus hoc agitur, vt in ferenda excommunicatione multa mansuetudine vtantur iudices. Nec est dubium grauiter peccare eos qui hæc omittunt, immo qui hæc præcipitanter obseruant, vel leuiter sententias ferunt excommunicationis. Quare semper quidem moderatione vtendum est in illis, propter duo maximè. Alterum, quod ad animarum vitandũ periculum pertinet. Aliud etiam, ad cauendam irrisionem & contemptum clauium ecclesiæ: quorum vtrunque graue malũ est, & nostris his temporibus magis cauendum, quanto facilius hęc videmus hodie committi.

Quæ seruanda in excõmunicando.

Cap. cum medicinalis &c. de sententia excõmunicationis in 6.

Circa hunc etiam articulum monent doctores de sententia excommunicationis iniusta, an obseruanda sit & timenda. Respondet b. Thom. art. 1. huius quæst. & reliqui omnes, tribus his propositionibus. Prima. Sententia ita iniusta, vt nulla sit, non est timenda nec obseruanda. Quod non est opus probari. Quod enim nullum est, nõ est quod timeatur vel obseruetur. Hoc verò potest multis de causis esse: si videlicet feratur à non iudice, vel post legitimam appellationem, vel quocunque alio modo contra ius efficiens sententiam nullam: sicut in cap. Statuimus, de sententia excommunicationis, in sexto, nulla declaratur sen-

De iniusta sententia excõmunicationis. 1. propositio.

tentia excommunicationis lata in participātes cum excommunicato, vt ibi prohibetur.

2. propos. Secunda. Sententia iniusta ex seipsa, & contra ipsa iura prolata, si non est nulla, obseruanda est humiliter, & recurrendum ad superiorem. Alioqui (inquit beatus Thomas) si contemneretur, eo ipso esset peccatum mortale. Ratio horum omnium manifestissima est. Et probatur auctoritate Beati Gregorij, quam Gratianus in cap. Sententia, 11. q. 3. citauit. Sententia (inquit) pastoris siue iusta siue iniusta timenda est. Addit tamen nō irrationabiliter Durandus distinctionem. Nam si manifestè iniusta est, in occulto & ante Deum non est cur timeatur, aut seruetur: sed coram hominibus cauendum est scandalum. Cùm verò non est manifesta iniustitia, sed dubia, tunc propriè necesse est ad superiorem recurrere. Omnia manifestissima sunt. Vbi etiam cùm dubia est iniustitia, ait ille, cui certa est & manifesta, in secreto posset non seruari.

3. propos. Tertia. Iniustitia sententiæ ex sola iniqua intentione iudicis vel testium malitia, non excusat quin seruanda sit & tenenda. Quanquam & in hoc, vbi testes falsum testificati sunt, reus cui certum est illud esse falsum, coram Deo non est cur teneatur seruare, sed propter scandalum duntaxat. Itaque in his omnibus locum habet illud Gregorij: Sententia pastoris &c. Deinde quæ sunt prohibita excommunicatis, aut alijs erga ipsos, sub quo vinculo & peccato, traditur à doctoribus: de quibus dicendum est nobis breuiter.

Quibus interdictū sit excōmunicato, & sub quo peccato.

Igitur excommunicato ipsi certum est ex supradictis prohibitam participationem omnem & in sacramentis, & in diuinis omnibus, officijs scilicet & orationibus, sed & in omnibus alijs humanis actibus, siue iudicialibus & legitimis, vt in sententia ferenda, & quocunque actu iurisdictionis ecclesiasticæ: vel secularis, vt in electione actiua & passiua, & huiusmodi alijs: denique in omnibus communibus actibus, Colloquio, Conuiuio, Salutatione &c. de quibus si quis in speciali plura videre velit, Syluester scribit in verbo, Excommunicatio 3. per totum.

Illud circa hoc præcipuè considerandum est ministris ecclesiæ, quando mortaliter peccet excommunicatus participationi horum se ingerens. Quod Caietanus & breuiter & dilucidè in summula tradit, Hadrianus in hac materia, & reliqui omnes: ex quibus sequentia habentur. Primum. Excommunicatus tradens vel recipiens sacramenta, aut diuina audiens, intentione videlicet au-

cet audiendi & communicandi illis, & vniuersaliter participans orationibus fidelium, peccat mortaliter, faciens manifestè contra grauissimam ecclesiæ prohibitionem, & reuera tanquam fur surripiens magis diuina, quæ non nisi filiorum sunt, quàm participans fructui eorum: quare est grauissimum sacrilegium. Secundum. Excommunicatus participans fidelibus in communibus illis actibus salutatione videlicet, colloquio, conuiuio, & huiusmodi alijs, non creditur peccare mortaliter. Nam hoc non directè respicit excommunicatio, quæ magis communionem christianam prohibet, quàm humanam: quanquam & hæc prohibeatur, non tamen tam grauiter, nec in vsurpatione horum grauis transgressio aut irreuerentia committitur. Tertium. In actibus legitimis & iudicialibus participatio non semper mortale peccatū iudicatur, sed (vt Caietanus rationabiliter satis credit) mortale duntaxat erit peccatū, quando vsurpatur iurisdictio. Tunc enim iniustitia fit, quæ peccatum mortale ex suo genere est. Itaque eligere, acceptare electionem, sententiam ferre, & exercere actus iudiciales, mortale peccatum est. Ceterùm sine vsurpatione iudicij alios exercere legitimos actus, non putat mortale: vt ferre testimonium in iudicio, & huiusmodi alia, quæ rei sunt aut actoris. Et in his omnibus cùm tantùm agatur de prohibitione Ecclesiæ, & intentione eius, tuta conscientia iudicari potest, quod suauius & dulcius, & minus periculi afferens conscientijs à prudentibus doctoribus iudicatur. Et hæc omnia quæ dicta sunt, de omni excommunicato maiore excommunicatione (de qua nunc agimus) siue occulto siue publico, generaliter vel nominatim, intelligenda sunt. Nam quod ad ipsum attinet excommunicatum, hæc non differunt.

Ceteris verò fidelibus qualis participatio cum excommunicatis inhibeatur, & quantum in transgressione eius peccent, est etiam meritò considerandum. Vbi tria breuiter sunt notanda. Primum, quæ sint prohibita. Quinq; itaque ex diuersis iuribus collecta notantur à doctoribus: duo spiritualia, communicatio scilicet in sacramentis, & in orationibus: reliqua tria temporalia & humana, salutatio scilicet, colloquium, & mensa. Vbi reliqua omnia humanæ societatis commertia intelliguntur, quæ non sine colloquio, salutatione, & commertio fiunt: quæ quidem omnia & ex ipsa auctoritate Euangelij, & Apostolorum doctrina patet in vsum Ecclesiæ venisse. Ioannes dicit: Nec aue ei dixeritis, nec in domum recipiatis. Paulus: Cum huiusmodi nec cibum sumere. Christus: Sit sicut ethnicus & publicanus. Vbi

Ceteri fideles quo modo & quo ad peccato vitandum tenentur excōmunicatos.

circa

circa ista diligenter traditur à doctoribus propter diuersos casus contingentes, qualis intelligatur participatio orationum, sacramentorum, vel mensæ, aut societatis humanæ: & multa specialiter traduntur, quæ mediocris iudicij arbitrio potius relinquenda sunt. Vt est illud: Si quis in eodem fortè hospitio & mensa comedat cum excommunicato, nec inuitatus ab eo, neque contrà, ipsum inuitans. Vbi certum est non esse communicationem veram voluntatum & animorum, quanquam casu in eodem loco conueniant. Propriè itaque participare mensæ, est vel inuitasse, vel inuitatum fuisse ab excommunicato, vel cum illo simul inuitatum eidem conuiuio interesse, etiam si sint diuersæ mensæ, vel etiam loca. Et hoc quidem de participatione orationum & sacramentorum sentiendum, vbi non loca cõsideranda sunt, sed actus & intentiones. Si quilibet apud se oret priuatim, etiam si propè sit excommunicatus, nulla est participatio. Si verò communis fiat oratio, vt in officio diuino, & in processionibus publicis, etiam si longè distet excommunicatus, participatur ei.

Quibus casibus liceat cõmunicare excommunicatis.

Secundum sit, quando licita sit participatio cum excõmunicatis. Quanquam enim vniuersaliter prohibita sit, concessum tamen est ad quietem cõscientiæ & consolationem tam excommunicati, quàm aliorum, in nõnullis casibus participare eidem: quos ex diuersis iuribus colligentes ponunt, Sylvester quidem in verbo, Excommunicatio 5. Caietanus & Hadrianus in 4. Sed & antiquiores etiam Theologi distinct. illa 18. Et ex antiquioribus quidem iuribus quinque colliguntur casus. Propter vtilitatem videlicet, propter matrimonij legem, propter subiectionẽ debitam, propter ignorantiam, vel necessitatem. Et in explicationem horum multa scripta sunt, de quibus vt breuiter aliquid dicamus, sequentia sunt considerandа. Primũ in vniuersum de omnibus illis, cõcessum est participare excommunicato in illis casibus equitate quadam & beneficio ecclesiæ, in hoc proculdubio explicãtis intentionem ipsam Christi, & rationem excommunicationis, quæ medicina est, non eradicatio, & in vtilitatem, nõ in destructionem ipsius excommunicati. Vndé Paulus dixit: Nolite vt inimicũ reputare, sed corripite vt fratrem. Quare nec ab eo auferenda sunt necessaria, aut vtilia (multo minus alijs fidelibus) propter excõmunicationem. In speciali igitur propter vtilitatem (qui est primus casus) spiritualem quidem, aut ipsius excõmunicati (cum scilicet propter bonum animæ eius ei participatur) vel alterius etiam qui participat eidem (si videlicet

2. Thess. 3.

egeat

egeat cõsilio aut auxilio excommunicati ad salutem animæ suę) iusta ratio postulat vt permittatur participatio. Vbi alij scrupulosius & parcius(vt ita dicamus)alijs loquuntur: sed præstat latius hoc intelligere:vt videlicet propter quamcũque vtilitatem animæ,cuiuscunque etiam alterius. Nam etiam propter vtilitatem temporalem permittitur participatio. Possum enim ab excommunicato exigere debitũ. Et demum quidquid vel illi vel alteri vtile est,nõ debet propter excommunicationem dimitti. Iuxta secundum,licet vxori communicare marito excommunicato, & marito vxori. Non putat Ecclesia vinculum illud tantũ matrimonij non solùm non dissoluendũ,sed nec impediendum ob excõmunicationem. Iuxta tertium, filij qui in potestate patris sunt,serui,famuli,familiares,coloni,& omnes subditi communicare possunt dominis & superioribus: vt monachi & clerici suo Abbati aut Episcopo:& ipsi etiam superiores suis inferioribus communicare possunt. Iuxta quartum, ignorantia excommunicationis excusat etiam participantem.Ignorantia quidem facti excusat apertè: si videlicet ignoretur aliquem imposuisse manus violẽtas in clericum, propter quod incurrit excõmunicationem. Nam de ignorantia iuris tam non vniuersaliter dicendum est,excusare:sed cum inculpabilis est ignorantia. Iuxta quod etiam vertitur in dubium, an excusetur etiam ab excõmunicatione ipsa:de quo latius disputat Hadrianus in 4.& certè satis rationabiliter dici potest, non incurri excõmunicationem ab eo, qui sine culpa ignorat promulgatam esse, etiam si fortè, quod facit, sit aliàs illicitum. Iuxta vltimum denique, propter necessitatem vitæ vel ipsius excommunicati, aut cuiuscunque alterius licet ministrare alimenta, quærere & accipere excommunicato ipsi,vel alteri ab eo. Vbi etiam quod à nonnullis in dubium vertitur, an propter vitandam mortem quæ violenter infertur, liceat communicare excommunicatis? non est opus multis tractare. Ius ipsum in cap. Sacris, de his quę vi metusúe caussa fiunt, apertè definit non excusare huiusmodi metũ participantem in diuinis cum excommunicato, vbi est peccatum mortale. Nam alia participatio nõ tanti fit,vt ex supradictis pateat.Igitur si talis adhibetur violentia,quæ vitari non possit (vt si quis contineatur vi vbi erat excommunicatus) nulla ibi culpa est,maximè cum possit animo auerti,nec intendere participationem. Sed propter comminatam mortem,aut quodcunq; aliud damnum, non est communicandum excommunicato, nec extra diuina, quanquam ibi non sit peccatum mortale: quia nec

venialiter

venialiter licet peccare in vllo casu. Isti sunt casus in quibus antiquiora iura participationem permittunt. Post hos verò omnes in concilio Constantiensi & Basilien si, ad consulendum conscientijs statuerunt quòd nullum generaliter excommunicatū, hoc est, non nominatim & specialiter, vitare tenemur, quousq; sit denunciatus nominatim: vt scilicet auferretur omnis scrupulus & occasio de aliena vita inquirendi. Vbi hoc est aduertendū, quòd nominatim excommunicati non includantur in illo Canone, vt bene Hadrianus notat in 4. De illis igitur antiquum ius seruandum est, quòd videlicet, si publicum est eos esse excommunicatos, vitandi sunt publicè: si verò occulti sunt, vitandi etiam sunt occultè, sed non publicè. Ceterùm generaliter excommunicatis & hæreticis, & similibus, non prohibemur participare, nisi tantùm ijs, qui manus violentas iniecerunt in clericum manifestè & notoriè, ita vt negari non possit. Hos enim excepit Ius ipsum. Rursum, quia hoc conceditur non vtilitatem excōmunicatorum, ipsi non excusantur participantes fidelibus. Et rationabiliter Hadrianus asserit, nō excusari administrantem sic excommunicato sacramentum Eucharistiæ. Cùm enim excōmunicatus ipse accedens peccet, tradens ei sacramentum contra illud Euangelij facit: Nolite sanctum dare canibus. Et ideo sciēter hoc agens peccat. Et idem de quocunque alio sacramento credendum, quando videlicet, & modo quo potest: & debet minister sacramenti vitare peccatorem. Hic enim excommunicatus (vt Hadrianus ipse inquit) vitandus est, non tam vt excommunicatus, quàm vt peccator: publicus verò peccator est excludendus à sacramentis, non occultus. Publico igitur excommunicato non licitè a suo parocho confertur sacramentum, aut à quouis alio sacerdote, etiam si non sit denunciatus. Non desunt qui putent in illo Concilio Constantiensi omnes notorios excommunicatos exceptos fuisse, ne scilicet illis liceat communicare: sed hoc non putatur à pluribus. Igitur priuatis hominibus non ingeramus de hac re molestiam, etiam cum publicè excommunicatis, non tamen nominatim vel denunciatis. Administrantes tamen sacramenta meritò debent hæc cauere. Tertiò denique circa participationem cum excommunicatis est sciendum, quale sit peccatum, mortale scilicet an veniale, quando extra casus licitos eis participatur. Vbi primò illud certum est omnium consensu, quòd in diuinis participatio sit peccatum mortale: non solùm in sacramentis, sed etiam in orationibus & ecclesiasticis officijs. Hoc enim est contra grauissimam

simam ecclesiæ probationem, & sacrilegium in irreuerentiam maximam rerum maximè sacrarum: & denique vsurpatio bonorum quæ commissa sunt dispensationi Ecclesiæ, contra eius voluntatem. In alijs verò omnibus quæ prohibita diximus, vt in mensa, vel in salutatione, & denique quibuscunque alijs, quanquam diuersimodè loquantur doctores, tamen etiam & hoc tutò teneri potest, solùm esse peccatum mortale, cùm participatur excommunicato in crimine ipso propter quod est excommunicatus. Tunc enim & per se hoc est peccatum, & habet specialem deformitatem propter ecclesiæ prohibitionem. Secundò etiam est mortale, cùm participatio fit in cõtemptum ecclesiæ, clauium eius, siue iudicis ipsius: & denique, cùm excommunicantur etiam participantes ei. Extra hos casus beatus Thomas suprà dicto loco ait solùm esse peccatum veniale, quod sequuntur alij ferè omnes. Estque huius ratio, quoniam nimium esset durum & cõscientijs periculosum, si ecclesia sub peccato mortali hoc prohiberet. Cæterùm an scienter participare in his, vel frequenter, sit mortale (quod nonnullis videtur) & vt Durandus inquit, quando participatio est effrenis: an tunc dicendus sit in contemptum id agere, non est scrupulosius tractandum: solùm cùm ex contemptu & vilipensione ipsius sententiæ, non ex alia infirmitate aut defectu participatur, dicendum est ex contemptu fieri: vel certè cùm probabiliter iudicari potest, venturam excommunicationem in contemptum ex illa participatione: alioqui quantũuis sciens & frequenter quis participat excommunicato, non est iudicandus peccare mortaliter. Et hæc quidem satis circa hunc articulum participationis cum excommunicato.

LECTIO QVARTA.

De Excommunicatione.

IAM de potestate excommunicandi & absoluendi, atq; de absolutione ipsa ab excommunicatione est agendum. Circa primum igitur hæc est beati Thomæ sententia suprà dicta quæst. & aliorum theologorum dist: 18. quarti. art. 2. Excõmunicare quanquam sit actus clauium, non tamen est actus ordinis, sed iurisdictionis fori exterioris Ecclesiastici, in quo scilicet (vt Durandus inquit) agitur de puniendo vel remittendo peccato, non coram Deo, sed coram ecclesia. Igitur solus ille excommunicare

Quis habere possit excõmunicare

candi potestatem.

care potest, qui iudex est, & iure vel consuetudine potestatem habet excommunicandi, siue sacerdos sit, siue non: vt archidiaconus, aut electus episcopus, siue vicarius eius, etiam (inquiunt) si non sit ordinatus, quanquam laico omnino & vxorato hoc propriè nec conuenire, neque cõmitti possit. Circa hoc tamen specialius, quid iura & doctores habeant, refert Siluester in verbo, Excommunicatio. 1. Notat circa hanc potestatem b. Thom. art. 3. quæst. 2. supràdicto loco, quòd scilicet, quia iurisdictionis est, & vim quandam coactiuam habet, non potest in superiorem exerceri vlla ratione, nec in seipsum ab aliquo. Papa itaq; à nullo iudice excommunicari potest. Sed nec Rempub. aliquam, siue communitatem iura permittunt excommunicari, vt habetur cap. Romana, de sententia excommunicationis, in sexto. Potest tamen excommunicatus rursum excommunicari.

De absolutione ab excõmunicatione.

Iuxta hoc similiter de potestate absoluendi dicendum est. Constat enim & eam ad iurisdictionem pertinere fori exterioris, sicut & excommunicationem. Dicit tamen beatus Thomas prædicto loco, quantum attinet ad excommunicationes iuris, posse proprium confessorem siue parochum absoluere ab omnibus, nisi expressè reseruentur superiori. Et hoc tandem est, quod habet communis sententia, vt Caietanus in summula, in verbo, Absolutio, de excommunicatione: & Siluester in verbo, Absolutio, primò & secundò, dicunt. Concessione enim iuris ipsius hoc permissum est illis, quibus absolutio à peccatis. Vbi etiam ostenditur pia ecclesiæ cura. Pluribus enim dedit posse absoluere, quàm excommunicare: vt scilicet facilius illud fiat, quàm hoc. De modo verò absolutionis ab excommunicatione, & seruandis in illa, sunt sequentia diligenter notanda confessoribus. Primò quatuor esse, quæ iura præcipiunt obseruari, quæ tradit Siluester in titulo, Absolutio, tertiò: videlicet vt præmittatur iuramentum de parendo mandatis ecclesiæ, idque in grauioribus peccatis (cum scilicet propter illa excommunicatus absoluitur) obseruari debet. Deinde fiat integra satisfactio iniuriæ vel damni illati, si fieri potest: aut detur cautio quàm magna dari potest: depositis scilicet pignoribus, aut datis fideiussoribus, vel saltem præstito iuramento de satisfaciendo, si aliud fieri non potest. Tertiò psalmus requiritur cum orationibus & verberatione, nisi propter honestatem hoc relinquatur. Vltimò denique subiungi debet admonitio salutaris & exhortatio: ac præcipuè danda sunt mandata salutaria omni, qui absoluitur. Hæc quidem iura statuunt seruare, nec tamen omnia æqualiter necessaria sunt.

De quo

De quo iuxta supradictos notandum est secundò, duplicis generis esse hæc: alia cæremonialia, alia iudicialia. Prima igitur non vt essentialia intelligenda sunt præcipi, sed vt ad solennitatem pertinentia. Omissio igitur illorum non reddit nullam absolutionem: quanquam (inquit Caietanus) peccet illa sine ratione omittens. Hæc verò sunt psalmus, orationes, & verberatio: nec tamen mortale peccatum facilè est iudicandum hæc omittere. Iudicialia verò (vt satisfactio, & reliqua quæ dicta sunt) si omittantur contra iustitiam fit, & ideo erit mortale, nisi in re fortè parua. An verò absolutio teneat, an nõ, in dubium verti potest. Vniuersaliter illud certum est, nullã esse absolutionem in duobus casibus: cùm scilicet cui committitur vt absoluat sub certa forma, illam omittit: & cùm ius ipsum, aut superior declarat nullam esse absolutionem aliter factam: sicut Sixtus quartus in extrauaganti, Etsi dominus nullam pronuntiat absolutionem ab excommunicatione in quibusdam casibus, etiam in articulo mortis, nisi præmissa satisfactione, vbi fieri debet. Ceterùm in omnibus alijs, cùm absolutio fit omissis ijs, quæ obseruari iubentur, quando sit nulla, Caietanus in Summula in titulo, Absolutio ab excommunicatione, putat tutius fore, omissis alijs perscrutationibus, vt, cùm absolutio fit tantùm cõtra ius tertij, hoc est, cùm omittitur quod debitum erat alteri, satisfactio scilicet &c, valere censeatur absolutio, etsi omittens peccet. Cùm verò fit contra ius constitutionis, hoc est, cùm omittitur quod ius potestatem absoluendi tradens præcipit obseruari, reputetur nulla. Sic enim definitur cap. Venerabilibus, de sententia excommunicationis, in sexto: valere scilicet absolutionem contra ius tertij, non contra ius constitutionis. Quæ meritò inquit Caiet. obseruanda esse confessoribus. Duplex enim imminet illis periculum peccandi vel absoluendo, vel frustra & inanem faciendo absolutionem, ex omissione horum.

Absolutio à peccatis & ab excõmunicatione cõseruntur.

Petit hic locus, vt, quàm sit necessaria absolutio ab excommunicatione ante absolutionẽ à peccatis, dicamus. Illud enim certissimum est, & ex supradictis patet, quòd cùm in absolutione à peccatis sacramentũ tradatur, cuius non est capax excõmunicatus, non potest sine graui peccato impendi illi. Vtrum verò nulla sit absolutio à peccatis & sacramentũ ipsum pœnitentiæ excommunicato collatum, communis certè ferè omnium, qui de hac re loquuti sunt, recentiorum doctorum sententia fuit, nullam esse. Et inter ceteros hunc ponunt vnum casum iterandæ confessionis, cùm scilicet facta est ab excommunicato, & ab eo

ita permanente susceptа absolutio: adeò vt Sylvester apertè idē dicat etiā in excōmunicato minori excōmunicatione in verbo, Excōmunicatio 4. Neq; ex cōstitutione concilij Constantiensis putant quidquā conferri excōmunicato. Quanquā enim ibi permittitur cōmunicatio cum excōmunicatis, etiā in sacramentis, extra duos casus (propter quod superius diximus posse ab excōmunicato susci pi sacramentū hoc pœnitentiæ) tamē quia constitutio illa vult nihil in fauorem excōmunicati fieri: nō dubium est peccare illū, qui absoluit à peccatis excōmunicatum: vt Caiet. notat & Hadrian. vt superius diximus. Et eadē ratione absolutio à peccatis nulla esset, si ante illlā constitutionem nulla erat. Quanquam igitur fuerit multorum sententia nullā esse absolutionem excommunicato impensam, quia tamē nulla est ecclesię de hoc definitio, nec certa ratio: magis in contrariū putamus tutò teneri posse Caiet. sententiā, quā ille in titulo, Absolutio à peccatis, inter impedimenta absolutionis tenet: absolutè videlicet non esse nullam absolutionem à peccatis, sicut nec alia sacramenta excommunicatis collata non sunt nulla. Si enim excommunicatus aut cōfirmatur, aut ordinatur, non sunt repetenda hęc sacramēta: ergo neq; cùm absoluitur. Absolutè itaq; nō est nulla absolutio. Quantum verò ad fructum absolutionis attinet, si scienter quidem excōmunicatus absolui petat, certū est ipsum grauiter peccare in ipso sacramento, atq; ita obicem ponere, nec vllū consequi fructū, immo sacramentum nullum esse, iuxta illa quę superius notauimus de fictione: quare in hoc casu repetēda est absolutio. Ceterū si ex ignorātia aut obliuione inculpabili peteret absolui excommunicatus, etiā si postea cōstaret, nō propterea sine fructu sacramēti credendus est fuisse: multo minus repetenda est confessio, & propter hoc, obliuionē scilicet vel ignorantiā, cōsultū est, vt semper ante absolutionē à peccatis præmittatur absolutio generalis ab excōmunicatione, quatenus se extēdit potestas absoluentis: tam (inquā) à maiori, quàm à maiori. Ita enim suppletur hic defectus, etiam si fortè illorum piorum doctorum sententia vera esset.

De forma absolutionis ab excommunicatione.

Vltimò deniq; circa absolutionem hanc ab excōmunicatione non est omittendum, quòd cùm hæc non sit sacramentalis, sed iudicialis potius, non habet certam formam præscriptā verborū, sed quibuscunq; verbis intentione absoluendi cōsummatur: siue dicatur restituo te Ecclesiæ, aut reconcilio, siue etiam, benedico. Quanquam magis proprium sit & cōmunius in vsu, vt verbo absoluendi vtamur, sicut in absolutione à peccatis:

quod

quod consentaneum est Euangelio: Quidquid solueritis &c. Matth.18. Ibi enim de excommunicatione sermo est.

Circa absolutionem hanc & totã excõmunicationis materiã id solùm nunc restat, vt admoneamus necessariũ esse cõfessori, vt casus excõmunicationis iuris, qui videlicet aut in communi iure, aut in constitutionibus Diœcesium promulgantur, teneat. Cùm enim non possit absoluere à peccatis excommunicatum, opus est vt sciat quãdo quis sit excommunicatus. Sed illud etiã cognoscere debet, cui sit reseruata excõmunicatio. Cùm enim (vt ex supradictis patet) si non est reseruata absolutio Papæ vel Episcopo, intelligatur permissa ordinario confessori, necesse est, vt nouerit an possit absoluere, an verò remittere debeat ad superiorem. Nec dubium est quin duorum horum ignorantia graue sit peccatum in eo, qui communiter audit confessiones. Posset enim aliquando suppleri hoc ex qualitate eius qui confitetur, qui nosse non potest an sit excommunicatus: communiter tamen id necessarium est, non quidem vt omnia in speciali: quæ ad hoc pertinent, in promptu habeat confessor: sed ita nouerit illa, vt auditis peccatis vel dubitare possit, & facilè consultis libris vel doctoribus agnoscere, an propter illa peccata incurratur excommunicatio, an non. Nam de excommunicatione quæ fit à iudice, interrogandus est in speciali quilibet pœnitens. *Casus excõmunicationis quatenus noti esse debeãt confessori.*

Circa hoc igitur scripta sunt multa ab his, qui cõfessores instruunt: & quidem b. Thom. supràdicto loco sex tantùm aut septem retulit excommunicationes reseruatas papæ: postea sunt multæ aliæ, quas necesse est cognitas esse, maximè quæ sunt iã receptæ. Syluester in verbo, Excommunicatio, 7.57. excommunicationes refert reseruatas papæ: & eodem verbo 9. 49. nulli reseruatas. Itaque sunt omnes 106. quas ibi refert. Episcopo verò eodem verbo 8. nullas putat reseruatas, nisi quas ipse specialiter reseruat sibi, aut papa illi. Caietanus verò in verbo Excommu. diligenter totidem ferè computat excommunicationis sententias: vltra 80. videlicet: explicans etiam dubia quæ circa illas possunt esse. Hos duos putamus in his locis legendos esse ei, qui vult integrè de his edoctus esse & tutus. Certè in his sentẽtijs multa sunt quę rarò euenire possunt, & quædã nunquã extra curiã Romanam, vel nõ nisi monachis, aut certis alijs personis contra quas promulgantur: denique omnes illæ sententiæ ad certa capita reduci possunt, vt ita, si non in speciali, saltem in genere memoria teneantur. Hęc igitur de *De casibus excõmunicationis.*

excommunicatione maiori sufficiant.

De minori excõmunicatione.

Restat vt de minori excommunicatione, quam vocant, parua dicamus. Est igitur hæc separatio à passiua tantùm communicatione sacramentorum. Quod cùm ius ipsum apertè testetur, non est cur vltrà dubitemus. Videatur cap Si celebrat, quod est vltimum, de clerico excommunicato ministrante, in decretalibus. Quanquam igitur dubitauerint aliqui (vt Syluester refert) an indictus sit ingressus ecclesię, & communio orationem excommunicatis minori excommunicatione: ius illud apertè dicit passiuam participationem sacramentorum interdictam esse. Potest igitur sic excommunicatus ecclesiam ingredi, & participare omnibus officijs & orationibus: immo sacramenta ipsa conferre, & exercere omnes actus ecclesiasticę iurisdictionis, vt eligere, absoluere ab excommunicatione maiore vel minore: ita vt duobus excommunicatis minori, vnus possit alterũ absoluere. Peccat verò mortaliter sacrilegij peccato (vt Caiet. inquit) recipiens quodcũque sacramentum. Quod verò Syluester in verbo, Excommunicatio 4. vbi de hoc loquitur, in principio addit, absolutionem à peccatis susceptam à tali nullam esse, & iterandam cõfessionem, non est cur tam scrupulosè acceptemus, cùm superius dictum sit ratam esse absolutionem excommunicato maiori excommunicatione impensam. Peccat etiam minori excommunicatione ligatus consentiens electioni: immo & ipsum eligentes, vt ius illud suprà citatum apertè dicit, præcipiens cassari electionem sic scienter factam: quoniam (inquit) eligitur ad illa suscipienda sacramenta, à quibus suspensus est. Ex his itaque ostensum est, quantum hæc excommunicatio à maiori differat: & ad quid ipsum excommunicatum, vel alios fideles obliget, & sub quo peccato. Hæc enim necessaria sunt sacramentorum ministris.

Quando incurratur minor excõmunicatio.

Iam verò quando incurratur hæc excommunicatio, & de absolutione ab illa, breuiter explicari potest, quod attinet ad ipsa iura communia. Refert Syluester suprà dicto loco nonnullos casus, quibus incurritur hæc excõmunicatio. Et tandẽ est nonnullorũ sententia, ex omni peccato mortali notorio incurri Cũ enim omne tale peccatũ indignũ reddat participatione sacramẽtorũ. si notoriũ est (inquiẽs) etiã quò ad ecclesiã suspendit ab illo. Tamen post declarationẽ Concilij Constãtiensis certè omnibus cõfideratis, tutò credere possumus, tantũ incurri hãc excõmunicationem ex participatione cũ excõmunicatis: ex participatione (inquam) illicita, hoc est, vel cùm nominatim excommuni-

municati sunt, vel denũciati, extra casus illos in quibus permittitur participatio: vel etiam per participationem cum illo, qui manus violentas iniecit in clericum, & excommunicationem incurrit tam apertè, vt nulla possit tergiuersatione celari. Hunc enim Concilium Constantiense declarauit vitandum sicut nominatim excommunicatum. Igitur ex his iũctis superius dictis colligе apertè, minorem excommunicationem sine peccato mortali incurri, & iustè propter minora peccata infligi. Nam participatio extra diuina cum excommunicatis maiori excommunicatione non est mortalis. Sicut igitur sine peccato mortali incurritur, ita nec per omne mortale, etiam notorium putandum est incurri. Siquidem pœna est etiam excommunicatio minor ecclesiastica, & censura, quam non nisi cùm ab ecclesia imponitur, putandum est incurri. Est itaque peccatum mortale impertinens excommunicationi minori: nec iure extra participationem supràdictam incurritur. Ceterùm non est dubitandum posse imponi à iudice siue per constitutionem, siue per sententiam: quod in speciali opus est in qualibet diœcesi cognoscere: an videlicet aliquid sub pœna minoris excommunicationis præceptum sit.

De absolutione à minori excõmunicatione.

Absolutio verò ab hac excommunicatione nulli negata est, cui conceditur absolutio à peccatis mortalibus. Quoniam itaq; absolutio à peccatis venialibus nullam potestatem iurisdictionis requirit, cùm propter illa nulli iudicio ecclesiastico, etiam pœnitentiæ, sumus subditi, à quolibet sacerdote possunt remitti: sed non quilibet potest à minori excommunicatione absoluere. Huius enim absolutio iurisdictionem requirit. A mortalibus verò nullus absoluit, nisi iurisdictionem habens, vel ordinariam vel delegatam: & omni tali concessa est absolutio ab excommunicatione minori. Itaque vt omnis auferatur dubitatio de absolutione à peccatis impensa ligato excommunicatione minori, consultum est (sicut de excommunicatione maiori suprà diximus) vt ante absolutionem sacramentalem, immo ante collationem cuiuscunque sacramenti, sicut ante electionem vel confirmationem absoluatur hæc susceпturus à minori excommunicatione: & hoc quidem generaliter, sicut à maiori diximus absoluendum, quantum se extendit potestas absoluentis: Hæc igitur de excommunicatione minori dicta sufficiant: atque ita de tota excommunicationis materia.

LECTIO PRIMA.

De *Indulgentijs.*

VLTIMO loco circa claues ecclesiæ & sacramentum pœnitentiæ dicendum est nobis de indulgentijs seu remissionibus, quæ in Ecclesia conferuntur, contra quas aduersarij Ecclesiæ acerrimè clamant, Lutherus præcipuè: qui hinc cœpit omnem illam tragœdiam, quæ hodie tam miserabiliter Germaniam vexat, atque vtinam non magnam aliam partem Christiani orbis. Nos igitur in hac materia vt tanto modestius & temperantius loquamur, dignum est, quanto illi efferatius & turbulentius loquuntur. Primò igitur quid certa fide de ijs tenendum sit, & quibus auctoritatibus & rationibus, dicendum est: sicut superius de purgatorio, suffragijs, & excommunicatione diximus: vt deinde ad ea, quæ circa earum vsum necessaria sunt cognitu, & quæ ministros sacramentorum conuenit scire, accedamus. Et quidem hunc locum attingunt theologi nostri dist. 20. quarti: & hoc tempore multi recentiorum in specialibus suis libellis de hoc editis contra Lutherum, vt Siluester & Caietanus, & multi alij.

Quibus argumentis cõfirmentur indulgentiæ.

Vt igitur (sicut dictum est) quàm modestissimè de hac re loquamur, & quidem certissimè: hoc ante omnia statuamus fundamentum. Etsi de indulgẽtijs in speciali nulla habeamus scripturæ sacræ, atq; primæ ecclesiæ certa & manifesta testimonia: nihilominus tamen habemus pontificum Romanorum, & conciliorum talia & tanta testimonia, vt ex eis meritò ostendatur semper eas in ecclesia agnitas fuisse, & in vsu habitas: habemus etiam catholicę ecclesię consensum, cui sine hęresis nota contradici nõ potest: deniq; & ex fide, & scriptura tã probabiles rationes, vt meritò illis præter pertinaciam maximam contradici non possit: quæ omnia nunc sigillatim probanda sunt & explicanda. Primum igitur quod dicimus, non esse videlicet aperta testimonia scripturę de indulgẽtijs, donamus aduersarijs: & admonemus necessariò ex eo catholicos, vt non innitantur nec ad credendum, nec ad disputandum cum hæreticis, minus certis testimonijs, ex quo frequenter fit, vt apud maleuolos fides catholica pateat irrisioni, & simpliciores incutrant graue scandalum.

lum. Possemus vrgere locum illum & Petro & Apostolis dictũ: Quidquid solueritis super terram &c. Et rursum illud: Quorũ remiseritis &c. & dicere loca illa vniuersalia vniuersaliter etiam esse susciepienda, de omni videlicet solutione & remissione peccatorum, vel secundum culpam vel secundum pœnam (nam hęc duo patet ex præcedentibus distingui) nec potest certa ratione huic contradici sensui. Cur enim ad specialem aliquem modum remittendi peccata aut ab eis soluendi contrahendus est ille locus? Sed tamen ne contentiosè agamus, fatemur ex eo loco in speciali de ratione indulgentiarum non posse nos quidquam certò asserere: constitutis autem & probatis illis aliunde, verè tunc de eis exponi potest. Sed nisi aliunde constaret: quoniam multipliciter exponitur, & de remissione in communi, & non de certa quadam loquitur: non est cur ex eo loco conuincere velimus, aduersarios maximè: cùm nec hoc sit necessarium ad confirmandum, quòd certa fide tenendum sit. Addimus etiam secundum: quod scilicet nec antiquæ & primæ ecclesiæ habeamus certa testimonia. Idque consultò etiã facimus ob easdem rationes: ne videlicet innitamur dubijs & incertis fundamẽtis. Fatemur duo hęc esse precipua confirmãdæ fidei fundamenta: scripturã scilicet & traditionem Apostolorũ, cui attestatur antiquæ & primæ ecclesiæ auctoritas. Istam etiam fatemur in hac materia nos non habere: sed nec propterea inferri potest, hoc ad fidem nõ pertinere. Iam igitur quæ sint huius fidei, quam de indulgentijs habemus, fundamenta, audiamus. Tria igitur consequenter adducimus, quibus ad hoc credendum innitimur: auctoritatẽ scilicet ecclesię Rom. & conciliorũ: deinde cõsensum vniuersalis ecclesiæ: vltimò deniq; rationes ex fide & scriptura probabiles, & necessarias quidẽ nõ proteruientibus. Hęc igitur tria simul nulla ratione negari possunt sine grauissimo peccato heresis: nec certè aliquod ex duobus illis priorib⁹. Nam Rom. ecclesię & cõciliorũ auctoritas in dubijs fidei certissima est regula, dicẽte Christo Petro: Confirma fratres tuos: Et hoc ipsum agnouerũt omniũ ferè nationũ cõcilia: Cyprianus & Athanas. de quibus non est opus multa loqui: Confitentur hi ad Rom. ecclesiã cõfugiendũ esse in dubijs fidei, & apud eã semper fuisse Apostolicã traditionem tenacissimè seruatam. Concilia verò vniuersalia semper in ecclesia fuerunt habita vt vltima iudicia dubiorũ fidei. Iam igitur quid hæc de indulgentijs nobis dicãt videamus. Primò igitur in iure extat tit. de pœnit. & remiss. in quo habemus de indulgẽtijs ante 300. & 400. annos mentionem,

Trib⁹ medijs probantur indulgentiæ.

Rom. Ecclesiæ testimonia de indulgentijs.

nem, non quasi de re aliqua noua & inaudita, sed consueta iam & certa in ecclesia. Alexander 3. ante 400. plus minúsue annos Archiepiscopo Cantuariensi scribit de remissionibus (sic enim vocat) quæ fiunt in dedicationibus ecclesiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium: hæc in cap. Quod autem, de pœnit. & remiss. in decretalibus. Post illum Innocentius 3. doctrina & vita dignus pontifex, in concilio vniuersali Lateranensi magnæ quidem auctoritatis, formam scribit, qua Rom. ecclesia indulgentias concedit, atque indiscretas & superfluas prohibet, præscribens certum numerum dierum, quos episcopi concedere possunt in dedicationibus ecclesiarū: ita habes in cap. Cùm ex eo. eodem titul. in decreta. cap. 62. supradicti concilij Lateranensis. in eodem etiã cap. 60. prohibet abbatibus indulgentias concedere. Supradictam itaque moderationem indulgẽtiarum tanti postea fecerunt sequentes pontifices, vt Honorius 3. in cap. Noster, eodem tit. permittens Episcopo indulgentiarũ literas cõcedere, ita tamen (inquit) vt generalis concilij statutũ non excedas. Innocentius etiã 4. (vt habes eodem tit. in 6. lib. decret.) in concilio etiã generali Lugdunensi de eadẽ re mentionẽ faciens, etiã præcipit ne excedat statutũ illud. Vide in his primò indulgentiarũ vsum non tanquã recens tunc inuectũ in ecclesia, sed certum & antiquum: deinde Rom. Pont. diligenter cauere, ne indiscretæ & superfluæ fiant indulgentiæ: & hoc in duobus generalibus concilijs. Qui ergo eas ita moderabãtur, nónne si agnoscerent incertas esse, facilius tollerent? Cùm igitur constet ante 400. annos iam fuisse receptas: si quæramus diligenter quãto ante hos annos tempore, certè inueniri non potest. Creditur, & ex quibusdã antiquis titulis colligũt nõnulli, Greg. 1. sanctissimum, & multo antiquiorem his omnibus, concessisse nonnullas indulgentias: nec certè ille hoc ausus fuisset, nisi antiquiora habuisset exempla. Nonne igitur hoc ostendit semper fuisse in ecclesia, & incepisse ab ipsis Apostolorũ discipulis? Nec enim credibile est, si ab aliquo sine exẽplo antiquiori cœpissent dari, defuturos multos, qui se opponerẽt & contradicerent quasi rei nouæ. Sed quia nunquam hęc in cõtrouersiã venerunt, nihil mirandũ si non est facta specialior mentio. Certè cùm primùm abusus aliquis circa eas cœpit, videmus in cõcilijs generalibus sublatum illum fuisse per legem: quomodo ergo ab eis non omnino tollerentur si incertæ essent?

Conciliorũ testimonia de indulgẽtijs.

Habemus itaque quàm sit probabile, in prima ecclesia fuisse indulgentias: in qua quia districtissimè seueritas illa satisfactionum

num custodita est, nihil mirum si rarissimæ fuerint indulgentiæ & remissiones, quas postea infirmitate hominum crescente, & relaxata magna ex parte seueritate, videmus multò ampliores. Credendum tamen est concessas aliquando fuisse, cùm & Pauli habeamus exemplum, donantis Corinthio illi peccatum: immo & probantis quod ecclesia Corinthi donauerat, peccatum scilicet: Cui aliquid donastis (inquit) & ego. Hoc ergo exéplo & testimonijs istis meritò credimus in prima illa & antiqua ecclesia id factum esse, vt infirmis, ne omnino deficerent, indulgeretur aliquid pœnæ, non quidē vanè, sed verè corā Deo: dicente Christo: Quidquid solueritis &c. Vniuersaliter enim locutus est. Habemus etiā de indulgentijs duorū vniuersalium cō ciliorum certā fidem, in quibus cùm sit vniuersalis ecclesia, habemus iam & ipsius consensum, quæ est columna & firmamentum veritatis, quæ tota errare nulla ratione permittitur à Christo. Quod vt apertius fiat, illud etiā luce clarius est, à tempore horum duorū conciliorum doctores omnes ecclesiarū, & prælatos atq; pastores indulgentias tanquam rem certā docuisse & credidisse, quos manifestū est populo omnes sequi debere. Hic est igitur iam per trecentos annos totius ecclesiæ consensus. Circa quem hoc est etiam attentè aduertendum, quòd cùm nō solùm prima illa ecclesia, sed & recentior, & præsens ista habeat hanc Dei promissionem, quòd portæ inferi non præualebunt aduersus eam, ex qua necesse est, vt nec vno quidem die tota ecclesia, hoc est, vniuersitas prælatorum & doctorum, & populorū qui eos sequuntur & permanent in vnitate, aliquod dogma fidei habere posit, quod sit falsum: nō est opus vt ad probādum aliquid fidei esse, ostendatur ab Apostolis vsque ad nos semper creditum in ecclesia: satis est quòd aliquando tota ecclesia illud certa fide teneat, maximè cùm antiqua non contradicit (vt in hac materia est manifestum) cùm potius valde probabile sit consensisse, quamuis non sint certa testimonia. Id quod credimus ideo contigisse, quòd non fuerint tam frequentes indulgentiæ in illa tanta seueritate antiqua: deinde quòd non fuerit vlla orta controuersia circa illas. Primus quē legimus cōtradixisse fuit Ioānes VVikleph, qui apud Bohemos primus docuit nō esse credendum indulgentijs: qui cùm in multis alijs à Catholicæ ecclesiæ sensu tam lōgè dissensit, & ab ipsa vnitate sese subtraxit, hoc ipso magis cōfirmat veritatem indulgentiarum. Sed & ecclesia ipsa mox in illo concilio Constantiensi inter ceteros eius errores hunc etiam articulum damnauit: Stultum esse credere

Consensus ecclesiæ de indulgētijs.

Primus hostis indulgētiarū Ioan. VVikleph.

dere indulgentias, vt patet sessione 8. Deinde nostro hoc seculo Lutherus omnium, qui vnquam fuerunt hęreticorum superbissimus & pertinacissimus, inter ceteras Bohemi illius damnati, quas suscitauit, pestes, etiā & hanc contra veritatem indulgentiarū euomuit: immo illā primùm omnium, ex qua in reliquas ferè omnes deuenit: vt hinc etiā appareat, quàm sit cōtra veritatem fidei & ecclesiæ indulgentias negare, quas negantes hoc ipso mox in apertiores multo errores labuntur. Ecce Luther us, qui primò cœpit nonnihil detrahere indulgentijs, deinde eas apertè negare: mox ad hoc confirmandum, nullum thesaurum ex satisfactionibus sanctorum dixit esse in ecclesia: deinde omnem satisfactionem, omne opus bonum ad iustificationem dixit non esse necessarium, sed sola fide illam suscipi: & qui primò videbatur esse parcior in remittendis vel culpis vel pœnis pro eis debitis, dum non voluit Romanum pontificem posse aliquid de eis auferre: postea tam largus fuit, vt negauerit purgatorium & pœnam omnem post remissam culpam, atque ita nullam indulgentiā esse necessariam, quia nullā pœnam reliquā esse dixit remissa culpa. Vbi vides quot iam, & quàm contrarios sibi errores pepererit illi negatio indulgentiarum: videlicet, nullam Deum exigere satisfactionem pro peccatis: nullū bonum opus apud Deum vel meriti alicuius vel valoris esse, immo omnia esse peccata: sola fide reputari hominem iustum apud Deum: denique nullum esse purgatorium: nec certè quidquam aliud curandum in ecclesia, quam vt prædicetur Euangelium & credatur, quo negotio nulla mala imputantur. Quæ si bene discutiamus, inuenietur in eis, in vtroq; quidem extremo & oppositō mira nimietas: hinc vult omnia esse peccata, nullū bonum esse in nobis: vbi quantum deijcit humanā naturam, & reuera diuinam ipsam gratiā, quæ nihil boni in nobis operatur iuxta eū? In altero extremo pro his omnibus malis, quæ in nobis sunt, nullam pœnitentiæ afflictionem, nullam satisfaciendi curam, sed vt credamus duntaxat omnia nobis remitti, requirit. Sed hæc interim omittamus: errores eius contra indulgentias dānauit Leo decimus in bulla: iustè quidem, & secundum Ecclesiæ Romanæ consuetudinem contra eum post legitimam vocationem & admonitionem, atque expectationem, & intolerabilem ipsius proteruiam promulgata In ea igitur 6. articuli cōtra indulgentias damnantur: inter quos hic est: Seducuntur, qui credunt indulgentias esse salutares. Similiter & alter, quòd non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis debitæ apud diuinam

nam iustitiam. Alius etiam, quòd etsi sint licitæ, non expediunt tamen: quos postea ipse etiam auget, damnandas esse omnes indulgentias asserens, edito libro contra hanc condemnationem Papæ: cui respondit pijssimus & doctissimus martyr Iohannes Roffensis Episcopus, hos similiter errores de indulgentijs cum ceteris efficacissimè refellens. Habemus itaque ex his verum consensum ecclesiæ catholicæ de fide indulgentiarum. Iam restat, ne quid desit, vt ostendamus etiam, quàm apertis rationibus ex fide & scriptura sumptis, has probauerint catholici doctores.

Indulgētiæ cōfirmātur rationibus ex fide & scriptura sumptis.

Igitur sic ostendunt auctoritatem concedendi indulgentias, & thesaurum, atque (vt ita dicamus) diuitias ecclesiæ, vnde ille dispensatur. Primò enim illud certum est & superius probatum, posse vnum membrum Christi & Ecclesię pro alio satisfacere, ex intentione qua satisfactoria sua opera alteri communicat, agente hoc vnione charitatis: Deinde constat primò Christū passione sua & satisfeciſſe & meruisse sufficienter pro omnibus, non tantùm qui salui fiunt, sed etiam qui damnantur, remissionem omnium peccatorum: & tam copiosam illam redemptionem esse, vt nullus sit terminus, sed (vt inquit Ioannes) ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non tantùm pro nostris, sed etiam pro totius mundi, immo pro infinitorum etiam mundorum, si fas est dicere, peccatis: Præterea constat sanctorum plurimos multas passos esse pœnas satisfactorias pro peccatis, & voluntariè etiam subijsse, qui tamen aut sine grauioribus peccatis vixerunt, aut si qua commiserunt, minima satisfactione exolui poterant: quòd apertè scriptura ipsa testatur: de Christo quidem Ioannes, vt diximus: de alijs sanctis, Iob: Vtinam appenderentur peccata, quibus iram meruì, & calamitas quam patior, in statera: quasi arena, maris hæc grauior appareret. Non quòd murmuraret contra Deum is, de quo testatur ipse, quòd nō peccauerit labijs suis, & quòd rectè fuerit locutus: sed quòd apertè diceret se non purgari à peccatis pœnis illis, quia non commiserat, vt amici falso opinabantur. Id igitur de Apostolis omnibus, de innumera turba sanctissimorū martyrum, de multitudine immensa Anachoretarum & monachorum sentiendum est, quorum multi, & omnes ferè magnam vitæ partem absque vllo grauiori peccato egerunt in ieiunijs & vigilijs tantis, vt absque dubio excesserint incomparabiliter omnem pœnam debitam peccatis suis. Rursum, cùm hæc paterentur aut agerent tanquam Ecclesiæ membra, cupientes haud dubiè

Iob. 6.

dubiè cõferre eccleſiæ & congregationi fidelium omnium, tam præſenti quàm futuræ, quidquid poſſent: quis dubitabit hanc ſanctorum mentem gratam Deo fuiſſe atque ita acceptam, vt nihil in eorum operibus fuerit, quod alijs prodeſſe poſsit, quod diuina iuſtitia non acceptauerit pro alijs. Quod verbum illud Pauli apertiſsimè confirmat: Quæ deſunt (inquit) paſsionum Chriſti, adimpleo in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Ex quo certè verbo, & altero Iob, apertè oſtenditur repoſitum eſſe coram Deo immenſum hunc theſaurum ſatisfactionũ Chriſti & ſanctorum omnium, excedẽtium in immenſum proculdubio pœnam peccatis omnibus debitam. Si enim peccata malorum apud diuinam iuſtitiam recondita ſunt, dicente ipſo: Nonne hęc recõdita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? quanto magis ſanctorum merita reſeruata ſunt apud Deũ, profutura omnibus? cùm pronior ſit ad præmiandum, quàm ad puniendum: ad miſericordiam, quàm ad iram. Apud quem ſicut nullum malum impunitum: ita nullum bonum irremuneratum. Non deſunt ex Catholicis nonnulli, qui hunc theſaurum negent, putantes inde detrahi immenſitati diuitiarum Dei, ex qua fit, vt merita omnium vltra condignum etiam præmientur. Nonne Paulus inquit: Non ſunt condignæ paſsiones huius tẽporis ad futuram gloriam? Et Chriſtus Dominus in Euangelio tam apertè teſtatur, dandam eſſe bonis operibus menſuram bonam, confertam, coagitatam, & ſuperefluentem. Quibus reſponſum eſt abundè, & reſpondet Paulus, teſtatus aperte, ſe paſſionibus ſuis pro Eccleſia adimplere, quæ deſunt paſsioni Chriſti. Igitur ſanctorum opera habent, quòd meritoria ſint vitæ æternæ ex diuina gratia potius, quàm ex labore aut virtute operantium: & ſecundum hoc certum eſt ſuperabundanter etiam præmiata eſſe à Deo, quod ad ſanctos omnes attinet: Nam quod ad Chriſtum attinet, aliud eſt: cùm ille gloriam eſſentialem animæ non opus habuerit mereri, ſed tantùm corporis ſui gloriam, & ſalutem noſtram: & quod attinet ad valorem, tanta ſint eius merita, vt digna ſint ſalute omnium, quod ad ſufficientiam attinet. Ceterùm & ipſius Chriſti, & ſanctorum omnium opera habent etiam virtutem ſatisfaciendi pro pœnis peccatorum, quatenus pœnalia ſunt: hoc tamen ſuppoſito, quòd fiant ab amicis & conſtitutis in Dei gratia. Et (vt ex ſupradictis patet) ſatisfactio hæc nihil detrahit merito, vel meritum ſatisfactioni. Sed ſatisfactio communicari poteſt & in alterum transferri, ita vt nihil eius remaneat operanti, etiam

Coloſſ. 1.

Rom. 8.

ſi ea

si ea egeat: vt cùm quis pro alio ieiunat. Meritum verò semper apud operantem manet, neque alteri communicari potest. Nullus enim alteri meretur, præter Christum. Igitur sanctis remunerata sunt merita præmio essentiali quo digna erant, etiam supra condignum: sed satisfactio illorum, quatenus ipsi ea non egebant, manet apud Deum accepta pro Ecclesia: & hic est immensus & infinitus thesaurus. Iam hic thesaurus iustum est, vt alicuius dispensationi sit commissus. Nec enim æquum est, vt cuilibet pro suo arbitrio liceat illo vti. Nec etiam vtilis esset ecclesiæ, nisi ab aliquo dispensaretur. Dispensatorem verò thesauri Reip. ratio ipsa ostendit non aliũ esse debere, q̃ qui præest ipsi Reipub. gubernandæ. Is verò in Ecclesia propriè Episcopus est. Rursum, ipse est cui dicitur à Christo: Quidquid solueritis super terram &c. Soluere autem non tantùm ad peccata ipsa referendum est, sed ad pœnas etiam pro peccatis debitas. Ad Episcopos igitur pertinet & hæc pœnarum pro peccatis debitarum relaxatio. Quòd si quis dicat hoc non aliter fieri posse, quàm per sacramenta, sicut quilibet sacerdos in administratione sacramenti pœnitentiæ facit, cùm hæc verba: Quidquid solueritis: dicta intelligantur sacerdotibus omnibus, non tantum Episcopis, atque ita vel omnium erit dare indulgentias sine sacramento, vel nec Episcopi aliter poterunt quàm sacerdotes. Huic obiectioni primò hoc respondendum est, quòd Christus non præscripsit aliquem modum specialem soluendi à peccatis, sed in vniuersum Ecclesiæ concessit soluere, non quidem sine iudicio & pro arbitrio atque libidine sua, sed (vt dici solet) claue non errante. Igitur non est, cur nos restringamus hanc absolutionẽ ad sacramentalẽ. Paulus apertè testatur se donasse aliquid Corinthio illi incestuoso. Nã ego (inquit) quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi. Et quidem quidquid illud fuerit, ad peccatum illud quod commiserat in incestu cum vxore patris, manifestè pertinere ostenditur. Nec tamen hoc Paulus per sacramentum pœnitentiæ donauit, sed per potestatem illam, de qua dicit se gloriari posse, datam sibi in ædificationem, non in destructionem. Fatemur igitur in Ecclesia esse vniuersalem potestatem condonandi & culpas & pœnas, non tantùm per sacramentum, sed quocunque demum modo id rationabiliter iudicauerint prælati. Quod verò secundo loco additur, quare nõ omnibus sacerdotibus cõueniat, inferius ostendemus. Nunc ex illa naturali ratione, qua ostẽsum est thesauri cõmunis dispensationem subesse dispositioni gubernatoris,

Quis sit dispensator indulgentiarum.

1. Cor. 2.

ris,& ex illa Christi auctoritate: Quidquid solueritis: satis sit intulisse, quàm conueniat rationi & liberalitati Christi, vt in ecclesia sit hæc potestas indulgentias concedendi. Et quanquam hæc expositio illius verbi: Quidquid solueritis: non tam certa sit, vt inde cõfirmari possit fides: cùm tamen accedit ecclesiæ auctoritas, sufficere debet cuiuis catholico & non proterueuti. Verum est hìc nõ haberi totius Ecclesiæ ab Apostolis vsque ad nos consensum, non (inquam) manifestè & certò haberi: habemus tamen à trecentis & quadringentis annis: vt dictum est. Itaque ex his omnibus hoc dogma de potestate concedendi indulgentias, inter ecclesiastica dogmata ita collocandum putamus, vt sit consentaneum etiam scripturæ: quanquam non manifestè asseratur in ea: nec repugnat aut sensui antiquę ecclesiæ, aut alicui dogmati fidei. Quare pertinaciter illud negare, est primò quidem impium & superbum: contra debitam reuerentiam ecclesiæ. Deinde & erroneum contra fidem illam & scripturam, quæ ecclesiæ tribuit quòd sit columna & firmamẽtũ veritatis: vel saltem, vt nullus inferior de ea iudicare possit. Denique hæreticum etiam: quia nunquam assertum nisi ab his, qui se ab ecclesia separârunt: & in eis ab ecclesia dãnatur. Nam præter id, quod Innocentius 3. in concilio Lateranensi, frequentissimo quidem & vniuersali ac saluberrimo (vt superius diximus, cùm de confessione loqueremur) de indulgentijs tanquã de re certissima locutus sit, vt suprà citauimus: & postea concilium Constantiense damnauerit Iohannem VVickleph: de hoc ipso etiam Leo decimus legitima sententia in Luthero damnauit, quòd dixerit non esse in ecclesia thesaurum, vnde dispensari possint indulgentiæ: &, irreuerentius præ ceteris omnibus, indulgentias esse mendacia impiorum pontificum. Porrò omnes ab episcopis damnatos hæreseos ecclesia hæreticos & excommunicatos iudicat, vt habetur in cap. Excommunicamus, de hæreticis. Quare singulis episcopis datur potestas in sua diœcesi definiendi & damnandi hæreseos vel personas, vel dogmata: multo igitur magis summo pontifici hoc concedendum est. Nec licet cuiquam inferiori episcopo, aut Romano pontifici hoc in dubium reuocare. Sic igitur & in præsenti sentiendum est, vt certò habeatur hæreticum esse, pertinaciter negare indulgentias. Sunt verò infra hunc errorem nonnullæ aliæ catholicorum sententiæ quædam, non parum accedentes ad ipsum. Aliæ verò dubiæ: & inter has aliæ minus probabiles alijs. Nam quædam (quæ refertur à b. Thoma & alijs) sententia, dicen-

Quã erroneũ sit negare indulgentias.

centium indulgentias tantùm coram ecclesia valere, nec à pœna debita in purgatorio coram iudicio Dei, sed ab imposita tantùm pœnitentia in ecclesia liberare, ab omnibus etiam reijcitur, & parum certè distat ab errore Lutheri. Ita enim (vt b. Thomas inquit) magis nocerent, quàm prodessent indulgentiæ. Et est apertum verbum Christi: Quidquid solueritis in terra, erit solutum in cælis. Durum est enim, nec æquitati diuinæ conueniens, vt in ecclesia sit potestas obligandi ad pœnam, etiam in iudicio Dei, nec sit potestas ab ea liberandi. Quæ verò post hęc disputantur à doctoribus (fatemur enim in omnibus, quę ad indulgentias pertinent, magnam esse diuersitatem opinionum: quod ostendit hãc rem tardius cœpisse in ecclesia tractari) quæ (inquam) disputantur, damnatis illis sententijs, tanquam probabilia disputanda sunt, & suscipiendum in eis, quod videbitur sensui ecclesiæ, & æquitati consonum: de quibus sequentibus lectionibus dicemus.

LECTIO SECVNDA.

De ratione indulgentiæ, efficacia, atque valore.

LEctis igitur quæ dicta sunt, tanquam certis inter Catholicos omnes constitutis, explicandæ sunt quæstiones, de quibus consequenter disputatur.

Prima igitur, subtilior magis quàm necessaria, illa est, de definitione indulgentiæ: quid sit, siue, vt alij disputãt, cui innitatur: an videlicet sit pura absolutio & remissio auctoritate iurisdictionis cõcessa: an duntaxat dispensatio quædã satisfactionũ Christi & sanctorum, siue communicatio illorũ ei cui conceditur indulgentia? Fuerunt enim (vt Caiet. refert) qui thesaurum aliquem negauerint esse in ecclesia, vnde dispensentur indulgentiæ: sed sola potestate gubernantium ecclesiam concedi posse remissionem hanc affirmant. Sed hæc sententia, quatenus negat thesaurum illum, certè contraria est sensui ecclesiæ, & sententijs apertis summorum pontificum, quorum literæ (vt Gelasius primus inquit in concilio septuaginta episcoporum) sunt venerabiliter suscipiendę. Clemens sextus in concessione iubilæi 50. anni, hunc thesaurũ apertè esse testatur in ecclesia.

De-

Denique ex dictis superius patet, rationibus & auctoritatibus scripturæ hoc esse consonum. Quare & hæc est duabus præcedentis lectionis sententijs meritò reijciendis adiungenda. Nã & à Leone decimo in bulla condemnationis Lutheri est damnata. Ceterùm quòd concessionem indulgentiæ meram esse remissionem, & potestate iurisdictionis fieri asserunt, sustineri posset, modò non negetur nullam absolutionem fieri vel culpę, vel pœnæ pro culpa debitæ, nisi communicatione satisfactionis Christi, etiam in ipsis sacramentis. Hoc certissima fide tenendum est. In Christo (inquit Paulus) placuit Deo inhabitare omnem plenitudinem diuinitatis, & per eam reconciliari omnia. Et iterum: Per redemptionem quæ est in Christo, dicit nos iustificari, quem proposuit Deus propitiatorem. Hoc inquã cõcesso, admitti posset, indulgentiam esse absolutionem: contra alios, qui in altero extremo solùm putant indulgentiã esse applicationem tantæ satisfactionis ex Christi & sanctorum satisfactionibus, quanta sufficiat ad remissionem illam quæ conceditur. Habet hoc indulgentia: sed quoniã Innocentius absolutionem vocat: & Alexander in cap. Quod autẽ à solis proprijs prælatis cõcedi posse dicit, vt suprà citauimus: vtrunq; habet indulgentia, & vtriq; innititur: iurisdictioni videlicet & thesauro, vt Caietanus inquit. Immo reuera vtrũq; idẽ meritò credimus. Ex illo thesauro dispensatur potestate clauium absolutio illa. Duos tantùm modos agnoscimus remissionis vel culpæ vel pœnę, remissionis inquã quæ auctoritate clauiũ fit: nam est alia remissio quę voluntarijs afflictionibus, & bonis operibus nostris, aut diuinis flagellis patienter supportatis obtinetur. Primus ergo huius remissionis modus est per sacramenta ipsa vel baptismi, vel pœnitentiæ, in qua certum est iurisdictionem requiri, vt diximus: & fit per eã communicatio thesauri, vt patet. Alius est ille per indulgentiæ concessionem: non tam efficax, sicut nec tã certus, quàm prior: sed fundatus (vt diximus) in verbo illo: Quidquid solueritis, &, Quorum remiseritis peccata &c. sicut primus. Si igitur ille iurisdictionem requirit ac cognitionem causæ, & habet annexã dispensationem thesauri, etiam & iste. Sit itaque indulgentia remissio pœnæ ex peccatis iam remissis debitæ, à superiori facta cõmunicatione satisfactionũ Christi & sanctorum. Quæ verò pœna remittatur, dicendum est quæst sequenti.

Coloss. 1.

ad Rom. 3.

Secunda quæstio de

Est itaque magis iam necessaria quæstio de valore indulgentiarum. Postquam enim ostensum est efficaces esse in diuino iudicio,

dicio, quantum valeant meritò dubitatur. In qua quæstione refert beatus Thomas suprà citato loco, & Durandus, atque alij, tres sententias: & addunt ipsi & multi aliorum quartam quam probabiliorem putant: de quibus breuiter dicendum. Prima igitur sententia est, indulgentias non æqualiter prodesse omnibus, sed tantùm cuilibet, quantum sua deuotio & præparatio apud Deum valet. Itaque iuxta illam nihil certi ecclesia concederet, & malè reuera facerent certam aliquam concedentes indulgentiam. Hoc enim esset incertum vt certum asserere. Vnde concedit hæc sententia, fraudem quandam esse in concessione indulgentiarum: sed piam inquiunt: qua videlicet excitentur fideles. Quod damnatum est etiam in condemnatione Lutheri à Leone 10. Propter quod, & quia asscribit consuetudini ecclesiæ mendacium, reijcitur ab omnibus: & est etiam hęc tribus suprà damnatis sententijs adiungenda. Secunda igitur sententia certius aliquid asserens, tantùm putat remitti per indulgentias, quantum opus illud, propter quod conceditur, exoluit apud Deum. Si itaque peregrinatio, aut eleemosyna, aut quiduis aliud coram Deo sufficit ad satisfaciendum pœnæ vnius diei aut anni: illa remittitur per indulgentiam concessam peregrinanti vel eleemosynam danti. Quare iuxta hanc sententiam per indulgentiam nihil remittitur, sed cõmutatur vna satisfactio in alteram, vel ostenditur aut datur occasio operandi quod valeat ad remissionem. Quare & hæc negat re ipsa concessionem indulgentiæ (nulla enim conceditur iuxta eam) & nimium restringit diuinæ misericordiæ largitatem, & potestatem ecclesiæ. Præterea etiam non potest negari fraudem committi, cùm conceditur determinatè tanta indulgentia, ad quam nescitur an sufficiat caussa illa: maximè cùm pro eadem caussa modò maiores, modò minores conceduntur indulgentiæ. Hæc itaque sententia vt parum consentiens Ecclesiæ reijcitur ab omnibus, & adiungenda est quatuor supradictis. Tertia verò, quę plus tribuit indulgentijs, asserit tantum valere concessionem indulgentiæ, quantum sufficit caussa pro qua datur, secundum diuinam æstimationem. Itaque sicut sine vlla rationabili caussa concessam indulgentiam certum est nihil valere: ita ad maiorem indulgentiam maior requiritur caussa, atque tantum valet, quantum caussa sufficit. Aestimationem verò huius caussæ certum est in iudicio diuino probari vel improbari: quare tantum proderit indulgentia, & tantum auferet pœnæ, quantum pro illa caussa Deus iudicat auferendum. Itaque hæc sententia non putat opus, pro quo conceditur

valore indulgentiarum. quæst. 2. art. 3. dist. 20. 4 sent.

ceditur indulgentia, debere æquiualens esse pœnæ quæ remittitur, sed tantùm causam sufficientem. Nam (vt verbi gratia dicamus) conceditur nõnunquam etiam indulgentia plenaria pro opere minimi aut nullius laboris: sicut Romę in die paschæ cõcedit illam pontifex omnibus accedentibus ad eius susciendam benedictionem. Vbi etsi opus minimum sit: causa verò, continuendi videlicet in deuotione Apostolicæ sedis, & in vnione vicarij Christi fidelem populum, & excitandi ad hanc fidem protestandam publicè, maxima certè est: & tanto maior, quanto fides hæc magis impugnatur. Non ergo (inquit hæc sententia) valor tantùm operis consideratur (non enim tunc fieret indulgentia vlla, vt contra præcedentem opinionem diximus) sed causa: quæ cùm in Dei iudicio non est rationabilis aut sufficiens ad tantam indulgentiam consequendam, acceptabitur ad eam consequendam, ad quam coram ipso sufficiens est. Sicut itaque ad concedendum indulgentiam efficaciter necessaria est causa, ita ad maiorem maior exigitur. Hæc sententia, quanquã à b. Thomas & doctoribus illius tempori non probetur, tanquam quæ in dubium reuocet quod in ecclesia consueuit fieri, dum pro eadem causa modò maiores, modò minores conceduntur indulgentiæ: præterea quoniam, sicut & præcedentes, tribuit falsitatem nonnullam, cùm certò concedatur determinata indulgentia, quę tamen certa esse non potest iuxta hanc sententiam: est tamen non parum probabilis: quam & Hadrianus 6. pontifex in 4. efficacissimis rationibus confirmat: & Caiet. Cardinalis in tractatu de indulgentijs & in fine 3. partis. Sed de his postea. Nunc quartam referamus sententiam, quam b. Tho. & ceteri magna ex parte sequuntur. Valde sanè applausibilem, & ex magna pietate & reuerentia in ecclesiam profectam. Dicunt igitur illi absolutè tantum valere indulgentiam, quantum sonat, modò sit rationabilis causa, hoc est, vt pro honore Dei vel vtilitate Ecclesiæ cõcedatur. Non enim (inquiũt) indulgentia innititur tãquam propriæ causæ, nisi auctoritati cõcedentis, & immensitati meritorum & satisfactionũ Christi & sanctorũ: Quantum igitur voluerit dare is qui dispensandi auctoritatem habet (modo, inquiunt, sit aliqua causa) tantum datum est: vsque adeò (inquit b. Thom.) vt si ille cõcesserit superfluas & indiscretas indulgentias, peccet quidem: valet tamẽ & efficax est indulgentia. Quod certè si verum est, non parui æstimandæ sunt, nec negligenter cõsequendæ indulgentiæ omnes, & magna est collata auctoritas ecclesiæ, ac maior quodammodo quam in ipsis sacramen-

sacramentis. In sacramentis enim si absq; rationabili causa absoluat sacerdos, hoc est, illum qui indignus est absolui, nō tenet absolutio coram Deo: & tamen tenet indulgentia cōcessa quacunq; ex causa, quātumuis indulgentia sit magna, & causa minor. Habet quidem sententia hæc, quòd iuxta eam consuetudo illa Ecclesiæ concedendi indulgentias, magis propriè & plenius verificatur: Sed (vt verum dicamus) nimia videtur, & magis ex nimia quadam pietate orta: nec cōsiderauit quòd postea ex illa in ecclesia tā latè progressæ sunt concessiones indulgentiarum. Tunc aut 40. dies, aut 100. concedebantur: nunc passim indulgentiæ plenariæ & plenissimæ, & remissiones omnium peccatorum, & multa centenaria annorū conceduntur: quod maximè ex illa sententia ortum esse videtur: dū illud ita credentes extorquent frequenter indulgentias, si nō confictā, certè exaggerata nimium causa: & nonnunquā coniungentes diuersorū pontificum concessiones pro eadem causa, multiplicant numerum annorum & temporum: quod profectò his maximè temporibus non expedit: cùm moderatæ etiam irrideantur. Quare posteriores diligentius considerantes, omnino putant id esse negādum, & amplectandam esse tertiam sententiā. Et beatus quidem Bonauentura vltima quæstione, distinct. 20. apertè non vult illud admittere, quòd tantum valeant indulgentiæ, quantum sonant, nisi hoc addatur, quantum est ex parte concedentis. Ille enim cùm concedit, cōsiderat causam, pro qua dignum existimat dari indulgentiam: sed quilibet consequitur illam secundum quod plus vel minus accedit ad eam causam: quod quidem b. Thom. concedit. Verùm cùm non determinatur à concedente certa quantitas operis, pro qua cōceditur indulgentia: sed tantū conceditur porrigenti manus adiutrices fabricæ: tunc consequitur indulgentiam plenè, qui eleemosynam dat & statui & conditioni suæ conuenientem: sin verò minus det, non integrè cōsequitur, sed pro portione quam dat. Cùm verò determinatum est opus, vt visitatio ecclesiæ, aut certa aliqua oratio: tunc b. Thom. nihil putat curādum esse aliud, quàm vt fiat ipsum opus. Quanquam hanc sententiam ipse magis referat vt aliorum, quàm sequatur. Vnde (inquit) dicendum secundum alios, quòd indulgentiæ tātùm valent simpliciter &c. Et hoc quidem etiam summistæ. Ceterùm simpliciter tenentes tertiā illam sententiā, efficacissimis rationibus eam confirmant. Hadria. quidem hac præcipuè. Quòd si obligationem aut pœnā sine peccato debitā nō potest relaxare pōtifex sine causa sufficiente, vt in dispensatione vo-

ne votorum & iuramentorum patet (quod enim sine causſa dispensat & relaxat, immo sine legitima causſa, corã Deo nullum est, vt ab omnibus conceditur) multo minus relaxare poterit pœnam propter peccatum debitam sine rationabili causſa. Caiet. verò ex ipsis pontificum verbis hoc confirmat. Nam Innocent. 3. dicit per indiscretas indulgentias eneruari pœnitentiæ seueritatem: cùm tamen (inquit Caiet.) si efficaces essent, non enaruarent, sed implerent. Quanquam reuera hæc ratio non sit valde efficax. Nam eneruatio illa intelligi potest, quòd minus curent homines satisfactiones pœnitentiales. Sed quod Clemens 6. in extrauaganti Iubilæi dicit, apertius est: nunc videlicet maiores, nunc minores cõcedi indulgentias pro causſæ qualitate. Sed & rationem efficaciſsimam adducit, simile ferè rationi Hadriani de votis & iuramentis: in quibus si Papa aliquid præter rationem intendat, nihil perficit. Et efficacius etiam hoc ipsum probat ex dispensatione bonorum temporalium: in quibus si absque rationabili causſa aliquid pontifex conetur, nullũ erit. Vt si pro libidine donaret magnam partem bonorũ ecclesiæ. Tunc enim manifestum est nullam esse donationem. Multò igitur magis in distributione spiritualium bonorũ hoc verum est. Nam etsi quis dixerit nullum fieri præiudicium ecclesiæ ex irrationabili horum dispensatione, conuincitur non rectè dicere. Contemptus nanque auctoritatis ecclesiæ & satisfactionum pœnitentialium eneruatio non est leue detrimentum ecclesiæ. Itaque (inquit Caietan.) quanquam quædam sint, quæ si faciat dispensator Ecclesię irrationabiliter, facta tamen rata sunt, ita iure ipso dicente (sicut dispensatio beneficiorum, quãquam iniustè fiat, valet tamen) non tamen omnia ita valent, sicut diximus in votorum dispensatione & distributione temporalium bonorum: In quibus notat ipse hoc etiam discrimen esse, quòd quædam horum etsi nulla sint, possint de facto attingi à dispensatore Ecclesiæ. Quando videlicet res ipsæ in eius sunt manu. Si enim bona Ecclesiæ largiatur absq; vlla causſa, nulla quidem est largitio, tamen de facto interim possidebũtur ab eo cui dederit. Quando verò quę dispensat nõ sunt in manu eius, si dispensatio sit nulla, de facto nihil attingit: sicut in absolutione à peccatis, vel in dispensatione votorum. Thesaurus autem hic vnde indulgentiæ dantur, nõ est in manu pontificis (vt pro suo solo libito, cui vult donet efficaciter) sed apud Deum recõditus est. Quando igitur Deus non probat, sed apud Deum illicita est donatio: quomodo credendus est etiam ipse donare, & quodãmodo proferre

ferre ex thesauro suo ad verbum non rectè æstimantis prælati? Igitur quanquam in hac materia non debeamus certi aliquid definire, cùm Ecclesia non definiuit, nec sit necessarium vt nos certam aliquam statuamus sententiam: melius est vt relinquatur diuino iudicio: sicut nonunquam superius diximus de alijs, quæ in diuino iudicio vltimo definienda sunt: vt de quantitate meritorum: de reditu bonorum operū, quæ per peccatum sequens mortificata fuerant. Certè in his omnibus, & in quantitate indulgentiæ nihil nostra opinio proderit aut oberit coram Deo. Ille iudicabit quod rectum est: & in vltimo iudicio videbit quilibet huius quæstionis finem. Quanquā itaque non sit opus certius aliquid definire: verè tamen tertia sententia multò videtur & probabilior, & magis consona iuribus ipsis. Immo addit Caietan. satis certè rationabiliter, quòd, quanquam cùm dubium est de caussa concessæ indulgentiæ, debeamus semper interpretari, quòd prælati sententia sit iusta, & putare rationabilem caussam: non tamen propterea in Dei iudicio probatur. Nec sanè fide tenendum est, quòd in his non possit quandoque, etiam sine culpa errare concedens indulgentias. Non quòd hoc sit ab aliquo temerè asserendum: sed relinquendum potius diuino iudicio. Ceterùm quòd ad fidem attinet, satis est vt credamus indulgentias concedi posse. At verò istas aut illas validas esse, non est fidei. Sicut in ipsis sacramentis, fidei est, sacerdotem ritè absoluentem peccatum remittere: rectè (inquam) & consonè diuino iudicio: in hostia quoque consecrata veraciter esse Christum. sed non est fidei hunc rectè absoluisse, aut verè cōsecrasse. Nec etiam asistentiam spiritus sancti in his omnibus opus est credere, quæ non sunt definitiones fidei, sed arbitria & voluntates pontificum. In speciali verò circa hoc id est aduertendum, quòd non expedit coram multitudine detrahere dispensationibus pontificum: satius est defendere, sed id etiam modestè: ne statim damnentur vel modicū dubitantes, ac plus nimio doceatur populus his fidere, vel videamur cōtentiosè agere. Modestè agendum est, vt credantur summi pōtifices hodie in tantis cōcedendis indulgentijs consulere hominum infirmitati, excitare refrigescentem iam charitatem, & denique existimare, quòd si quid exceditur, melius erit Deo de nimia misericordia ratione reddere: nec propterea in aliquo defraudari fideles, quandoquidem semper consequuntur, quantū opus quod fit, & caussa apud Deū valet. Addendum quòd sæpe hæc faciunt pontifices nimia importunitate exigentium & deuotione, cui putant nonnunquam

aliquid esse concedendum. Nec tamen aut pontifex, aut ecclesia vult, vt ista certò credenda proponantur: sed tantùm explicetur quòd ita arbitratus fuerit pontifex: cetera relinquantur Deo.

Quomodo intelligendi sint dies & anni indulgẽtiarum.

Illud etiam non omittendum circa hunc articulum, dubium esse inter doctores, an dies aut anni indulgentiarum qui conceduntur, intelligendi sint de iniunctis tantùm in absolutione & sacramento pœnitentię: an verò de omnibus debitis. Et quidem beati Thomæ vbi superiora dixit, iuuenis sequutus communem tum sententiã, asserit dies illos de omnibus debitis post remissum peccatum in purgatorio etiam non impositis intelligi: & quidem quòd pontifex possit ita concedere, hoc est, remittere pœnam purgatorij tantam, quãta decem vel centum annis pœnitentiæ solueretur. Tamen multi tenent ecclesiam non concedere remissionem dierum vel annorum, nisi de iniunctis pœnitentijs. Quæ quæstio (vt inquit Caietanus) cùm de facto sit (fatemur enim posse pontificem, quocunque horum modorum voluerit, concedere: sed dicimus non concedi) ex ipso iure probandum hoc est, & ex ipso facto pontificum. Modò hoc certum est, formam consuetam in ecclesia hoc habere: de iniunctis pœnitentijs relaxamus dies vel annos &c. Vnde Innocentius. 3. (vt suprà citauimus) limitans episcopis potestatem concedendi indulgentias, dicit 40. dies de iniunctis pœnitentijs ab eis relaxari posse quandoque &c. Cùm igitur (inquit meritò Caietanus) simpliciter conceditur indulgentia, intelligi debet sicut ecclesia consueuit: quod nonnunquam expresse additur. Itaque si apponitur, de iniunctis pœnitentijs, non est dubium de solis illis fieri indulgentiam: si additur, secundum formam consuetam ecclesiæ, idem apertum est: si verò nihil additur, ita intelligi debet. Quare Hadrianus pontifex, siue plena indulgentia, siue plenissima concedatur, ita dicit intelligendum: de iniunctis videlicet. Et certè cùm negari non possit hanc esse formam, qua primum vsi sunt pontifices: putamus non facile debere à sequentibus extendi: vt videlicet etiam non iniunctas pœnitentias relaxent: quanquam eos id posse facere iusta causa, non negemus.

Quæ pœnæ & satisfactiones relaxentur per indulgentias.

Notat bene circa hoc Durandus, relaxationem iniunctę pœnitenriæ non esse inutilem, etiam si pœnitentia impleatur: sed vtrunque posse efficaciter fieri. Cùm remittuntur alicui tot dies iniunctæ pœnitentię, hoc fit, vt nõ teneatur illos implere: & tamen tanta illi relaxetur pœna purgatorij, quantam solueret illis diebus pœnitentię. Si verò impleuerit etiam iniunctã satisfactionem,

onem, nihilominus totidem illi remittentur, si adhuc debitor est, vt sæpe contingere potest. Atque idem etiam iudicandũ est, cùm prius impleuit pœnitentiam: indulgentia enim semper aufert pœnam diebus illis respondentem. Vnde & b. Thom. atque reliqui docent consulendum esse pœnitentibus, ne propter indulgentias iniunctas satisfactiones omittant, eò maximè, quòd indulgentiæ reliquias peccatorum & prauas consuetudines non auferunt, ob quam præcipuè imponi solent satisfactiones.

LECTIO TERTIA.

De *his quæ requiruntur ad effectum indulgentiæ ex parte dantis & ex parte suscipientis.*

ABSOLVIMVS præcipua quæ pertinent ad indulgentias in communi: iam ad specialia descendendum est: & primò quidem dicendum de concedente indulgentias, quid scilicet in eo requiratur, vt efficaces sint. Dixerunt quidam doctores duo requiri: auctoritatem videlicet, & rationabilem causam. De causa satis proxima lectione diximus: de auctoritate restat dicendum: quis scilicet concedere possit indulgentias. In qua quæstione facilè quidem respondeti potest, indulgentias posse concedere eos solos, qui iure vel consuetudine hanc habent potestatem, & quatenus habent: quæ est certissima resolutio. Cùm enim hoc sit absolutio quædam à peccatis & remissio, ad iurisdictionem pertinet: quam certum est eos habere, quibus ab ecclesia confertur. Confertur verò vel ex constitutione iuris, vel ex consuetudine ab eo probata. Vnde (vt suprà citauimus) in concilio Lateranensi Innocentius tertius prohibuit Abbatibus concedere indulgentias: reprehendens quòd hoc vsurpassent nonnulli. Sed in speciali, cui conueniat hæc potestas, & quomodo probari possit, est nonnulla diuersitas. Cùm enim (vt superius vidimus) de ipsis indulgentijs specialiter quidẽ & apertè nihil sit in Euangelio, sed tantùm illa generalia verba: Quidquid solueritis &c. nõnulli putant requiri potestatem ordinis: vt Durandus. Quoniam (ait) est absolutio à pœna remanente post absolutionem culpæ: ideo eandem potestatem requirit, quã absolutio

Quis possit concedere indulgentias.

solutio à culpa. Sed hoc à doctoribus & consuetudine non recipitur. Quare (vt b. Thomas inquit) satis est potestas iurisdictionis fori exterioris. Vnde electi episcopi nondum ordinati, legati etiam indulgentias concedere possunt papæ auctoritate. Itaq; ad iurisdictionem fori exterioris hoc pertinet: maximè cùm (vt superius ostendimus ex Augustino) satisfactiones imponantur propter Ecclesiam. Vnde parochi, & quicunque alij iurisdictionem tantùm habentes in foro interiori, non possunt indulgentias concedere: quod habet & ius, & consuetudo. Inter eos verò qui iurisdictionem habent fori exterioris, non omnes possunt indulgentias concedere. Ad quos ergo propriè pertineat concessio indulgentiarum secundum veram rationem dubium etiam est. Sed probabilius sentiendum hanc quidem potestatem esse regulariter episcoporum omnium. Ita probat beatus Thomas quæstionis primæ articulo quarto suprà dictæ distinctionis 20. ex his quæ superius diximus de dispensatione thesauri. Nam thesaurus Reipublicæ communis, non ab eo qui præest familiæ vni vel domui, sed ab eo qui præest toti Reipub. dispensari potest. Episcopi verò (vt ibi inquit b. Thomas) sunt perfecti gubernatores Reipub. alij omnes sacerdotes sub ipsis tantùm adiutores sunt: quod in principio huius tractatus latius ostendimus. Itaque hoc iure diuino certum esse debet, potestatem omnem gubernandi propriam ecclesiam cuilibet episcopo tributam esse, salua semper vnius supremi vicarij Christi & successoris Petri auctoritate, ex qua fit vt ille moderari possit inferiorum omnium potestatem, vel potius illius vsum. Atque ita meritò b. Thom. inquit potestatem hanc concedendi indulgentias plenariè quidem esse in summo pontifice. Vnde ille moderatus est quantam episcopi indulgentiam concedere debeant. Quod quidem meritò factum est, ne in contemptum venirent indulgentiæ: cùm tamen, si eis non fuisset inhibitum, potuissent certè quod pontifex, in suos subditos. Et reuera haud scio, an qui adeò restrinxit episcoporum potestatem (de Innocentio dicimus) in hoc iudicaret tantopere extendendam esse pontificis: aut si illa cõuenienter vsque adeò iam extenditur: quare & hæc non sit extendenda etiam, non satis apparet. Sed quod attinet ad auctoritatem, nõ est dubium vtrunque verum esse: & episcopos habere eam in suos non limitatam, & a pontifice Rom. limitari posse: sed omnia iusta ratione fieri debet, siue scilicet limitatio, siue vsus. Notat etiam b. Thom. circa hoc, quòd qui congregationibus particularibus præsunt (vt abbates & prælati) possunt

admittere

admittere alios ad participationem bonorum illius congregationis: sicut quilibet priuatus homo ad participationem suorum bonorum operum potest alium admittere. Quia ergo cuiusque communitatis membra eo ipso, quo membra sunt, quidquid agunt, agũt in bonum communitatis: ab eo qui præest illi, dispensari possunt. Sed hoc (inquit) quod sit vel à priuato, vel ab eo qui præest particulari Ecclesiæ, nõ est indulgentia: quia per eam non absoluitur ab iniunctis pœnitentijs. Nec in priuato homine, aut in particulari aliqua ecclesia sunt indeficientia merita, vt omnibus sufficere possint. Quare solùm est communicatio suffragij, & eius duntaxat quod reliquum est post satisfactionem necessariam membris illius Ecclesiæ. Nunquam tamen iudicandum est inutiliter fieri hanc cõmunicationem, propter orationes saltem, quæ semper fiunt pro illis: quibus nihil detrahitur, etiam si ijs qui eas agunt, necessariæ sint: non enim propterea minus impetrant pro alijs.

Ob quam causſam concedi possint indulgentiæ.

De causſa concedendi indulgentias (quæ pertinet ad hunc articulum) quãquam superius dictum sit, quod in communi dici potest: debere scilicet esse sufficientem: illud nunc est addendum, quod maleuoli calumniantur, pro causſa temporali, cùm in vtilitatem vel fidei vel Ecclesiæ cedit, rectè concedi indulgentiam: pro pecunia videlicet danda in subuentionem pauperum, aut in bellum contra infideles, & pro huiusmodi alijs causis. Primò in his nulla est vel emptio vel venditio, sed alliciuntur fideles ad pia opera indulgentijs propositis. Deinde omnia hic spiritualia sunt: & quod datur, scilicet indulgentia: & quod petitur: liberè tamen & absque vlla coactione. Nec tamen negare possumus hoc non esse passim extendendum, vt in cuiuscunque operis, quacunque ratione speciem pietatis habentis, subuentionem conferatur indulgentia: maximè vt subtrahatur occasio calumniandi.

Qui sint capaces indulgentiarum.

Hæc itaque ex parte dantis indulgentias dicta sint: iã quid requiratur ex parte suscipientis, vt efficax sit, restat explicandum. Primùm igitur ab omnibus certa ratione asseritur, indulgẽtiam nulli prodesse, nisi cui prius sint remissa peccata, & in gratia Dei permanenti. Hoc enim ex communibus & supradictis satis patet. Bona opera membrorum ecclesiæ nõ prosunt, nisi actu coniunctis & viuentibus membris. Itaque satisfactiones Christi & sanctorum vtiles esse nõ possunt, nisi constitutis in gratia. Meruit certè Christus peccatoribus gratiã qua cõuerterentur: orârunt pro eis & sancti: ceterùm satisfactiones suas non nisi viuo

corpori Christi contulerunt. Est etiam & ex parte ipsorum qui suscipiunt indulgentias, alia ratio: quoniam pœna non remittitur, nisi prius remissa culpa: & cùm remittitur, ex beneuolentia & gratia atque amicitia remittitur: solis ergo amicis. Est autem circa hoc diligenter aduertendum, tria tempora distingui posse in indulgentia, etsi aliquando simul omnia cõcurrant. Primum, quo conceditur indulgentia. Secundum, quo fit opus pro consequenda indulgentia. Tertium, cùm quis iam illam consequi vult. Vt (exempli gratia) si concedatur à pontifice mense Ianuario plenaria indulgentia in articulo mortis consequenda ab ijs, qui in festo Ioannis baptistæ, mense scilicet Iulio, visitauerint illam aut illam ecclesiam: videmus tria illa tempora distincta. De duobus igitur extremis, primo videlicet & tertio tempore, nulla est dubitatio. Non enim est opus in gratia esse cùm conceditur indulgentia, vt obtineri possit. Hoc de primo tempore. Rursum, certum est nullum cõsequi indulgentiam cum in peccato est. Et hoc de tertio. De medio verò nonnihil dubij est: opinantibus quibusdam, posse illum qui in peccato mortali est, opus facere pro quo conceditur indulgentia, & postea cùm est in statu gratiæ, illam consequi: quanquam cùm opus fecit, esset in peccato mortali. Sed Caietanus multo probabilius opposítum putat: nullum videlicet opus ab existenti in peccato mortali ad consequendam indulgentiam sufficere, sicut nec sufficit ad satisfaciendum pro peccatis. Ferè enim idem hæc duo sunt: opere suo satisfacere, & eodem suo opere satisfactionum Christi & sanctorum participem fieri. Vnde (quod hoc & proximè dicta confirmat) communis forma antiqua concedendi indulgentias semper habet, verè pœnitentibus & confessis, facientibus hoc aut illud conceditur talis indulgentia: vbi nulla potest esse dubitatio. Et quando hoc expresse non ponitur (inquit Caietanus) intelligitur expressum esse. Vnde asserit non consequi indulgentiam illum, qui post peccatum mortale non est confessus: nisi cùm expresse dicitur, quòd possint illam consequi qui propositum habent confitendi: tunc enim sufficiet contritio cum proposito confessionis, & neutrum sine altero. Hæc quidem diligenter sunt explicanda populo, quibus docetur non plus æquo fidere indulgentijs, & æmulis Ecclesiæ obturatur os ad calumniandum, quòd doceamus populum in his indulgentijs suam salutem collocare. Abest hoc. Indulgentia si iusta est & rationabilis, hoc habet, non minimum inter alia, quòd ad pœnitentiam & confessionem peccatorum, atque so-

lidiora

lidiora remedia incitat fideles. Notat Hadrianus circa hoc & mouet quæstionem, an pro altero indulgentiam consequi possit in peccato mortali existens, & in eo opus faciens pro quo conceditur indulgentia. Vt si concedatur ei qui eleemosynam dederit, aut illi pro quo ab alio data sit. Tenet ille affirmatiuam partem: quasi opus illud sit veluti opus sacramentum conferentis: vt videlicet virtute ipsius operis indulgentia obtineatur, cũ ille cui obtinetur, capax est: modò (inquit Hadrianus) qui pro alio vult indulgentiam assequi, bonum opus moraliter faciat: nam pro peccato (inquit) non conceditur indulgentia. Sed Caietanus probabilius putat oppositum. Hæc enim indulgentiarum consequutio similis est satisfactioni, quæ non nisi à membris coniunctis & viuis fieri potest.

Conandum est igitur his, qui sibi vel alijs indulgentias consequi volunt, vt prius in gratia sint constituti. Hæc itaque est prior dispositio, quæ necessaria est ex parte consequentis indulgentias: & certa.

Post illud quod ab omnibus asseritur de necessitate requiri ad indulgentiæ efficacem consequutionem, statum videlicet gratiæ: addit Caietanus secundum: & quidem solus ex omnibus qui ipsum præcesserunt: quod ipse putat probari efficaciter, nec est certa aliqua ratio, qua contradici possit. Quanquam quas ille adducit rationes, solui etiam possint. Itaque vt probabile hoc, & magis sub dubio relinquendum, quàm asserendum vel reijciendum dicamus. Putat igitur ille nullum consequi indulgentiam quamcunque, nisi qui solicitus est, vt integrè in hac vita satisfaciat pro peccatis: & ita aut imponi sibi satisfactionem condignam, aut per se implere curat. Ceterùm (inquit ille) qui minimam sibi petit pœnitentiam imponi, & qui parum curat in hac vita satisfacere pro pœna debita ob peccata remissa: sed magis post hanc vitam in purgatorio contentus est satisfacere: non est cur speret sibi per indulgentias subueniendum. Quod vnica ratione ille probat. Quoniam indignus est iste, cui subueniatur amicabiliter, & cui thesaurus communis tam preciosus satisfactionum Christi & sanctorum communicetur. Primum patet: quoniam amicitia ad hoc solùm se extendit, vt amicus consentiat & idem velit cum amico. Non igitur ex amicitia æquum est, ei qui non vult satisfacere, subueniri. Et (vt apertius dicamus) sanctorum, qui satisfactiones reliquerunt ecclesiæ, nõ est credenda fuisse illa mens, vt per eas subueniretur negligentibus, & nutriretur incuria & socordia

in re

in re tam necessaria: quod certè fit, si nihil curatibus satisfactiones concedantur indulgentiæ. Ita etiam quod de thesauro diximus, manifestum est. Non rectè dispensat diuitias ciuitatis repositas ad subueniendum ciuibus ære alieno grauatis, qui negligentibus satisfacere eas largiretur. Ita in his spiritualibus diuitijs non æquum est prodigaliorem esse ecclesiam, quàm in temporalibus. Et hoc putat Caietanus significari ab Ecclesia, cùm in concessione indulgentiarum dicitur: verè pœnitentibus & confessis. Non enim (inquit ille) vera pœnitentia illa referenda est tantùm ad dolorem & contritionem, quæ sufficiunt ad remissionem peccati (illud enim non opus erat apponere) sed refertur ad voluntatem satisfaciendi: quæ etiam pars est pœnitentiæ. Et certè iuxta illam antiquam formam (de qua diximus) in qua de iniunctis pœnitentijs fit relaxatio, certissimum hoc erit. Non enim nisi fuerit imposita pœnitentia, relaxatur. Et vanum esset (vt ille inquit) imponi pœnitentiam, & suscipi non eo animo vt impleretur, sed vt relaxaretur per indulgentias. Nec reuera dubitauerim antiquos illos & primos pontifices, qui indulgentias concesserunt, concessisse his duntaxat, qui toti intenti erant satisfactionibus illis implendis, quæ iuxta pœnitentiales canones imponebantur: iam verò largius videntur concedi. Sed si hæc sententia Caietani teneatur, paucissimi (vt hodie agitur pœnitentia) eas consequuntur. Et quoniam (vt diximus) hæc ex iudicio diuino pendent, neque propter nostras opiniones quidquã mutatur: ideo relinquenda sunt: & admonendi omnes quantum fieri potest, vt in hac vita curent pro peccatis satisfacere. In hac re satis est certa fide tenere, rectè & efficaciter indulgentias concedi in ecclesia, cùm adest rationabilis caussa: & efficaces esse illis, qui in Dei oculis digni sunt, & secundum eam partem qua digni sunt. Iudicium verò in speciali & de caussa, & de dignitate suscipientium, relinquendũ est Deo: nec potest aliquis iustè, quòd hęc doceantur, cõqueri, quasi inde retrahãtur homines à consequendis indulgentijs & æstimandis. Non enim hoc fit: sed ne per eas eneruentur satisfactiones pœnitentiæ, & contemnantur ab hominibus. Et hac etiam ratione satisfit magna ex parte calumnijs hæreticorum. Cetera tamen intendere acquirendis indulgentijs, quasi imperfectionis opus reprehendere, Lutheranum est: hoc Lutherus fecit: quasi melius sit velle satisfacere pro peccatis, etiam in purgatorio, quàm indulgentias quærere. Dicimus igitur iuxta sanam ecclesiæ doctrinam, quòd intendere consequendis indulgentijs, quãdo non

do non instant alia magis necessaria & pia opera, non solùm licitum esse, sed neque opus ipsum quod ad consequendam indulgentiam fit, carere merito & ex natura sua, & ex illo affectu cõsequendi indulgentiam, qui ex humilitate & cognitione imperfectæ nostræ satisfactionis, & affectu auferendi impedimenta omnia, quibus post hanc vitam differri posset visio Dei, oritur. Hic est enim affectus charitatis. Itaque eleemosynam dare vt subueniatur pauperi, & simul remittatur pars aliqua, aut tota pœna purgatorij: duplici ratione meritoriũ est vltra ipsam pœnam quæ remittitur. Ceterùm propter consequendas indulgentias relinquere meliora, reprehensibile est. Vnde b. Thomas docet, non debere monachum regularia instituta deserere propter cõsequendas indulgentias: quia illa (inquit) magis meritoria sunt. Et cauendum est in his, ne in illud incidatur euangelij, quod Christus reprehendit in Pharisæis. Dicitis: munus quodcunque est ex me, tibi proderit &c. Quod contingeret, si pauperes & verè egentes relinquerentur in inopia, vt obtinerẽtur indulgẽtiæ. Immo addit Hadrianus satis certè rationabiliter, nunquam obtineri indulgentiam per opus quod est peccatum veniale, etiam si id fiat, pro quo illa conceditur. Si (inquit) ex vana gloria aut inuidia quis eleemosynam det, pro qua conceditur indulgentia. Multo igitur minus obtinebitur, si contra ordinem charitatis & discretionis christianæ eleemosyna datur. *Math. 15.*

Vltimò de indulgentijs quæ defunctis conceduntur est breuiter dicendum. Primo igitur posse indulgentias defunctis concedi, quanquam minus certum sit apud doctores, quàm de his quæ conceduntur viuis: tamen certò tenendum est, & inter eccleſiastica & catholica dogmata computandum: inter ea scilicet, quæ posterioribus licet temporibus susceptа sunt ab ecclesijs omnibus & doctoribus in vnitate permanentibus: & est roboratum vsu ac decretis Romanorum pontificum. Quod quidem antequam explicatum esset aut creditum, non mirandum si in dubium reuocatum fuerit à doctoribus: post declarationem tamen non nisi stultè & schismaticè negari potest. Quanquam igitur Hostiensis cardinalis & non minimæ auctoritatis iuris doctor negauerit indulgentias defunctis plus prodesse, quàm prodesset ipsum opus, quod fit ad eas consequendas: nec putauerit esse auctoritatem illas concedendi in ecclesia: & eum sequuti fuerint alij: postquam tamen multorum Romanorum pontificum declaratio & vsus inualuit: posteriores omnes meritò consenserunt, & recepta est hæc sententia, quamuis non *Indulgentiæ etiam defunctis prosunt.*

tam

tam apertam habeat rationem & auctoritatem scripturę, nec tam antiqua sit, quàm indulgentia viuis concessa. Sixtus quartus ante septuaginta plus minus annos declarauit prodesse indulgentias animabus in purgatorio per modum suffragij. Et Innocentius illi proximus eo modo concesit: & omnes alij postea sequentes pontifices. Leguntur etiam Romæ ab antiquioribus pontificibus concessæ. In bulla quoque condemnationis Lutheri Leo decimus etiam hoc dogma eius damnauit, non prodesse defunctis indulgentias. Itaque ex his omnibus, quo gradu hoc habendum sit dogma constat, quodque nulli de eo dubitare liceat. Potissima verò ratio ex his sumitur, quæ de suffragijs diximus. Si certum est & perpetuò in ecclesia seruatum, posse priuatum hominem ex virtute charitatis & vnione ecclesię eleemosynis, orationibus, & ceteris huiusmodi prodesse defunctis, & suas illas satisfactiones illis dare: quare non poterit hoc ecclesiæ dispensator? vt scilicet satisfactiones iam reconditas illis applicet? quod reuera est per modum suffragij concedere indulgentias. Est quidem dubium subtilius, an auctoritate clauium concedantur hæ indulgentiæ: &, an aliquid iurisdictionis habeat ecclesiæ supremus dispensator in eos, qui sunt in purgatorio. In his tamen quæstionibus non est quòd immoremur. Deo relinquenda sunt hæc. B. Bonauentura hoc loco dist. 20. probabilius putat pontificem in nullum defunctum iurisdictionem habere, ex illo verbo: Quidquid ligaueris, vel solueris super terram: quo intelligit datam potestatem in eos qui sunt super terram, non in alios. Alij tamen, quia existentes in purgatorio nondum ad terminum peruenerunt, putant ad eos extendi: & verbum illud. Super terram, referunt ad ipsum pontificem, hoc modo: Quidquid tu super terram &c. Fauorabilior tamen magis & voluntaria est hæc sententia, quàm certa. Ecclesia itaq; non audet animas purgatorij absoluere, sed applicare illis satisfactiones sanctorum: quod quidem (vt Caietanus bene explicat) auctoritate clauium fit: quę est in dispensandum thesaurum, & in absoluendos sibi subditos, & quorum causas cognoscere potest. Vtrunque exercet ecclesia, cùm viuis concedit indulgentias, absoluit scilicet illos, & dispensat thesaurum. Vnum duntaxat exercet, cùm concedit defunctis: non enim illos absoluit, sed tantùm dispensat thesaurum, & ex illo transmittit eis suffragia: sicut qui eleemosynam aut ieiunium proprium ad eos transmittit. Vbi sunt duo extrema vitanda, vt doctores asserunt. Primum, ne ob hoc incertæ putentur indulgentiæ. Non enim

minus

minus certæ credendæ sunt, quàm suffragia priuatorum hominum. Quanquam & ista, & illæ non nisi ex diuina misericordia, & ex virtute vnionis illius ecclesiasticæ, qua & Christo & inuicem vniuntur membra, ad defunctos perueniant: non verò ex aliqua iurisdictione aut potestate Ecclesiæ. Vtrunque tamen certum est, vt diximus. Alterùm verò similiter cauendum vt extremum, ne tanta detur potestas in purgatorium pontificibus, vt ex quacunque caussa quidquid volunt possint concedere. In hoc consentiunt doctores omnes. Et ipse beatus Thomas qui putauit ex qualibet minima etiã caussa, sed quæ sit in honorem Dei, & ecclesiæ vtilitatem, posse quantumuis magnam indulgentiam concedi viuis: cùm verò de defunctis loquitur, quadragesima quinta d. 4. quæst. 2. apertè dicit, non quantam voluerit pontifex defunctis posse concedere remissionem, sed quantam ratio postulat. Ex his itaque quid in hoc articulo sentiendum sit, satis habetur iuxta communem doctorum doctrinam. Addit Caietanus iuxta ea quæ superius diximus de viuis, non omnibus animabus purgatorij prodesse illis concessas indulgentias, sed ijs, quæ specialiter meruerunt dum viuerent. Quod cùm Augustinus in Enchiridio, & libro de cura agenda pro mortuis, certa auctoritate probauerit Pauli, vt superius diximus: putat tamen Caietanus non omnem qui in charitate decedit, ex hoc solo meruisse vt prodessent sibi indulgentiæ, sed aliquo speciali merito, ex speciali aliqua deuotione erga claues ecclesiæ siue cura adiuuandi animas purgatorij, vel aliqua alia speciali ratione. Sed quare indulgentiæ magis sint restringendæ, quàm alia suffragia, certè non adfertur ab eo ratio. Mereri verò vt sibi post hanc vitam prosint suffragia, non aliunde ostendit Augustin. esse, quàm ex eo, quòd in charitate & vnione ecclesiæ decedat. Omnibus igitur his prodesse indulgentias, credi probabiliter potest.

DE

DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

LECTIO PRIMA.

De materia, forma, & effectu eius.

POST POENITENTIAM quinto loco conuenientissimo ordine ponitur sacramentum vnctionis infirmorum, quam extremam vnctionem vocant, vel quia datur in extremis agentibus, vel etiam, cùm sint aliæ vnctiones in ecclesia, hæc vltimo loco datur. Vnguntur enim catechumeni baptizandi: vnguntur & baptizati à presbyteris: vnguntur ab episcopis in confirmatione: vnguntur denique sacerdotes, & episcopi: vltimò demum infirmi. De quibus omnibus locutus est Innocentius tertius, vt habetur capite vnico, de sacra vnctione, in decretalibus. Itaque sacramentum de quo nunc agendum est, vnctionis scilicet extremæ infirmorum, quamuis apertè quidem institutionem eius non legamus, nec tanta sint antiquorum patrũ testimonia de illo, sicut de alijs sacramentis, non tamen minori fide tenendum est institutum esse à Christo. Cuius rei non desunt sufficientia testimonia, nisi his, qui nolunt intelligere, vt bene agant. Reijciunt quidem illud Lutherus, & sui omnes: sicut ante illum VVickleph & nonnulli alij hæretici. Nos igitur certissimam ecclesiæ fidem de hoc sacramento explicabimus, tradentes ordine de eo, quæ in supradictis sacramentis docuimus, & diximus in omni sacramento explicanda: idque iuxta ea quæ Magister, & illum sequentes 23. dist. quarti docuerunt.

Extrema vnctio qua re sic vocetur.

Quæ materia, & quæ forma extremæ vnctionis.

Primò igitur omnium de visibili elemento & verbo huius sacramenti, materia videlicet & forma dicendum est. Materia itaque huius sacramenti oleum oliuarum cõsecratum per Episcopum ab Ecclesia habetur: quæ etiam simul tradit formã eius & verbum esse orationem deprecatiuã, qua oratur Deus in vnctione singulorum membrorum (quæ præcipua sunt instrumenta sensuum,

sensuum,& humanarum operationum quibus peccatur) vt remittat quod per ea peccatum est: quanquam non omnes ecclesiæ præcisè eisdem verbis vtantur. Sed vtrunque horum ita explicauit concilium Florentinum sub Eugenio 4. plenam tradēs doctrinā omnium sacramentorū Armenijs, tūc vnitis Ecclesiæ. Nam de materia ita habet: Quintū sacramentum est extrema vnctio, cuius materia est oleū oliuæ benedictum ab episcopo. Et postea: Forma huius sacramenti est: Per istam sanctam vnctionē & suā pijssimā misericordiā indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum: & similiter in alijs membris. Ibi enim septies infirmum inūgi oportere dicitur: in oculis, auribus, naribus, ore, manibus, pedibus, renibus: quanquā hoc vltimum in nōnullis ecclesijs omittatur. Nec concilium quasi nouam doctrinam Ecclesiæ hoc tradit: sed sunt huius rei scripturæ, & antiquitatis testimonia. Primū Marci 6. cap. discipuli Christi missi legūtur vnxisse multos egros oleo, & ita sanasse: quod nō dubium est eos ex Christi institutione, à quo mittebātur, fecisse: quā postea Iacob. Apostolus in ecclesia obseruandam apertè docuit: nō instituens quidem, sed promulgans institutionem Christi: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus & si in peccatis est dimittentur ei. Vbi apostolus omnia ferè quæ ad hoc sacramentum pertinent, explicauit: nos verò singula suis locis examinabimus. Nunc institutionem sacramenti, ac materiā & formā considerabimus. Primò, quis poterit existimare Iacobū Apostolum ausum fuisse in ecclesiam inuehere tā certam & indubitatam cæremoniam, quā à Christo non accepisset: & (quod maximum est) tribuere illi peccatorum remissionem, quā solus Deus facere potest? Propter hoc enim, vt à principio diximus, omnium sententia habet, sacramenta omnia à solo Christo instituta: quia sicut solus ipse remittere peccata potest, ita & solus designare elementa & verba, quibus ea dimittantur: deniq; & solus potest fundare Ecclesiam, cuius non minima fundamenta sunt sacramenta, sicut & fides. Hæc itaque omnia à Christo habemus. Ceterùm Iacobus Ierosolimitanæ illius primæ Ecclesiæ Episcopus primò potuit hoc docere, nec sine aliorū Apostolorum scientia & consensu eum hoc fecisse credendum est. Et certè si hoc non constaret inter omnes Apostolos, nunquā ille ausus fuisset tam certò docere: quod satis constat, si ea quæ de legalium obseruatione facta legimus, consideremus. Illud

Iacobi 5.

Christus instituit hoc sacramentū, sicut & omnia alia.

igitur inter cetera quoque documenta, non vt nouam institutionem, sed vt certam doctrinam proponit. Est itaque illa promulgatio huius sacramenti. Quod Beda in illū locum, & in locū Marci apertè docet: addens Innocētij primi auctoritatē (de qua postea) vt verbum illud, Vngentes illum oleo in nomine Domini, refert ad ipsam sanctificationem vnguenti, quòd scilicet debeat esse in nomine Domini benedictum ab Episcopo: quanquam possit referri ad ipsam vnctionem. Nam nonnullæ Ecclesiæ hac forma vtuntur: Vngo te in nomine patris &c. additis etiam postea verbis, quæ diximus esse formam. Sed & hoc ipsum Chrysostom. 3. lib. de dignitate sacerdotali, probans sacerdotes peccata remittere, ex hac auctoritate Iacobi apertè cō firmat. Non tantùm (inquiens) in baptismo peccata remittunt, sed etiam postea, iuxta illud Iacobi: Infirmatur quis &c. ex quo Chrysostomi loco conuincitur, quàm aperta sit calumnia hæreticorum dicentium verbum illud græcum, presbyteros, nos falsò ad sacerdotes traxisse, cùm solùm seniores significet. Ecce Chrys. græcus & antiquus doctor, de sacerdotibus id intelligit: quo ostēditur, in ecclesia etiā græca, vocabulū illud cōmune solis sacerdotibus applicatū fuisse. Sic enim & Paulus ad Timotheū inquit: Presbyteri qui bene præsunt &c. Sufficere possent loca ista scripturæ, & testimonium Bedæ, ac b. Chrysost. ad huius sacramenti veritatem agnoscēdam. Nam Innocentius etiam primus, contemporaneus Augustino, in epist. ad Euglibinum Episcopum, prima scilicet quę inter eius Epist. habetur, 8. c. apertè dicit hoc esse sacramentū, aut (vt ille inquit) genus sacramenti: & ideo negādum ei, cui alia sacramenta negantur. Ecce, Innocentius apertè nomen sacramenti posuit, cùm res ipsa ex verbis Iacobi satis ostendatur. Illa enim apertè testatur hic esse visibilia elementa, & verba habentia promissionem remissionis peccatorum. Est igitur sacramentum. Adfertur auctoritas Augustini lib. 2. de visitatione infirmorum c. 4. vbi dicit nō esse omittendum infirmis, quod Iacobus præcipit: sed reuera liber ille non est Augustini. Quare non est, cur plura quæramus testimonia: Habemus tres probatissimos auctores, Bedā, Chrysostomum, & Innocentium: qui non tāquam de re dubia loquūtur: quo insinuatur illius temporis doctores hoc ipsum sensisse, & Ecclesiam habuisse in vsu: sed vt superius diximus, de certissimis rebus pauciora loquuti sunt, quòd non veniissent in controuersiam. Tria itaque ista certissima iam constant: quòd videlicet hoc sit sacramētum: & quòd ita perficiatur, vt diximus,

vnctio-

vnctione membrorum: ac quòd illa quæ diximus, sint eius materia & forma. Vbi duo sunt etiã aduertenda. Primũ, quòd cùm in pluribus partibus fiat vnctio, idque sit de necessitate sacramẽti, vnum tamen sacramentum ex pluribus actionibus, quasi partibus integrantibus constituitur. Quare non dubitant doctores quin possit, & debeat à pluribus dari, altero perficiente quod alter cœperat, si qua necessitas, aut impossibilitas accidat: nec vllo modo repetendum est, quod ab altero est factum: quãquam in Eucharistia, si consecrata hostia sacerdos deficeret, posset alius aliam consecrare. Secundum, quòd mutili sunt inungẽdi in partibus propinquioribus, cùm non desint illis sensus, propter quos fit vnctio: & hæc quidem ad integritatem perfectam huius sacramenti pertinet. Ex quibus præsentium hæreticorum vanissima coniectura reijcitur. Dicunt enim opus illud discipulorum Christi ad miracula pertinuisse, & Iacobum de hoc ipso fuisse locutum, non verò de sacramento aliquo: vnde eo tantùm tempore illud seruandum fuisse, quo in Ecclesia fuerunt visibilia miracula, non verò nostro iam tempore. Quibus respondendum, nos ex facto quidem illo discipulorum solo non asserere institutionem huius sacramenti: quin potius illa quædam adumbratio eius extitit, & sub figura inchoatio, & hoc ad miraculum pertinuisse: quod verò postea Iacobus dixit, nequaquam potest referri ad hoc, sed ad sacramentum, quia dicit: Si in peccatis est, dimittentur ei. Nam cetera de salute infirmi, inferius dicemus qualiter intelligenda sint. Hoc verò habemus vt certissimum ex traditione & totius Ecclesiæ consensu, cui testimonium perhibent patres illi quos citauimus, sufficiẽs quidem, & multò fide dignius hæreticorum omnium, & ab ecclesia recedentium clamoribus. Nihil volunt illi recipere, nisi aperta auctoritate scripturæ probetur, & permittunt sibi, quoties placet, diuinare expositione scripturæ, etiam contra auctoritatem antiquorum. Beda in vtrunque locũm, Marci & Iacobi, inquit hoc tenere Ecclesiæ cõsuetudinem, & ab ipsis Apostolis hunc morẽ traditũ. Ipsi cõtrariò, non debere fieri, nisi cũ tẽpus fuit edẽdi miracula. Doceãt qua ratione, aut qua auctoritate scripturæ, quando Apostoli tradiderunt aliquid Ecclesiæ, non sit hoc in ea perpetuò seruandum. Aut in illo loco videant, an præterita & sequentia aliquid habeant, vnde hoc cõiectare possint. Fortè adferẽt de sanguine & suffocato. Sed patet hoc ad fouendã concordiam Iudæorum & gentilium, & ad adunandos illos in vnam ecclesiam pertinuisse: atque ideo solùm pro eo tem-

Sacramenti extrema vnctionis vnum est.

Mutili quo modo hoc sacramentũ possint suscipere.

pore fuisse seruandum, quo illa Iudæorum abominatio erga illos cibos durauit: alioqui certa fide habemus, legalia omnia ablata esse: & de vtroque horum habemus auctoritatem Ecclesię. Sed iam ad sequentia.

Effectus extremæ vnctionis.

Post materiam & formam, ipsiusque sacramenti impletionē, de effectu eius atque significatione proximè dicendum est. Effectum quidem non est opus aliunde colligere, quàm ex ipsis Apostoli verbis: Oratio fidei (inquit) saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis est, remittentur ei. Tria apertè tribuit huic sacramento: infirmi saluationem, alleuiationem, & remissionem peccatorum, si quæ habet. Quod rectè considerantes doctores nostri, non cunctantur dicere, primum quidem & proprium effectum huius sacramenti confortationē esse, & robur contra vltimæ infirmitatis & mortis ipsius, atque humanæ trepidationis: ex peccatorum præteritorum, & imminentis Dei iudicij consideratione, tristitiam, angustiam, atque deiectionem: ita videlicet, vt roboratus animus nec ipso dolore infirmitatis, nec alijs, quæ diximus, grauetur: sed in hilaritate, & bona spei fiducia omnia superet: quod certè verba illa significant: Alleuiabit eum Dominus. Hunc effectum alij explicant, quòd sit deletio reliquiarum peccati: non earū quæ ex consuetudine peccandi solùm relinquuntur, dispositionum: sed etiam debilitatis cuiusdā, quæ ex peccatis præcedentibus semper manet in anima: quæ tunc maximè nocere posset, cùm tanti instāt conflictus ab infirmitate ipsa & hostibus. Alij alijs modis hoc explicant. Sed ex verbis Iacobi, & ex articulo ipso necessitatis in quo traditur (de quo posteà dicemus) hanc animi confortationem proprium esse effectum, in quem hoc sacramentum est institutum, cōstat: qui etiam propriè significatur ipsis exterioribus signis. Primò, vnctione atque oleo: quod (vt Theophilactus inquit in illum locum Marci) ad labores est vtile, & hilaritatis effectiuum: ideoque dei misericordiam significat. Oleo exultationis legimus in psalmis Christum præ ceteris vnctum. Quo significatur alios etiam illo vnctos esse. Vnde & lenitiuū maximè est in medicamentis, & penetratiuum, atque efficax, vt b. Thom. hoc loco inquit. Et propterea, cùm maximè exhilarari oporteat hominem, & leniri difficultates in operanda salute nostra medentes, & infirmitatem ipsam penitus roborari, in articulo scilicet mortis, adhibetur hoc sacramentum. Cui optimè quoque conuenit promissio illa ad gratiam Christi pertinens, apud Esaiam factam: Erit in die illa, auferetur onus eius de humero

Primus & proprius effectus extremæ vnctionis.

Esaiæ 10.

mero tuo,& iugum eius de collo tuo,& computrescet iugum à facie olei. Quod, ergo, aliud iugũ, quàm de quo in Ecclesiastico dictum est: Occupatio magna creata est, & graue iugũ super omnes filios Adam, à die exitus à matre eorum, vsque ad diem sepulturæ &c. Iugum hoc seruitus illa peccati est, de qua Paulus conqueritur: Ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Hæc debilitat animæ nostræ robur, & impotentem reddit animam ad resistendum aduersis. Hanc non dubitãdum est abundantia gratiæ Christi in hoc sacramento superari. Quare persuadendum est infirmis, cùm illud traditur, vt considerent se tanquam athletas veros Christi ad vltimum certamen inunctos esse multò magis interius abundantia gratiæ illius, quàm exterius oleo illo: quare nihil sibi esse timendum à quauis contraria virtute. Vt etiã illud psalmi in hoc loco impleatur: A fructu frumẽti, vini, & olei multiplicati sunt fideles: scilicet sacramenti eucharistię (quod semper hoc præcedere debet) & huius virtute. Nam ita in alio psalmo coniuncta sunt: Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me: impinguasti in oleo caput meum. Vnde in priori illo psalm. mox sequitur: In pace in idipsum dormiam & requiescam: quod catholicus dicit, frumento & oleo cõfortatus. Hanc igitur Christi vnctionem magni, certè dignum est, vt faciamus, nec dubitemus ab eo qui nouit infirmitatem nostram institutam, tunc efficaciter & spiritualiter nobis ita conferri, vt qui fide integra eã susceperint, inuenturi sint, cùm humana omnia deficiunt auxilia, præsentissimam Dei gratiam. Sic enim placuit medico illi, qui ad nos infirmos venit, quique sanat omnes infirmitates nostras, oportunè cuilibet articulo remedium adhibere. Vbi considerãdum, quòd qui nos in ingressu in mundũ, aut in principio christianæ vitæ baptismo susscipit & generat, confirmatione roborat ad pugnandum in vita: extrema hac vnctione ad vltima illa & grauissima bella munit. Vt meritò illud psalmi de his exponere possimus: quod certè de abundantia gratiæ Christi in ecclesia dictum est: Posuit fines tuos pacem. Fines, scilicet ingressum & egressum: vt pacifice ingrediamur & vitam, & ecclesiã, baptizamur & confirmamur: vt pacificè egrediamur, inungimur. Nam nec illud tacuit, quo in vita alimur: cùm statim addit: Adipe frumenti satiat te. Hic igitur est proprius & primus effectus huius sacramenti: qui & intelligi potest in prioribus illis verbis Apostoli: Oratio fidei saluabit infirmum. Sed referunt etiam illud doctores ad effectum alium, quem verè astruũt hoc

Eccles. 40.

ad Rom. 7.

Quomodo monendi sint infirmi ad suscipiẽdum extremam vnctionem.

Psalm. 4.

2. Effectus.

ſacramento conferri: quòd ſcilicet & corpori adferat ſanitatẽ. Cùm enim aut ſaluti infirmi, aut eccleſiæ id conuenientius eſt, non dubitant etiam hoc ſacramento fieri vt ſanetur: non quidẽ miraculoſè & ſubitò, nunc, cùm non eſt tempus miraculorum, ſed Dei prouidentia, & virtute ſacramenti, & alijs etiam medijs: quod multi ſe expertos fatentur.

3. Effectus. Tertius denique effectus, non omittendus, apertiùs à Iacobo ponitur. Si in peccatis (inquit) eſt, remittentur ei. Vbi quia nec de mortalibus, nec de venialibus loquitur, ſed in vniuerſum de peccatis: meritò reprehẽdendi ſunt, qui ad venialia peccata hoc reſtringũt, quaſi hic ſit proprius effectꝰ huius ſacramẽti, venialiũ remiſsio: ſed verũ ſenſum ex ipſo Apoſtolo ſumamus. Si in peccatis (inquit) eſt. Certè, conditionaliter hoc ponens, & vltimo loco poſt duo ſupradicta, ſatis oſtendit ad remiſsionem peccati alia ſacramenta ordinari, nec hoc eſſe proprium huius ſacramenti. Nam (vt verbi gratia dicamus) de pœnitentia non propriè diceretur, ſuſcipiens pœnitẽtiam, ſi habeat peccata, remittentur ei: nec enim ſuſcipit pœnitentiam ſi non habet peccata: ſed hoc ſacramentum ſuſcipitur etiam remiſsis peccatis: ſed tamen virtute gratiæ, quam non dubium eſt hoc ſacramento conferri, remittuntur ſi qua reliqua ſunt, quæ vel per ignorantiam, vel per infirmitatem in alijs ſacramentis remiſſa non ſunt. Excitatur enim in anima maior deuotio ac charitas: atque ita & peccata remittuntur ſi qua ſint, & ab omni infirmitate & reliquijs magis liberamur, quàm per alia ſacramenta. Hi itaque ſunt tres huius ſacramenti effectus, non ex coniecturis noſtris, ſed ex verbis ipſi⁹ Apoſtoli manifeſtis. Primus videlicet ſignificatus his verbis: Oratio fidei ſaluabit infirmum: Salus ſcilicet corporis, vt dictum eſt. Hunc, quaſi alijs manifeſtiorem, primò ponit. Secundus eſt roboratio infirmitatis animæ, & curatio debilitatis: Alleuiabit eum (inquit) dominus: qui illo ſpiritualior eſt: & ideo ſecundo loco ponitur. Tertius denique eſt peccatorum remiſsio quòad culpas, quòad pœnas, & quòad reliquias: Si in peccatis eſt: dimittentur ei. Omnes hi effectus primò optimè quidem figurantur in ipſis olei proprietatibus: deinde quãquam forma ipſa principaliter ſignificet peccatorum remiſsionem, eamque per modum deprecationis (quod factum eſt iuxta verbum ipſius Apoſtoli, qui de presbyteris eccleſiæ inquit: Orent ſuper eum: & iterum: Oratio fidei ſaluabit infirmum) tamen in orationibus alijs, quæ in huius ſacramenti exhibitione multa pietate & grauitate antiquitatis plenè dicuntur, magno ſpi-

spiritu petuntur alij effectus ad sanitatem corporis & robur animæ pertinentes. Itaque omnia illa, quæ iuxta cuiuslibet ecclesiæ ritū constituta sunt, omni cura sunt dicenda, nomine certè totius ecclesiæ, quæ per ministros suos ita orat: & credenda sunt maximè apud Deum efficacia esse.

LECTIO SECVNDA.

De *ministro*, *& susceipiente*, *& ceteris ad hoc Sacramentum pertinentibus.*

POST illa quæ proxima lectione dicta sunt, restat vt primùm de ministro proprio huius sacramenti: deinde de eo cui tradendum est, dicamus: & vltimò de ceteris quæ ad hoc sacramentum pertinent.

Minister extremæ vnctionis est sacerdos.

Minister igitur apertè ab Apostolo ostenditur esse sacerdos, quem nomen presbyteri, vt ex Chrysostomo & Innocentio diximus, significat: quid quid ecclesiæ aduersarij dicant. Et meritò quidem hoc sacramentum nec episcopis reseruatur, quod commune est omnibus fidelibus: nec inferioris gradus ministris permittitur, cùm in eo sit remissio peccatorum. Vbi non est omittendum, quòd olim in ecclesia oleo ab episcopis cōsecrato permittebantur omnes vti in suis infirmitatibus, vt Innocent. supradicto loco, & Beda etiā in locum illū Iacobi apertè dicūt, his vterque verbis. Quo ab episcopo confecto (de oleo enim loquuntur) non solùm sacerdotibus, sed omnibus etiam christianis vti licet in sua, aut suorū necessitate, inungendo. Quod tamen non quasi sacramētum cōcessum fuisse omnibus, satis auctores ipsi ostendunt: sed ob deuotionem & consolationem. Ceterùm (vt Innocentius supradicto loco dicit) non est ambigendum posse etiam ab episcopis administrari, cùm illis placuerit. Sed & ipsi sacerdotes satis in huius sacramenti administratione ab episcopis pendent, cùm præter hoc quòd ab eis ordinantur, etiam materiam suscipiant ab eis consecratam: quod de necessitate huius sacramenti esse consensus ecclesiæ tenet. Materia enim consecrata (non simplici, quæ in baptismo sufficit, quanquam & hæc propter so-

Oleū necessariò debet ab episcopo esse consecratum.

solennitatem consecratur) vtendum necessariò est. Consecratio verò quoties in materia sacramenti necessaria est, episcopis reseruatur. Vbi non alia ratione opus est, quàm illud esse instituentis beneplacitum: cui attestatur consensus ecclesiæ, & certè in hoc valdè consulit Deus Ecclesiæ ordini, dum ad ministros proximè sacramenta administrantes, non nisi per Episcopos, qui supremi sunt, descendit diuinæ gratiæ operatio.

Quis huius sacramẽti sit capax.

Quis verò capax sit huius sacramenti suscipiendi satis ostendit ipse Apostolus: Infirmatur (inquit) quis in vobis Solis igitur infirmis tradendum est: quod in leuamen infirmitatis constat esse institutum. Nec omnibus infirmis: sed his, de quorum periculo timetur quique iuxta humanã æstimationẽ morti appropinquare videtur: cùm hoc sit vltimũ ecclesię remediũ, & ad vltimas illas difficultates mortis, vt dictũ est, ordinetur. Sic enim in Concilio Florentino de hoc sacramento statutum est, vt non nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari debeat, quod habet cõsensus ecclesię. Et satis verbis ipsis Apostoli innuitur, nõ nisi grauatis infirmitate, & quibus alijs remedijs non speratur posse subueniri, & denique post alia remedia esse conferendum, tanquam vltimam ecclesiæ medicinam. Vbi quanquam nimia facilitas & festinatio in hoc sacramento conferendo, non sit probanda, multo tamen magis fugiendum est oppositum extremũ: vt scilicet cùm de periculo mortis timetur, nõ statim detur hoc sacramentum, aut diutius etiam expectetur. Nam in multis videmus (nec id rarò) propter dilationem vel non integrè potuisse conferri sacramentum, vel alienatis omnino iam, & extra omnem sensum fuisse administratum. Vbi non est dubium multũ fructus deperire infirmis. Dandum quidem est omnino etiam alienatis, sicut & sacramentum eucharistiæ, cùm præcesserint signa fidei & deuotionis: sed non dubium est multo vtilius dari his qui sensu integro, fide, & deuotione in Deum erecti intelligunt, consentiunt & cooperantur his omnibus quæ fiunt. Igitur persuadendum esset sanis, hoc sacramentum esse medicinã Christianis, atque ideo desiderandum, & amplectendum cùm de morte rationabiliter timetur, non verò solum cùm desperatum est de vita. Quare non debent sibi persuadere qui hoc sacramentum suscipiunt, sine spe vitæ se esse debere: magis verò credendum est, quòd & ad viuendum, si Deo placuerit, & citius conualescendum ab infirmitate profit: vel certè ad tranquillius & quietius moriendum, si Deo hoc magis placuerit. Præcedere quidem debent alia (pœnitentiæ videlicet & eucharistiæ) sacra-

cramenta,& longè antea,cùm non subitus incidit morbus, tradenda sunt infirmis. Multo enim in illis quàm in hoc minus expectandus aut periculosior morbus,aut timor mortis. Nam illa in quauis infirmitate etiam minori, sicut in quauis angustia & debilitate animi,vel corporis meritò sumenda essent:hoc verò non nisi in periculo & timore mortis. Medicorum etiam in hac parte doctrina, de nunquam annunciando tristia infirmis, attemperanda est fide & ecclesiæ doctrina, & cauendum maximè,ne hac ratione fraudent quenquam tantis diuinę gratię donis.Nec dubitandum est peccare eos qui contraria agunt,quanquam nolimus durius de hoc peccato iudicare, inferius de eo nonnihil addemus.

Quibus nõ sit danda extrema vnctio.

De suscepturo igitur hoc sacramentũ hæc etiam ex dictis ab Apostolo inferũtur. existentibus in periculo mortis, aut certis de ea aliter quàm ex infirmitate,extremam vnctionem non esse dandam. Ait enim Iacobus: Infirmatur quis &c. Rursum, nec pueris vsu rationis carentibus, aut perpetuò amentibus: cùm peccata actualia non habeant,ob quæ maximè datur:Si in peccatis(inquit) est &c. Nec isti vlla egent corroboratione, cùm nullum habeant bellum: nec denique spirituali deuotione aut tunc, aut antea erga ipsum sacramentum moti sunt.

Patet etiam ex his iterari posse hoc sacramentum. Nec enim effectus eius perpetuus est,aut indelebilem aliquem characterẽ aut potestatem tradit:sed tantùm peccata remittit, & confortat animum. In eadem tamen infirmitate non esse repetendũ censent doctores. Nec enim est dubitandum iniuriam fieri virtuti sacramenti,quod semel datum,vsque ad oportunum tempus sua virtute durare credendum est. In eadem (inquam)infirmitate, & in eodem infirmitatis statu.Cùm enim non sit dandum, nisi cùm de morte timetur: in acutioribus & velocioribus morbis timor ille mortis manet quousq; sanetur: quare nõ est iterũ eis dandum sacramentum. Verùm si aut plenè sanus, aut conualescens iã recideret,non negatur iterũ dandum esse tunc sacramẽtum:est enim alia infirmitas.In diuturnis etiã morbis,quoniam nõ est dandũ,nisi cùm timetur periculũ, si illud euaderet infirmus,etiã manente morbo diuturniore,vt hectica,vel hydropisi(inquit b.Thomas)iterãdum est sacramentum. cùm infirmus iterũ in periculum venerit. Quæ omnia tanquam probabilia & consona æquitati meritò susciptenda sunt: maximè quòd hac ratione sacramentorum,atque ita donorum gratiæ frequentius efficiantur participes fideles:nec est cur restringenda sint.

De necessitate extremæ vnctionis.

Vltimò de huius sacramenti necessitate illud considerandum quòd cùm sit(vt superius diximus)duplex necessitas : quædam remedij,alia verò præcepti, necessitate nanque remedij baptismus est necessarius, defectu cuius etiam pueri non saluantur: de qua non est quòd nunc agamus,cùm manifestum sit hoc sacramentum non ita esse necessarium. De necessitate igitur præcepti solùm hic quæstio est. An videlicet omissio huius sacramenti sit peccatum & transgressio præcepti diuini? In quæstione Magister quidem sententiarum hoc loco apertè dixit damnabile esse peccatum(quod certè mortale intelligit) hoc sacramentum ex contemptu, vel ex negligentia omittere. Itaque apertè sentit præceptum esse ad mortale obligans de hoc sacramento suscipiendo:quanquam hoc loco,& in expositione literæ b.Thom.& b.Bonauent.conformiter,imò eisdem verbis(vt putari possit ea in altero eorũ apposita esse)dicunt, nõ esse hoc sacramentũ necessarium : & disiunctiuũ illud dictum Magistri magis copulatiuè accipiendum esse,vt sola omissio ex contemptu vel negligentia procedens, aut in contemptum inducens credatur mortalis. Posset quis hoc cõfirmare verbis Innocẽ.loco superius citato, qui tantũ asserit fideles oleo sancto perungi posse,nõ verò teneri. Et videbitur fortè sententia hęc rationabilior, eò quòd non facile ad peccatũ mortale astringi debeant cõscientiæ,vbi non est aperta aut ratio,aut auctoritas:sed nobis reuera magis videtur sequendus esse Magister, & eius verba simpliciter accipienda. Nam quæ à b.Tho. & Bona.dicuntur, essent maioris auctoritatis, nisi ab eis in iuuentute, & sub alijs magistris scripta essent,quando multa dicuntur magis ex communi aliorũ sensu. Nam si rectè perpendamus, quanta res sit sacramentum quodlibet à Christo tanto consilio,& in tantum beneficiũ humanæ infirmitatis institutũ : & specialiter hoc, quãtis subueniat periculis,& in quanta necessitate diuinam adferat gratiã & auxilũ:puto videbimus quàm rationabile sit, vt tanquam res grauissima sub peccati mortalis periculo præcipiatur, & denique quòd pernicioſissima & æterna morte digna sit negligentia salutis propriæ, in non suscipiendo hoc sacramento in tanto periculo & discrimine. His accedit & consuetudo & cõsensus ecclesiæ. Admonentur enim infirmi (ita agẽdis ipsis multarum ecclesiarum præcipientibus) vt petant sibi hoc sacramentum dari cùm fuerit, quasi ad hoc proculdubio teneantur, vnde periculosum esset, si ipsorum voluntate eis hoc sacramentum non daretur. Itaque tutius putamus & maiestati sacramenti

Valde periculosum est negligere hoc sacramentum.

con-

conuenientius, credere quòd simpliciter sub peccati mortalis periculo sit suscipiendum. De qua re putamus admonendos omnes, & infirmos, & eorum curam agentes. In speciali verò cùm per negligentiam contingit deesse sacramentum, iudicandum est qualis negligentia, qualis voluntas fuerit &c. nec temerè quidquam definiendum est: modò intelligatur hoc sacramentum quasi rem grauissimam habendum esse: atque ita eo vtendum, vt omissio eius non minimi fiat.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

LECTIO PRIMA.

De *origine ordinum* Ecclesiasticorum.

QVINQVE, de quibus locuti sumus, sacramenta communia sunt, & sua ratione necessaria fidelibus omnibus. Restant iam duo vltima, nec omnibus Ecclesiæ membris cõmunia, nec ad salutẽ singulorũ: sed toti dũtaxat Ecclesiæ & propagãdæ & gubernãdę necessaria: Ordo scilicet & Matrimoniũ. De quibus eodem ordine agendum est, secundum videlicet eorum dignitatem. Nam ordo excellentior est matrimonio, cùm sit ad spiritualem propagationem, quæ per euangelium & sacramenta fit, institutus: & ita potestatem spiritualem & planè diuinam confert hominibus. Matrimonium verò solùm ad propagandã carnalem plebem, in qua, dum spiritualiter regeneratur, conseruetur perpetuò fides & religio christiana, institutũ est: simulq; ad carnis infirmitatem excipiendã & temperandam. Hæc enim duo manifestum est quàm sint ecclesiæ necessaria: carnalis videlicet propagatio (quæ tamen magis Iudaici est populi, necessaria interim ob communem moriendi conditionem, vt vsque ad finem mundi perseueret ecclesia, sicut à Christo promissum est) deinde spiritualis illa generatio (de qua Paulus inquit: Per euan-

euãgelium ego vos genui) & populi regenerati in eadem gratia conseruatio & gubernatio. Iam igitur ad ordinem, primum videlicet horum & dignius, tractandum accedamus.

Sacramentum ordinis maximè hæretici & nostri temporis, & antiqui etiam nonnulli impugnant: & quanquam de præcipuis quæ ad illud pertinẽt, satis conueniat inter catholicos doctores, de quo tã à theologis, quàm in ipsis iuribus multa sunt tradita: non pauca tamen adhuc dubia sunt. Quare putamus in hac re opus esse multa & diligenti antiquitatis ecclesiæ cognitione, & fidei pietate atque modestia: vt scilicet intellectũ captiuemus in obsequium fidei, & non temerè quidquã asseramus: sed quod certa auctoritate & digna fide probari possit: quod pro captu nostro conabimur, sequuti ea quæ à Magistro sententiarum 24. & 25. distinctione quarti, & alijs nostris doctoribus dicta sunt: & similiter quæ à Gratiano aliquot prioribus distinctionibus decreti: qui diligenter multa collegit ex antiquioribus patrum & pontificum decretis & doctrinis:

A 23. vsq; ad 49.

In primis igitur explicaturi quæ ad hoc sacramentum pertinent, quid ex scriptura & traditione vniuersali de ordinibus, numero eorum & diuersitate, functionibusque & ministerijs singulorum colligatur, dicemus. Secundò de ratione atque modo, quo ordines isti traduntur: & demum ex his de ratione huius sacramenti, & partibus eius agemus. Iam ad primum accedamus. Circa diuersitatem & numerum ecclesiasticorum ordinum statuamus primò duo certissima fundamenta. Primum. Ex institutione Christi, & naturali etiam ratione in ecclesia necessarios fuisse homines ministros sacramentorum, verborum, & donorum Christi: & medios inter nos & Deum. Quod multis & apertissimis rationibus atq; auctoritatibus facile est probare. Christum ipsum hoc instituisse, testis est Paulus, pluribus quidem locis: sufficiat interim ille. Idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non literæ, sed spiritus. Vbi de hoc ministerio & dignitate eius multa loquitur: comparans illud cum legis veteris ministerijs. Si ministratio (inquit) mortis in gloria fuit, quanto magis ministratio spiritus erit in gloria? Quàm verò hoc conueniens fuerit, ex his quę beatus Augustinus in prologo de doctrina christiana loquitur, conuenientissimè probari potest. Hoc enim & ad dignitatem humanæ naturæ, atque ecclesiæ (quam Deus templum & sponsam suam vocat) non parũ conducit: dum scilicet Deus tantam potestatem dat hominibus. Sed & ad mutuam vnitatem & charitatem conseruandam

Necessarij sunt ecclesiæ ministri.

2. Cor. 3.

pluri-

plurimum valet: dum alij ab alijs necesse habent diuina susci-
pere: & alij ea possunt præstare alijs. Quod beatus Gregorius *Lib. 4.*
de hac re loquens in epistola ad vniuersos episcopos Galliæ, *epist. 52.*
pulcherrimè docet. Deniq; & ad humilitatem docendã & cõ-
seruandam: quæ tantoperè ad dona Dei consequenda necessa-
ria est. Hoc enim efficacissimo medio vsus est Deus, vt homi-
nes subdat hominibus ad participanda dona diuina. Vnde (sicut
Augustinus ibi inquit) Paulus ipse prostratus de cælo ad Ana-
niam mittitur baptizandus: nec tantùm prostratus, sed raptus
etiam ad tertium cælum, & ibi edoctus, ministerio tamen illius
hominis & illuminatur corpore, & impletur spiritu sancto. Ad-
dit beatus Thomas duas alias huius rei rationes capite 74. quar
ti contra Gentiles: vt sicut sacramenta sensibilia quædam sunt
signa, sed Dei virtutem continentia: atque à Christo homine
quidem vero & manifesto: Deo etiam vero, sed abscondito in-
stituta: ita per homines corporeos quidem & manifestos, ho-
minibus, sed tamen occultè Dei virtute & potestate præditos,
dispensantur. Vnde Paulus: Sic (inquit) nos existimet homo, vt
ministros Christi, & dispensatores mysteriorum eius. Vbi vtrũ- *1. Cor. 4.*
que complexus est, comparationem scilicet ministrorum ad ip
sa sacramenta, & ad Christum. Iuxta hoc etiam secundum fun-
damentum nobis constituendum est: ex institutione videlicet
Christi, cõsona etiam humanæ & naturali rationi, in hoc sacra-
mentorum & aliorum donorum gratiæ ministerio plures &
ordinatos (conuenienti scilicet ratione per gradus & functio-
nes distributos & adunatos) necessarios esse. Quod in multis
locis Paulus etiam docet, vtens semper similitudine membro-
rum corporis: Ad Ephesios loquitur de Christo: Dedit (in- *ad Ephe. 4*
quiens) quosdam Apostolos, alios prophetas, alios euangeli-
stas, in cõsummationem corporis sui, & in opus ministerij &c. *1. Cor. 12.*
Quod ipsum latius prosequitur ad Corinthios, cùm ecclesiam
ordinat, & multò plura dona diuersæ gratiæ recensет. Denique
& ad Romanos vnicuique suam esse tenendam mensuram do- *Rom. 12.*
cens, hoc confirmat: Sicut (inquiens) in vnõ corpore multa
membra habemus &c. ita omnes vnum corpus sumus in Chri-
sto &c. habentes donationes differentes &c. Cuius etiam b.
Thom. tres conuenientissimas rationes d. 24. 4. hoc ipsum
tractans, adduxit ex patribus & scriptura. Relucet non parum
diuina sapientia in hac diuersa quidem, sed vnitissima graduum
& ordinum distinctione, ostenditurque illius gloria, & consi-
derantes in admirationem prouocantur, non minus quàm in

pul-

pulchritudine totius vniuersi, quæ ex diuersis quidem, sed ordinatissimis perfectionibus creaturarum constat. De hoc enim dictũ est in psalmo, vt August. legit: Deus in gradibus eius cognoscetur: ecclesię scilicet, quę tanta graduũ diuersitate ordinata est. Et in altero psalmo: Omnis gloria eius (scilicet ecclesiæ) ab intus in fimbrijs aureis, circumamicta varietatibus. Hoc itaque meritò in admirationem adducit considerantes multò magis, quàm ordo familiæ Salomonis reginam illam Saba in stupore adduxit. Sed & hoc humana infirmitas requirit, qua fit, vt vnus non possit multa implere & multis satisfacere: opus igitur est vt alij ab alijs sumant auxilia. Quare multitudo ista ordinata ministrorum mirum in modum confirmat ecclesiam: vt meritò propter hoc de ea dictum sit: Terribilis vt castrorum acies ordinata. Denique hac ratione diuinæ perfectiones & dona pluribus communicantur, & excitantur plurimi ad perfectam sanctamque emulationem, de qua Paulus dixit: Aemulamini charismata meliora: atque ita multi præparantur ad perfectionem, & paulatim per tot gradus ad meliora prouehuntur. Estque in ecclesia latitudo maxima, de qua dictum illud etiam intelligi potest: quod tamẽ principaliter de cælesti Hierusalem dictũ est à Christo: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Hæc sint nobis in hoc principio constituta, vt certissima fundamenta, quibus innititur quidquid de ordinibus, functionibus, & ministerijs ecclesiasticis dicitur: vt ex his manifestum sit, hæreticos omnes qui ordinem ex ecclesia tollere conãtur, non aliud agere, quàm vt ex domo dei pulcherrima & fortissima, Babilonem efficiant confusionis & deformitatis. Sed iam ad specialia progrediamur. Sit ergo hæc prima assertio.

De tribus supremis ordinibus ecclesiasticis.

Ex ipsa scriptura sacra, & vniuersalis ecclesiæ consensu ab ipsis Apostolis vsque ad nos, tres ordines, episcoporum scilicet, presbyterorum, & diaconorũ semper fuisse, & necessarios esse in ecclesia, certissima fide tenendum est. Primum verò quod hic asserimus, ex scriptura sacra scilicet horum ordinum institutionẽ haberi, probat electio duodecim Apostolorũ primò facta à Christo, vt Math. 10. & Marc. 3. & Luc. 6. cap. scribũt: & similiter septuaginta duorum designatio, vt Luc. 10. cap. testatur. His enim apertè ostẽditur, Christum in suis discipulis diuersos instituisse ordines & gradus. Deinde illos non tantùm ad id tẽporis, quo superstites futuri erant in ecclesia qui tunc eligebantur: sed ad perpetuam ędificationem & conseruationem ecclesię datos fuisse, ipsa ecclesiæ perpetuitas à Christo promissa satis osten-

ostendit, cùm inquit: Vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Nec enim hoc illis in seipsis promittebatur, sed in successoribus suis. Vnde & alibi ait: Quod autem vobis dico, omnibus dico. In Apostolis igitur ipsis & septuaginta duobus discipulis, non præsens tantùm illa schola Christi, sed ecclesia tota ordinabatur & distinguebatur. Et duo isti primi gradus episcoporum & presbyterorum designabantur primi in ea futuri. Quod postea Apostolos ita explicasse & docuisse ostendit vniuersalis ecclesiæ per totum orbem ab ipsis Apostolis vsque ad nos consensus. Quod idem asserunt ipsi Apostolorum discipuli, vt statim probabitur. De diaconis verò textus ipse actuũ Apostolorum apertè testatur, quòd fuerint ab Apostolis ordinati oratione & impositione manus. Vbi non est dubitandum etiam si nusquam legatur, nec vnquam à Christo in carne præsenti hoc acceperint: Christi tamen hanc fuisse ordinationem, eos tunc per spiritum sanctum hoc docentis. Est hoc vnum ex illis, de quibus dicit: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: cùm autẽ venerit spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatẽ. Christi itaq; illa opera censenda sunt, & Christi ordinatio, quam spiritu suo per Apostolos operabatur. Fatemur hęc omnia non apertè & efficaciter probare, hos ordines institutos fuisse, vt perpetuò in ecclesia permanerent: tamen in his adumbrari & figurari ea credimus, quæ postea apertè explicata sunt Apostolorum magisterio. Id quod iam ostendendum est omnium probatissimorum doctorum & pontificum, ab ipsis Apostolis vsque ad nos, & omnium etiam historiarum fide dignarum monumentis. Non quòd hic omnia sint adducenda: pauca enim quædam possunt sufficere ad astruendam fidem, & admonendos studiosos & diligentes antiquitatis lectores. Est enim in omni antiquorum doctrina, & in omni historia tam aperta horum trium ordinum mentio, tam certa assertio, vt superuacaneum certè sit multa adducere. Primò Apostolorum discipuli apertè hos tres ordines se accepisse ab Apostolis sine vlla contradictione fatentur. Clemens priori Epistola, quæ est ad Iacobum fratrem Domini, presbyterorum & Episcoporum distinctionem apertè ponit à Petro se audijsse: & Episcopos quidem vicem Apostolorum, presbyteros reliquorum discipulorum tenere: quare ipsos proprijs Episcopis subditos esse & obedientes debere. In secunda Epistola ad eundem diaconorum meminit inter eos quibus commissa sunt sacramenta: & in præcedenti Epistola oculos illos Episcopi nominat: quo-

Math. vlti.

Marci. 13.

De diaconatu.

Actorũ 6.

De Episcoporũ, sacerdotum & diaconorũ distinctione.

Oculi episcoporum.

quoniam circumluſtrare(inquit) & perſcrutari debent actus totius Eccleſiæ. Anacletus etiam ipſe diſcipulus Petri, & ab eo presbyter ordinatus, apertiſsimè horum trium graduum mentionem facit: Epiſtola quidem tertia, Sacerdotum(inquit) gradus bipartitus eſt:& ſicut Dominus illum cõſtituit, a nullo debet perturbari. Vbi ſtatim adducta electione duodecim Apoſtolorum & ſeptuaginta diſcipulorum, addit: Epiſcopi Apoſtolorũ, presbyteri ſeptuaginta diſcipulorũ locũ tenent. Et omnes ferè ſequentes pontifices eadem teſtantur. Dionyſius Areopagita 5. cap. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, horum trium ordinum mentionem facit, & diſtinctionem eorum oſtendit. Ignatius in ſuis Epiſtolis frequentiſsimè etiam horum ordinum, & diſtinctionis eorum meminit. In Epiſtola quidem ſecũda ad Magneſianos, presbyteros Epiſcopis ſubditos eſſe debere docet, nihilque præter ipſorum auctoritatem facere. Et Epiſtola octaua ad Antiochenſes, diaconos ſalutat poſt presbyteros, vbi & reliquorum ordinum mentio eſt, vt poſtea dicetur. Sequentes quoque hos & proximi illis doctores, quorum extat memoria, apertè hoc docent. Origenes homilia 2. ſuper Num. exponens verba illa: Homo ſecundum ordinem ſuum & ſigna incedat, vt ipſe legit: trium horum graduum aperte meminit. Tertullianus ſimiliter in lib. de fuga, meminit horum trium ordinum. Denique concilium Nicænum c. 14. & Chalcedonenſe cap. 6. ſimiliter referunt hos tres gradus, & eorum diſtinctionem. Poſtea etiam omnes clariſsimi doctores & vera lumina eccleſiæ, latini & græci, manifeſtiſsimè eadem teſtantur. Et Hieronymus ipſe, quanquam hac in re nonnihil videatur à communi ſenſu deflexiſſe (de quo poſtea) tamen & trium horũ ordinum tanquam certorum in Eccleſia manifeſtè meminit, ſcribens in locum illum Micheæ 7: Nolite confidere in duce: Non (inquiens) in epiſcopo, non in presbytero, non in diacono confidendum: Non quòd his gradibus non debeatis eſſe ſubiecti: ſed quòd aliud ſit honorare, aliud ſpem habere. Auguſtin. frequentiſsimè huius diſtinctionis meminit, & ſe presbyterũ ordinatũ & Epiſcopum ipſe teſtatur: & de his ordinibus quaſi receptiſsimis in Eccleſia loquitur in libro de moribus Eccleſiæ catholicæ: Quàm (inquit) multos epiſcopos optimos viros ſanctiſ-
Cap. 32. ſimoſq; cognoui, quàm multos presbyteros, quàm multos diaconos, & huiuſmodi (inquit) diuinorũ ſacramentorũ miniſtros. Ambroſius in locum illum ad Epheſios 4. Dedit in Eccleſia quidem quoſdam Apoſtolos &c. Apoſtolos interpretatur Epiſcopos:

scopos: Prophetas presbyteros: Euangelistas diaconos. Cyprianus in epistola ad Felicem presbyterum &c. lib. 1. epist. 4. de ordinatione Episcoporum, presbyterorum, & diaconorum ita meminit, vt dicat in horum omnium ordinationibus Apostolos obseruasse, vt coram omni ecclesia eligerentur & ordinarentur. Denique Damasus Hieronymo contemporaneus, in pontificali suo à Petro ipso incipiens scribit quot singuli pōtifices, episcopos, quot presbyteros, quot diaconos ordinarint. Ceterum Concilia illorum temporum multa, & apertissimè de hac re loquentia, non opus est referre: in sequenti propositione fiet eorum mentio.

De quinq; inferiorib⁹ ordinibus.

Secunda etiam sit nobis de ceteris quinque ordinibus propositio, Subdiaconis scilicet, Acoluthis, Lectoribus, Exorcistis, & Ostiarijs. Hi ordines quanquam ex sacra scriptura non habeantur in ecclesia, nec de ipsis, aut eorum nominibus fiat in omnibus antiquis mentio, tamen sufficientibus testimonijs antiquitatis ostenditur manifestè, diuersos ordines ab Apostolis traditos esse, & certè hos ipsos. Hanc propositionem non est opus multis probare: sed admonere tantùm, vt de his diligenter consulatur antiquitas ecclesiæ: diligenter (inquam) & sobriè: ne minima quacunque diuersitate offendamur. Certè in antiquorum scriptis ab Apostolis vsque ad nos est diuersorum ordinū mentio: in quibusdam quidem vnius, in alijs alterius, in nonnullis plurium, in alijs omnium de quibus diximus, nōnunquam etiā fit mentio aliorum ordinum, aut horum sub alijs nominibus. Sed si omnia bene conferamus, reperiemus etiam hos quinque ordines ab Apostolis vsque ad nos semper fuisse in ecclesia. Nā (vt à vicinioribus temporibus incipiamus) constat quadringentis proximis annis & à pontificibus, & à doctoribus omnibus hos quinque gradus cōformiter seruatos esse in Ecclesia: cuius testes sint nobis Magister ipse sententiarum, qui distinctione 24. apertissimè & certissimè de his locutus est. Deinde Gratianus frater eius, Decreti cōpilator, qui distinct. 25. hos quinque cum reliquis tribus prioribus ex Isidoro posuit. Similiter Hugo de sancto Victore lib. 2. de sacramentis Christianę fidei, tertia parte per totum, distinctissimè & hos quinque, & præcedentes tres recenset: Quos secuta est tota classis scholasticorū omnium. Et quanquam duo priores nonnihil videantur detrahere auctoritati horum graduum: nam Magister d. 24. & Gratian. 21. in principio, dixerunt hos quinque ordines sibi postea constituisse ecclesiam: tamen verba illa exponenda magis sunt quàm

sequenda: vt ex sequentibus patebit. Hi verò doctores de his quasi rebus certissimis, nec recens inuentis, locuti sunt. Quare si ita ascendamus ad superiora tempora, à quibus in nos peruenit hæc doctrina, reperiemus doctores fide dignos de his etiã, tanquam de rebus sine vlla controuersia in ecclesia receptis, loquentes. Rabanus libro 1. de institut. clericorum cap. 4. Sunt autem (inquit) gradus ecclesiastici octo. Et statim eorum nomina referens, & hos quinque primò, & tres deinde præcedentes nominat: Ostiarios scilicet, Psalmistas siue Lectores (vbi vide eum pro eodem accepisse hæc duo) & postea exorcistas, Acoluthos, Subdiaconos &c. de singulis istorum sequentibus capitibus distinctissimè loquens, eorum officia & ordinationes describit. Similiter & Isidorus (quem Gratia. frequenter citat, præcipuè d. illa 25.) in epist. ad Ludifredum, 1. cap. illius dist. eorundẽ meminit, nisi quòd Psalmistam à Lectore distinguat, sic inquiens: Ad Psalmistã pertinet officium canẽdi: scilicet dicere benedictiones, laudes, sacrificium, responsorium, & quidquid pertinet ad peritiam canendi. Ad lectorem pertinet lectiones pronunciare, & ea quæ Prophetæ vaticinati sunt populis prædicare. Ambrosius etiam (si altiora consulamus tempora) in illum locum ad Ephesi. 4. Exorcistarum & Lectorum meminit: hos pastorum nomine intelligens, illos doctorum: quanquam aliorum mentionem non faciat: quia eo loco Apostolus tantùm (vt superius vidimus) quinque gradus posuit, quos interpretatus est ita Ambrosius: vel potius tribuit gradibus, qui tum in Ecclesia erant. Antiquiores etiam pontifices & viciniores Apostolis apertè hoc testantur. Fabianus papa vigesimus secundus, multò ante Sylvestrum & Nicænum Concilium, in Epistola ad Fabianum Antiochenum Episcopum (vt est apud Eusebium libro 3. Ecclesiast. histor. capite 33.) distinctissimè refert contra Nouatum, quòd in Ecclesia Catholica (de Romana loqui videtur) viderit ipse Presbyteros quadraginta & sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acoluthos quadraginta duos, Exorcistas & Lectores cum Ostiarijs, quinquaginta duos. Vbi vide distinctissimè positos hos omnes ordines. Nam prius dixit de Episcopo, quòd vnus esse debeat. Caius item pontifex vigesimus nonus à Petro (etiam ipse ante Concilium Nicænum) in Epistola ad Felicem Episcopum in fine, apertissimè referens primò, quòd de Episcoporum, & Presbyterorum, Diaconorumque & sequentium clericorum ordinationibus sancti Apostoli & successores eorum, præcipuè Anacletus sufficienter statue-

tuerunt: addit tamen ipse, vt non nisi gradatim ad ordines in Ecclesia ascendatur: præcipiens, vt si quis Episcopus sit futurus, sit primò Ostiarius, deinde Lector, deinde Exorcista, deinde Acoluthus, demum Subdiaconus, deinde Diaconus, Presbyter, & tandem Episcopus. Vbi vnde quàm apertè & sine vlla controuersia ordines isti computati sint. Quorum duorum pontificum maximi est facienda auctoritas. Ex quibus patet, quàm sine contradictione hæc in Ecclesia fuerint seruata. Iam si antiquiores illos consulamus: Clemens Epist. 3. Subdiaconorum, & reliquorum clericorum meminit. Anacletus Epist. 3. similiter Subdiaconos, & reliquos ministros nominat. Ignatius Epist. illa octaua ad Antiochenses, post primos illos gradus meminit Subdiaconorum, Lectorum (sed his coniungit cantores) deinde Exorcistarum & Ostiariorum: solùm Acoluthorum non meminit: sed post istos ponit etiam gradum laborantium. Dionysius quoque Areopagita cap. 3. Eccles. hierar. de eucharistiæ sacramento loquens, ministrorum (inquit) alij pro clausis foribus adstant, alij proprij aliquid muneris agunt: cùm prius dixisset etiam, quòd ministrorum officio sacrarum scripturarum lectio recitatur, & quòd qui præcipui huius ordinis sunt, vnà cum sacerdotibus sacrum panem & calicem altaribus imponunt. Vbi quia tantùm nomen ministrorum posuit, nonnulli putant solùm diaconos tunc fuisse: sed hoc certè asseri non potest. Satis enim ibi ostendit plura esse ministrorum officia, & alios esse altioris ordinis alijs. Hæc de antiquorum testimonijs satis sit perstrinxisse. Sed non sunt omittenda concilia, in quibus sunt simul pluriũ testimonia. Igitur Laodicænum concilii cap. 24. meminit Subdiaconorum, Lectorum, Cantorum, Exorcistarum, Ostiariorum. Itaque solùm Acoluthorum in eo nõ fit mentio. Est verò hoc concilium Nicæno proximum, & tempore Damasi papæ celebratum. Chalcedonense verò concilium, sicut & Nicænum, post presbyteros & diaconos, etiã aliorum ordinum semper meminit, Carthaginense tertium cap. 8. de presbyteris & diaconis & episcopis. 19. de Lectorib⁹ loquitur. Carthaginense quartum, cui interfuit Augustinus & subscripsit, distinctissimè de his omnibus octo ordinibus, & de eorum traditione à 1. cap. vsque ad 9. loquitur, & cap. 10. de psalmista post omnes supràdictos mentionem faciẽs: Sola (inquit) presbyteri iussione potest officium suscipere cantandi: vbi apertè ostendit nõ esse propriè ordinem, qui sacramento traditur. Similiter Toletanum primum in primis capitibus, de diaco-

no, subdiacono, & lectore specialiter meminit, & de alijs clericis vniuersaliter. Sic concilium Toletanum quartum, & Braccarense primum. Atque ita in omni antiquitate ecclesiæ reperietur parua diuersitas circa ista. Inter cetera verò concilia, Carthaginense illud quartum valde considerandum est, cui consonant pontificalia omnia ferè, & Romanæ, & aliarum ecclesiarum in traditione ordinum. Ex quibus omnibus colligamus, hos omnes ordines ex traditione Apostolorum esse in ecclesia: Id quod apertè patet ex auctoritate Fabiani & Cai, qui ante hæc concilia de omnibus ordinibus his locuti sunt. Et hæc putamus esse fundamenta, quibus de sacramento ordinis dicturi inniti debemus.

LECTIO SECVNDA.

De *singulorum ordinum officijs.*

IAM restat vt iuxta antiquam ipsam ecclesiæ cõsuetudinem (quam constat veram esse traditionẽ Apostolorum) dicamus de actibus proprijs & officijs singulorum istorum ordinum: de quibus post antiquos illos patres, & ex eorum auctoritate Isidorus in epistola illa supernùs citata, quam Gratianus citat dist. 25. cap. 1. & post illum Hugo de sancto Victore loco proximè citato, Magister sententiarum & Rabanus distinctè loquuntur: quæ breuiter proponenda sunt: deinde qua auctoritate probentur dicendum.

Functiones episcopi quæ sint.

Igitur ad episcopum (inquit Hugo, omnia ad verbum ex Isidoro desumens) pertinet consecratio basilicarũ, vnctio altaris, confectio chrismatis, manus impositio, communis populi benedictio: officia etiam, & ordines ecclesiasticos ipse distribuit, & sacras virgines benedicit. Quibus certè cuncta episcoporum officia complexus est: quę non dubitandum est ab Apostolis tradita esse. Id enim ex clementis & Anacleti verbis, & ex concilijs antiquioribus apertè ostenditur: nec difficile est rationem & verum fundamentum ex ipsa Christi institutione agnoscere. Episcopos cõstat à Christo in Apostolis institutos, illisque datam summam potestatem ecclesiasticam in administratione ecclesiæ: & omnes denique alios gradus illis esse subditos. Igitur necesse est vt ad illos pertineat ordinatio aliorum omnium ministro-

nistrorum, hoc est, vt illi potestatem ceteris conferant: quod constat Apostolos & fecisse, & cõmisisse alijs vt facerẽt. Quòd fecerint ipsi ordinationes, quæ de Petro & Iohanne Apostolis historijs prodita sunt ostendunt. Destinauit Petrus episcopos in Hispaniam: & illi alios: quod ex eorum commissione eos fecisse verbum illud Pauli ad Titum ostẽdit: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates presbyteros &c. Ratio etiam ostendit aliquem debere esse in ecclesia, qui hanc habeat potestatem: alioqui imperfecta esset ecclesia. Hic verò nõ potest esse alius quàm episcopus, qui summus est. Ex hac etiam potestate (vt scilicet omnes alij se subditos episcopo agnoscãt) ecclesiæ quadam constitutione (quam etiam propter antiquitatem putamus ab Apostolis profectam) eis tributa est consecratio basilicarum, altaris vnctio, vasorum etiã & vestium benedictio: sine quibus sacramentum eucharistiæ non debet perfici: quorum meminit Clemens in epist. 3. De cõfectione chrismatis eadem est ratio, quæ de impositione manuum & sacramento confirmationis: quod, cùm de ipso ageremus, ad episcopos pertinere, ipsorũ Apostolorum & totius antiquæ ecclesiæ auctoritate probatum est. Illud tantùm his addendum est, vt munus episcopi in vniuersum habeatur, ad ipsos etiam pertinere primò omnium & præcipuè doctrinã ipsam & prædicationem: idque ex verbo Christi: Euntes prædicate Euangelium, & docete omnes gentes. Quod non est dubium supremum esse omniũ operum & ministeriorum ecclesiæ, Paulo apertè dicente. Misit me Christus euangelizare, non baptizare. Et ipso Christo domino ac Esaia propheta hoc ipsum asserentibus. Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare: ad hoc enim missus sum. Et Spiritus domini super me, ad euangelizandum mãsuetis misit me. Itaque supremum hoc opus propriè supremi ordinis est, nisi ex eius commissione & ordinatione alijs cõueniat, videlicet presbyteris, siue diaconis: & ideo illis imperfectè ac participatiuè tantùm, quatenus scilicet ab episcopo acceperint & edocti fuerint. Hæ itaque sunt propriæ functiones episcopi. Sed (vt Dionysius etiam inquit cap. 5. eccles. hierar. & ratio ostendit) ille potest quod omnes alij inferiores ordines: de quibus iam dicendum est.

Prædicandi officiũ tam quã maximũ propriè & principaliter ad episcopum pertinet. Luc. 4. Ibidem & Esa. 61.

Ad presbyterum qui proximum gradum post episcopum tenet, propriè spectat (vt supradicti doctores inquiunt) conficere corpus domini, & benedicere dei dona: & (si cuncta complecti volumus) omnium sacramentorum perfectio, duobus tantùm

Quod sit officium sacerdotis.

illis,quæ diximus ad episcopum pertinere exceptis. Ipse enim vt proprius minister baptizat solemniter, non diaconus, nec alius inferior,vt suprà probatum est: ipse offert sacram eucharistiam: ipse sacramentum pœnitentiæ & absolutionem peccatorum impartitur: quæ duo in ordinatione præcipuè ei cõmittuntur. Alterum,cùm dicitur: Accipe potestatem offerendi in ecclesia &c. Alterum, cùm dicitur: Accipe spiritum sanctum, quorũ remiseris peccata &c. Similiter extrema vnctio (vt probatum est superius) ab illo administratur: & quod in matrimonio ecclesia facit(vt posteà ostendemus) ab illo perficitur. Est igitur omnium sacramentorum(exceptis illis quæ ad episcopũ pertinent,cõfirmatione scilicet & ordinatione) proprius minister. Quod verò ad doctrinã pertinet,illius quidem(vt ex dictis patet)est commissa sibi & tradita ab episcopo docere:quare solus episcopus est pastor & sponsus ecclesiæ:& ad eum simpliciter cura animarum pertinet. Ad alios verò partim & ex cõmissione eius:quod ex his quæ à principio huius tractat⁹ diximus, satis ostensum est. Ex his igitur quæ de episcopis & presbyteris dicta sunt consentanea & ipsi scripturæ, & patrum auctoritati, certò sequitur, & certa fide tenendum est, ordinem episcopalẽ ab ordine presbyteri distingui,idque ex ipsa Christi institutione,& traditione Apostolica:ita videlicet,vt potestatem quandã spiritualem(quę non nisi consecratione traditur)habeat episcopus,quam nullo modo sacerdos habet: confirmandi scilicet & ordinandi:atque ideo gubernandi totam ecclesiam. Et non minus verè ac propriè ordinem esse episcopatum, quàm presbyteratum,hęc ipsa ratio ostendit. Vnde Augustinus inter damnatas hæreses(vt superius vidimus)hanc dicit esse Aetij, quòd nõ distinguitur episcopus à presbytero:quã Epiphanius etiã lib.3. contra octoginta hæreses refert septuagesimam quintam,& cõfutat hac maximè ratione de sacramento ordinis: Episcopi (inquiens) patres generant, sacerdotes filios tantùm in baptismo. Vnde quod ex Hieronymo citatur in epistolã ad Titum: Olim idem erat episcopus qui & sacerdos: quod latius etiã probat in epist. ad Euagrium ex Pauli,Petri,& Ioannis testimonijs,solùm intelligẽdum est(si Hieronymum piè legamus)de nominibus, non verò de officijs ipsis & auctoritate. Erat quidem promiscuum nomen, vt indifferenter vtroque nomine omnes appellarentur episcopi & sacerdotes:hoc duntaxat probãt Pauli verba,qui Ephesijs presbyteris loquens, Attendite (inquit) vobis & vniuerso gregi,in quo vos posuit spiritus sanctus episcopos.

Ordo episcoporũ ab ordine sacerdotũ est diuersus.

Nec

Nec enim (vt Hierony. inquit) vnius ecclesiæ plures erant episcopi. Idem probant, quæ ad Philippens. dicit: Cùm episcopis (inquit) & diaconibus &c. (salutat enim & ecclesiam & ministros) Et ea adhuc efficacius quæ Tito scribens loquitur: Reliqui te Cretæ, vt cõstitueres per ciuitates presbyteros, sicut ego disposui tibi: si quis sine crimine est &c. & post pauca: Oportet (inquit) episcopum sine crimine esse. Quo apertè ostẽdit, quos primò presbyteros dixerat, episcopos esse. Itaque non erant nomina distincta, quanquã res ipsæ longè distinctæ essent. Quod Theophy. in illum locum ad Philippen. apertè dicit, Episcopos etiam diaconos vocari asserens, vbi Paulus Timotheo loquens ait: Ministerium tuum imple: vbi ille legit, ministerium & diaconiũ tuum. Idem etiam Beda in locum Lucæ, vbi de designatione 70. discipulorum fit mentio, apertè asserit: & omniũ antiquorum doctrina (quam citauimus) testatur in electione duodecim Apostolorum, & septuaginta discipulorum designatam esse hanc distinctionem minorum sacerdotum ab Episcopis: quanquam nomina fuerint communia. Quam doctrinam postea b. Thom. in 2. 2. de hac re disputans, secutus est. Igitur de duobus his gradibus & officijs hæc sint satis.

Philip. 1.

ad Titũ 1.

2. Timo. 4.

Lucæ 10.

q. 184. art. 6. ad primum.

Nec tamen omittendum est (quod hoc loco ab omnibus attingitur) in ordine episcoporum diuersos esse gradus dignitatis, magis reuera iurisdictione, quàm ordine distinctos, eosque ex ipsorum Apostolorum traditione profectos, sicut Clemens & Anacle. locis suprà citatis: & illis proximi pontifices in suis Epistolis manifestè testantur. Sunt igitur primò quidem episcopi, quos in omni frequentiori ciuitate constitui apostolos præcepisse, prædictorum patrum testimonio cõstat. Sunt supra hos Archiepiscopi siue metropolitani: quanquam apud nonnullos etiam hi sint duo diuersi gradus: sed vtcunque sit, archiepiscopi siue metropolitani superiores sunt omnibus episcopis prouinciæ. Supra hos sunt Primates, toti etiam nationi præfecti. Et his etiam Patriarchæ vniuersaliores sunt ac altiores: sicut olim fuerunt Ierosolymitanus & Alexandrinus. In quibus omnibus nõ est dubium multas fuisse mutationes, & fieri in posterum semper tamen ad vnitatem fidei conseruandam, & pacem atque charitatem inter fideles tenendam necesse fuit, vt omnes vnius prouinciæ episcopi sub vno essent, & in vno concilio sub illo conuenirent, sicut in multis concilijs Africanis patet, & in alijs, vt Toletanis & Braccarensibus. Ex quo rursum illud manifestè sequitur, quòd ad seruandam eandem pacis & fidei vni-

Archiepiscopi Metropolitani.

Primates.

Patriarchæ.

Vnum est caput eccle siæ.

vnitatem in tota ecclesia oporteat vnum summum esse, cui omnes eadem ratione subditi sint, testantibus hoc antiquissimis omnibus patribus, & grauissimis Concilijs, & ipsa adeò apertissima ratione adducta iam de alijs archiepiscopis & primatibus. Negant hoc hodie pertinacissimè hæretici omnes, nec est nunc latius contra eos disputandum. Hoc tantùm noluimus omittere, quod proprium erat huius loci. Adducit huius conuenientissimas rationes b. Thomas differens de diuersis gradibus Episcopatus cap. 76. quarti contra gentiles. Illud certissimum est, quatuor ipsa Concilia omnium grauissima (quæ vt quatuor Euangelij libros tota Ecclesia recepit) hanc auctoritatem Romanæ sedis apertè confiteri: Nicænum videlicet, Constãtinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense: & illorum temporũ sanctissimos patres, Athanasium, Cyrillum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, & ceteros. Ex quibus Ambros. (vt hoc verbum non omittamus) tractans locum illum Pauli in epo-
2. Timot. 3. sitione Epistolæ ad Timot. Hæc tibi scribo, fili Timothee, sperans me citò ad te venire &c. vt scias quomodo te oporteat in domo Dei conuersari. Vna est (inquit) domus Dei, ecclesia: cui hodie præsidet Damasus. Quod quàm sit verum & necessariũ, certè, si nihil aliud, ipsa experientia & conatus hæreticorum satis ostendunt. Quid enim aliud fit hoc schismate, quàm vt nulla relinquatur ratio, qua vna tandem sit fides Germanorum, Hispanorum, & reliquarum nationum Christianarum? remoto (inquam) vno iudicio, & vno supremo, qui posset omnes conuocare. Sed de his satis.

De chorepiscopis. Illud etiam non est omittendum, quòd olim fuerint chorepiscopi, de quibus fit mentio etiam in ipso Nicæno concilio: sed hunc non fuisse alium ordinem vel gradũ in ecclesia quàm presbyteratus, efficacissimis probat rationibus Damasus epist. 4. ex qua apparet hos fuisse in adiutorium episcoporum, quibus illi nonnulla committebant. Nam ita in antiquis historijs legimus Petrum habuisse Linum & Cletum Romæ. Quia verò succesſũ temporis hi præsumebant aliqua supra suum ordinem, & episcopi eis vtebantur ad ocium, reiecit illos ex ecclesia Damasus: quod iam obtinuit: quanquam succesſerint eis titulares episcopi (quos suffraganeos & vicarios in spiritualib⁹ vocãt nostri episcopi) quos multi putãt etiã auferendos esse, eò quòd rationes ipsæ quas adducit Damasus, probent omnia per proprios episcopos esse agẽda, quod tamẽ hodie magis desiderari quàm sperari potest. Apud quem etiam latius quàm alibi apud anti-

Titulares Episcopi.

quos

quos legerim, habes omnia episcoporum officia, & quæ ordinis sunt, & quæ iurisdictionis: habes etiam confirmationem superioris doctrinæ de distinctione episcoporũ à presbyteris.

Ceterorum verò ordinum officia non possunt aliunde melius discerni, quàm ex ipsis nominibus. De diaconatus quidem ordine nonnihil est in scriptura, vt diximus: sed de alijs nihil. Igitur ad diaconum (inquiunt Magister sententiarum & Hugo atque Rabanus, eisdem verbis ex Isidoro sumptis) pertinet, assistere sacerdotibus, & ministrare in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi, scilicet in Baptismo, in Chrismate, in patena & calice: & consequenter (specialius idem explicantes) oblationes (inquiunt) inferre & disponere in altari, componere mensam Domini, prædicare euangelium (id est, publicè cantare in ecclesia) quæ omnia nomen ipsum diaconi (id est, ministri) propriè significat. Quare meritò in concilio Carthaginensi 4. dicitur, quòd diaconus ad ministerium ordinatur. Nullius igitur Sacramenti perfectio ad ipsum pertinet: sed tantùm in perfectione omnium Sacramentorum assistere presbyteris & Episcopis. Olim tamen dispẽsatio sanguinis ab illis fiebat: & ipsius corporis Christi distributio, absentibus Episcopis & presbyteris, vel eorum commissione: cuius meminit Concilium Nicænum. Itaque nihil dici potest rectius de diaconis, quàm quod sint ministri episcoporum & presbyterorum. Vnde euangelij prædicatio aut pronunciatio in ecclesia (vt magis credendum est) postea est illis commissa, vt ostenderetur quàm sint propinqui sacerdoti celebranti. Nam & ipsa lectio euangelij post prima principia Ecclesiæ introducta est. Ceterùm (quod superius diximus, cùm de baptismo ageretur) nec baptismi ipse est minister: sed tantùm habet sacerdoti assistere. Alia etiam illi tribuuntur, vt recitatio catechumenorũ annunciare populo quando genua flectenda sunt, vel quando standum ad orationem. Non tamen omittendum, quòd hæc ab aduersarijs impugnãtur auctoritate ipsa actuum Apostolorum: ex qua (inquiunt) patet, quòd tantùm vt ministrarent mensis diaconi constituti sunt. Ex quo aiunt postea ad eos eleemosynarum distributionem, quæ ab Ecclesia fiebat pertinuisse: sicut de sancto Laurentio legimus, quod thesauros Ecclesiæ dedit pauperibus. Itaque nihil aliorũ ministeriorum ad diaconos pertinentium agnoscere volunt. Sed his respondemus primò omnium antiquorum sententiam habere quod diximus, cùm & Clemens & Anacletus ab Apostolis se habuisse testentur, quòd debeant diaconi celebranti-

De officio diacon.

bus episcopis astare, & oculi eorum esse: vt suprà diximus. Ex quo Beda in locum illum actuum Apostolorum citatum, apertè dicit, ex eo in omni ecclesia sumptum esse, vt diaconi assistant altari. Secundò etiam possumus meritò dicere, quòd, cùm in primitiua illa Ierosolimitana ecclesia quotidie etiam communicarent sanctissimo corpori & sanguini Christi omnes fideles: hoc etiam ad mensam pertineat,, & eius cura diaconis illis commissa sit. Nec enim parui laboris aut temporis esse poterat, cùm quinque aut multo pluribus milibus diuidendum erat sacramentum altaris. Neque tamen ideo negamus temporaliũ administrationem illis commissam, & propriam certè esse eorum, vt Episcopi omnino spiritualibus vacent. Verùm ad hoc munus iniungendum impositione manuum & sacramento ordinis vsi sunt Apostoli, vt lectio ipsa actuum Apostolorũ ostendit: vnde etiam sumpta est ab omnibus patribus ordinatio diaconorum.

Hi igitur sunt tres ordines, quorum mentio fit in scriptura, quos meritò dixerunt doctores ex lege veteri desumptos esse: quòd in ea quædam vmbra illorum processerit. Erant ibi inferiores sacerdotes filij Aaron: erat & summus sacerdos. Ad primos pertinebant quotidiana sacrificia: ad summum sacerdotem ingressus ille ad sancta sanctorum. Post hos duos ordines Leuitæ ceteri erant, ministrantes in omnibus. Quibus nunc succedunt Episcopi, presbyteri, & diaconi: Vnde & diaconi Leuitæ dicuntur. Et meritò id quidem. Nec enim in lege noua debet minor splẽdor esse aut minor frequentia ministrorũ, quàm olim in veteri.

Officium subdiaconorum.

Sequuntur nunc ordines, qui non ex scriptura sacra, sed ex traditione vniuersalis Ecclesiæ cogniti & accepti sunt. Sunt autem primò subdiaconi. Horum munus est proximos esse diaconis, & illis, sicut ipsi superioribus, ministrare. Propterea (inquiunt Magister & ceteri) ad eos pertinet, calicem & patenam ad altare deferre, & diaconibus tradere: imò & consecranda ipsa, panem & vinum ad altare deferre: ministrare quoque presbyteris & diaconibus ad ablutionem manuum ante altare, quod in eorum ordinatione ipsis imponitur. De lectione verò Epistolę (quam vocant) idem putamus, quod de lectione Euangelij suprà diximus: commissa eis creditur ab Ecclesia post priora illa principia, vt hic gradus proximus ostendatur diaconibus.

Acoluthorũ officiũ.

Sequuntur Acoluthi (quorum nomen propriè pedissequum signi-

significat, & illum qui comitatur, aut sequitur alterum) illis committitur & luminaria accendere, atque præparare in sacrario, portare cereum, & vrceolum cum vino & aqua sub diacono ministrare: idque in ipsorum ordinatione eis dicitur. Nam quòd nonnulli Acoluthum ceroferarium interpretantur, faciunt, non nomen, sed potius rem ipsam & ministerij opus considerantes. Igitur hi omnes (quos post presbyteros nominauimus) cooperantur circa ipsius sacramenti altaris celebrationem, secundum tres gradus, vt declaratum est. Qui verò sequuntur, magis ministrant circa populum ipsum præparandũ ad sacramentum.

Officiũ exorcistæ.

Exorcistę enim sunt, quorum officium est manus super energumenos siue à dæmone vexatos imponere, & ipsos quodammodo in ecclesia in ordine continere: qui etiam (vt Ambrosius superiùs dixit) in illos habent potestatem, vt ipsos à reliquo populo separent: nec enim interim ad communionem admittebantur.

Officium lectoris.

Sequuntur lectores, quorum proprium est prophetarum lectiones legere, sicut in ipsa ordinatione eis imponitur, & Ambrosius ipse docuit. Addunt alij, ad eos pertinere instructionem catechumenorum: sed vtcunque sit, lectio illa scripturæ præparatio est populi.

Officium ostiarij.

Ostiarij demum vltimi sunt, quorum est præesse ostijs ecclesiæ, & ea custodire: quod eis ordinatione iniungitur.

Porrò omnia de his omnibus inferioribus ordinibus dicta, ex sola traditione habemus, sicut & ipsos ordines: de quibus omnibus maxima est auctoritas illa concilij Carthaginensis, de singulis distinctè etiam loquentis: de quo plura inferius.

LECTIO

LECTIO TERTIA.

De neceßitate horum ordinum.

MVLTA contra iſta oblatrant hæretici: & Lutherus quidem à principio omne ſacerdotium externum negauit, ex quo conſequens eſt, vt omnes reliqui ordines negentur. Contra quem beatus martyr Roffenſis tribus libris, aut congreſsibus (vt ille vocat) antiquorum omnium græcorum & latinorum teſtimonijs ſacerdotium defendit. Et hoc quidem fecit Lutherus cum ſuo VVicleph, & antiquioribus etiam hæreticis, quorum meminit Tertullianus in lib. de monogamia. Poſteriores verò, etſi ex parte videantur confiteri ſacerdotium: confundunt tamen presbyteri & epiſcopi ordines, & omnes reliquos negant. Et cùm negare non poſsint olim eos fuiſſe in eccleſia: calumniantur vel quòd ſola inania nomina habeamus illorum, vel certè quòd ſi qua officia & actus ordinum reſtant, longè tamen diuerſa ſint à proprijs eorum actibus atque officijs, quæ antiqua eccleſia cognouit. Quibus (quantum neceſſe eſt ad inſtructionem catholicorum) reſpondere hoc loco viſum eſt.

Reſpõdetur calũnijs hæreticorũ cõtra ordines.

De ordine igitur presbyterij quod dicunt, olim videlicet in eccleſia non ad ſacrificandum, ſed ad verbum & ſacramenta administranda inſtitutum fuiſſe, non eſt opus pluribus referre. Satis probatum eſt & hoc loco, & ſuperius de ſacramento euchariſtiæ, datam hanc poteſtatem Apoſtolis in cœna à Chriſto dicente: Hoc facite in meam commemorationem: & nunc dari, cùm ordinantur, ſacerdotibus. Nam præter Hugonem de ſancto Victore, Magiſtrum, Rabanum, & Iſidorum: etiam antiquorum (qui ab ipſis Apoſtolis & doctrinam & poteſtatem acceperũt) ſcripta quæ citauimus, hoc manifeſtè oſtendũt. Quod etiam libenter presbyterum ab epiſcopo non diſtingui recipiunt, atque ideo collationem ſacramenti ordinis ipſis etiam ſacerdotibus tribuunt (quanquam, vt Caluinus inquit, quia præcipuus eſt epiſcopus, ipſi præcipuè tribuatur) ſatis ſuperius confutatum eſt: pugnatque cum omnium antiquorum conſenſu. Nam præter illa quæ ſuperiùs citauimus, ipſe etiam Hieronymus in epiſtola ad Euagrium (vbi maximè contendit

eun-

eundem esse presbyterum & episcopum) ordinationem soli episcopo attribuit. Quod idem Ambrosius satis in locum illum 1. ad Timotheum 3. vbi Paulus post episcopi qualitates de diacono locutus est, asserit, ad minus de episcopi ordinatione: quòd scilicet diaconus non nisi ab episcopo ordinari possit.

De diaconorum ordine quod calumniantur, superius reiecimus: quòd scilicet tãtùm ad ministeria mensæ ordinati fuerint, atque ita ad temporalium administrationem: verum est enim non fuisse apertam mentionem factam alterius ministerij in prima illorum ordinatione, sed fuit certissima traditio Apostolorum de ministerio circa sacramenta omnia ab eis exhibẽdo, vt probatum est.

Calumniæ hæreticorũ cõtra inferiores ordines.

Omnes verò alios ordines apertius reprehendunt. Primò quidem quòd aiunt actus omnes illos, quorum potestas in illis ordinibus datur, passim in ecclesia fieri à non ordinatis, imò à sordidis potius & ineptis etiã puerulis: vrceoli enim cum vino & aqua à quouis porriguntur celebranti. & ita de ceteris ministerijs: quo certè fit (inquiunt) vt aut ecclesia nũc sacrilegè permittat illa fieri à non ordinatis, aut ordines illi humanę inuentiones sint. Si enim diuina illa sunt instituta: non est fas contra traditionem apostolicam quidquam illorum ab alio agi in ecclesia: quod si licitè fiunt, frustrà sunt ipsi ordines. Hinc etiam secundò inferunt, quòd non sint officia illorum sacra, & talia quæ requirant sacramentum, cuius virtute & potestas, & auxilium ea rectè perficiendi tradatur. Hæc sunt in summa, quæ cõtra hos ordines & ecclesiam catholicam calumniantur. Quibus non est aliter respondendum, quàm vt primò his eorum calumnijs antiquitatem & consensum totius ecclesiæ in his ordinibus tradendis & custodiendis opponamus. Hic enim præferẽdus est meritò sensibus nostris. Quare etiam si nos quæ respondere possumus, aut non sufficiant, aut non satisfaciant ipsis aut alijs, non tamen propterea minus tenenda sunt & seruanda, quę tota per orbem terrarum seruat ecclesia: de quibus disputare, Augustinus dixit insolentissimæ insaniæ esse. Quo præsupposito (& iudicio ecclesiæ ac doctorum sensum nostrum, & omnia nostra subijcientes) sequentia proponimus considerandа, ex quibus calumniæ hæ refelli possint.

Primum igitur considerandum est, ministeria omnia ecclesiastica (sicut & scripturam ipsam) non pensanda esse sensu nostro, qui vel carnales, vel infirmi sumus: sed sanctissimorum illorum

lorum patrum, Apostolorum videlicet & Apostolicorum hominum iudicio. Illi verò tanti fecerunt vel vltimum ministerium siue actū in ecclesia (quæ est domus Dei) vt putauerint, imò à Christo spiritu sancto edocti fuerint, ad aperiendas fores ecclesiæ, & fideliter, atque sanctè custodiendas, speciali sanctificatione atq; gratiæ diuinæ auxilio opus esse. Similiter etiam ad deferendos vrceolos ipsos ad altare: & ita de reliquis. Quare nō est mirandum, quòd ad tam parua officia consecrauerint homines. Et nostra profectò irreuerentia maximè ex hoc arguenda est. Nam (vt Magister ipse sententiarum & Hugo atque alij inquiunt) omnium ordinum, etiam minorum istorum actus & officia Christus ipse vel in synagoga Iudæorum, vel inter mysteria gratiæ exercuit & dedicauit. Lectoris quidem, cùm aperuit librum Isaiæ & legit. Exorcistæ, cùm imposuit manus dæmoniacis. Ostiarij, cùm funiculo facto eiecit ementes & vendētes de templo: & sic de alijs. Quanti igitur hæc facienda sunt spiritu Christi inuenta, & in eo atque ab eo dedicata? Secundū quod considerandum existimamus, est, quòd in his minoribus ordinibus non tantū expletionem omnium actuum necessariorum in ecclesia intenderūt patres: sed etiā exercitium & probationem: atque ita perfectionem eorum qui ascensuri erant ad superiora illa & plenè diuina officia, consecrandi videlicet & tractandi sacramenta: ne illi quasi noui & imperiti quidam homines ad tam alta ascenderent: sed prius minoribus illis humiliarentur. Nam de beato Hilario in vita sancti Martini legimus, quòd illi obtulerit, exorcistæ gradum, in quo locus quidā iniuriæ videbatur, cogitās, quòd propter humilitatem diaconij gradū recusaret. Humiliabātur itaque, atq; ita probabātur lōgo tēpore, antequam ad superiores illos gradus ascenderent. Summè enim reprehensum fuit in omni illa antiquitate ecclesiæ, quòd inexplorati admitterentur: vt Siricius in epistola ad Himerium capitulo octauo & nono satis ostendit, & Zosimus ad Ischium Salonitanum episcopum, ex similitudine militiæ prophanæ adducta: & multi alij pontifices illorum temporum clamant. Igitur iuxta hoc, etiam si non admodum actus illi consecrationem requirerent: requirit tamen hoc humana infirmitas, quę nō nisi multo tempore & multis consecrationibus ac exercitijs apta est se potest ad tam diuina mysteria. Ex his consideretur etiam tertium, quod certè expedire videtur, vt in Ecclesia actus isti à deputatis ministris fiāt, & retineatur antiquitas illa. Verùm aduertendum interim est, quosdam istorum actus olim fuisse necessa-

rios

rios in Ecclesia, qui iam vel non sunt necessarij, vel sanè non tantopere. Quare videntur ad gubernationem Ecclesiæ pertinere. Tales in primis sunt ostiarij, qui Ecclesiæ olim constitutæ inter ethnicos, & intra se etiam diuersos gradus, catechumenorum videlicet & pœnitentium habenti valdè necessarij erant. Summa nanque fidelitate atque diligentia custodiendæ erant fores Ecclesiæ, ne indignis paterent sacra. Similiter & Exorcistæ tum necessarij erant, quando turmæ vexatorum à dæmonijs adducebantur ad Ecclesiam, & manebant in ea: & illi imponebant manus ac continebant ne in Ecclesia tumultus excitarentur, aut impedimenta præstarentur officijs diuinis. Cùm igitur iam alius sit ordo in Ecclesia, neque inter ethnicos versetur: officia illa non tam necessaria videntur. Alia autem nunc sunt non minus quàm tunc necessaria: sicut Lectorum, & eorum qui consecranda vel deferunt ad altare, vel ibi ordinant aut parant, aut luminaria accendunt. Vnde hæc omnia etiam nunc aguntur in Ecclesia. Iam his ita distinctis, primò non videtur improbabile, quòd Ecclesia posset in aliquo vniuersali concilio ordines illos, qui iam non videntur necessarij (ostiariorum & exorcistarum) dimittere: si ita conuenire videretur. Et certè non parum cogitandum est, ne nomen aliquod inane habeat ecclesia: multo magis ne ordinem & sacramentum inaniter alicui conferat. Quare videtur satius esse dimitti, quàm sine aliquo actu manere. Hanc conditionalem nunc probabiliter proponimus, relinquentes omnia ecclesiæ sensui. De alijs verò (quorum actus adhuc permanent in ecclesia) desiderandum esset, vt non permitterentur actus illi fieri nisi ab ordinatis. Nam statuit antiqui concilij decretū, ne in ecclesia aliqui legant, qui non ordinati sunt in lectores: & ita de ceteris. Quòd si non in omnibus ecclesijs fieri possit, saltem in maioribus & frequentioribus ac collegiatis valde conduceret hoc fieri, & ad conseruandam ordinum veritatem, & propter reliquas vtilitates, ob quas diximus in antiqua Ecclesia esse hoc seruatum. Si enim hæc ita fierent: vt scilicet in Ecclesijs frequentioribus omnes actus ordinū fierent ab ordinatis, in minoribus verò alijs Ecclesijs (vbi non potest esse tanta ministrorum frequentia) permitterentur alijs: tunc reipsa, & non nudis verbis distinctio illa ostenderetur, quòd scilicet, sicut baptismus solenniter à solis sacerdotibus datur, qui sunt proprij ministri: & tamen ab alijs in caussa necessitatis sine solennitate verè & rectè perficitur: ita & hi actus ordinum istorū inferiorum nonnunquā fiunt solenniter,

&

& tunc non nisi per proprios ministros: aliquando verò non solenniter, & tunc fiunt etiam per non ordinatos, exigente aliqua necessitate: quod etiam conforme est antiquitati ecclesiæ. Extat præterea antiqui concilij decretum, vt presbyter ordinatus in ecclesia aliqua, vnum ad minus secum clericum habeat. Itaque putamus de his in Concilio generali meritò cogitandum esse. Et quanquam non improbabile diximus, posse omitti aliquos horum ordinum, ne ociosi maneant: tamen eidem iudicio & censuræ ecclesiæ submissi, credimus multo esse conuenientius, vt nullus omittatur, qui tanta antiquitate traditus est: sed potius diligenter statuatur, vt & ostiarij, & exorcistæ munera sua obeant in ecclesia. Nec enim deessent multa, quæ vtiliter & grauiter per hæc officia fieri possent: sed hoc vehementer cupimus, vt irrisioni subtrahantur hæreticorum, & adeò non sint in Ecclesia vani: quanquam dicere aliquis fortè posset, melius esse, vt etiam sic dentur in Ecclesia, & permaneant, quàm vt auferantur. Ita enim & admonemur, quid fieri deberet, & manent antiquitatis vestigia in Ecclesia: quod non parum expedit. Cui sententiæ nolumus contradicere: sed id tantùm addimus, satius fore vt integra & operosa, non ociosa permaneant. Nam retinere aliquid, non est nomen tantùm sonare: sed agnoscere & custodire rem ipsam nominis.

LECTIO QVARTA.

De *ratione & modo sacramenti Ordinis.*

Ordo est verum sacramentū.

QVAE suprà dicta sunt, premisimus quasi necessaria vt agnosci possit, quid de sacramento ordinis sentiendum sit. Non enim solùm vera fides tenet, esse in Ecclesia ordines diuersos & gradus, vt dictū est: sed etiā ipsos sacramento tradi, quod vocatur ordinis sacramentum: non minimum inter sacramēta reliqua, sed post sacramentū eucharistiæ (ad quod omnia alia ordinātur, vt diximus) meritò maximū, ceterisq; adeò omnibus superius, quippe quòd ad illa omnia tradēda & perficienda est institutū. De ratione igitur huius sacramēti & modo iam

iam agendum est: de quo statuamus sequentia veluti certissima fundamenta.

Primò, nullus in ecclesia potestatem habet exercendi ecclesiasticum actum, nisi cui à Christo, & ipsa ecclesia illud committitur. Hoc tam apertum est, vt non opus sit probari. Si enim in nulla domo permittitur alicui quidquam agere, nisi cui paterfamilias potestatem dat: cur igitur in ecclesia, quæ domus Dei est, licebit cuilibet sine legitima auctoritate, quod volet, exercere? Tradenda autem est hæc potestas à Domino domus, vel ab his quibus ipse committit. Rursum, Christus Dominus post resurrectionem dedit Apostolis potestatem remittendi & retinendi peccata: consecrandi, in cœna: baptizandi & docendi, cùm eos mitteret: denique gubernandi Ecclesiam: hoc enim in clauibus (vt superius dictum est) intelligitur. Cùm igitur (vt superius etiam ostendimus) hæc omnia semper necessaria sint in Ecclesia, opus fuit hanc potestatem perpetuò manere: quod fieri non potest, nisi per eos quibus tradita est, ipsa potestas in alios transfundatur: nam & de hoc dictum est in psalmo: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Soli igitur illi habent hanc potestatem, qui eam legitima traditione Apostolorum, vel ab ipsis, vel ab eis quibus illi tradiderunt, suscipiunt. Vbi aduertendum est, quòd quanquã de quibusdã actibus hoc manifestissimum sit: de his videlicet qui omnem naturalem virtutem excedunt, atque ita excedunt, vt nihil omnino fiat sine diuina virtute (vt consecrare Christi Domini corpus, absoluere à peccatis) de alijs tamen dubitari poterat: de ijs videlicet, qui possunt quidem naturaliter fieri, etsi non licitè neque iustè. Prædicare enim euangelium potest etiam non missus, sicut baptizare: hoc est, non propterea nulla prædicatio, aut nullus baptismus: & multo magis de alijs inferioribus actibus, quos diacono vel subdiacono attribuimus, aut certè inferioribus ordinibus: Sed ratio illa prius posita certè conuincit id verissimum esse omni vel minimo actu. Potest quidem in aliqua domo, cui non est commissa dispensatio, adulterinis clauibus aperire & dispensare: sed tanquam fur & latro, non licitè. Hic igitur illud Euangelij certissimum est: Qui non intrat per ostium in ouile ouium, hic fur est & latro. Quicunque igitur quidquam exercet in Ecclesia, illa non ordinante & præcipiente: aliunde intrat, non per ostium. Sed de illis inferiorum ordinum actibus proxima lectione diximus, qualiter sine ordine nonnunquam fiant licitè. Manet itaque hac ratione stabile primum hoc fundamentum: iuxta

In Ecclesia nullus habet potestatem, nisi ei à præposito ecclesiæ traditur.

Nota aptã similitudinem.

quod secundum collocetur.

Potestas ordinis visibili signo traditur.

Traditio huius potestatis in Ecclesia, ab his solis qui præsunt, visibili & manifesto aliquo modo necesse est vt fiat. Quod etiã euidentissimè naturali ratione constat. Primò, Ecclesia domus est ordinata, necesse est ergo vt ab aliquo gubernetur. Est etiam ex hominibus visibilibus & corporalibus visibiliter composita: & ideo iuxta morem humanum gubernanda. In humana autem domo vel republica necesse est, vt si tradenda sit potestas alicui quidquam administrandi, apertè & visibiliter per verba vel per signa tradatur: immo addunt ipsa iura humana, tunc plenè tradi potestatem, cùm introducitur is cui traditur, in rem, ipsam domum scilicet vel ciuitatem: immo & humana etiam consuetudo omnium gentiũ habet, vt visibilibus quibusdam signis & solennitatibus dignitates vel potestates humanæ tradantur. Sic fiunt doctores: sic aurati milites: sic reges & imperatores. Hoc igitur in Ecclesia necesse est aliqua ratione fieri. Tertium iam statuamus proximum huic fundamentum.

Cùm constet Ecclesiæ esse donatum à Christo, vt hanc potestatem tradere possit per suos gubernatores: necesse est vt modus tradendi eam aut ab eo fuerit præfixus & per Apostolos ostensus ecclesiæ, aut certè permissus arbitrio ipsius, aut prælatorum eius. Hoc manifestè sequitur. Nec enim potest alius modus inueniri. Ceterùm quis horum fuerit, non audemus temerè asserere: quod maximè in his, quæ contra hæreticos dicimus, putamus obseruandum. Rationabiliter credi potest, de hoc Apostolos edoctos per spiritum docuisse ecclesiam: & hoc de maioribus illis tribus ordinibus putamus ex scriptura probari. De alijs verò neque ex scriptura, neque ex traditione alterutrum haberi posse videmus: nisi quòd in quarto concilio Carthagin. (de quo suprà diximus) apertè statuitur quid agendum, aut quid dicendum sit in ordinatione subdiaconi, & ceterorum inferiorum ordinum, postquam prius de superioribus illis tribus esset dictum. Et certè ita dicitur, vt appareat non esse nouum inuentum illius concilij: quod tamen antiquum est, vt sit ante mille & centum annos celebratum. Et ea quidem, quæ ibi statuuntur, hodie seruantur: nec illorum origo ibi apparet: quare meritò ab Apostolis illa esse quis putabit. Sed vtcunque sit, non est cur admodum in eo laboremus. Sed ex his fundamentis sequentia inferamus.

Primò. Vbi de modo tradendi hanc potestatem ordinum non est certum aliquid institutum à Christo, potest ecclesia constituere

tuere quibus vel verbis, vel actibus, vel signis alijs in eiusmodi traditione vtendū sit. Quod alia ratione nō est opus nunc probare: cùm sit hoc à Christo commissum ecclesiæ. Cùm autem hæc potestas spirituale quoddam sit donū, accipientem in gradu aliquo supra populum constituens: meritò vocatur character spiritualis, qui imprimitur animæ. Ordinari itaque in aliquo horum ordinum, est potestatem ab ecclesia accipere sensibili signo, atque ita characterem. Addimus tamen istis, ecclesiam debere vti in hac potestate modo tradendi sibi prefixo & suscepto ab antiquiori ecclesia. Ita credimus fecisse concilium Carthaginense quartum: & ita nunc ecclesia agit. Secundò inferimus, in huius potestatis traditione & impressione characteris dari etiam auxilium & gratiā, qua iustificamur vel proficimus in iustitia, & qua rectè actus illius potestatis exerceamus. Hoc ita ex dictis sequitur. Datur potestas ab ecclesia Christi virtute, igitur, cùm perfecta sint Dei opera, & promissum habeamus illius, affuturum se & probaturum ecclesiæ & gubernatorum eius opera (hoc enim & significant claues regni cœlorum) necesse est vt conferatur etiam gratia necessaria, qua rectè exerceatur illa potestas: hæc est sanctitas & iustitia. Datur igitur hæc gratia in ordinatione: quod non est opus coniecturis probare. Testatur id apertè Paulus Timotheo ita dicens. Noli negligere gratiā quæ in te est, quę data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij. Vbi notum est de gratia, quæ ei cùm ordinaretur data est, ipsum loqui. De qua rursum eidē ait: Propter quā causſam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quę est in te, per impositionem manuum mearū. Vides itaque visibilibus signis fieri ordinationem, & eisdem gratiam dari. Est igitur hæc ordinatio verè & proprijssimè sacramētū ecclesię. Habet enim visibilia signa: habet diuinā promissionē gratiæ, quod ex supradictis patet: verū igitur (inquā) est & perfectū sacramentū gratię. Vbi manifestè est videre, quòd (etiā si aliam nō haberemus auctoritatē, aut alia testimonia sensus ecclesiæ, imò etiā si nomen sacramenti nusquā ordinationi attributū inueniremus) ratio hęc sufficiat, vt certa fide & intrepidè credamus & dicamus esse sacramentū ipsam ordinationem. Nec tamen desunt & ipsius nominis sacramenti certissima antiquitatis testimonia. Sufficiāt verò nunc nobis duo fide digniſsimi testes. Primus sit Augustinus: Is libro secundo contra epistolam Parmeniani cap. 13. contra eos qui dicebant hæreticos recedentes ab ecclesia non amittere baptismū quem receperant, nec tamen posse alios baptizare, quia

Sacramentū ordinis characterē imprimit.

Per sacramentū ordinis confertur gratia.

1. ad Tim. 4

2. ad Ti. 1.

amiserant ius dandi baptismũ, ita dicit: Nulla ostenditur caussa, cur ille qui ipsum baptismum amittere non potest, ius dandi amittere possit. Vtrunque enim sacramentum est, & quadam consecratione datur: illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur. Ideoque in catholica ecclesia neutrum licet reiterare. Vide (rogo) quàm apertè Augustinus Sacramentum ordinis confiteatur: nec probat vt rem dubiam, sed quasi certum affert ad confirmanda alia dubia. Multa etiam alia ex eodem loco colligit de sacramento ordinis: de charactere scilicet, de quo ibi multa dicit Augustinus, vbi de non iterando sacramento loquitur: denique quòd potestas baptizandi sit potestas ordinis. Vbi ergo nunc Philippus Melanthon, & tam temerario homini confidentes, qui asserit Augustinum duo tantùm sacramenta agnoscere? Iam probauimus manifestis verbis ipsum quatuor asserere, & duo reliqua ex his quæ diximus apertè sequuntur. Secundus testis sacramenti ordinis sit Ambrosius. Is in expositione epistolæ ad Timotheum, in verba illa Pauli quæ primò adduximus: Noli negligere gratiam quæ in te est per prophetiam, cum impositione manuum &c. ita inquit: Prophetia est qua eligitur quasi doctor futurus idoneus: manus verò impositionis verba sunt mystica, quibus confirmatur ad opus electus: verba mystica apertè verba sacramenti intelligit. Vbi etiam aduerte Ambrosium tanquam certum iam in ecclesia asserere, mysticis verbis consecrari eum qui ordinatur. Non est igitur inuentum nostrum, aut auaritiæ siue ambitionis, sacramentum ordinis: sed consensus antiquissimæ & totius ecclesiæ, à qua illi discesserunt, vt vel sola hæc ratio apertè ostendit.

Ex his igitur & vera ratio huius sacramenti, & dubia quæ inter posteriores nostros scholasticos disputãtur, sunt cognoscenda. Primò itaque illud certò constat, esse sacramentum ordinis in ecclesia, illud consummari & perfici in traditione potestatis illius ecclesiasticæ. Cùm verò disputatur, quomodo sit vnum sacramentum ordinis, vel quare non plura, cùm sint plures ordines: magis de nomine quæstio est, quàm de re aliqua. Vnicum sacramentum ordinis dicimus, quanquam tradantur plures per illud ordines, & quidem (vt sic liceat loqui) diuersarũ specierum & rationum: tamen omnes ad vnum (quod præcipuum & maximum est) sacerdotium scilicet, siue presbyterium, siue episcopatum referuntur: de quo postea. Nunc satis est, quòd attributione quadam omnia vnum sacramentum dicuntur, quæ ad vnum illud præcipuum ordinantur. Hæc est beati Thomæ in

Licet plures sint ordines, vnũ tamen est sacramentũ ordinis.

hac

hac materia ſententia. Quanquam non deſint qui ex eius verbis putent, id quod fit in alijs omnibus ordinibus, ſacramentale quoddam eſſe: ſicut quæ fiunt in exorciſmis ante baptiſmum, præparationes ſunt ad baptiſmum: ita omnia alia quæ fiunt in omnibus ordinibus, præparationes ſunt ad ſacerdotium. Et putant iſti hoc probabiliter affirmari poſſe: atque ita vnum tantùm veriſimè eſſe ſacramentum ordinis. Sed reuera minus tuta eſt ſententia, minus conſentanea ſenſui eccleſiæ: & vt ſpecialius dicamus, certum eſt epiſcopatus, presbyterij, & diaconij ordines veriſsima eſſe ſacramenta: quorum duo priora ex inſtitutione Chriſti habentur, vt probatum eſt: & traduntur per ea diſtinctæ poteſtates. Nam epiſcopi poteſtas ſuperior eſt (vt diximus) & ad multa in ſacramentis Chriſti omnino neceſſaria. Igitur veriſimè per ſacramentum illa traditur: ſicut poteſtas confirmandi, & ordinandi. Itaque epiſcopatus (de quo multi aut dubitant, aut in diuerſitate nominis quæſtionem conſtituunt) cenſendus eſt verus ordo, & vero ſacramento tradi. Quod maximè confirmant Pauli verba ſuperius citata: Noli negligere gratiam quæ in te eſt per impoſitionem manus &c. Apertè enim ibi loquitur de ordinatione epiſcopi. Et hoc antiqua omnia concilia & patres teſtantur: epiſcopum ordinari, & imponi illi manus. De ſacerdotij verò ordine nullus vnquam dubitauit, & tota etiam antiquitas apertè id habet. Quare hoc, vt minimum, certa fide habendum eſt, quemlibet horum duorum ordinum verum eſſe ſacramentum, & ſacramento quoque vero tradi. Et ſicut verè inter ſe diſtinguuntur, ita illorũ traditiones diſtincta ſacramenta ſunt, & quodlibet verũ ſacramentum, nõ ſacramentale quoddam, vt Durandus inquit. Et eiſdem rationibus hoc ipſum probatur de ordine diaconij. Primò ex ipſa ſcriptura. Apoſtoli primis diaconis orantes impoſuerunt manus: vnde ſequentes omnes eadem ratione vſi ſunt in eorum ordinatione. Conſtat verò impoſitionem manuum vel fuiſſe ſacramentum, vel cõiunctam ſacramento. Nam (vt ſuprà vidimus) Ambroſius impoſitione manuum myſtica verba intelligit ſignificari. Itaq; Apoſtoli illis ſacramentum contulerunt. Tria igitur iſta negari non poſſunt diſtincta eſſe ſacramenta, vera atq; perfecta. Vbi hoc eſt aduertendum, quòd de duobus quidem prioribus, nihil eſt quod mirari debeamus: in vtroque traditur ſpiritualis poteſtas ad ſpiritualia opera omnem humanam virtutem excedentia: remiſsionem videlicet peccatorũ, conſecrationem corporis & ſanguinis domini, collationem ſpiritualis poteſtatis & gratiæ. Ceterùm

Durandus q.2.d.24.

mirum apparet, quòd in ordinatione diaconi nulla tradatur potestas, nisi ad externa opera tantùm. Quidquid enim diacono incumbit agendum, quatenus ab ipso fit, nullam habet supernaturalem virtutem: quod dicimus propter lectionem euangelij, quam non est dubium ad illuminationem & ad excitandum affectum bonum animæ pertinere: sed id, à quocunque legatur, habet. Diaconus igitur ex ordinatione sua nihil nisi externa operatur. Nam lectio ipsa Euangelij (vt diximus) magis postea tributa est illi ordini, quàm ex sua institutione. Nec enim à principio legebatur euangelium, cùm nec esset scriptum. Sed etsi externa solùm administret, quia tamen tam proxima sacramentis Christi illa sunt: certa fide credimus ad illa administranda gratiam illi dari & virtutem supra humanam: quoniam sacramento ad hoc ordinatur. Hæc igitur dicta sint de tribus istis prioribus ordinibus: de quorum nullo putamus fas esse dubitare, an vero sacramento tradantur. De reliquis verò inferioribus (fatemur) dubitatur à pluribus: immo antiquorum diuersæ videntur esse sententiæ. Quòd Magister d. 24. dixit hos ordines postea constitutos esse ab ecclesia, ex præcepto verò Apostoli solùm episcopos & diaconos haberi (addimus nos, & presbyteros) hoc etiam Gratianus asseruit d. 21. c. 1. Immo Vrbanus primus multò antiquior pōtifex idem videtur asserere ca. Nullus, dist. 60. citatus à Gratiano: Dicit enim presbyteros & diaconos solùm fuisse olim in ecclesia. Itaque si ecclesia postea sibi hos ordines cōstituit: magis sacramentalia quædam erunt signa illa, quibus traduntur, quam sacramenta vera. Et secundum hanc sententiam, id quod superius diximus, ecclesiam posse auferre aliquem horum ordinum, multo esset probabilius. Et vtrunque confirmat, quòd isti ordines ad gubernationem magis & externum quendam decorem ecclesiæ pertinere videntur. Confirmat etiam hæc, quòd Innocentius (c. A multis, de ætate & qualitate ordinandorum, in decretalibus) subdiaconatum dicit non fuisse ordinem sacrum, sed iam ab ecclesia haberi inter sacros. Itaque mutatio ista ecclesiæ videtur ostendere, non esse hoc traditum ab Apostolis. Quanquam autem ista probabilia videantur, multo tamen tutius, & certè probabilius oppositum credi potest: cùm probauerimus superius omnes hos ordines ab Apostolis traditos, & in antiquissima ecclesia ante omnia concilia fuisse: quod non nisi ex traditione Apostolorum esse poterat. Et in ipsis ordinibus, etiam inferioribus, consecrari ordinatos. Caius pōtifex asserit, vti suprà citauimus. Et certè, cùm Augustinus sacramen-

sacramentum ordinis dicit esse in ecclesia, non de sacerdotio tantùm loquitur, sed de omnibus. Sunt itaque omnes ordines, & eorum traditiones vera sacramenta, quantum antiquitas ecclesiæ ostendit. Nec putamus hoc posse obstinatè negari: quanquam verum sit, hoc de his non tam apertum esse, sicut de tribus prioribus. Nam qui dicunt hos ordines sibi postea constituisse ecclesiam: intelligi possunt, vel quòd postea aucti fuerint omnibus, & manifestiores in ecclesia: vel certè quòd à principio (cùm esset parua ecclesia, & rari ministri) omnia committebãtur diaconis: quod satis Dionysius loco suprà citato ostendit. Postea verò singula ministeria & singuli ordines singulis etiam ministris tradita sunt. Quod verò de subdiaconatu adfertur, qui olim non erat ordo sacer, nunc autem est ordo sacer: nihil impedit quo minus ab Apostolis putetur traditus, & nunc vero sacramento tradi. Quia distinctio illa sacrorum ordinum à non sacris, non ita intelligenda est, quasi non sacri dicantur ordines, quia non traduntur sacramento: sacri verò è contrario: nam omnes reuera ordines sacri sunt, & sacramento traduntur: sed non sacri dicti sunt comparatione aliorum, & sacramenti eucharistiæ. Ministeria interim quæ proximè ad illud accedunt, & quibus ecclesia voluit coniunctum esse cœlibatum, speciali hac ratione dicuntur sacra: qualia olim erant tantùm tria priora: quibus deinde additus est subdiaconatus: quia & isti astant altari, & propinqui sunt diaconibus: & propterea iam annexum est votum castitatis huic ordini. Ex quibus omnibus restat octo esse ordines, & quemlibet vero sacramento tradi. Solus clericatus (quem tonsuram primam nonnulli vocant) est extra rationem ordinis, quia nulla potestas illa traditur: sed tantùm fit deputatio ad ministeria ecclesiastica. Vnde etiam clerici tantùm illa habent, quæ omnibus sunt communia, tonsuram. s. & coronam, atque nomen ipsum clerici. Et hoc satis sit de veritate & ratione sacramenti ordinis.

Nota auctoris sententiam.

Quomodo subdiaconat⁹ olim non sacer, nunc verò sacer ordo dicatur.

Prima tõsura nõ est sacramentum.

Non tamen omittendum est, quòd etsi ordines omnes sacramento vero tradantur, & veram spiritualem potestatem conferant ac gratiam: tamen vnus eorum nõ præsupponit alterum de necessitate sacramenti. Superior enim non exigit inferiorem: cùm in eis potestates distinctæ dentur, quanquam omnis inferior potestas & ordo in superiori includatur. Et propterea in ecclesia sæpe ordinabatur quis diaconus, antequam vel subdiaconus, vel aliquem aliorum ordinum esset consecutus. August. (quantum videtur) primò ordinatus est presbyter, cùm antea

Quomodo superior ordo non præsupponat inferiorem.

Per saltum ordinatus est verè ordinatus.

nec diaconis fuisset. Nihil habet necessariæ dependentiæ superior ordo ab inferiori: & cui traditur superior, potestatem accipit omnium inferiorum: quod tamen intellige de omnibus inferioribus ordine presbyterij. Nam episcopus ordinari non potest, & nulla esset ordinatio, si non esset presbyter: & potestas presbyterij nō datur, nisi per ordinationem propriam. Est enim (vt diximus) ad spiritualia & excedentia omnem humanam virtutem opera. Posset quidem tunc dari cùm episcopus ordinatur: sed iuris necessaria ordinatione statutum est, vt nullus altiorem susciṗiat ordinem, qui in inferiori prius ordinatus non fuerit. Et grauiter puniuntur contrarium facientes, vt habet titulus in decretalibus, de clerico per saltum promoto. Quod reuera ideò statutum est, vt in inferioribus probentur & exerceātur. Quod vtinam curaretur in ecclesia. Reliqua quæ circa rationem sacramenti ordinis tractanda sunt, dicentur sequenti lectione.

Episcopus ordinari non potest qui non est prius sacerdos.

LECTIO QVINTA.

De materia & forma, ac reliquis ad hoc sacramentum pertinentibus.

EX his itaque quæ proximis lectionibus dicta sunt, facile est cognoscere, quæ ad rationem huius sacramenti pertineant. Inquiritur primò, quę sit materia & forma illius: quæ verò sacramentalia & præparationes: quando imprimatur character sacramentalis, siue quando perficiatur sacramentū. Ad quorum singula ex dictis respondendum est. Forma huius sacramenti (secundum illam metaphoram, qua in sacramentis dicitur forma) verba sunt, quibus apertè significatur traditio potestatis. Hæc meritò (inquit b. Thom.) imperatiuè proferūtur: sicuti ostiarijs dicitur: Sic agite, tanquam rationem reddituri pro rebus &c. Et lectori: Esto verbi Dei relator &c. Significatur enim his verbis cōferri potestatem, à potestate superiori ordinantis deriuatam. Materiam verò dixerunt doctores illa, quæ traduntur cùm verba ipsa dicuntur. Sicut ostiario, claues: lectori, liber lectionum: Exorcistæ, adiurationes: Acolutho candelabrum &c. vt Magister dicit. Quæ materia dicuntur, quia sensibilia quædam sunt coniuncta verbis, quæ forma vocantur, quòd distinctiùs & magis

Forma sacramenti ordinis.

Materia sacramenti ordinis.

magis explicitè significent: quanquam hæc materia (vt dicit b. Thomas) alio modo se habeat, quàm in alijs sacramentis, Non enim tam adhibetur ad sanctificationem significandam vel efficiendam, quàm ad quandam possessionem & vsum potestatis quæ traditur, inchoandum: quanquam etiam dici possit quòd operentur, sicut cetera omnia, ad sanctificationem. Et hæc quidem facilè ita dici possent, de his maximè minoribus ordinibus & subdiaconatu: de ceteris verò est nonnulla maior difficultas, quæ iam nobis explicanda est.

Aduertendum igitur est, quòd & in istis inferioribus, & in tribus illis superioribus, cùm conferuntur quædam alia fiunt, quæ b. Thomas diligenter considerans, distinxit in quatuor: scilicet instructionem ordinandorum, benedictionem, manus impositionem, & vnctionem: quanquam non omnia hæc sint in omnibus ordinibus: sed tantùm duo priora: reliqua enim duo sunt tantùm in tribus maioribus. Et putat b. Thomas (quantum credimus, ex communi tunc doctorum sententia, secundum quam tunc ille loquebatur) illa quatuor ad præparationem pertinere, & quasi sacramentalia quædam esse, sicut sunt exorcismi in baptismo. Ceterùm perfectionem sacramenti in verbis & traditione consistere, etiam in tribus illis superioribus: quanquam nonnulla dubia & diuersæ sententiæ de hoc sint. Nam diaconi non est certè principale officium, Euangelium dicere, vt probauimus superius: & tamen hoc illis datur, & nihil aliud fit in eorum ordinatione: quàm impositio manus. Sacerdoti traditur calix cum patena, hostia, & vino atque aqua: sed postea imponuntur ei manus, & dicitur: Accipe spiritum sanctum &c. Quare non immeritò multi dubitant, quando character sacerdotalis imprimatur: an cùm traditur calix, & dicuntur verba: an potius in impositione manus.

Circa ista igitur hoc primò certũ est, ex scriptura sacra & exemplo Apostolorũ in ordinatione solùm haberi impositionem manuum. Ita enim ordinati sunt septem diaconi: ita Paulus & Barnabas, quando à spiritu sancto dictum est: Segregate mihi Paulum & Barnabam: hoc idem Paulus dicit se fecisse in ordinatione Timothei: hoc quoque docet ipsum Timotheum facere in ordinatione aliorũ: Nemini (inquiens) manus citò imposueris. Quare meritò hoc cõsiderantibus videtur sacramentum ordinis maximè perfici in impositione manus: in illis videlicet tribus ordinibus superioribus, in quibus manus imponẽdas esse & hæc loca scripturæ, & omnia antiquorum patrum testimonia, &

ipsum quartum Carthaginense Concilium testantur: immo in illo Concilio (in quo distinctius quam alibi & disertius agitur de ordinatione) nullius alterius rei in ordinatione facta est mẽtio, quàm impositionis manus. Et quanquam semper aliquid forte præterea fiebat: tamen in antiquorum lectione nec de traditione calicis &c. in sacerdotio, nec libri in diaconio hucusque vidi mentionem fieri: quare magis videtur perfici sacramentum in illa impositione manus in superioribus tribus ordinibus. Sed vtcunque fit, melius est hoc sub dubio relinquere. Gregorius 9. cap. Presbyter, de sacramentis non iterandis, in decretalibus iubet, quòd si impositio manus omissa fuerit in ordinatione, repetatur: tamen non propterea cetera esse iteranda dicit. Ex quo aliqui colligunt, manus impositionem ad essentiam pertinere sacramenti. Sed non putamus hoc ex illo sequi: quæ omissa sunt iubet Pontifex repeti, nihil aliud ibi dicens.

Characterẽ in impositione manus imprimi probabile est.

Vt verò etiam de his omnibus quatuor dicamus: quia ostensum est quantæ auctoritatis sit manus impositio: & benedictionem non est opus magis probare, quàm quòd illa communis sit omnibus actibus sacris & ecclesiasticis: institutio verò & exhortatio etiam in omnibus requiritur: de vnctione tantùm breuibus opus est admonere, quoniam impugnatur & reijcitur ab hæreticis: alijs dicentibus inuentum esse Siluestri: alijs, à quocunque sit, non tamen à Christo vel Apostolis institutam, sed magis pertinere ad similitudinem rituum legis veteris, qui iam à Christo abrogati sunt. Propter hos igitur de illa opus est scire, quòd semper in omni antiqua ecclesia eius est mentio. Nam & Clemens epistola 3. pontificem omnem sacro chrismate perunctum esse apertè testatur. Et Anacletus epistola 2. à Petro se accepisse dicit, episcopos in ordinatione sacro chrismate in capitibus vngendos: quod etiam Innocentius 3. (cap. vnico, de sacra vnctione) in sacerdotibus ecclesiam facere dicit, & repetendum, si id omissum fuerit. Non ergo reijciendum est hoc, vt illi faciunt. Cuius etiam sunt plura antiquissimorum testimonia, consuetudini huic ecclesiæ perpetuæ attestantium. Cetera quod in ordinatione fit vltra hæc omnia in traditione vestium, stolæ videlicet aut dalmaticæ &c. inferius explicabitur, cùm specialiter de vestibus dicemus.

De vnctione in ordinatione episcoporũ & sacerdotum.

Patet itaque quid de forma & materia huius sacramenti censendum sit, immo & de cunctis fere ritibus, quos in eius administratione seruat ecclesia: patet etiam de effectu ipsius atque significatione ex præcedentibus lectionibus. Vt igitur ordine

cuncta

cuncta (sicut in alijs sacramentis egimus) absoluamus, de ministro & suscipiente, eorumq; dispositione dicendum restat.

Minister sacramenti ordinis est episcopus.

Quod igitur ad ministrum attinet, ex ijs quæ diximus de officio episcopi patet ministrū proprium sacramenti ordinis esse episcopū, quoniam ille est supremus gubernator ecclesiæ. Non est tamen omittendum, quòd minores ordines ab inferioribus episcopo traduntur in ecclesia, ab abbatibus videlicet & à presbyteris cardinalibus: de quibus id tantùm dicendum est, quòd hoc non fit nisi ex commissione episcoporum (vt b. Tho. d. 25. inquit) maximè verò Romani pontificis, qui supremus est totius ecclesiæ gubernator. Itaque primos illos tres ordines à solis episcopis posse dari totius ecclesiæ consensu asserendum est: ita vt nulla sit collatio illorum, si aliter fiat.

Qui possint minores ordines dare.

Inferiores verò, quia non propriè ad sacramentum eucharistiæ ordinantur, sed ad inferiora officia: non negandum est (quòd quidem ad necessitatem sacramenti pertinet) posse à sacerdotibus conferri, modò id legitimè fuerit eis cōmissum: alioqui etiam ab ipsis nihil fieret. Semper enim prima potestas eos conferendi est penes episcopum. Hæc verò commissio vel ex iure, vel ex consuetudine, vel ex priuilegio fieri potest. Sed hæc pertinent ad iurisperitos: de quibus & Siluester in verbo. Ordo.

De hæreticis ordinandis.

Secundò. Disputat verò latius circa istū locum Magist. sent. dist. 25. de hæreticis ordinantibus: & refert diuersas sententias. Olim quidem ante quæstionem illam baptismatis decisam ab ecclesia, cùm dubitaretur, an repetendum esset baptisma datum ab hæretico, etiam poterat hoc in dubium verti, an ordinatus ab hæretico esset rursus ordinandus? iam verò illa quæstione certa fide decisa, non est dubitandum per hæresim vel excommunicationem, siue etiam degradationem nō amitti potestatem, quæ sacramento collata est, siue characterem (vt dicunt) baptismi, confirmationis, & ordinis: quanquam vsus illius amittatur. Peccat itaque grauissimo sacrilegio hæreticus, vel excommunicatus ordinans, sicut & ordinatus ab eo: propter quod etiam neq; datur, neque recipitur gratia: est tamen verum sacramentum ordinis siue ab hæretico, prius tamen legitimè ordinato in ecclesia, conferatur: siue ab illo quem ipse ordinauit: quod b. Aug. 2. illo libro contra epist. Parmeniani (vt suprà citauimus) ex consuetudine etiam ecclesiæ probat. Recipiuntur enim hi in suis ordinibus frequenter in ecclesia. Hæc igitur de ministro sacramenti ordinis dicta sint.

De suscipiente iam dicendum est. Vbi illud est omnium primum,

Mulier non est capax ordinis.

mum, huius sacramenti solùm capaces esse viros, non mulieres? ita vt prorsus nihil fiat, si ordinetur mulier: quod ex ipsa naturali ratione (quæ docet mulierem subditam esse debere, nec dominari in virum) Paulus aperte prohibuit: Mulierem (inquit) in ecclesia loqui non permitto, nec dominari in virum. Quo aperte explicat omnem potestatem ecclesiasticam eis esse negatam. Nec opus est hoc loco de mulieribus quæ in conuentu mulierum prælationem exercent, quidquam dicere: illa enim omnia non ad veram ecclesiasticam potestatem pertinent: sed ex commissione & directione prælatorum communicantur eis quædam, propter securiorem & honestiorem rationem gubernādi. Quod etiam in antiquioribus leguntur aliquando diaconissæ præfectæ fuisse, in ecclesia siue etiam ordinate, constat similiter non ad verum sacramentum ordinis esse referendum: quod etiam concilium Nicænum explicauit.

An pueri possint ordinari?

Secundum etiam similiter huic proximum, est, pueros etiam ante vsum rationis non esse capaces sacramenti ordinis. Et quidem de minoribus ordinibus, quanquam non dubitetur iniustè pueris nondum ratione vtentibus conferri: tamen collati tenent: quia non de necessitate sacramenti hoc (vt scilicet suscipiens rationis vsum habeat) iudicatur. Traditur enim potestas spiritualis & character, non tam ex voluntate susciptientium, quàm ex potestate ipsa præfectorum ecclesiæ. Vnde (vt beatus Thomas hoc loco inquit) posset nonnunquam etiam iustè & sanctè his pueris ordo aliquis horum minorum tradi, vel etiam omnes: cùm scilicet speraretur futurus vtilis ecclesiæ, & accederet parentum aut maiorum eius consensus. Olim in ecclesia parentum voluntate sola deputabantur perpetuò vel ad ecclesiastica ministeria, vel ad monachatum paruuli. Tunc omnia simplicius fiebant, nec illi adulti repugnabant piæ parentum voluntati: quod etiam in Samuele scriptura nos docet factum.

De maioribus quidem ordinibus etiam & subdiaconatu apertior est ratio. Habent enim votum castitatis annexum, & ideò multò minus debent conferri nisi maioribus. Sunt iā certa tempora deputata ab ecclesia: & (vt patet) antiquitus maior ætas requirebatur, & lōgior etiam expectatio: iam (sicut in ceteris omnibus) omnia illa relaxata sunt. Est iam certa definitio ecclesiæ per Clementem quintum facta in cōstitutionibus Clementinis, quas vocāt, de ætate & qualitate, quam transgredi non est dubium graue esse peccatum, & (vt verum dicamus) nec dispensatio-

Notēt qui quacunque

nes ipsæ

nes ipsę excusant aut cõferentes, aut vtentes, nisi vtilitas subsit ecclesiæ, aut iusta aliqua caussa. Additæ sunt etiam à iure pœnæ suspensionis, & quidem meritò, his qui ante tempus ordinãtur.

ratione impetratæ dispẽsationem putant se securos.

Ceterùm est nonnullum dubium inter doctores nostros, an verè conferantur maiores hi ordines pueris nondum ratione vtentibus? Et quidem b. Thomas putat hoc loco, omnes alios præter episcopatum collatos pueris veros ordines, nec repetendos esse. Alijs secùs videtur. Ius quidem, quod à b. Thom. citatur, in c. Vno, de clerico per saltum promoto, non loquitur de maioribus, sed de minoribus tantùm ordinibus collatis nondum ratione vtentibus: & nimium ridiculum videretur credere puerum esse presbyterum. Certum est illum non fore obligatum neque ad actus ordinis, neque ad quidquam aliud: sed interim posset affirmari, non esse repetendum sacramentum illi datum, si quando in maiori ætate illi, & ecclesiæ placeret. Sed quia hoc dubium est, tutius crederemus saltem sub conditione repetendum esse sacramentum, præcipuè in sacerdotio: nam in reliquis eo inferioribus non admodum esset curandum, maximè cùm superiùs constiterit in superiori includi minores omnes, nec necessariò altiorem ordinem prærequirere inferiorem.

Hæc duo, sexus scilicet & ætatis impedimenta sunt ex ipso diuino & naturali iure in ecclesia certa. Sunt verò etiam præter ista, alia impedimenta iuris, quibus scilicet rationabiliter iura statuerunt aliquos reijciendos esse ab ordinibus ecclesiæ, etiam aliquando non propter peccatum. Talia sunt seruitus, defectus natalium (cùm scilicet quis non est legitimè natus) & irregularitas illa quæ per voluntariam hominis occisionem contrahitur, etiam si sine peccato fiat: de quibus satis est admonuisse, seruanda esse iura, nec licitam esse dispensationem, nisi iusta de caussa in vtilitatem ecclesiæ factam.

De dispositione ordinandorum.

De dispositione susципientium iam dicendum restat: nam de conferentibus hoc sacramentum, nihil specialius dicendum est: sed quod commune est omnibus sacramentis, illis conuenit: tenentur munda conscientia, & non nisi certa discussione ordinandorum præmissa hoc sacramentum conferre. De susципientium dispositione breuiter duo notanda sunt.

In Peccato mortali ordinari graue sacrilegiũ est.

Primùm. In peccato susципere ordinẽ quencunq; ecclesiasticum (in peccato inquam mortali) proculdubio sacrilegium est, sicut & quencunq; actum (maiorum saltem ordinum) tanquam ex ordine exercere. Primũ quidem satis cõfirmat illud verbum Pauli:

Pauli: Si quis sine crimine est. Vbi (inquit Aug.) immeritò nō est dictum, sine peccato, quòd sine eo nullus sit, sed, sine crimine, quod grauiora significat peccata. Probat etiam illud ratio apertissima: quoniam per peccatum mortale ponitur impedimentum gratiæ, quæ in sacramento confertur, & ita indignè ipsum susciptitur. Secundum confirmat Diony. inquiens: Immundis illicitum est vel tangere sacra. Certum est ad omnes actus ordinis susciptientes (vt supra diximus) consecrari: igitur aliter eos exercere quàm sanctè, ipsi ordinationi repugnat: quod b. Tho. hoc loco diserte tenet: quare nec dubitat grauiter peccare & susciptientem, & conferentem scienter.

Notent ordinandorū examinatores.

Secundum etiam non est omittendum, quòd iuxta Pauli doctrinam nō solùm ipsa peccata mortalia, actu siue reatu præsentia, de quibus scilicet non est acta pœnitentia, sed etiam pronitas in ea, & peruersa habilitas meritò impedit à tantæ sanctitatis ministerijs & gradibus. Hoc significant Pauli verba apertè & ad Titum, & ad Timotheum, de episcopis & diaconibus dicta: Non cupidum, non elatum, non vinolentum, non percussorem, & huiusmodi. Significant enim hæc hominem frequenter in illa peccata lapsum: quod meritò considerandū est in discussione eorum qui ordinantur, nec sine peccato putamus omitti posse, cùm id res ipsa apertè ostendat.

De examine ordinādorum.

De explorandis his qui ordinandi sunt, atque ratione id peragendi, non est cur in speciali multa dicamus: iura absolutè loquuntur. Non est dubiū talem requiri discussionem, ex qua prudenter & veraciter iudicare possit qui ordinat, idoneum esse illum qui ordinatur ad huiusmodi onus officij. Dicimus, qui ordinat, hoc est, is qui subditum suum vel ordinat, vel permittit ab alio ordinari. Nam episcopi illi titulares (quos diximus) satis videntur facere suo muneri, si ordinandi legitimè probauerint se à suis superioribus facultatem habere susciendi ordinis: quanquam in tanta facilitate admittendi ad ordines, non ausim eos excusare, qui passim omnes ordinant, quacunque etiam facultate superiorum habita. Certè vbi apertè indignus est, & nec moribus nec scientia probatus qui ordinatur, nescimus quomodo excusari possit ordinans, cùm illi nō præcipiatur vt ordinet: &, si præciperetur, nulla ratione teneretur obedire, vt apertè indignum ordinet.

Notēt episcopi suffraganei.

Cetertim necessarium esse scientiam ordinandis apertissima ratione beatus Thomas & doctores probāt: scientiam, inquam, sufficientem ad ritè exercendos illius ordinis actus: de qua nos in prin-

in principio huius tractatus satis diximus. Certum est autem in examine non minus de scientia, quàm de moribus inuestigandum esse.

An ministri ecclesiæ populi testimonio atq; suffragio sint eligendi.

Restat tamen hoc loco nonnihil dubij, de quo propter aduersarios maximè nunc breuiter dicendum est. Tota enim antiqua Ecclesia obseruauit, vt non ordinarentur ministri Ecclesiæ, nisi probati & etiam electi testimonio & suffragio totius populi: quod beatus Cyprianus (vt multa alia omittamus antiquitatis testimonia) libro 1. Epist. 4. (quæ est de Basilide) testatur ex traditione Domini & Apostolorum obseruatione esse non solùm in Episcopis vel sacerdotibus obseruandum, sed etiam in diaconibus. Ex quo duo nobis obijciunt aduersarij. Primum, quòd traditio Christi & Apostolorum non possit licitè in ecclesia omitti. Secundum, hoc ipsum nullam reddere ordinationem. Quomodo enim rata putanda est, in qua prætermissum est quod Christus instituit, & Apostoli obseruârunt? Propter quod nullos iam veros nos habere ministros audent etiam nonnulli dicere: vt scilicet suum in nos reijciant peccatum. Illi enim reuera nullos habent legitimos ministros, nec veros, nisi fortè quidam apud nos ordinati sint.

His itaque duobus modestè & sine contentione sic respondendum est. Primò, ea quæ ad gubernationem Ecclesiæ instituta sunt & obseruata ab Apostolis, non vt sacramenta accipienda esse, nec vt necessaria aliter, quàm ad finem rectè gubernandi ecclesiam: atque ideo mutari posse, quando nō vtilia, sed nociua potius efficiuntur. Mutantur mores hominum quotidiè in peius, vsque adeo vt vix hodie suffragijs populi vlla electio quietè fieri posset. Et Gregorium legimus præcipientem nōnunquam, ne sine eius scitu & consensu in quibusdā Ecclesijs ordinarentur Episcopi: neque hoc agebat tyrannicè, sed rectè consulens Ecclesiæ. Ita multa alia fieri possunt. Nam illud etiā, quod à prouincię Episcopis & Metropolitano Episcopus ordinari debeat, tota antiquitas & testatur & probat: & quidem absque vlla Romani pōtificis mentione. Cyprianus quoque in supradicta Epistola idem apertè dicit. Iam verò quod hodie fit, vt scilicet sine Roma. pontificis auctoritate nullus consecretur Episcopus (vt omittamus quàm sit ad omnem occasionem schismatis auferēdam conueniens) nullus potest negare, esse vel ob id omnino seruandum, quòd ita receptum sit in Ecclesia: nec nisi temerè afferere quis potest, nō iustè & nō sanctè introductum esse: aut mutandum absque vniuersalis Ecclesiæ auctoritate, hoc est, nisi

multa

multa maturitate iudicaretur aliter expedire vel in omnibus, vel in quibusdam Ecclesijs. Nec est dubitandū apud eos, apud quos nunc ius eligendi est siue principes, siue clerum, etiam consensum populi esse: cùm iusta ratione ad eos hoc ius sit delatum.

Ad secundum respondemus, quòd etiam si in ratione eligendi Ecclesiæ ministros aliquādo peccetur & iniustè aliquid agatur, non tamen propterea nulla redditur ordinatio, cùm etiam hæretici aut schismatici verum sacramentum ordinis conferant. Habemus igitur veros ministros: quia ab Episcopis cōmunionem sedis Apostolicę habentibus: atque ita potestatem hanc ordinandi ab Apostolis vera & nunquam interrupta successione trahentibus, sunt ordinati: illi verò non habent, qui non habent Episcopos secūdum hanc legitimam successionem ab Apostolis, quanquam callidè se nomine episcoporum vocare audeant, occultata quidem hac voce, sed alia eiusdem significationis introducta: vocant enim se superintendentes.

LECTIO SEXTA.

De *quibusdam annexis, & consequentibus sacramentum ordinis.*

SVNT in sacramento ordinis, siue in eius consummatione superaddita quædam necessitati ipsius sacramēti: siue illa ex Apostolorum traditione sint, siue ex posteriorum ordinatione: sicut in baptismo & ceteris sacramentis ostendimus. Et quanquam dixerimus de quibusdam lectione proxima de vnctione scilicet, impositione manuum, & huiusmodi: de quibus dubium est an pertineant ad substantiam sacramenti: restat tamen vt iam dicamus de nonnullis alijs annexis ipsis ordinibus: qualis est corona & præcisio capillorum siue tonsura, sacræ vestes, & quædam alia, quæ ipsis ordinatis necessaria sunt, vel eis ex ipso ordine competunt: diuinum scilicet officium, & beneficium, hoc est, temporalium perceptio, cui simonia opponitur. De istis igitur ex ordine breuiter dicendum est.

Circa

Circa prima igitur illa, in quibus collocamus tonsuram siue coronam, vestes sacras, & diuinum officium (quæ tria ab hæreticis reprehenduntur quasi inuecta in Ecclesiam sine auctoritate, &, vt ipsi dicunt, cultus Dei sine verbo) primò in vniuersali obiter nunc dicendum est (vt respondeatur his calumnijs hæreticorum) quod superius latius ostendimus in principio huius tractatus sacramentorum: hæc omnia & similia aut ab Apostolis tradita esse, aut postea spiritus sancti magisterio per potestatem ecclesiæ à Deo concessam iusta ratione inuenta esse aut aucta, siue etiã ex parte aliqua pro ratione temporis mutata. Probauimus enim superius, non esse credendum, quòd Christus ecclesiam suam (cui promisit se affuturum, & quam charissimam sibi sponsam redemit & abluit proprio sanguine) deseruerit sine diuini cultus certa ratione: sed non placuit illi scripto singula præscribere, vt synagogæ: sed reliquit multa eius libertati. Quia igitur sacramenta quæ ipse tradidit, modo aliquo & conuenientibus cæremonijs fieri debent, de quibus necesse est aliquid ordinari, ne (quod Paulus prohibet) inordinatè & cõfusè omnia fiant: hoc credimus iam relictum esse prælatis ecclesiæ, sicut antè Apostolis: vt pro more & consuetudine diuersarum nationum disponerent cæremonias conuenientes fidei & statui christianæ legis. Illa igitur quæ circa hæc toto terrarum orbe seruata sunt ab ipsis Apostolis vsque ad nos, certũ est non posse aliena esse à vero Dei cultu: alioqui errasset tota ecclesia, quę est columna & firmamentum veritatis: cuius consuetudinẽ Paulus opponit contentiosis. Deinde hæc si non omnino & sigillatim (vt nunc ita dicamus) atque minutim: saltem in vniuersali, aut in exemplo aliquo ab Apostolis tradita credimus. Nam (vt verbi gratia dicamus) in celebratione eucharistiæ & aliorũ ecclesiasticorũ ministeriorũ actibus, lectiones scripturę sacræ, psalmos & orationes, luminaria, thus, rationem aliquam cultus & vestitus Apostoli tradiderunt: non tamen in speciali has vel illas lectiones, hęc vel illa indumenta sacra: in quibus est nõnulla diuersitas in diuersis ecclesijs. Igitur quidquid certa auctoritate ostendimus ab Apostolis vsque ad nos obseruatum, stultissimum est non solùm reijcere, sed vel in dubium trahere. Et certè non immeritò credimus eorum auctoritate, simul & magisterio spiritus sancti siue ex lege veteri, siue etiam ex ritu gentiliũ desumptas esse cæremonias, puritati fidei euãgelicę conuenientes, reiectis alijs. Hinc est quòd habeamus ex lege veteri thus, luminaria, vestes, & vnctiones: nõ sacrificia vitulorũ, aut taurorum,

De tõsura, vestibus sacris, & diuinis officijs.

rum. Hoc enim non dubitamus Apostolos docuisse, & conuenire naturæ ipsi hominum, vt exterioribus quibusdam admoneantur & protestentur etiam fidem suam, atque illis teneantur & exerceantur, ac instruantur etiam rudiores & minores, quales multi sunt in ecclesia, quos oportet istis teneri. Et in his quę nō sunt tradita ab Apostolis, non dubitamus ecclesiam etiam posse statuere quædam, quibus protestentur fideles fidem à Christo ipso acceptam. Itaque aperte contra aduersarios ecclesiæ contendimus, ad cultus veritatem sufficere, vt eo veram fidem protestari velimus, qualiscunque demum cultus exterior sit, modò tamen cultus publici auctoritate etiam publica, ecclesię scilicet statuantur. Hæc putamus vera esse fundamenta, & sanam atque pacificam doctrinam, per omnia libertati legis gratiæ consonam: ex qua iam ad singula quæ proposita sunt, progrediendum est.

De corona siue tōsura clericali.

Corona & capillorum præcisio tam antiqua est in ecclesia, & clericis omnibus communis, vt sint qui putent à Petro Apostolo introductam. Habetur de hac cap. 44. conci. 4. Carthaginensis, quod citatur in decretalibus, de vita & honestate clericorū, cap. Clerici, vbi comam & barbam nutrire prohibētur. Quibus & Gregorius nonus anathema apponit, eodem titulo ca. Si quis &c. Et Alexander tertius præcipit vt inuiti tondeantur: eodem etiam titulo. Posteriores doctores de hoc agunt quasi de receptissima. Hugo de sancto Victore lib. 2. de sacramentis christianę fidei, parte 3. tribus primis capitibus. Rabanus lib. 1. de institutione clericorum cap. 3. b. Tho. & alij scholastici corum post Magistrum d. 24. Aiunt illi in signum regalis dignitatis coronam fieri, & vt ostendatur ecclesiæ ministros ad cælestium rerum contemplationem paratos, superiores mentis suæ vires liberas habere, vt in Deum tendant, nec velamen aliquod inter Deū & eos esse. Similiter & præcisio capillorum superfluarum omniū cogitationum & curarum, quibus à diuinorum contemplatione impediri possent, præcisionem significat. Ideo enim vsque ad sensuum detectionem, auriū videlicet, capilli præscindi debent: cuius meminit etiā Dionysius Areopagita lib. de ecclesiast. hierar. cùm de monachorū dedicatione loquitur. His addūt etiam, hoc partim sumptum esse ex Nazaræis, qui in sanctitatis cuiusdam testificationem, voto completo tondebantur.

Calumniantur hoc aduersarij, quasi cultū, & ceremoniam legis veteris introducamus in ecclesiam: quibus satis responsum est. Non est præscriptum à Christo de hac re quidquam, nec pro-

prohibiti sumus Christiani vti cæremonijs, quibus fidem veræ testamur, etiam si cæremoniæ sint veteris legis, modò sequamur apostolicam doctrinã & vniuersalis ecclesiæ sensum. Apostoli docuerunt nos, ob iustam aliquam caussam posse recipi aliquid in ecclesia ex veteris legis cæremonijs, cùm in concilio præceperint gentibus abstinere à sanguine & suffocato: nõ quasi obligarent cæremoniæ legis, sed quia ita iudicabant expedire vnitati & cõcordiæ nutriendę in ecclesia inter Iudæos & gẽtes. Ita igitur licet ecclesiæ certa aliqua signa statuere, quib⁹ clerici, diuinis videlicet deputati obsequijs, distinguãtur à laicis: vt & illi admoneantur hac ratione ad vitam agendam sanctiorem, & magis à negotijs seculi separatam: & isti etiã ad eos magis obseruandos & reuerendos excitentur. Vnde & addiderunt iura etiam de vestitu ipso, non sacro, sed communi certum aliquid præscribere clericis, vt titulus de vita & honestate clericorum ostendit: vt videlicet agnoscantur inter ceteros. Nihil itaque est in hoc, quod meritò reprehendi possit. Ceterùm admonuimus superius, primam tonsuram non esse ordinem nec sacramentum aliquod, sed solùm deputationem ad diuinum cultum. Notat etiã b. Tho. loco citato, in acceptatione tonsuræ clericalis nõ renunciari bonis temporalibus ab his qui habent, quanquam dicant: Dominus pars hæreditatis meæ, atque Deum assumant in sortem, sicut olim leuitæ: non tamen propterea astringuntur ad illam paupertatem, quam Christus in euangelio consulit tantùm, non præcipit. Non est autem dubium ipsos ex illa professione clericatus ad maiorem abstractionem à terrenis affectibus obligari, vt impleant illud Pauli: Nemo militans Deo implicat se negocijs secularibus: idque magis vel minus, pro gradu & ordine quem obtinent in ecclesia.

De vestib⁹ sacris et ornamẽtis ecclesiasticis.

Vestes sacræ similiter deputatæ sunt ordinum ministerijs, diuersæ quidem, siue plures aut pauciores, pro diuersitate graduũ & ministeriorum: quarum vsus etiam antiquissimus est in ecclesia, tam in vestibus ipsorum ministrorum, quàm in ornatu altaris & vasorum: sicut & horum omnium benedictio. Meminit enim horum Clemens in suis epistolis: meminerunt eorũdem & multi alij antiquorum: quanquam non dubium sit paulatim aliqua esse addita aut mutata. Nam nec dubitandum est à principio simplicius peracta esse ministeria, & reuera rudius. Hoc est enim hominib⁹ cõnaturale, vt in his paulatim perficiãtur. Ita credimus in ecclesia circa ista actũ esse. Refertur dalmaticarum vsum incepisse à Siluestro: quarum frequenter Grego-

Dalmatica.

Orariũ sine stola.

rius in epistolis meminit. Oraria verò (quæ & stolas dicimus) frequentissimè in antiquioribus concilijs & patribus tanquam presbyterorum & diaconorum propria ornamenta ponuntur. Vtcunque sit, illud constat, omnes ecclesias certis indumentis sacris vsas fuisse: quare etiam hoc tanquam traditio certa vel Apostolorum, vel vniuersaliũ conciliorum habendum est, & in qualibet ecclesia seruandus illius mos: idque (vt superius etiam de sacramẽto eucharistiæ diximus) sine peccato non omittitur. Ceterùm & ista magna ex parte ex imitatione legis veteris fatemur esse desumpta: sed nostra quidem simpliciora, facilhora, atque ideo conuenientia statui nouę legis. Nihil itaque habent hęretici quod reprehendant. Hoc enim maximè conuenit, vt sacris vestibus in sacris ministerijs vtamur. At verò de singulorũ ornamentorum significatione & ratione, ac comparatione illorum ad veteris legis ornamenta (quę omnia dignum est, cognita esse ab his qui eis vti debent) loquuntur posteriorum multi, etiam scholastici nostri d. 24. post Magistrum. Ex grauioribus illis legi potest Rabanus lib. 1. de institut. clericorum cap. 14. & sequentibus multis: & Hugo de S. Victore 2. lib. de mysterijs christianæ fidei 4. parte, & libro de mysterijs ecclesiæ cap. 6.

De horis canonicis.

Sequuntur & canonicæ horæ, officium videlicet ecclesiasticum lectionum & orationum sacrarum per certas horas distributum: quod similiter antiquissimum est in ecclesia, & ab ipsis Apostolis meritò initium habuisse creditur. Nam de hoc rectè a patribus intelligitur id quod Apostolus Timotheo scribit: Vo lo primò omnium fieri obsecrationes &c. quod diximus etiã (cùm illum locum exponeremus) Augustinum de orationibus ipsis sacræ Missæ exponere. Sed hoc constat semper in ecclesia per ministros eius obseruatum fuisse, vt pro omni populo fieret oratio. Hoc enim & ipsa naturalis ratio postulat, atque ecclesię distinctio, vt deputati sint aliqui ad diuinas laudes & orationes pro tota ecclesia soluendas: quãdoquidem plurima eius membra non possunt illis vacare. Reprehendunt etiam hoc aduersarij, sed certè mirum est & miserandum, quòd in hanc inciderint cæcitatem. Quid enim hîc meritò potest reprehendi quòd sint cultus Dei sine verbo? Quoties scriptura sacra ad Deum laudandum & orandum nos inuitat? Sed hoc omnibus (inquiunt) conuenit: fatemur. Quid verò prohibet quosdã esse specialius ad hoc deputatos, qui id totius ecclesię nomine agãt? Ad consolandum (inquiunt illi) & ad instruendum populum non negamus hoc rectè fieri. Cur non etiã ad orandum & placandum

1. Timot. 2.

In epistola ad Paulinum 59.

eandum Deum pro omnibus? Quod tam frequenter præcipitur in euangelio: Oportet semper orare: vbi laus Dei, gratiarum actio, & cetera intelliguntur, ad quæ frequentissimè admonemur. Sed fiant (inquiunt forte) hæc liberè & pro arbitrio cuiusque. Sed cur etiam non erit hoc prælatorum ecclesiæ, vt curēt, & contineant ministros in officio, & præscribāt eis agenda? In hoc igitur fatemur diuersas fuisse consuetudines Ecclesiæ: & tandem eò ventum est, vt in septem horas canonicas distributū sit officium, & ad eas persoluendas astricti sint ab Ecclesia omnes in sacris ordinati, & habentes beneficia, & monachi. De quo (tit. de celebratione missarum, in decretalibus cap. 1.) citatur Concilium Agathense, de septem his horis distinctè loquens. Quanquam (vt ibi videtur) istæ septem diei preces erāt præter vigilias nocturnas. De quibus precibus, & de ratione eas studiosè ac deuotè persoluendi, Innocētius tertius in c. Dolentes, eodem titulo diligenter præcipit. Ceterùm de ratione & significatione horarum istarum diligenter etiam traditur à grauioribus illis patribus: à Rabano scilicet libro secundo de institutione clericorum, mox in principio: ab Hugone de sancto Victore libro de mysterijs Ecclesiæ cap. tertio & quarto. Quæ etiam diligenter legenda & cognoscenda sunt his qui ad illa tenentur.

Notēt ordinati, habentes beneficia, & monachi.

LECTIO SEPTIMA.

De *iure beneficij ecclesiastici, & simonia.*

CONSEQVITVR etiam ecclesiasticos ordines & officia atque actus eorum beneficium siue stipēdium ecclesiasticum, ius scilicet percipiendi temporalia: cui opponitur simoniæ vitium, quod propriè in acceptatione iniusta temporalium propter ecclesiastica officia consistit: de his itaque duobus breuiter agendum est: sicut & Magister senten. d. 25. de simonia agit: quæ etiam solet in suscipiendis ordinibus committi. Nos igitur breuissimè nunc & de ea, & de eius oppositō (iure scilicet ecclesiastici beneficij) agamus. Circa hoc quasi innumera sunt, in speciali quidem ad iurisperitos pertinentia. Sunt enim

de hoc speciales tituli in iure canonico. Nostrum est tantùm admonere, quæ ad conscientiam pertinent ministrantium in Ecclesia, & tantùm fundamenta quædam, vnde specialia discerni possint, collocare.

Pro spiritualiū administratione nullū preciū tèporale accipere licet.

Duo igitur nobis sunt statuenda certissima fundamenta. Primum propter spiritualia illa quæ ad salutem animæ pertinent, & ex persona Christi in ecclesia exercentur, nihil potest precij temporalis vel commodi recipi ab his qui illa administrant, aut à quibusuis alijs. Quod certissimum fundamentum & naturali ratione, & auctoritate scripturæ apertè constat. Primò enim spiritualia ista nullo precio æstimari, aut æquari vlli possunt: quare contemnit illa, quantum in ipso est, & temporalibus æquat, qui preciū propter illa accipit. Quam rationem Petrus Apostolus in damnatione Simonis (à quo & hoc vitium nomen accepit) indicauit. Pecunia (inquiens) tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum spiritus sancti pecunia possideri. Deinde illorum origo gratia diuina est, cui repugnat qui non gratis illa tradit. Quod etiam Dominus significat. Gratis (inquiens) accepistis, gratis date. Demum cùm illarum rerum solus Christus sit Dominus, omnes verò alij ministri & dispēsatores. (Sic (inquit Paulus) existimet nos homo, vt ministros Christi &c.) non possunt verò ministri, nisi furtum committentes, aliter q̄ Dominus præcepit, bona Domini sui administrare: itaque ipse Christus (cui ministrant omnes in ecclesia, & à quo præmium meritò expectare debent) præcipit (vt dictum est) gratis accepistis, gratis date. Multiplici igitur, & grauissimo peccato delinquunt spiritualia precio æstimantes, contemptus scilicet ipsorum, ingratitudinis gratiæ, & furti in Christi dono.

Act. 8.

2. Cor. 4.

Ministris ecclesiæ debetur sustentatio, maximè prædicatorib⁹.

Secundum huic proximum fundamentum constituatur hoc: Ex spiritualium administratione licet recipere quæ ad sustentationem necessaria sunt, & postquam statuta sunt certa aliqua stipendia ab Ecclesia, vel si minister sit in necessitate, etiam ea exigere. Hoc (tanquam iuris naturalis) primò probat Paulus multis similitudinibus. Quis militat (inquiens) suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non comedit? Quis pascit gregem &c. Addens etiam veteris testamenti & similitudinem & figuram: Nam qui altari (inquit) seruiunt, de altari viuunt. Et: Scriptum est: non ligabis os bouis triturantis: quod non propter illos dictum est: nec enim de bobus cura est Deo: sed quia (inquit) debet in spe qui arat, arare &c. Vnde iterum ipse Timotheo scribens: Presbyteri (inquit) qui bene præ-

1. Cor. 9.

1. Timot. 5.

præsunt, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo. Honorem ibi non tantùm pro reuerentia, sed (more veteris legis) etiam pro subuentione sumit. Apertè itaque docet, non tantùm necessaria deberi ministris spiritualium: sed ea reddenda esse iuxta cuiusque dignitatis & gradus rationem: ita vt honestè & decenter illis prouisum sit, & familiæ qua illis opus est siue ad necessitatem, siue ad decentiam ministerij cuiuslibet gradus: immo etiam eis, quorum Christi ministro naturali ratione cura commissa est: iuxta illud (quod ipsemet inquit) qui suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Et hanc ipsam legem probauit Dominus in Euangelio, præcipiens Apostolis & discipulis quos mittebat, vt comederent & biberent quæ apud eos essent, ad quos diuerterent. Dignus enim est operarius cibo suo, inquit vnus Euangelista, alter: Mercede sua: vt videlicet idem intelligamus vtroque verbo significari. 1. Timot. 5. Matth. 10. Luc. 10.

Hæc duo fundamenta Euangelij & rationis naturalis, quorũ alterum iustam temporalia percipiendi rationem ostendit in ecclesiasticis ministerijs: alterum iniustam damnat perceptionem: sunt diligenter consideranda. Ex quibus quæcunque ad simoniam, vel ad ius beneficij pertinent (quod attinet ad Deum & conscientiam) pensanda sunt. Quod vt fiat, hoc quod ex illis duobus sequitur, primò ante oculos habeatur.

Simoniæ peccatum maximè ex intentione pensandũ.

Simoniæ vitium ex intentione præcipuè temporalia suscipientis iudicandum est, etsi dantis etiam intentio sit consideranda. Hoc non solùm ideo verum est, quia omne peccatum præcipuè voluntate committitur, sed etiam ex proprijs & duobus illis fundamentis manifestum est. Temporalia possunt iustè recipi in administratione spiritualium: non igitur in eorum acceptione, sed in malitia voluntatis qua suscipiuntur, hoc peccatũ est de quo nunc agimus: quanquam possint etiam iniustè accipi: vt si nimia &c. Meritò itaque definiunt doctores nostri simoniam esse studiosam voluntatem emendi, vel vendendi spiritualia. De ipsa igitur intentione, in qua præcipuè consistit simonia, sequentia sunt consideranda.

Simoniæ definitio.

Primum. Intentio suscipiendi temporalia tanquam precium spiritualiũ, semper est simoniaca, & quidem si ita vt preciũ accipiãtur, quasi spiritualia æstimabilia sint & illis æquari possint, est etiam hæresis: propter quod nonnunquam in iure etiã simonia hæresis dicitur: quamuis illud etiam putemus ea ratione dici, quòd Simon ille etiam hæreticus fuerit, & propriam

Quando simonia dicatur hæresis.

sectam constituerit. Demum (quòd ad simoniam attinet) vt precium accipi temporalia intelligimus etiam, cùm ab inuitis exiguntur: inuitis inquam, id est, qui si possent spiritualia sine temporalium exhibitione habere, id mallent, nisi aliàs sint debita. Extorquere itaque temporalia non iustis alijs titulis (de quibus statim dicemus) pro spiritualibus, dicimus esse ea vendere & præcio æstimare.

Quæ intentio nõ sit simoniaca in acceptione tẽporaliũ.

Secundum. Intentio suscipiendi temporalia vt necessaria sustentationi, vel vt debita ex iure siue superiorum ordinatione, vel vt voluntariè oblata, nullum est peccatum. Nam primum permittit Christus (sustentationem scilicet) accipi, vt dictum est. Secundùm verò ex eodem etiam sequitur. Iustè enim prælatorum ordinatione iubentur dari temporalia, iuxtà Pauli præceptum. Tertium denique probat apertissima ratio: potest enim gratus esse & liberaliter aliquid offerre qui spiritualia percipit: nec ibi quidquam vitij est. Iuxtà duo igitur illa priora (quod ad Deum & conscientiam attinet) si temporalia vt necessaria, vel vt iure debita accipiantur, nihil refert siue ante, siue post collata spiritualia fiat, nihil etiam si antè exigantur & deducantur in pactum, modò intentio sit pura coram Deo, vel vt se seruet indemnem à molestijs, si putat postea sibi non esse conferenda. Quod verò attinet ad Ecclesiam (quia speciem simoniæ habet, ante administrata spiritualia recipere, exigere, vel paciscì de temporalibus) id prohibetur iure: & dicuntur ista à iuristis simoniaca, quia prohibita, hoc est, non ex natura, sed ex prohibitione iuris: quæ etiam ad peccatum obligat, & committeretur proculdubio, nisi illa ita fierent, vt apertè ostendi posset syncera intentio.

Quæ sit intentio simoniaca.

Tertium. Principaliter intendens temporalia in administratione spiritualium (etiam si licitè percipi possint) committit simoniam. Quod est diligenter, curantibus mundam habere conscientiam, considerandum. Principaliter verò intendere temporalia, est ipsa spiritualibus præponere: atque ita summam deordinationem & irreuerentiam in ipsis spiritualibus & contra ea commitere, immo manifestè agere contra ordinationem Christi, qui hæc vt necessaria, & non aliter permittit accipi. Itaque quocunque titulo suscipiantur, si illa principaliter intendantur, simonia est. Vbi quanquam timoratæ conscientiæ non sint nimium inquietandæ, quia tamen difficilè est (maximè in hac re, vbi de intentione agitur) hominem seipsum agnoscere (nam fieri potest) temporalia moueãt ad spiritualia administran-

da,

da, ita vt aliter non fierent, non tamen propterea fit principalis intentio illa, hoc est cum timore domini valde cauendum, ne ex spiritualium administratione ditescere aut abundare, vel (vt Paulus inquit) luxuriari in Christo quis velit. Hoc enim ex spiritualiū administratione quærere, valde repugnat & ipsi Christi ordinationi, & fini rerum spiritualium. Hinc Paulus, mente corruptorum (inquit) est existimare quæstum esse pietatem: est autem magnus quæstus, pietas cum sufficientia. Propterea enim subiungit: Habentes alimenta (inquit) & quibus tegamur, his contenti simus. Nihil enim intulimus &c. Olim quidem erat pulchra certè contentio in ecclesia, dum populus liberalissimè offerret ministris ecclesiæ vltra necessitatem: etiam possessiones & perpetuos redditus: & illi liberalius refunderēt in egentes: ita vt experientia ipsa populus episcopos patres pauperum agnosceret. Tunc non erant certa statuta stipendia, non erat diuisio illa beneficiorum: sed distribuebatur vnicuique iuxta arbitrium episcopi, certè prout vnicuique opus erat. Posteà cæpit vtrinque minui syncerita & sanctitas: & eò ventum est, vt populus nolit dare, & vt ecclesię ministri quandoque opus habeāt exigere, quanquam etiam nimis durè exigant. Hinc iura decimarum, & huiusmodi alia introducta sunt, quæ (quod attinet ad determinatā aliquam portionem) non sunt iuris diuini: ex hoc enim tātùm habetur, deberi sustentationem ecclesiæ ministris. Itaque (quod pertinet ad verum fidei sensum) duo vitanda sunt extrema. Primum, negantium quidquam deberi ministris ecclesiæ, sed tanquam eleemosynam dari, vt Bohemi hæretici primò dixerunt: vel damnantium hanc prælatorum ecclesiæ, de certa portione necessariò reddenda ministris, ordinationem: quæ sanè fieri rectè potuit, & credendum est necessariò factam eam esse consensu etiam populi. Alterum porrò extremum est temporalia hæc immoderatius velle exigere, & tanquam stipendia sæcularibus principibus debita, habere.

Notent ministri ecclesiæ. 1. *Tim.* 6.

Duo errores cauēdi.

Disputant doctores, an habens necessaria & sufficientia sibi & suis, ex administratione spiritualiū possit aliquid accipere: & multis distinctionibus de hac re agitur. Illud tamē certū haberi potest, non esse licitū temporalia exigere quacūq; ratione, ei qui sufficientiā habet, siue ab ecclesia, siue aliūde habuerit. Recipere verò illa, primò, si gratis offerātur, nō damnatur, etiā si in ipsorū spiritualiū administratione hoc & cogitetur & expectetur: modò expectetur tanquā ex iure, beneficio, vel ordinatione superioris debita.

Notēt ministri ecclesiæ quando exigere de beāt temporalia.

Sed hic considerandum est, qua intentione beneficium habeatur, & an quærantur ex Ecclesia diuitiæ, vel luxus & abundantia: quæ (vt dictum est) nescimus qualiter sine graui peccato quæri possint. Dicetur fortè hoc non esse simoniacum. Vocetur quouis nomine, certè talis temporalium acquisitio ex spiritualium administratione est illicita: illud igitur semper ante oculos habendum est, & cum Psalmista petendum à Deo: Inclina Domine cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam: vel (vt Augustinus legit) in emolumentum. Hæc itaque de simoniæ peccato coram Deo & in conscientia dicta sint: quæ tamen simoniam tantùm mentalem constituunt, quando exterius non manifestantur. Iam verò simonia exterior & perfecta (quæ punitur in ecclesia, & ex qua incurruntur pœnæ iuris, quæ certè multæ sunt & graues, excommunicationis videlicet & priuationis omnium quæ acquisita sunt per simoniam) non committitur ex solo peruerso animi affectu, nulla intercedente pactione. Ad illam igitur (vt Caietanus benè in summula notat, vbi & cetera huius materiæ dubia resoluit) requiritur temporalium rerum traditio ex conuentione & exactione siue implicita, siue explicita, facta. Fieri enim potest, vt sine verbis spiritualia ministrans & temporalia reddens se inuicem facilè intelligant: ita videlicet vt neuter liberaliter id faciat. Si igitur temporalia dentur hoc modo: vel si non dentur, promittantur tamen (quacunque ratione) & sequatur spiritualis rei administratio, est perfecta simonia iure punita: si verò aliquid horum desit, non est integra. Verbi gratia, si solo corde teneatur peruersa intentio, & ita spiritualia administrentur & recipiantur temporalia: multò minus si sola intentio fuerit mala, nulla verò ex ea administratio fiat: immo etiam si post conuentionem factam de temporalibus, vel post ipsa recepta, mutata animi intentione, spiritualia non dentur, simonia non est perfecta. Patet enim non esse consummatum peccatum, quod non in liberali siue gratuita spiritualium administratione consistit. Ceterùm eadem ratione constat, quòd si spiritualia semel data fuerint ex illicita aliqua conuentione, etiam si postea negentur temporalia commissam esse perfectam simoniam.

Simonia alia interior est, alia exterior.

Hæc igitur de intentione circa simoniam dicta sint: ex qui-

quibus multa, quæ in speciali tractantur, possunt facilè iudicari. An videlicet liceat redimere vexationem propriam, cùm iniustè alius impedit à consecutione beneficij, vel aliter non vult spiritualia tradere? Duo enim circa hoc curanda sunt. Primum, vt recta sit intentio: deinde ne alterius peccato cooperemur. Itaque nolenti aliter baptizare, nisi detur pecunia, melius est non dare, dicunt doctores: sed ab altero susscipere baptisinum, etiam à laico vel hæretico. Similiter qui ius habet acquisitum in beneficio, apertè iniustam vexationem posset pecunia redimere. Sed de his satis. Iam de ipsis spiritualibus, & de temporalibus quæ pro eis dantur, paucis dicendum est: de quibus multa apud doctores.

Quæ spiritualia de facto vendi possint, quæ non.

Circa spiritualia igitur ipsa illud in primis obseruandum est, quòd dona ipsa gratiæ, virtutes scilicet & diuina auxilia (quæ per essentiam, vt dicunt, spiritualia sunt) nec iure nec facto vendi possunt: quare de his nulla quæstio est, quæ frustra quis tentaret vendere vel emere. Sed tria sunt spiritualia quæ vendi prohibentur: sacramenta videlicet ipsa, quæ de facto pro pecunia tradi possunt: spirituales actus, vt prædicatio verbi Dei, oratio pro alio: denique & corporalia spiritualibus annexa, vel ex temporalibus & spiritualibus composita: vt calix, vestes consecratæ, locus sepulturæ & huiusmodi alia. De his itaque omnibus seorsim loquuntur doctores distinctione 22. & beatus Thomas etiam quæstione 100. 2. 2. de quibus breuiter sequentia notentur.

Non solùm spirituales actus vendi nō possunt, sed nec opera, industria, aut labor annexus.

Primum. Sacramenta & spirituales actus (spirituales, inquam, ad salutem animæ spectantes, atque christianæ religionis proprij) nulla ratione nisi gratis dari possunt vel recipi, ita videlicet, vt nec opera siue labor circa ista, nec industria, aut quidquid aliud in eis exercendis est, locari, vel in pactum deduci possit. Ratio quidem huius ex superioribus satis patet. Hæc enim omnia iubet Christus gratis dari. Si illa gratis danda sunt: quidquid illud sit quod coniunctum est eis gratis etiam dandum est. Dixerunt nonnulli laborem proprium posse vendi, non ipsa spiritualia, sed hoc, quid aliud est, quàm aperta fraus & irrisio præcepti diuini? Illud itaq; certò statuatur, pro re, quæ ex spirituali potestate perficitur, vel reuera ad Christi gratiam per se pertinet, nihil exigi posse: nisi

eo

eo modo quo dictum est: nec in eis licet locare operas. Ceterū si quod quæritur temporale est, vel corporeum, vel naturale: etiam circa spiritualia, vendi potest: vt cantor licitè stipendium accipit, etiā si is clericus sit aut sacerdos. Similiter musicus, vel quacunque alia arte (cuius in ecclesia & in diuinis officijs vsus est) pollens vel laborās, pro quouis horum licitè stipendia exigit. Non enim sunt hæc spiritualia. Tales sunt custodes, syndici, & procuratores ecclesiastici: multò magis præfecti, etiam doctores vel magistri, qui prædicationis officio non deputantur, etsi theologiam doceant. Ministeria enim illa quæ ex persona Christi, à ministro aliquo eius nomine exhibentur, duntaxat sunt in quibus simonia committitur.

Annexa et partim spiritualia, qua ratione vendi aut nō vendi possint.

Secundum. De reliquis omnibus annexis, siue compositis ex spiritualibus & corporalibus, hæc certa habeatur regula: quòd ea parte qua spiritualia sunt, vendi non possunt. Quare si præcipuum in eis sit spirituale: nullo modo vendi possunt. Si verò quod præcipuè quæritur temporale est, vendi quidem potest, modò corporale propter annexum spirituale non pluris vendatur. Igitur calix consecratus, & vestis sacra possunt vendi ab vna ecclesia, alteri, vel quacunque alia ratione modò propter consecrationem non pluris vendantur. Locus verò sepulturæ consecratus iam ad hoc, nulla ratione vendi potest: quia nihil aliud in eo loco quæritur, quàm id ad quod consecratus est: multo minus officium sepulturæ, vel solennitas in cāpanarum pulsatione, & huiusmodi alijs, processionibus scilicet & similibus: de quibus omnibus manifesta sunt iura in hoc titulo: & ratio similiter id ostendit.

An quædā beneficia dari possint pro pecunia.

Tertium. Quanquam de quorundam ecclesiasticorum beneficiorum collatione sit, præsertim apud iuristas, dubitatio, an sine simonia pro pecunia dari possint: quando videlicet illis non est annexus ordo aliquis sacer, nec ecclesiasticum ministerium (sicut sunt canonicatus, vel præposituræ sine omni iurisdictione ecclesiastica, vel alio actu, quàm cantare in choro) tamen de his omnibus etiam certò statuendum est, quòd nō tantùm hoc ipsum quod confertur considerandum sit, sed etiam potestas qua datur. Etsi enim beneficium ipsum stipendium temporale sit: & similiter id propter quod datur: tamen quia datur ex potestate dispensandi spiritualia & ecclesiastica bona: quæ quidem potestas à Christo est, & ex persona illius exercetur: qui, vt illa vtatur, quidquam accipit, certè contra Christi statutum agit. Dicit fortasse aliquis non esse simoniam, quia pura tempora-

lia

lia dat. Sed nos dicimus, quòd in eis dandis minister est Christi: siue igitur stipendium totum, siue pensio (quam vocant) hoc est, portio temporalis redditus, siue etiam eleemosyna detur ex auctoritate ecclesiasticæ dispensationis non gratis: vel simonia committitur, vel certè iniquitas magna, & aperta iniustitia atq; infidelitas in dispensatione.

Quæ verò dari vel recipi pro spiritualium administratione prohibeantur, tribus complexi sunt doctores: pecunia videlicet, aut re aliqua pecunia æstimabili, quod vocárunt munus à manu: obsequio, cùm videlicet seruitur vel ministratur, vt spiritualia beneficia dentur: denique precibus vel adulationibus, quas vocant munus à lingua. Hæc igitur tria dari, vel recipi pro spiritualibus, simoniam dixerunt. Et de munere quidem à manu, nulla dubitatio est: de obsequio verò & precibus, aut laude & adulatione non est facilè iudicandum. Distinguunt igitur alij hoc modo. Si obsequia vel preces tanquam precium rei spiritualis dentur vel accipiantur, simoniam dicunt committi: si autem non vt precium, non committi. Sed reuera distinctio hæc nimium subtilis magis est speculatiua, quàm vt pertineat ad rem. Quid est enim illa vt precium dari, maximè si de precibus aut laudibus loquamur? Illa verò distinctio magis ad rem pertinet, & est grauior, qua b. Thomas cõformiter ipsis iuribus distinguit obsequia: quòd aliud sit honestum & ad spiritualia ordinatum, quod dignum est ecclesiastica remuneratione: & in eo nulla est simonia: aliud verò inhonestum, vel saltem temporale: vt si quis (inquit) episcopo seruiat in instituendis consanguineis suis, aut huiusmodi: pro his obsequijs spirituale conferre, simonia est: quando scilicet hæc non liberaliter & gratis fiunt. De precibus verò, si carnales sint & pro indignis porrectæ, & illarum intuitu conferantur spiritualia, simoniam manifestè committi docet, aut, vt minimum, factum ipsum esse simoniacum. Ceterùm etiam si pro digno preces offerantur, & illarum intuitu, & vt gratia eius qui preces offert, aut amicitia habeatur, conferantur spiritualia: non minus simonia est: quia hæc commoda temporalia sunt, & temporalibus commercijs & negotijs quærenda, non spiritualibus: quamuis, sicut in ceteris omnibus, ista tanquam consequentia iustam dispensationem spiritualium & accipi possunt, & expeti. Hæc igitur satis de tribus illis muneribus.

Tria sunt quæ pro spiritualibus nec dare licet, nec recipere.

Vltimò tandem non est omittendum, quòd simoniæ pœna (ab ipso iure diuino, & naturali ratione præscripta) est; vt datũ

Quod simoniacè da-

&

tum vel acceptũ est, retineri non potest.

& acceptum retineri non possit. Est enim vtrinque iniustitia commissa, cùm contra voluntatem Domini data sunt spiritualia pro precio, & acceptum precium pro illis: vterque enim committit & iniustitiæ & sacrilegij peccatum: atque ita nulla est datio & acceptio. Quare beneficio simoniacè acquisito renunciare tenetur, qui habet, & perceptos fructus restituere: pecunia etiam accepta necessariò restituenda est, non ei qui dedit (qui dando peccauit, & dignus est illam amittere) sed ecclesiæ in cuius damnum commissa est simonia. Addunt etiam iura pœnas irregularitatum & excommunicationum simoniacis. Ceterùm quia ordines recepti, etiam simoniacè, non possunt non suscepti esse, iura suspensionem ab omni officio ordinum indixerunt simoniacè ordinatis: adeò vt nec obediendum sit prælato simoniacè electo, vt ab eo sacramentum aliquod suscipiatur: quanquam hic locum habeat moderatio concilij Constantiensis, & iuris communis, vt quamdiu tolerantur simoniaci, & non sunt denunciati, non teneamur illos euitare, vt superiùs explicatum est.

Notent qui simoniacè obtinent beneficia.

Pœna simoniacorum.

Nota moderationem.

Illud circa hoc non est omittendum, quòd quanquam prior illa pœna resignationis & restitutionis meritò iuris diuini putetur, tamen cùm simonia tantùm mentalis est, & nulla exterius interuenit pactio explicitè vel implicitè, non solùm pœnis alijs iuris non astricti ita dantes & accipientes spiritualia & temporalia, sed nec restitutioni ipsi, aut resignationi obnoxij sunt: sola enim animi pœnitentia hoc peccatum deleri potest, de quo aperta est definitio in c. vltimo de simonia, in decretalibus. De hoc igitur non est cur dubitetur, quòd videlicet simonia illa quæ sola mente commissa est, sola etiam mentis pœnitentia purgatur. Quod verò attinet ad beneficij Ecclesiastici retentionem: si alioqui dignus est & illud retinere potest: sola intentio simoniaca vel eius, vel dantis non cogit eum ad resignationem. Verùm de pecunia aut re temporali accepta non est prætermittendum, quòd, cùm constiterit non liberaliter datam eam esse, sed quasi ex necessitate & exactione (etiam si is qui recepit bona fide susceperit, & sine vitio simoniæ) restituenda nihilominus sit: cùm illa coacta voluntas non veraciter transferat dominium: id quod in vsura manifestum est.

Simonia mẽtalis nõ obligat ad pœnas in iure præscriptas.

DE MA-

DE MATRIMONIO.

LECTIO PRIMA.

De vera in eo ratione sacramenti.



EPTIMVM tandem sacramentum & vltimum matrimonium ponitur. Vltimum certè & necessitate & dignitate. Necessitate quidem, quia duo hæc, ordo & matrimonium, non singulis hominibus, sed toti ecclesiæ necessaria sunt: & inter ea illud persuadetur ac perfectionis est: hoc verò infirmitati nostræ cõceditur, & eadẽ ratione ostẽditur dignitate inferius non tantũ illo, sed & ceteris omnib⁹. In illis enim manifestior & amplior gratia q̃ in hoc cõfertur. De hoc igitur sacramẽto vltimò nobis agẽdum est: in quo sunt q̃ plurima & ad fidẽ, & ad mores pertinentia. Et ea quidem quæ ad fidẽ pertinẽt multipliciter impugnata sunt ab hæreticis & nouitatum amatoribus, atque ideo necessariò cognoscenda & docenda sunt. Quæ verò ad mores pertinent, quanquam in eis multa sint quæ ad forensia iudicia ecclesiastica pertinent, & ad ipsa iura canonica ac doctores eorum: omnia tamen ferè necessaria sunt in in iudicio illo arcano conscientiæ, cùm frequenter ad illud occulta multa deueniant: quæ cùm probari non possint, in illo terminanda sunt. Vnde & Magister sententiarum fusius per 17. d. à 26. videlicet vsque ad 42. in quarto de eo agit: quem sequuntur reliqui posteriores. Tradenda igitur sunt nobis, & quæ ad fidem, & quæ ad mores pertinent, idque ex fundamentis theologicis, scripturæ videlicet & patrum auctoritatibus.

Matrimonii alijs sacramentis posterius est dignitate & necessitate.

Quæ ad matrimonium pertinent etiã confessor scire debet.

Primò itaque omnium de ratione sacramenti agendum est: an videlicet & secundum quam rationem matrimonium sacramentum sit? Magno enim consensu hoc ab hæreticis omnibus nostri temporis negatur, & à catholicis non paucis aut non satis explicatur, aut in alieno sensu asseritur, vt in Durando patet: 4. 3. d. 26.

Quid reprehendãt hæretici in catholicis de matrimonio.

vt omittamus interim multos recentiores, de quibus posteà, cùm opus fuerit dicetur. Hæretici igitur multa contra hoc sacramentum matrimonij adferunt, inuidiosissimè etiam calumniantes, quòd hoc sacramentum nos fecerimus, vt ad Ecclesiam reuocaremus eius iudicium, & ita multa contra id quod æquum & iustum est, de matrimonio statuerentur in Ecclesia: vt de multis gradibus consanguinitatis, & de matrimonio contracto à filijs sine parentum voluntate: & addentes etiam, non plus esse rationis sacramenti in matrimonio, quàm in agricultura, siue arte quauis alia politica, quæ ex Dei bona ordinatione est, non tamen sacramentum: maximè cùm audeamus (dicunt illi) matrimonium sordes & immunditiam vocare. Cùm enim de cælibatu ministrorum ecclesiæ dicimus, ob mundiciam spiritualium rerum non conuenire matrimonium ministris Ecclesiæ: colligunt statim illi, nos dicere immũdum matrimonium.

Descriptio Matrimonij, cũ assertione quòd sit vere Sacramentũ. Capite 1.

Vt igitur his omnibus veraciter & sobriè atque modestè respõdeamus, statuatur hoc certissimum fidei fundamentum. Matrimonium, quod quantum conuenit huic principio, legitima cõiunctio maris & fœminæ ad indiuiduam & perpetuam vitæ cõsuetudinem retinendã, siue ad propriorum corporum donationem inuicem faciendã, describi potest: & prima est (vt Augustin. inquit in libro de bono coniugali) copula naturalis humanę societatis ab ipso naturę auctore in ortu eius instituta: est verissimè & perfectè sacramentũ Ecclesiæ. Vt verò omittamus consensum catholicorum omnium doctorum ab his quadringentis & amplius annis, qui omnes disertissimè de hoc sacramẽto locuti sunt (Hugo videlicet de sancto Victore, Magister sententiarum, omnes scholastici, Rabanus, & ceteri omnes, quos hęretici inuerecundè certè & procaciter reijciũt: maximè cùm hoc nõ fuerit inuentũ illorũ, nec huius temporis: sed quod acceperunt, tradiderunt) ad confirmandum hoc sacramentum primò sufficere debet Ecclesiæ Romanæ & conciliorum vniuersalium definitio. Lucius 3 in cap. ad abolendam, de hæreticis, ante quadringentos (aut circiter) annos matrimonium inter septem sacramenta Ecclesiæ, quasi rem certam collocat: vniuersos hæreticos decernens, qui de sacramento corporis & sanguinis domini, vel baptismate, seu de peccatorum remissione, matrimonio, vel reliquis ecclesiæ sacramentis aliter sentiunt, quàm sancta Romana ecclesia prædicat & obseruat. Vbi diligẽter notandum est, quòd hunc sensum ecclesiæ de sacramento matrimonij tam certum & indubitatum habuerit, vt nec cogi-

cogitauerit de eo dubitari posse. Deinde concilium Constantiense in Ioannis Hus condemnatione ipsum & sequaces damnat, quòd de septem ecclesię sacramentis, & multis alijs, vt infideles filij infideliter sentiant. Vbi vide nominari septem sacramenta, quæ sine matrimonio nō inueniuntur. Deniqúe concilium Florentinum in bulla vnionis Armeniorum, septimum sacramentū matrimonium ponit, distinctè de eo doctrinam tradens. Quæ certè concilia (vt nunc cum aduersarijs ecclesiæ agamus) si non certum est errare non potuisse: tamen non nisi temerè & impudenter reprehendi possunt à priuato aut priuatis quibuscunq; Nec enim quòd posteriorum temporum sint, quidquam detrahit veritati huius dogmatis. Cur enim quæ post priora illa tempora in controuersiam venerunt, non sunt definienda? Sess. 15.

Sed, vt hoc certius posimus asserere, aduersus hæreticos, opus est illud confirmare consensu totius ecclesiæ, vel efficaci & certa ratione ex scripturis & fide sumpta. Nec enim credimus concilia nouam fidem, aut noua sacramenta tradere posse, vt superius dictum est: Neque dubitamus in ipsis concilijs vbi hæc definita sunt, vel vtrumque horum (scilicet consensum ecclesiæ & rationem scripturæ ac fidei) vel vt minimum alterum inuestigatum & inuentum fuisse: vbi doctorum totius ecclesiæ diligentia hæc quærūtur. A nobis verò pro captu nostro vtrunque horum est probandum.

Incipiamus igitur à consensu & auctoritate ecclesiæ: de quibus (vt sobriè loquamur) duo asserimus. Primum. Nomen ipsum sacramenti in propria significatione, qua eo vtimur cùm septem sacramenta ecclesiæ dicimus, rarò inuenitur in antiquis patribus apertè matrimonio tribui: ita vt de hoc nomine consensum ecclesiæ ab ipso eius ortu (sicut in ceteris huc vsque fecimus) apertè probari posse, non asseramus: nec hucusque inuenimus. Secundum. In matrimonio tamen, id quod nomine sacramenti significamus inueniri (signū videlicet rei sacræ, & sanctificationem quandam) ecclesiam semper sensisse, etsi nō multis ac apertis testimonijs: sufficientibus tamen indicijs probari potest: id quod satis esse debet fidelibus & modestis ecclesiæ filijs. Horum igitur duorum primum quidem ideo dicimus: quoniam etsi legamus apud Paulum de matrimonio loquentem: Sacramentum hoc magnum est: verbum tamen græcum est, mysterium, quod nō possumus negare multa alia significare, quàm sacramenta ecclesiastica: quanquam nostri interpretes his duobus nominibus, mysterium, & sacramentum, pro eodem vti vi- Ephes. 5.

deantur, nec impropriè aut malè: idem enim hæc duo significant, vt superius in principio huius tractatus dictum est. Et in hac significatione sacramentum non est aliud quàm absconditum aliquod & abstrusum sacrum. Vnde in eodem loco Pauli scriptores quidam ecclesiastici eodem modo quo Paulus, matrimonium sacramentum vocant: & non aliter quàm ipse Paulus, nec explicatius quidquã dicunt, quod ad antiquiores attinet: & Ambros. eo loco mysteriũ legit, nec in enarratione quidquam aliud addit. Augusti. (vt inferius apertius patebit) in matrimonio sacramentum esse frequenter dicit. idque ita, vt, quanquam hoc ipse explicauerit, non tamen quasi nouum inuexerit in ecclesiã: & sacramentũ (vt ostendemus) eodem modo sumit, sicut quando septem esse sacramenta ecclesiæ dicimus. Et hæc sunt quæ circa nomen istud habemus ex antiquioribus. Secundum verò quod de re ipsa asseruimus, ita probatur: In matrimonio est signum quoddam, sacrum quidem & diuinum: & sanctificationem in eo esse, ab antiquioribus patribus semper fuit creditum, idque ita, vt de hoc nulla vnquam fuerit contradictio. Et illud quidem apertè ostenditur ex eo, quòd patres matrimonium noluerunt aliter celebrari, quàm benedictionibus sacerdotum in ecclesia, & sacris oblationibus, atque sacrificio ipso Missæ: quibus quid quæso aliud significatur, quàm vt rem sacram hoc habitum esse? Huius verò testimonia antiqua extant: primò decretum Euaristi, qui aut tertius aut quintus à Petro fuit: in quo apertè non aliter ratum habendum esse matrimonium dicit, nisi & à parentibus petatur ipsa fœmina, vel à propinquioribus &c. & cum precibus ac oblationibus à sacerdotibus benedicatur: quod (inquit) à patribus accepimus, & à sanctis Apostolis & eorum successoribus traditum inuenimus. Hoc ipsum Tertulliani antiquæ auctoritatis, in his præcipuè quę ad ritus pertinent illorum temporum, in lib. 2. ad vxorem, manifestè testatur, felicitatem illius matrimonij commendans, quod (inquit) ecclesia conciliat, confirmat oblatio, obsignatum angeli denuntiant. Similiter & concilio Carthaginense quartum, tempore Augustini & eo presente celebratum, offerendos esse sponsos sacerdotibus cùm benedicendi sunt, statuit, certè nõ tanquam rem nouam: & hoc deinde perpetuò videmus in ecclesia seruatum: quare constat tanquam rem sacram habitũ esse matrimonium. Deinde & verbum Pauli hoc ipsum satis confirmat, qui de muliere matrimonio iuncta loquens: Saluabitur (inquit) per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione

Epistola 1. quæ est ad omnes episcopos Africæ. Nota traditionem apostolicã.

Cap. 13.

1. Tim. 2.

cum

eum sobrietate. Vbi duo priora quæ ponit, fidem & dilectionem cõstat omnibus fidelibus conuenire: quod verò addit, sanctificatione, apertè ostendit ad ipsum matrimonium pertinere: & quia perseuerandum in ea dicit, satis manifestat in ipso matrimonio eam esse, in qua perseuerandum docet. Vnde & alibi ait: Vt sciat vnusquisq; vas suum possidere in sanctificatione, non in passionibus desiderij, sicut gentes quæ ignorant Deũ. Vltimò denique hunc ecclesiæ sensum, & nomen ipsum sacramenti in matrimonio Augustinus frequentissimè ostendit. Is enim non sensum, suum, nec nouũ aliquid in ecclesia docens: sed explicans dilucidè & ecclesiæ & scripturæ sensum, in matrimonio tria bona esse frequenter docet: prolem: tanquam fructũ actus ipsius & coitus cõiugalis: fidem, qua sibi inuicem ita obligantur vir & vxor, vt Paulus dixerit, quòd vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier: & è cõtrario, nec mulier sui corporis habet potestatem, sed vir. Et rursum: Vxori debitũ vir reddat, & vxor viro. Tertiũ denique bonum vocat sacramentũ, à quo (inquit) fit, vt matrimonij vinculũ indissolubile sit, etiam si vtrunq; aliorum defuerit. Et quidem nõ tantùm in matrimonio sacramentũ esse dicit: sed etiam ipsum esse sacramentum. Ita lib. 1. de nupt. & cõcupis. Quoddã sacramentum (inquit) nuptiarũ commendatur fidelibus: de quo ait postea. Huius sacramenti res est, vt quàm diu viuunt, separari nõ possint coniuges. Idem etiã lib. de bono coniugali. c. 7. manifestè dicit: &. c. 23. confert matrimoniũ sacramẽto ordinis: manere nihilominus sacramentũ asserens, etiã si proles aut facultas habendi illam & fides quoq; ipsa defuerint: sicut ordinis sacramentũ manet, etiam si plebs cui aliquis præficitur, non maneat. Itaq; & ex his, & ex multis alijs in vtroq; horũ librorũ ab Augustino dictis, apertè constat ipsum tanquam certũ habuisse, matrimonium esse sacramentũ: quanquam negandum non sit, nomen sacramenti (etiam secundum quòd pro sensibili aliqua re sanctificante nos sumitur) latius patere apud Augustinum, qui etiam quædam alia sacramenta dicere non dubitat, vt patet lib. 2. de peccat. merit. & remiss. vbi catechumenos benedictione illa quæ præcedit baptismũ, sanctificari dicens, addit etiam, & quod sumunt, sanctius esse ceteris cibis, quia sacramẽtum est. Itaque ostendit ibi sanctificatum aliquid in ecclesia catechumenis traditum fuisse, & illud sacramentum vocat. Vbi aduertendum est, quàm negligenter Augustinum legerint, qui dicunt duo tantùm sacramenta Augustinum ponere: cùm etiam ponat sacramentum quoddam catechumenorum: non quòd putemus aut

1. Thess. 4.

Tria bona matrimonij proles, fides, sacramentum.

1. Cor. 7.

Cap. 10.

mus aut ipsum credidisse, aut credendum esse, quòd baptismum præcedat aliquod aliud verum & proprium sacramentum: sed vt pateat quàm latè vsus fuerit nomine sacramenti. Et tamen ne putetur quòd ita vocet sacramentũ matrimonij, sicut catechumenorum: sed propriè & verè dixit, sicut sacramentum ordinis: ita enim confert hæc duo sacramenta. Et hęc dicta nobis sint de antiquæ ecclesiæ sensu, & auctoritate patrum de hac re. Nos enim alia explicatiora non habemus: sed hæc satis ostendunt nolentibus proteruire, quis fuerit antiquitatis sensus. Quòd verò non frequentius de hac re mentio fiat apud antiquos, putamus ideo factum esse, quia nulla erat de hac re controuersia. Ea enim quæ certò constituta erant in ecclesia, non opus fuit à patribus illis confirmari, nec certè frequentius meminerunt illorum (sicut superius quoque frequenter monuimus) nisi cùm ad alia vel confirmanda, vel explicanda illis opus erat: Satis enim hoc superius ostendimus. De sacramento ordinis non esset & apud Augustinum mentio, nisi propter hæresim Donatistarum opus fuisset illi dicere, quòd sicut baptismus ab hæreticis datus validus est, ita & potestas baptizandi, hoc est, sacramentum ipsum ordinis. Itaque quòd tam rarò fiat mentio matrimonij, debet nos apertè docere, rem fuisse certam: quod vel vnius Augustini testimonium confirmare potest. Nec enim rem nouam ille inuexisset in ecclesiã, nec permissum illi esset, sed reclamassent contra illum doctissimi alij & sanctissimi pontifices. Et certè meritò, etiam si nulla alia esset ratio, hæc vna nobis auctoritas sufficere posset. Sed ne quid desit, addamus iam rationem certam ex ipsa fide sumptam.

Nota quare multorũ dogmatũ fides apud antiquos rara sit mentio.

Ita igitur probamus rem ipsam, quam nomen sacramenti significat, certissimò matrimonio conuenire. In matrimonio est effectus omnem humanam & naturalem virtutem excedens, à solo Deo supernaturaliter caussatus: idq; ex significatione præcedenti: ergo matrimonium est verum sacramentum. Hoc enim nomine sacramenti veraciter significamus: externum scilicet aliquod diuinæ virtutis & operationis signum, non tantùm (vt hæretici dicunt) confirmatiuum & testificatiuum fidei, sed ipsius etiam gratiæ effectiuum, vt superius probauimus. Si igitur hoc conueniat matrimonio, perfectissimè sacramentum erit. Illud assumptum igitur probandum est, quòd talis effectus sit in matrimonio: idque nõ aliunde, quàm primę institutionis ipsius à Deo factæ, & sacræ scripturæ verbis, ac Christi Domini in Euangelio auctoritate manifestè constat. In Genesi ita scriptum

Genesis 2.

habemus,

habemus, quòd muliere formata, adduxit eam Deus ad Adam, & ille ait: Hoc nunc os ex ossibus meis, & cetera quæ ibi scripta sunt vsque ad illud verbum: Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Hæc verba Christus Dominus apud Mathæum primò a Deo dicta asserit. Qui creauit (inquit) hominem, masculum & fœminam fecit eos, & ait: Propter hoc relinquet homo &c. cùm tamen legerimus hæc verba ab Adam dicta esse: non alia certè ratione (vt Augustinus 8. lib. de Genesi ad literam inquit) nisi quia illa ab Adam propheticè, & ex persona Dei dicta sunt: vt agnoscamus in matrimonij institutione nō tantùm Deum vt auctorem naturæ se gessisse, vt scilicet naturale tantùm vinculum faceret: sed supra naturā omnem, & vt auctorem gratiæ efficacius aliquid operatum fuisse. Hoc enim statim Christus ipse ostendit: Quod (inquit) Deus coniunxit, homo non separet: addens mox, nulla ratione licere vxorem dimittere, ita vt ipsa alteri coniungi possit: de qua re latius postea dicemus: nunc hoc satis esse debet, quòd vinculum matrimonij tantum est, vt nulla humana vi solui possit, dicente Christo: Quod Deus coniunxit, homo non separet: ergo & supernaturali virtute hoc factum est. Quare enim, si ex solo consensu contrahentium vinculum illud caussatur (addamus etiam, & auctoritate legum humanarum) non posset eodem etiam consensu & auctoritate dissolui? Quare coniuges non possent vel propter bonum reipub. vel proprio consensu ita separari: vt alijs coniungerentur: sicut Cato Romanus (vt Augustinus refert) propriam vxorem alteri dedit repleturam domum illius filijs? Et tamen Christus inquit, Quod Deus coniunxit, homo non separet. Est igitur effectus supernaturalis manifestus. Significationem etiam rei sacræ, & quidem summæ (coniunctionis scilicet Christi & Ecclesiæ) in sacramento esse ex ipsa Dei institutione Paulus docet, cùm mulieribus, vt maritis sint subditæ, præcipiens, exemplum adducit ecclesiæ: Sicut ecclesia (inquit) subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis. Et rursum, viris, vt eis persuadeat dilectionem vxorum, in exemplum proponit Christum: Viri, diligite vxores vestras, quemadmodum Christus dilexit Ecclesiam. Et post multa in hanc sententiam eo loco, tandem adducta auctoritate Geneseos: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem &c. ait. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Vides ergo in matrimonio effigiem quandam Christi & ecclesiæ, & coniunctionis eorum? Vides & Paulum

Cap. 19.

Cap. vltimo.

Vinculum matrimonij & supernatural le est, & supernaturali caussa.

Lib. de bono coniug

Ephes. 5.

apertè in ipso matrimonio, & in illis verbis: Propter hoc relinquet homo &c. sacramentum inuenisse? Sed in Christo(inquit) & in ecclesia: vt apertè intelligas ibi consummatam esse rem illius sacramenti. Hoc (inquit) est sacramentū: quid(rogo) aliud, quàm coniunctio viri & mulieris? De hac enim in toto contexu loquitur, & de eadem, verba quæ citauerat, loquuntur. Est ergo illa coniunctio sacramentum. Et etiam si sacramentum(vt contendunt hæretici) sumatur pro mysterio: negari tamen non potest, significari sacra quadam & mystica significatione in matrimonio coniunctionem Christi & Ecclesiæ. Ex qua (inquit Augustinus) fit, vt fœdus illud nuptiale, etiam ipsa separatione irritum non fiat. Posset enim homo (inquit) sterilem vxorem dimittere, & ducere de qua filios habeat: quod tamen si non licet, sicut diuina videtur regula præscribere (quod Augustinus dixit, quia non satis discusserat hoc eo loco) quem non faciat intentum, quid sibi velit tanta firmitas vinculi coniugalis? quod nequaquam puto tantùm valere potuisse, nisi alicuius rei maioris, ex hac infirma mortalitate hominum quoddam sacramentum adhiberetur, quod deserentibus hominibus atque dissoluere cupientibus, illis maneret ad pœnam. Nihil ergo ad veram rationem sacramenti deest matrimonio. Et certè indignè ac blasphemè etiam de matrimonio sentire se ostendūt, & puerili leuitate duci, qui nihil putant illud differre ab agricultura, aut sutrina, siue tonstrina. Quomodo non verentur illud Christi: Quod Deus coniunxit &c.? Sed etiam illa (inquiunt) sunt à Deo, non tamen sic, vt ab homine dissolui non possint. Agnoscant itaque (sicut Augustinus inquit) superhumanum aliquid in hoc sacramento matrimonij. Nec catholici sordes aut immunditias matrimonium vocamus: immo (vt Augusti. inquit) quidquid immodestum, inuerecundum, sordidumue gerunt inter se coniugati, vitium est hominum, non culpa matrimonij: nec illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur. Vnde & sanctitatem in ipso matrimonio, atque in corporibus coniugatorum confitemur. Quanquam Paulus dixerit: Quæ innupta est, cogitat quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore & spiritu: tamen eodem etiam loco (vt Augustinus ait) sanctificatus, inquit, est vir infidelis in vxore fideli &c. Nec tamen propterea æquamus nuptias cælibatui, de quo postea dicemus: nunc satis sit, ex his probasse veritatem sacramenti matrimonij.

Cap. 7. lib. de bono coniugali.

Quàm impiè sentiāt hæretici de matrimonio.

Respondetur calumniæ hæreticorum.

Lib. de bono cōiugali, cap. 6.

1. Cor. 7.

Li. de bono coniugali, Cap. 11.

LECTIO SECVNDA.

In qua soluuntur quæ contra veritatem huius sacramenti adducuntur & dubitantur.

QVAE diximus sufficere possunt & cõtra aduersarios Ecclesiæ, & ad dubia omnia soluenda, quæ à catholicis etiam (minus dignè certè de sacramento hoc sentientibus) adducuntur. Vnus est inter scholasticos Durãdus, qui de hac re minus certè considerate & audacius quàm oporteret loquens, fatetur quidem Ecclesiæ sacramentum esse matrimonium, sed solo nomine. quia non vniuocè (inquit) hoc est, eadem ratione, qua alia, sacramentum dicitur: & denique nihil dignum sacramento in eo inueniri putat. Cùm verò nos probauerimus, immo verbum Christi & Pauli testetur rei sacræ signum esse, & supernaturalem effectum habere: nihil est quod ad perfectam & omnium aliorum sacramentorum veram rationem illi desit: nec possumus sententiam illam non contrariam scripturis & fidei dicere, & certè ex magna negligentia id rectè considerandi scriptum esse. Sed soluendæ sunt rationes & dubia quibus ille mouetur: ex quorum solutione fiet etiam hoc ipsum manifestius. *dist. 26. q. 3. quarta.*

Primò igitur (quod dictis proximum est) meritò quærit ille, an gratia conferatur per hoc sacramentum contrahentibus? Hoc enim (vt satis ex superioribus patet) commune est omnibus sacramentis nouæ legis. Si ergo vel hoc sacramentum gratiam non conferat, vel si hoc dubium sit: pari ratione dubitabitur, an sit sacramentum. Et quidem Durãdus refert Iuristarum quorundam sententias (quorum (inquit) est sensum canonum & Romanæ Ecclesiæ circa hoc nosse) asserentium in matrimonio gratiam non conferri: Ostiensis videlicet, Goffredi, Bernardi: immo & Magister ipse sententiarum in principio quarti, matrimonium separans à sacramentis gratiam conferentibus, dicit in remedium tantùm peccati institutum esse. Meritò itaque quid certa fide de hoc sentiendum sit, quæritur: cui breuiter duabus propositionibus respondeamus. *Vtrum per sacramẽtũ matrimonij conferatur gratia cõtrahẽtibus.* *dist. 2.*

Prima. Etsi à nõnullis negatum fuerit sacramentum hoc gratiam conferre, & videatur etiam inter theologos de hoc proba- *Prima propositio.*

biliter dubitari: dubiũ tamen hoc potest intelligi de gratia quadam habituali, qua sanari dicimus & perfici animam, remittique peccata: quæ cùm habitus sit, permanet & augetur in habentibus eam per sacramenta, & non habentibus datur. Meritò enim in quæstionem verti potest, cùm hoc sacramentum nõ sit institutum in remissionem peccati, quomodo virtute eius non habenti gratiam, atque ideo non existenti in peccato gratia detur: aut augeatur etiam in iam eam habentibus? maximè cùm fieri possit, vt contrahat quis matrimonium mutata voluntate continendi quam prius habuit, atq; ita eo contracto, magis minuenda in eo videbatur gratia (si minui possit) quàm augenda: quanquam & in hac dubitatione multò probabilius sit, etiam hanc gratiam dari & augeri (vt beatus Thomas inquit distinct. 26.) sicut in alijs sacramentis, vt sequenti propositione ostendemus.

q. 2. art. 3.

2. Propositio. Secunda. In hoc sacramento dari contrahentibus aut habitualem gratiam, aut auxilium supernaturale & gratuitum ad dignè ac sanctè vtendum matrimonio, & perpetuò seruandam fidem, ac ad non recedendum à perpetua vinculi huius indissolubilitate (eadem ratione, qua superius dari in sacramento ordinis diximus) probatur & satis ostenditur auctoritate scripturæ: quare nulli catholico putamus de hoc dubitandum esse. Deus non deest illis, quos in ecclesia sua in aliquo gradu constituit. Cùm enim vocat aliquem ad officium aliquod, gratiam dat illi ad tale officium necessariam. Quanta verò sit necessaria gratia, quantum Dei auxilium, ne in vsu matrimonij excedatur, & ne satanas (vt inquit Paulus) tentet & naturalis ratio, & auctoritas scripturæ satis ostendit. Concupiscentia enim accenditur magis experientia: & Paulus apertè inquit: Tribulationem carnis patientur. Igitur ad hæc omnia opus est diuina gratia, maximè ad matrimoniale vinculum perpetuò retinendum, quod tot impedimentis, & quidem nonnunquam naturæ importabilibus, cõtingit impugnari. Quomodo credimus Deũ deesse huic suo operi? Certè verbum illud. Quod Deus coniunxit, si rectè expendatur, sicut ostendit Deum supernaturali virtute cõiunctionem illam operari: sic etiã docet illum eandem per suã gratiam perficere, & quidem vel solum hoc verbum credimus id sufficienter probare. Adest ibi Deus vt operetur significationem, sanctissimam & arctissimam coniunctionem. Adest ibi adducens viro vxorem, sicut adduxit ad Adam: & subtrahet se, ne conferat gratiam rei significatæ & effectæ necessariam? Quis hoc dignè vel suspicari posset? Satis ergo nobis sit verbum illud: Quod Deus

1. Cor. 6.

coniunxit,

coniunxit. Addunt etiam rationabiliter multi, quòd, si non daretur gratia, non esset matrimonium in remedium: cùm reuera concupiscentia non superetur, nec temperetur quidem experientia, sed accendatur magis, vt diximus. Si ergo melius est nubere quàm vri (vt Paulus inquit) & propter fornicationem, vi- 1. Cor. 7.
tandam scilicet, vnusquisque suam vxorem habere debeat: gratia proculdubio confertur concupiscentiam temperans: alioqui satis debile remedium esset matrimonium: & (vt b. Thomas supradicto loco inquit) nihil magis in lege noua matrimonium iuuaret, quàm in veteri. Porrò si, qui matrimonium contrahunt, obicem ponant, nihil virtuti sacramenti detrahitur: hoc enim in omnibus sacramentis contingit. Nec verum est quòd matrimonium contrahens, hoc ipso obicem ponat augmento gratiæ, etiam si fortè prius propositum continentiæ habuerit, modò non votum. Sanctè itaque contrahi potest matrimonium, quod (vt ex iam dictis patet) non est dubitandum gratiam adferre cõtrahentibus. Habitus gratia illa sit, an augmentũ ipsius, an duntaxat Dei auxilium, parum curamus: quanquam probabiliter etiam teneatur, gratiam omnium sacramentorum præsupponere habitum illum inhærentis gratiæ. Quare quodlibet eorum (etiam si nõ institutum sit in remedium peccati) sumptum cum digna præparatione animi, creditur peccatum, si quod reliquum est, dimittere, & ita gratiam iustificantem conferre: quod & de matrimonio meritò credi potest. Nam si fortè inculpabiliter peccatum aliquod vel ex obliuione, vel ob defectum perfectæ contritionis non fuit antè remissum, atque ita sine gratia ad hoc sacramentum accedatur: ex deuota & digna eius susceptione remittetur. Et tamen de hoc disputari quoque sustineremus, modò illud etiam vt tutius saltem, & ideo vt necessarium doceatur, quòd debeat hoc sacramentum susci pi, sicut & omnia alia, cum vera pœnitentia & contritione (vt minimum) peccatorum. Est verò saluberrimum consilium, & seruatum quidem à pijs omnibus, vt non nisi præmissa etiam confessione hoc sacramentum perficiatur. Et quanquam consultius foret, vt hoc in primo illo contractu, cùm de præsenti sibi inuicem consentiunt coniuges, obseruaretur: ibi enim verum sacramentum esse meritò creditur: tamen sustinendum, immo curandum, vt saltem cùm benedictiones illæ in ecclesia susci piendæ sunt, omnino etiam ad susci piendam Dei gratiam coniuges per confessionem præparentur: nam in illis credimus (quanquam ipsæ nõ sint sacramentũ) perfici, si quid defuit in priori contractu. Tunc enim & perseue-

Saluberrimũ hoc cõsiliũ & populo sæpè prædicandum.

rat & quodammodo renouatur prior ille consensus, & superadduntur benedictiones ecclesię. Interim tamen admonendi sunt, vt in priori illo contractu sanctè se habeant: de quibus postea plura dicemus, cùm de dispositione susciptentium hoc sacramentum agemus.

Illud circa hunc articulum non omittamus, nonnullos multa certè pietatis specie, & zelo sanctitatis christianæ, apertè docere non esse sacramentum, quando nullo respectu Dei, nulla in eum fidei deuotione, sed voluptatis tantùm intentione contrahitur matrimonium. Non enim putant isti sacramentum esse, vbi non adest fides in verbum ipsum sacramenti. Quod ideo retulimus, ne si quis in hunc locum inciderit, specie illa pietatis decipiatur. Primò constat ad integritatem aliorum omnium sacramentorum (sanctiorum etiam & perfectiorum, quàm sit matrimonium) sufficere voluntatem susciptendi sacramentum vt ab ecclesia traditur, etiam si id sine vllo respectu Dei, & ob malum finem fiat: vt si baptizetur quis vel propter pecuniã, vel quacunque alia etiam iniqua volũtate, est verum sacramentum: ita in ordine & ceteris omnibus: Quare ergo non similiter in matrimonio? Requiritur quidem deuotio in Deum ad dignè susciptendum sacramentum & cum fructu gratiæ: non autem ad hoc, vt sit perfectum sacramentũ, vt ex superioribus satis patet. Distinguenda enim sunt illa duo, idq; maximè in matrimonio, in quo, si illa opinio crederetur: quòd matrimonia vel sacramẽta non essent, vel verterentur in dubium: maximè cùm perpetua illa indissolubilitas ex sacramento caussetur? B. August. inquirit quidem, an cõtractum matrimonium sola libidinis caussa, coniugium sit: quanquam de nomine sacramenti ibi non loquatur, & (quamuis ægrè) fatetur tandem coniugium esse, modò nihil fiat quo impediatur susceptio prolis: immo bonum hoc esse ibi obseruat, quòd libido illa contineatur intra iustos limites. Ita igitur censendum est de sacramento. Quod verò Augustinus dicit de non impedienda prolis susceptione, explicabitur postea. Nunc satis sit, quòd certò sciamus, verum coniugium & verum sacramentum esse censendum, quando in intentione nihil est contrarium naturæ coniugij viri & mulieris, etiam si aliquid sit contrarium gratiæ. Et quod ab eis additur de fide credente & acceptante verbum: magis Lutheranum est quàm Catholicum. Verbũ quidem sacramenti (inquit Augustinus) operatur, non quia dicitur, sed quia creditur: sed inde non sequitur, quòd, vt operetur, opus sit credi vel à susciptente sacramentum,

Li. de bono coniugali cap. 5.

vel à

vel à tradente: vt operetur, inquam, veritatem sacramenti: sicut in baptismo susceptо & tradito ab Arrianis, volentibus tamen agere quod Christus instituit, patet. Nec verba sacramentorum in catholica doctrina ad cõfirmandam & excitandam fidem, siue corroborandam promissionem, ac consolandos fideles principaliter sunt instituta & dicũtur: sed ad operandum & efficiendum. Consequuntur quidem consolatio & corroboratio animæ &c. in his qui dignè dispositi sunt, sed nõ est ille proprius effectus, sine quo sacramentum non sit ratum. Quod cùm frequenter superius sit explicatum: opus nunc fuit, ad cauendam nouam hanc pietatis speciem, repetere.

Ex his etiam patet, quomodo respondendum sit alijs, quæ solent obijci contra veram rationem sacramenti in matrimonio: quòd videlicet in eo non applicetur exterius aliquid per ministros ecclesiæ susципientibus ipsum, sicut in alijs sacramentis fit. Fatemur nanque ita id se habere, & ita hoc sacramentum non perfici applicatione alicuius rei susципientibus adhibitæ, sed contractu ipso. Sic enim & pœnitentiæ actibus ipsius pœnitentis perficitur, accedente tamen absolutione: hìc verò ipse contractus legitimus complet totam rationem sacramenti. Nec est Deo difficile, quo medio & qua ratione gratiam conferre velit, vel operari tua supernaturalia opera.

De institutione sacramenti.

De institutione quoque huius sacramenti, in noua maximè lege, dubium est. Cùm enim sacramentum nouæ legis illud esse confiteamur, meritò putant quærendã eius institutionem in noua lege: cùm præsertim matrimoniũ in prima illa hominis productione, multis nõ in sacramentum, sed in officium naturę tantùm (ad generationem videlicet prolis & propagationem humani generis) institutum fuisse credatur. Ad hoc igitur breuiter dicimus, primò institutionem illam (de qua in Genesi) etiam ad sacramentũ pertinere. De illa enim inquit Paulus: Sacramentum hoc magnum est. Propterea enim (vt superius diximus) omnia ibi facta, prophetica fuerunt & supernaturalia, quanquam natura videretur perfici. Ibi igitur institutum est sacramentum hoc: ibi & significatio & indissolubilitas (quæ ex significatione est) institutæ sunt: hoc ipsum Christo domino apud Mathæum apertè testante, & legem permittentem repudij libellũ prohibente. Ait enim: Ab initio autem non sic erat, sed masculum & fœminam fecit eos: & dixit: Propter hoc relinquet homo &c. vbi (vt postea dicetur) & vxorum pluralitas, & repudium, tanquam contra primam institutionem inuecta, reijciuntur à Christo. *Mathæi 19*

Ex quo

Quomodo matrimonium sit sacramentum nouæ legis.

Ex quo etiam secundò dicimus, sacramentum hoc peculiariter nouæ legis esse: quia in ea probatur & reducitur ad priorem suam originem. Itaque in eo loco Matheı meritò dicere possumus à Christo institutum, vel potius confirmatum in ecclesia. Nam & quòd nuptijs interfuerit dominus, approbatio etiam fuit ipsius. Fuit igitur matrimonium etiam in lege veteri sacramentū, Paulo id apertè testante. Nam & pluralitas illa vxorum (vt Augustinus inquit) gentium omnium Ecclesias significabat conjungendas Christo.

Disputatur quoque hoc loco, an matrimonium inter infideles sacramentum sit, etiam ante baptismū. Durandus hac ratione videri asserit quòd non sit sacramentum matrimonium, cùm inueniatur etiam inter infideles, Paulo dicente: Si quis frater vxorem habet infidelem. Sed reuera quanquam verus sit contractus matrimonij inter infideles, habens etiam suam naturalem integritatem, non tamen sacramentum propriè dici potest. Vnde Augustinus in lib. de bono coniugali: donum (inquit) nuptiarum per omnes gentes atque homines in caussa generandi est, & in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti. Vides apertè inter duo illa prima & sacramentum, Augustinum distinxisse. Videtur quidem Innocentius 3. cap. Gaudemus, &c. Quando, de diuortijs, asserere inter infideles sacramentum matrimonij: sed certè si bene consideretur, magis de re ipsa matrimonij, quàm de ratione sacramēti intelligendum est. Rem illam, quam dicimus sacramentum matrimonij, dicit esse inter infideles: non tamen (inquit) ratum est matrimonium illorum. Quod certè nulla alia ratione fit, quàm quia deest ei veritas sacramenti. Ideò enim dissolui potest nonnunquam, vt Paulus illo loco ostendit, de quo inferius plura dicemus. Nunc satis sit hoc statuisse, quòd in infidelibus deest sanctitas illa sacramenti, cùm non contrahant tanquam Christi & Ecclesiæ membra. Est tamen licitus & naturalis contractus: quare nec peccant contrahentes, nec vtentes contracto, etiam cùm alter cōuersus est ad fidem, vt ex verbis Pauli patet.

lib. de bono coniugali, capite 17.

An matrimonium infidelium sit sacramentum.

1. Cor. 7.

Vltimum tandem quod contra hoc adducitur, est de Ecclesiæ statutis, quę in hoc sacramento possunt id etiā quod ad substantiam pertinet, mutare: cùm videlicet statuit Ecclesia nullum esse matrimonium, quod contrahitur in gradu consanguinitatis non prohibito in lege naturæ: quod ideò nō est verè sacramentum. Nam in ceteris sacramentis nihil, quod ad substantiam pertinet, Ecclesia mutare potest. Vera enim sunt sacramenta, etiam contra prohi-

tra prohibitionem Ecclesiæ perfecta. Sed his facile est respõdere. Ecclesia (immo etiam secularis respub.) potest, sicut in ceteris contractibus, ita etiam in hoc leges condere, contra quas si quis fiat, iniustus, atque adeò nullus sit contractus: de qua re latius postea dicturi sumus. Sublato porrò contractu (qui quasi fundamentum est & materia sacramenti) sublatũ est sacramentum: sicut (vt Petrus de palude inquit) subtracta veritate panis in altari, aufertur etiam veritas sacramenti eucharistiæ: nihil certè mutante illo, qui panem subtraxerit, eorum quę ad veritatem sacramenti Christus instituit. Sic igitur in matrimonio contingit.

LECTIO TERTIA.

De his quæ ad integritatem huius sacramenti necessaria sunt, ex parte ipsius contractus.

CONFIRMATA itaque certa fide de sacramento matrimonij, ea quæ pertinent ad eius integritatem explicanda sunt.

Primum igitur omnium ad huius sacramenti perfectionem necessarium, est consensus legitimus contrahentium: quem & Magister sententiarum causam dicit efficientem matrimonium. Et Innocentius 3. Solus (inquit) consensus sufficit secundum canonicas sanctiones: & si solus defuerit, cetera omnia irrita sunt. Nec est difficile hoc manifesta ratione confirmare, vt b. Thom. & reliqui eo loco, vbi Magister de hoc agit, confirmant. Primò, quia in alterius rem, quæ scilicet sub eius est Dominio & potestate, non datur alteri ius, nisi consentiente Domino. Cùm igitur in matrimonio quilibet coniugum alteri tradat sui corporis potestatem (rei videlicet omnium exteriorum maximæ & charissimæ) id non nisi proprio consensu fieri potest. Deinde, quia in hoc sacramento id quod naturale est, prærequiritur ad sacramentalem effectum: vt, sicut in baptismo ablutio corporis exterior (quæ naturalis quædam res est) præcedit & operatur effectum gratiæ: ita in hoc sacramento præcedat quod naturale est. At verò in contractibus naturale est, vt requiratur consensus contrahentium. Ex quo meritò infert Hadrianus, quòd certitudo omnimoda veritatis matrimonij, à nullo

Ad matrimoniũ requiritur vtriusque consensus legitimus dist. 27. Ca. Tuas, de sponsa duorum.

Neuter cõiugũ omnino certus esse potest de veritate sui matrimonij.

nullo coniugum haberi potest: cùm nulli cõsensus alterius certus esse possit. Potest tamen vel alter, vel vterque eorum certus esse quòd non sit matrimonium: quando videlicet vel alter, vel vterque simulauit tantùm consensum. Neque hoc graue est aut nouum, sed commune ceteris omnibus sacramentis, in quibus voluntas tradendi & recipiendi sacramentum, in dante & recipiente necessaria est: cùm tamen de voluntate alterius nullus certus esse possit. Nec hoc quenquam turbare debet, cùm ad omnia quæ inter homines fiunt, sufficiat probabilitas, quã certitudinem moralem dicimus. Non enim temerè credendum est aliquem velle mentiri & decipere, maximè vbi nulla est hoc suspicandi legitima caussa. Licet igitur consensus maiori ratione exigatur in matrimonio, quàm in alijs sacramentis (est enim ipsius præcipua caussa, & ad ipsam integritatem eius pertinet: in alijs solùm est applicatiuus sacramenti ad suscipientem) tamen cùm in omnibus sit necessarius: non est scrupulosius quærenda certitudo eius in hoc, quàm in alijs. Nec credendum est eum qui bona fide (quanquam ignoranter) agit, vel priuari sacramenti gratia, vel peccare ratione aliqua propter alterius infidelitatem. Inquiritur & à Iuristis quidem, & ab his qui speciaiiora mouent scrupulosius, quid agendum, cùm alter coniugum dicit alteri, se non cõsensisse in matrimonium? De quo etsi Syluester plura tradat in verbo, Matrimonium 4. in principio: satis tamen nobis esse debet, quòd cùm id ita contingeret, vt probabiliter neganti se consensisse crederetur, aut probabiliter dubitaretur: tutius & verius esse, neutrum posse bona fide in matrimonio permanere: nisi, qui dicit se nõ consensisse, de nouo cõsentiat: hoc enim sufficeret ad perficiendum sacramentum, si tamen alterius consensus perseueret. Et non est dubium, eum qui non consensit, teneri ad consentiendum. Grauissimè enim peccauit & peccato iniustitiæ in contractu, & sacrilegio in Sacramento: & in vtroque foro, interiori & exteriori, teneri ad præstandum consensum. Et si quidem resipisceret à peccato, non esset opus quidquam alteri insinuare: sed sufficeret, vt apud se tacitus cõsentiret. Nec quidquam est periculi, quòd tunc videatur matrimonium clandestinè contrahi: cùm iam illud in facie ecclesiæ contractum fuerit: vt Hadrianus hoc loco benè inquit. Aut si opus esse videretur, & nimium contractus ille clandestinus timeretur propter excommunicationem Ecclesiæ: posset etiam secretò à prælato licentia peti sic contrahendi: quanquam hoc nimium esse putamus. Re itaq; integra, cùm alterius defuit

Certitudo moralis.

Quid facto opus sit, quando alter simulauit consensum.

consensus

cõsensus facilè est remedium, si velit saluti consulere suæ qui non consensit: vt de nouo scilicet consentiat. Illud verò esset magis perplexum & molestum, si is qui non consensit, occultè postea consentiret alteri. Cùm enim hoc secundum matrimonium verum esset, quod ad eũ attinet, dissolueret primum. In quo casu cogeretur in priori permanere ab Ecclesia agente secundũ ea, quæ exterius probantur: & tamen tenetur ille quoduis sustinere incommodum, etiam excommunicationem, potius quàm consentire: secundum etiam matrimonium prohiberet illi Ecclesia. Itaque ipse quidem vtroque matrimonio merito suo priuaretur: sed id peius est, quòd duos alios contrahentes in illis duobus contractibus priuat iusto suo iure. Hæc dicta sunt, vt si quando occurrerint (quod tamen rarissimè opinor contingere) conscientiæ iudex agnoscat, quid acturus sit. *Perplexus casus.*

Requiritur igitur hoc sacramento cõsensus vtriusque in matrimonium, hoc est, in contractum illum qui matrimonium vocatur in Ecclesia, neque opus est ampliori subtilitate. Requiritur verò hic consensus per verba, aut scripturam, aut quocunque alio exteriori signo expressus de præsenti: ita scilicet vt exterio-ri signo apertè ostendatur, vtrumque consentire, vt efficiantur tunc coniuges. Cuius ratio etiam apertissima est ex ipsa ratione contractus humani. Sicut enim in sacramento ordinis diximus, hominibus, & inter homines non traditur alicuius rei potestas, nisi per exteriora & manifesta signa illa, quæ diximus in eo esse formam: ita etiam nunc dicimus in hoc sacramento: forma eius sunt verba, vel signa exprimentia consensum, & sufficientia ad contractum humanum: & ideo siue absentes sint, siue præsentes qui contrahunt, siue per literas, siue per procuratores contrahatur: siue simul ambo consentiant, siue vnius præcedente consensu & permanente virtute (hoc est non reuocato) & alterius subsequente: perficitur & inter homines omnes contractus iste, & inter fideles sacramentum, vt diximus: & tunc verum erit sacramentum, cùm vtriusque adfuerit consensus. Nec opus est hic pluribus agere de fraudibus, quas humana malitia adinuenit: hæc tractantur à Iuristis. Ex his iudicari potest, quod attinet ad veritatem sacramenti, & forum conscientiæ. *Consensus necessariò debet per exteriora signa exprimi.* *Forma matrimonij.*

Iam ex hoc quæ sequuntur, breuiter etiã sunt annotanda. Sequitur igitur primò, requiri ad matrimonium, vt vterq; contrahentium vsum rationis habeat. Vnde nec pueri ante vsum rationis, nec amẽtes, aut furiosi possunt cõtrahere matrimoniũ, cùm *Destituti vsu rationis nõ possunt cõtrahere matrimoniũ;*

non

non possint consentire Quanquam enim furiosi generare possint, & cetera matrimonij bona inter eos constare non sit impossibile: tamen solius consensus defectus nullum reddit contractum. Et hoc dicimus, quando carentia rationis perpetua est. Nam (vt doctores dicunt) si habeant lucida quædam interualla, tenet contractus initus eo tempore quo ratione sunt vsi. Et ita Fabiani decretum (quod à Magistro dist. 34. de hoc citatur: qui præcipit vt à furiosis contracta matrimonia non separentur: quod Gratianus etiam adducit 32. q. 7. c. Nec furiosus) intelligi debet de his scilicet, qui in vsu rationis consenserant, vt b. Tho. ibi ait in expositione Magistri. Hinc etiam est, vt superueniens furia non faciat ipsum separari, quod semel validum est, vt Nicolaus papa ad Carolum Magotien. episcopum dicit apud Gratianum ea. caus. & quæst. cap. Hi qui matrimonium. Secundò sequitur, quòd error contrahentium nullum etiam reddit matrimonium. Aufert enim ignorātia siue error ipsam rationem voluntarij: vnde sicut excusat peccatum, quia voluntatem aufert: ita matrimonij veritatem impedit, quia aufert consensum voluntatis: de quo agit Magister sententiarum d. 30. 4. vbi & b. Thom. & sequentes alij scholastici: & Gratianus 39. q. 2. pontificum & cōciliorum de hac re decreta adduxit. Sunt etiam de eodem iura, Tit. de coniugio seruorū, in decretalibus, vbi sequentia certa habentur. Primum. Error personæ semper reddit nullum matrimonium: cùm videlicet non consentitur in personam quæ vel præsens est, vel quacunq; alia ratione exhibetur: sed in alteram. Exemplum est manifestum in suppositione Liæ. Constat enim non fuisse illud verum matrimonium, nisi ex sequenti consensu, vt Magister dicit loco suprà dicto. Excusat tamen ille à peccato Iacob ipsum ob eam ignorantiam, quam tunc vincire non tenebatur. Ingressus est ille ad Liam pro more patriæ, non iudicans inquirendū esse amplius. Et quod plus est, Magister Liam quoq; excusat. Secundum. Error conditionis deterioris quàm sit conditio contrahentis, etiam matrimonium nullum reddit: cùm scilicet liber putat eam etiam cum qua contrahit, liberam esse: vel è contrario, libera eum putat liberū esse, cum quo contrahit: hæc enim pertinent ad conditionem. At verò si putetur serua quæ libera est: vel nō fiat præiudiciū ei qui contrahit, quia scilicet ipse quoq; seruus est: quamuis putat se contrahere cum libera, nō est irritus cōtractus. Quorum omniū mox ostendetur ratio. Tertium. Error fortunæ vel qualitatis: vt cùm ea cum qua cōtrahitur, putatur nobilis aut diues, cùm nō sit: non irritat contractum

Qualis error cōtrahentium nullū reddat matrimonium.

Error personæ impedit contractū matrimonij.

Error conditionis facit matrimoniū nullum.

tractum matrimonij. Ratio verò horum omnium (vt b. Tho. inquit supràdicto loco, sumenda est ex ratione voluntarij. Sicut enim in peccatis ignorantia circumstantiæ, quæ rationem peccati constituit & causſa est operis, excusat à peccato, quia aufert simpliciter voluntarij rationem (vt de eo, qui cùm putat se in feram sagittam mittere, occidit hominem: aut qui putans se inimicũ occidere, occidit patrẽ: excusatur enim primus ab homicidio, alius à patricidio) at verò ignorantia circũstantiarũ quę per accidens se habent, neque constituunt rationem peccati: non aufert voluntariũ: sicut quòd percutiat quis ferro vel ligno: ita in matrimonio, si error sit in persona, vt diximus, facit omnino inuoluntariũ. Certũ est enim Iacob noluisse accedere ad Liam. Itaq; nõ consensit cũ illa cõtrahere, quã putauit alià esse: sed cũ alia. Similiter libertas vel seruitus cõditio est in matrimonio essentialis, & in eo contractu principaliter consideratur. Nam cũ conueniant in mutua corporum traditione ad generationem & educationem prolis, & ad vitã domesticam, atq; societatem omniũ maximã (vt dictum est) ad quã plurima necessaria sunt officia: & seruorũ cõditio in hac re plurimum habeat defectus: nec enim plenã habent sui corporis potestatem, & filij aut nascuntur serui, aut infimæ conditionis: ignorantia rei tantum, afferentis præiudicij cõtractui, in eo cui fit iniuria aufert voluntatem. Et huic accesit iusta certè legum censura, quæ noluit sic deceptum teneri tanto præiudicio. Potest quidem contrahi matrimoniũ inter seruos: nã quod attinet ad generationem & coniunctionem ad eã necessariã, libertatem habent: sed error circa hoc (vt diximus) irritat contractum. Diuitiæ verò & nobilitas, quanquam cõsiderentur in matrimonio, nõ tamen per se & principaliter considerãdæ sunt. Atque ideo si quis cõtrahit: quando personã & conditionem nouit, etsi in alijs erret, illa voluntariũ non ita auferunt, vt non sit matrimonium. Vbi in specialibus casibus, diligenti consideratione opus est. Nonnunquam enim videtur error tantùm qualitatis, vel fortunæ: & est personæ: vel ecõtrario: de quo quod à iuristis traditur, videri potest apud Siluestrum, Matrimonium 8. in principio.

Matrimoniũ etiã cõtrahi possit inter seruos.

Tertiò etiam ex eodem (ex necessitate scilicet consensus) sequitur, quid sit sentiendum de coactione siue metu: an videlicet quando hæc interueniunt in contractu, matrimonium nullum reddat. De quo Magister sentent. d. 29. & b. Thom. ibidem. De eo igitur sequentia breuiter sunt notanda. Primum. Actus voluntatis non potest coactus esse: cùm non cadat in voluntatem

An vis & metus matrimonium impediant.

coactio. Quidquid enim à voluntate est, voluntarium est: non necessarium, neque coactum. Corpus quidem & membra corporis cogi possunt, vt quò non volumus trahantur: at non sic ipsa voluntas. Potest tamen etiam volũtas violentia aut metu aliquo trahi in consensum, siue matrimonij, siue in quemcunque aliud: sicut quando quis, vt euadat mortem, aut promittit, aut dat pecuniam, aut contrahit matrimonium: in quibus philosophus 3. ethicorum dicit esse voluntarium simpliciter, sed inuoluntarium secundum quid: sicut patet in eo qui proijcit merces in mare, imminente graui tempestate. Secundum. Quãdo metu in virum constantem cadente inductus est aliquis ad contrahendum, conuenienti ratione iure statutum est, matrimonium hoc nullum esse: vt in c. Cùm locũ, de sponsalibus & matrimonio, apertè definitur. Et quanquam hoc nonnulli ita intelligant: quòd non sit matrimonium, quando is cui illatus est metus, non consensit, sed finxit se consentire: tunc enim deest omnino consensus: quasi, si verè consentiret, esset validum matrimonium: tamen omnium doctiorum certa sententia oppositum habet. Noluerunt enim iura contractum hunc perpetuum & indissolubilem contrahi sine pleno consensu & perfecta libertate: vnde fit, vt nec sacramentum sit, vt postea dicetur. Quis verò sit metus in constantem virum cadens, non est difficile iudicare: de quo tamen plura Siluester in verbo, Matrimonium 8. §. 11. refert. Illud etiã hic notandũ, quod b. Tho. suprà dicto loco adnotauit, adeò matrimonia libera esse debere, vt nec parentes iure possint cogere filios, & eorum coactio matrimonium nullum reddat. Quod enim attinet ad corpus & statum vitæ, filij post ætatem legitimam liberi sunt, & vel matrimonium cõtrahere, vel statum etiam cælibatus assumere postulat. Hoc iura ipsa humana voluerũt, & ratio postulat. Nec tamen nos (quod hæretici calumniantur) docemus filios obedientiam negare parentibus: sed dicimus filios consilia iusta parentum (quæ scilicet à meliori bono nõ retrahunt) sequi debere: & proculdubio peccare grauiter, si hæc contempserint: ita illo loco b. Thomas. Voluerunt tamen iura ipsa, sic contracta matrimonia non esse irrita: sed plus posse in hac re propriam voluntatem eius qui contrahit, quàm parentis: maximè cùm de matrimonio scriptũ sit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem &c. Vnde saltem fit, vt, quod attinet ad cohabitationem & fidem seruandam, ei cui quis se coniunxit, plus debeat, quàm parentibus. Graue videtur hoc aliquibus: cùm præcipuè iura ipsa aperte filios

1. 1. art. 4.

Filij possunt inuitis parentibus cõtrahere, etsi peccãt.

Erasmus de institutione

lios familias sine consensu patrum matrimonia contrahere non permittant: immo & Iustinianus & naturalis & ciuilis rationis esse dicat, vt præcedat consensus parentum. Quod ipsa etiam sa cra scriptura confirmare videtur. Omnia enim ferè matrimonia sanctorum magis à parentibus, quàm ab ipsis filijs contracta le gimus. Sic Isaac Rebeccę coniungitur, mittente Abraham ser uum vt vxorem adduceret, & parentibus ipsam tradentibus. Ita Iacob cum Laban patre de ducendis filiabus agit. Similiter & Anna Raguelis filia à patre traditur Tobiæ. Itaque alienum videtur à ratione, quòd inuitis parentibus filij matrimonia contrahant. Fatemur & ciuilia ipsa iura & magis etiam antiquiores canones requisiuisse consensum parentum (vt apertè patet c. de nuptijs, lege prima, & lege, viduæ: & in decreto illo Euaristi, cu ius superius mentionem fecimus, & inferius latior fiet) Non ta men ita hoc requisitum fuit, vt consensus filiorum omitteretur. Hoc enim multo magis est naturalis rationis, vt sine proprio consensu matrimonium non contrahatur: quod ciuiles ipsæ leges apertè testantur, vt in l. nec filium, & in l. in coniunctione, C. eodem titulo, est videre. Sed requirebatur etiam parentum consensus in minoribus vigintiquinque annis: vt supradictis locis apertè dicitur. Et tamen præcipiunt etiam iura ipsa, vt si quando vel maiores, vel consanguinei (maximè deficientibus parentibus) vel inter se dissentirent, vel ab ipsis pueris iudiciũ publicum requireretur. Itaque, vt apertè pateat nihil vel contra rationem naturalem, vel contra iura ipsa ecclesiam hodie docere, satis hoc esse potest. Dicimus enim quod iustæ & rationabili voluntati parentum non possunt sine peccato filij nõ obedire: nec tamen parentes sine peccato possunt eos sine iusta & rationabili caussa impedire à matrimonio. Hoc tantùm mutatũ est (dum filijs & matrimonio ipsi fauere cupiunt iura) quòd nisi teneat matrimoniũ insciis & inuitis parentibus contractũ. Credendum est autem, ex parentũ iniquitate, & alijs legitimis caussis, iura hoc statuisse: quanquã non dubitemus Ecclesiam nunc etiã posse contrarium statuere: & fortè id expediret magis: de quo tamen plura inferius dicenda sunt: interim dũ aliud non statuitur, hoc tenendum est, & censenda matrimonia valida, etiam cum peccato & inobedientia filiorum contracta.

Quartò denique infertur, quid censendum sit de matrimonio conditionato. Cùm enim ex consensu maximè pendeat, & conditio frequenter consensum suspendat vsque ad sui impletionem: meritò inquit b. Thomas non fieri verum matrimonium

Christianã matrimonij esse. Instit. de nup. in princ. Gen. 24. Gen. 29. Tob. 7.

De cõtractu Matrimonij conditionato. dist. 29. ar. 3. q. vlti.

nium cùm opponitur conditio, intellige, nisi illa impleta: cùm verò conditio impleta fuerit, mox est verum matrimonium. Si autem conditione pendente aliud contraheretur matrimoniũ absolutum, non est dubium illud verum esse, & derogatum fuisse priori. Ceterùm sunt multa conditionum genera, de quibus latius Iuristæ in proprijs de hac re titulis. Habetur tit. in decretalibus, de conditionibus appositis in matrimonio, vel in alijs contractibus. De his & Sylvester agit in verbo, Matrimonium, tertio. Et frequenter multa horũ sunt necessaria in iudicio confessionis. Ex illis ergo hæc certa habeãtur. Primum. Conditiones vel de præsenti, vel de futuro, necessariæ tamen, neque impediunt, neque suspendunt contractum. Vt si dicatur: contraho tecum, si cras sol oriatur: aut, si nunc sedes: vel stas. Et idem de generalibus cõditionibus sentiendum est. Vt si Deus voluerit, si vixerimus. Immo addiderunt iura ipsa, conditiones impossibiles etiam nihil impedire, sed haberi pro non adiectis: vt, si cælum digito tetigeris. Quanquam non sit dubium hìc obseruandum esse, an appositio huiusmodi conditionis impossibilis sit negatio consensus: cùm sit certum tunc nullum esse contractũ. Qui enim dicit: volo hoc, si cælum digito tetigeris: videtur quidem dicere se nolle: sed iura eos, qui contractibus serijs has apponunt conditiones, iudicant consentire: & ista quæ impossibilia illi sciebant, iura reputant quasi non dicta.

Secundum. Conditiones veræ & propriæ, quæ (vt ex proximè dictis patet) de futuris possibilibus sunt, si honestæ sint, suspendunt contractum. Vt, si pater tuus cõsenserit, aut, si dederis mihi centum. Inhonestæ verò & illicitæ conditiones, si quidẽ sint contra substantiam ipsam matrimonij & propria eius bona, nullum reddunt contractum. Vt si quis contrahat hac conditione, vt post aliquod tempus separentur: vel, si euitetur generatio prolis: vel, si consentiatur in adulterium ab aliquo eorũ. Hæc enim omnia cõtra naturam sunt ipsius matrimonij, & peccatur in illis, & nihil efficitur. Reliquæ verò inhonestæ conditiones non impediunt contractum, nec dirimunt. Volunt enim iura eas reijci, & tanquam non adiectas haberi. Sicut si dicatur: contraho, si commiseris furtum: aut huiusmodi aliud. Sunt circa hæc in speciali non pauca dubia, de quibus, cùm occurrunt, consulendi sunt doctores: & in sententiarum diuersitate (quæ in hac re sæpè contingit) tutior sequenda. Dubitatur de hac conditione, contraho tecum, si te incorruptam inuenero. Iudicatur à multis turpis. Nec enim impleri posset, nisi non suam cogno-

cognoscerer,atque ita peccaret:nisi fortè conditio illa referenda sit ad probationem virginitatis,quę iure fieri potest ante cõgressum.Quæritur etiam de his qui ante conditionem impletam copulantur. Et credunt quidem iura eos iam conditionem reiecisse,& consensisse absolutè in matrimonium. Si tamen certum est(sicut in foro conscientiæ constare potest) intentione fornicaria,& non affectu matrimoniali eos, vel eorum alterum conuenisse: iudicabitur etiam ibi proculdubio non esse matrimonium. Hæc igitur de consensu necessario in matrimonio nobis sufficiant,atque ita de primo & maximè requisito in hoc sacramẽto,& vera(vt diximus)illius forma. Vbi illud etiam venit obseruandum, dictum illud famosum iuris & pontificum: matrimonium solo consensu contrahi: ita intelligendum esse, quòd sine eo nihil aliud satis sit.Solo itaque eo cõtrahitur,sine quo nihil aliud sufficit:non tamen solus ipse sufficiens est,sicut nec alia sacramenta sola forma perficit. De alijs igitur necessarijs,&quidem de materia ipsa,proxima lectione agemus.

LECTIO QVARTA.

De his quæ necessaria sunt ex parte contrahentium.

POST consensum,qui primò omnium necessarius est(vnde & sumitur,vt diximus, forma huius sacramenti)iam de impedimentis,quibus (etiam si cõsensus adfuerit)fit,vt non sit matrimonium, agendum est: quæ quidem impedimenta ex parte ipsorum contrahentium sumuntur, vt b.Tho. s.Bona. & reliqui distinct.34.quarti.vbi Magister quædam attigit, dixerunt. De his ergo dicturi,illud primò admonemus,duplicia impedimenta distincta esse à doctoribus.Alia,quæ impediunt tantùm ne li citè contrahatur matrimonium:sed de facto contractum contra illa,tenet:quæ(vt b.Thomas citato loco dicit)sunt tantùm contra ea quæ pertinent ad solennitatem sacramenti, non ad substantiam. De his verò nunc agendum non est, quando ea tractamus, quæ ad substantiam sacramenti pertinent. Alia verò impedimenta dixerunt, quæ & contrahendum impediunt, & contractum nullum reddunt matrimonium: quæ scilicet con-

Impedimẽta quædã impediunt cõtrahenda alia etiã contractũ matrimonium diriment. art.1.

tra substantiam sunt ipsius sacramenti: de quibus nunc agendū est. Hæc igitur duodecim tantùm collegerunt scholastici nostri supradicto loco, & summistę in hac materia: Caietanus quidem succinctè & breuiter, Syluester latius in verbo, Matrimonium 6. Inter duodecim verò hæc, quædā (inquit beatus Thomas) sunt ex parte ipsius contractus: de quibus proxima lectione diximus, quæ tria (vt ex illa patet) possunt merito numerari: defectus scilicet vsus rationis, error, & coactio: de quibus satis dictum est. Omnia enim constat ad defectum consensus pertinere. Reliqua verò ex parte contrahentium sunt: quæ scilicet illegitimas reddunt personas & ineptas ad matrimonium contrahendum: impotentia videlicet ad actum matrimonialem, votum, & ordo. Cetera autem correlatiua sunt, & reddunt inhabilem non alterum duntaxat, sed vnum in ordine ad alterum, vel propter nimiam (vt nostri dicunt) distantiam, vel propter nimiam propinquitatem, aut quauis alia ratione. Sunt autem hæc: diuersitas cultus: cognatio vel naturalis, vel legalis, vel spiritualis: affinitas, cui coniuncta est publicæ honestatis iustitia, quæ idem est quod affinitas, sed ex sponsalibus de futuro orta: & præcedens cum altera matrimonium: aut indebita siue adulterina coniunctio, siue crimen aliud, durante præcedenti matrimonio commissum ab his qui contrahere volunt. Horum igitur impedimentorum omnium necessaria est cognitio ad iudicium conscientiæ. Peccatur enim propter hæc & in contractu ipso & in vsu atque perseuerantia frequenter: vt infrà ostendetur. De singulis igitur in speciali agendum est, si prius tantùm in genere pauca statuamus.

Tria impedimenta, defectus vsus rationis, error, & coactio.

Sunt tria alia, videlicet impotentia, votum, ordo.

Sex alia impedimenta, disparitas cultus, cognatio, affinitas, publica honestas, cōtractus cū altero, & crimen præcedens.

Sit igitur hoc primum. Impedimēta hęc cùm matrimonium nullum reddunt, & per consequens contra ea quæ ad substantiam eius pertinent, sint, necesse est vt ad defectum pertineant vel formæ, vel materiæ sacramenti. Nec enim in hoc sacramento (vt satis patet) necessarius est certus minister: cùm non perficiatur per collationem alicuius exterioris rei, sed per contractum conuenientium. Restat igitur vt sola materia & forma in eo necessaria sint. Et de forma quidem satis proxima lectione diximus. Deest enim verè forma, si verba vel signa desint exprimentia consensum: aut si illa falsa sint, & intentio defuerit. Materia itaque nunc inquirenda est. Et ne hęreamus in verbis: quid ex natura ipsius contractus, atque ita ex diuina ordinatione vltra consensum in hoc sacramento sit necessarium, dicendum est. Nec enim alia est eius institutio, quàm ipsius humanæ na-

naturæ, vt superius docuimus. Quanquam igitur de materia huius sacramenti nescio quid comminiscãtur, verbis his nimium inhærentes, quòd materia sint gestus illi qui à contrahentibus in ipso contractu fiunt, quasi exteriora illa sint elementa, vltra verba: non est tamen cur hoc quidquam nos teneat vel vt reijciatur, vel vt confirmetur: voluntarium est enim: sed hoc certũ est, post consensum tantùm ad integritatem huius sacramentĩ necessarios esse contrahentes, marem & fœminam: sicut contractus venditionis aut commutationis non fit, nisi duarum rerũ, aut vnius & precij. Et sicut in omni cõtractu necessariè sunt res, super quas contractus fundetur: ita & in matrimonio necessarium est, vt sint illi qui coniunguntur: & meritò sicut in quolibet contractu materiam dicimus res illas de quibus contrahitur: ita in hoc contractu matrimonij ipsos contrahentes materiam dicemus. Venditur domus, illa est materia venditionis. Tradunt sibi inuicem coniuges sui ipsorum potestatem, illa est materia. Et quia sacramentum in hoc naturam habet contractus, meritò materia ex qua integratur, eadem est, quæ contractus. Itaque speciale est in hoc sacramento, vt ipsi contrahentes & sacramentum suscipiant, & materia sint eius: materia (inquam) & ex qua integratur, & in qua recipitur. In alijs sacramentis fatemur materiam & formã applicari suscipienti: quanquam in pœnitentia actus suscipientium sint ipsa materia. In hoc verò sacramento id nequaquam necesse est: est enim diuersa eius natura, & per omnia alijs contractibus simile. Cùm igitur materia contrahentes sint: non quoscunque concedendum est sufficientem materiam esse: sed legitimos duntaxat: qui scilicet apti sunt contractui huic ineundo, certè exequendo atque cõplendo: ad quod per proposita impedimenta efficiũtur inidonei. Meritò igitur, cùm de his agimus, materia necessaria huic sacramento inquiritur:

Materia sacramenti matrimonij sunt ipsi contrahentes.

Secundum itaq; circa hoc in vniuersali attendendum, hoc sit: ad matrimonium illegitimos & ineptos nonnullos esse ex ipso iure naturali atque diuino, id est, ex ipsa Dei institutione, quæ vt plurimum ex consanguinitate, vel affinitate sumitur, aut ex nonnulla alia coniunctione, ob quã natura ipsa abhorret matrimonium fieri inter aliquos. Verùm non statim sequitur, si aliqui diuino iure non sunt illegitimi, eos mox legitimos esse. Possunt enim etiã positiua iura (quod superius diximus) illegitimos aliquos reddere. Nõ omne itaq; impedimentũ inhabiles reddens aliquos ad contrahendum, est iuris diuini: nec tamen

propterea contrarium est iuri diuino: sed, sicut in ceteris omnibus quædam non prohibuit ius diuinum, sed auctoritatem gubernandi tradens prælatis, potestatem dedit ea prohibendi, cùm id ratio expedire iudicauerit saluti animarum, & diuinæ gloriæ conuenire: ita & in matrimonio potestatem reliquit his, quos gubernandis populis præfecit. Et hæc est communis ratio omnium prohibitionum positiui iuris. Est etiam in matrimonio specialior ratio. Cùm enim sit contractus, & officium naturæ necessarium reipub. conseruandæ ac propagandæ, atque ecclesiæ etiam ipsi, bonoque religionis catholicæ: meritò gubernantium in ecclesia vel in repub. est, si quid viderint expedire, vt officium hoc matrimonij rectè agatur ad conseruationem religionis christianæ reip. id statuere. Vnde b. Thom. supra dicta 34. art. 1. ad quartū. d. intrepidè asserit, iura ipsa ciuilia & imperatorum leges illegitimos aliquos reddere ad contrahendum, ita videlicet vt nullū sit matrimonium: neque negant hoc alij, quanquam non ita apertè asserant. Et certè hoc est solidissimè fundatum in illo verbo euangelij: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Deus enim per causas naturales & ordinatas humanos cōtractus perficit, hoc est, auctoritate legum: sicut naturales res per causas naturales. Non itaque Deus coniungit, quod contra iustas leges humanas coniungitur. Hoc dicimus, quoniam iuristis multis visum est, non esse potestatis sęcularium legum, matrimonium nullum reddere: sed tātùm ecclesiasticarum: de quo videri potest Siluester in verbo, matrimonium 2. mox in principio. Et certè Iuristæ nulla auctoritate iuris diuini aut canonici hoc probant, nec etiam ratione vlla efficaci: nec aduertunt, nihil per hoc derogari auctoritati ecclesiasticæ, sed potius conducere ecclesię paci. Si enim ius ipsum diuinum permittit prohiberi ab ecclesia, quod ipsum non prohibet: quare ecclesia non permittet sæculari potestati prohibere circa matrimonium, quod ipsa non prohibet? Fatemur igitur ciuiles leges non posse licitum matrimonium facere, quod ecclesiasticæ illicitum reddūt: sicut nec ecclesiasticę leges approbare, quod diuinum ius reprobat: hoc enim esset inferiorem superiori contradicere. Verùm quod ecclesiasticæ leges nō prohibēt, cur sæculares prohibere nō poterunt: sicut quod nō prohibet ius diuinū, prohibent ecclesiasticæ? Nec debent prælati ecclesiæ grauatè suscipere, si quod temporali paci viderint necessarium, sæculares principes statuant. Nec est cur illis se opponant: sed permittant potius matrimonium legibus humanis ordinandum, cùm officium humanum

manum sit: & addant postea ipsi, si videbitur, quod ad bonum religionis pertinet. Quãquam ciuiles leges in his omnibus ex pietate certè & voluntate principum facilè cesserint ecclesiæ, vt iam nullum censeatur matrimonium illegitimum, quod ecclesia tale non iudicat: non tamen propterea vel legi, vel consuetudini reipublicæ hoc auferendum est, vt illegitimos aliquos reddere, si velint, possint: sed potius si opus foret, confirmandum esset ab ecclesia, Ciuilia iura illegitimum iudicant matrimoniũ inter tutorem, vel curatorem, vel filium eius, & pupillam: vt habetur in proprio titulo. C. de interdicto matrimonio inter tutorem vel curatorem &c. & similiter liberti cum patrono, aut vxore, vel filia patroni, in lege, libertũ. C. de nuptijs. Sed derogatũ videtur his legibus per contrariã consuetudinem: quæ tamen non videntur minima ratione & necessitate hoc statuisse. Si itaque denuo hoc videretur statuendum, non est cur hæc auctoritas auferatur à sęcularibus principibus: qui de matrimonio non quidem vt est sacramentum, sed vt officium est necessariũ reipub. statuunt: quod tamen sacramentum prærequirit.

LECTIO QVINTA.

De *impotentia*.

IAM de singulis propositis impedimentis est breuiter dicendum idque eo ordine, quo sunt proxima lectione proposita. Primum itaque quod hominem omnino inhabilem reddit ad contrahendum, est impotentia consummandi matrimoniale actum: de qua Magister ead. lib. d. 34. & post illum alij: & habetur de hoc titulus in decretalibus, de frigidis & maleficiatis. De hac igitur ponuntur nonnullæ distinctiones. Non enim omnis impotentia eiusdem est rationis, quod attinet maximè ad propositum. Est enim impotentia siue naturalis, siue accidentalis (nam ita etiam distinguunt) alia quidem perpetua, alia temporalis. Impotentiam enim vocamus, quidquid impedit vel ex parte viri, vel ex parte fœminæ actus matrimonialis integrum & naturalem vsum. Nam cùm hic actus naturaliter compleri potest: etiam si generatio non sequatur aut possit sequi, non est iudicanda impotentia: vt si mulier fuerit sterilis. Cetertum actus ipsius impossibilitas, in quocunque sit coniugum,

impotentem eum reddit, siue sit à natura ipsa, siue ab infirmitate, vel ab arte dæmonis & maleficio: quod fieri posse & ratio, & experientia docet. Cùm igitur impotentia fuerit, duo sunt per se consideranda, quod attinet ad matrimonium. Primum, an perpetua sit, an temporalis. Secundum, an præcesserit, an secuta fuerit matrimonium. Secundum quas distinctiones duo certa habentur ex pontificum & conciliorum definitionibus. Primum. Perpetua impotentia matrimonium præcedens facit vt iudicio ecclesiæ dissoluatur, petente altero eorum, aut ambobus: ita ca. 1. 2. 3. extra, de frigidis & maleficiatis. Temporalis verò impotentia & precedens non sufficit vt dirimatur. Secundum. Sequens verò matrimonium impotentia quælibet non dirimit ipsum, vt apertè testatur Nicolaus papa de his qui ab inimicis vel hostibus, post matrimonium contractum lecti sunt, aut in morbum aliquem inciderunt.

27. q. 2. c. decreta.

His autem proximum est dubium: quomodo videlicet temporalis vel perpetua iudicari possit impotentia: quomodo item præcessisse, vel secutam fuisse matrimonium. Circa primum igitur iura ipsa censent, siue ex natura, siue ex maleficio impotentia sit, eam tunc iudicari perpetuam, quando, citra diuinum miraculum, sine graui corporis periculo auferri non potest. Ita Innocentius 3. ca. Fraternitatis, de frigidis & maleficiatis. Hoc verò iudicat ecclesia, cum coniugati per triennium simul habitauerint, & bona fide actui matrimoniali operam dantes, perficere se non potuisse iuramento testantur: accedente etiam (vt Gregorius inquit) septima manu propinquorum: ita enim Celestinus 3. ca. Laudabilem eod. tit definit, & 33. q. 1. ca. Quod autem, & ca. Requisisti, Gregorius respondet. Præcessisse verò iudicatur, quando nunquam potuerunt matrimonium consummare. Sunt etiam & huius aliæ probationes (quæ ad forensia iudicia pertinent) per inspectionem & testimonium matronarū, vel medicorum.

Dubitatur rursum circa hoc, quid si post separationem coniunx qui impotens iudicatus est, cum altero contrahat, & reperiatur potens? Vbi siquidem naturalis impotentia iudicabatur, ecclesia agnoscit se deceptam in eo iudicio (nec mirum, cùm de facto iudicauerit, & ex probationibus humanis) & ideo iubet primum matrimonium restaurari, vt apertè Innocentius tertius c. Fraternitatis, eodem titulo dicit. Vbi verò de maleficio agitur: quia id contigit diaboli arte inter duos tantùm, & non in comparatione illorum ad alios: non reintegratur primum ma-

matrimonium: immo datur vtrique potestas alteri contrahendi. Quod non fit in impotentia alia, vbi potius impotenti indicitur perpetua continentia, vt supradicta iura testantur. Circa hęc igitur in speciali dubia quæ occurrere possunt, ad exterius iudicium Ecclesię referenda sunt: & quod per iudicem fuerit definitum, tuta conscientia seruari potest. Refert plura Syluester in verbo matrimonium 8. § 16. Et hæc quidem dicta sunt, quantum attinet ad iura ipsa.

De ratione verò impedimenti huius (de qua Theologi nonnihil aguut) non est opus multa dicere. Manifestè patet eum, qui impotens est aliquid implere, impotentem esse ad id promittendum: qui igitur non potest matrimonialem actum perficere, quomodo potest ad id se astringere? Vnde Alexãder tertius: Sicut puer (inquit) qui non potest reddere debitum, nõ est aptus coniugio: sic qui impotentes sunt, minimè apti ad contrahendum matrimonium reputantur. Illud verò nonnullum dubium habet, & magis theologicum est, an matrimonium sit, quando scienter cum impotente contrahitur? vel, quando cognito impedimento consentitur? Quod enim permanere sic possint, siue à principio, siue postea cognitum fuerit impedimentum, non est dubium: atque ita Lucius tertius in cap. Consultationi, eodem tit. inquit ecclesiam Romanam sentire. Quanquã enim difficile creditu sit, vt cum impotente quis contrahat: si tamen contraxerit, inquit, Romana ecclesia vult vt tanquam sororem habeat, quam vt vxorem habere non potest. Nec dubitandum est validum esse contractum, atque ita obligare contrahentes ipsos ad mutuam & castam cohabitationem, quando scientes hoc sibi inuicem promiserũt. An verò matrimonium sit, non ita certum videtur: vt scilicet si is qui potens est, postea contraxerit cum altero, illud secundum rescindendum sit, tanquã non sit verum matrimoniũ, cùm primum verum præcesserit. Syluester quidem loco suprà citato refert Petrum de Palude tenere, rescindendum esse secundum matrimonium: atque ita primum illud verum matrimonium esse: ipse tamen cõtrarium asserit, quando impedimentum perpetuum est: nã de hoc loquimur in præsenti: idque maximè auctoritate b. Thom. qui supradicto loco arguens quòd ad matrimonium non requiratur carnalis copula (cùm perfectiora sint matrimonia continentium (de qua re postea sumus dicturi) matrimonio verò cũ impotente contracto solùm desit carnalis copula: respondet, quòd etsi hæc non sit de essentia matrimonij, potentia tamen ad illã est

ca. 2. eod. tit.

Verum sit matrimoniũ quando quis sciens cũ impotẽte contrahit.

34. dist. ar. 2. ad 1.

est de eius essentia: quia datur (inquit) potestas vtrique coniugum in corpus alterius: sicut hoc loco & beatus Bonauentura & alij docent. Ex quo statim illi consequens esse videtur, non esse matrimonium, etiam si scientes sic contrahant. Deest enim ei aliquid quod ad essentiam pertinet. Verùm quod ad b. Thomam attinet, non est dubium illum apertè asserere, impotentiã hanc tunc impedire, quando alter coniugum eam ignorat. Ita enim eo loco sibi arguenti de senibus (qui natura iam frigidi sunt, & tamen constat matrimonium inter eos contrahi) apertè ipse respondet, impotentem ad aliquid persoluendum non iure, sed facto, si ad id se obliget, sciente eo cum quo contrahit, contractum esse validum. Ostenditur enim (inquit) hoc scientes aliud ex contractu quæsisse. Et certè hoc est multò magis rationi cõsonum. Cùm enim (quod postea patebit) verum matrimonium sit, si qui contrahant cum conditione de perpetua castitate seruanda, & simile coniugio b. Mariæ & Ioseph (quod b. Augustin. & certè tota ecclesia verum matrimonium iudicat: & ille quidem probat lib. 1. de nuptijs & concup. ex ipsis verbis euangelij: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam) quis dubitat in hoc matrimonio non solùm nihil impedire impotentiam alterius aut vtriusque, sed magis adiuuare? Certum est enim, quòd quando scientes impotentiam contrahunt, nõ aliud faciant, quàm vt ad perpetuæ vitæ, sed castæ, consuetudinem se obligent. Nihil nanque aliud possunt ex illo contractu sine peccato intendere. Itaque non est cur matrimonium non iudicetur, vel cur teneat secundum postea contractum. Quam sententiam maximè confirmat quod Augustin lib. de bono coniugali manifestè asserit: bonum (inquiens) matrimonij nõ mihi videtur propter solam procreationem filiorum, sed propter ipsam etiam naturalem in diuerso sexu societatem: alioqui iam non esset coniugium in senibus: præsertim si vel amisissent filios, vel minimè genuissent. Possent quidem hęc referri ad sterilitatem tantùm: nos enim non diximus generandi, sed coëundi impotentiam impedire: verùm quæ sequuntur, quid August. sentiat de actu matrimoniali, ostendunt. Si ergo (inquit) seruetur fides, & obsequiorum inuicem debitorum officium: etiam languescentibus & penè cadauerinis vtriusque membris, manet tamè coniugatorum tanto syncerior, quanto securior castitas. Quod certum est non tantùm verum esse, quando prius contraxerunt matrimonium: sed etiam posse in ea ætate & dispositione contrahi. Et huic tandem suffragatur, quòd iura ipsa pontificum nun-

In responsione ad 4.

Capite 11.

Capite 3.

nunquã dissoluendum dicunt huiusmodi matrimonium, nisi ad petitionẽ alterius cõiugis, dicentis se contraxisse vt parens fieret: sicut in 1. cap. extra eo tit. dicitur. Immo ibidem patet, considerari, an statim reclamauerit is qui se deceptum queritur. Ex his itaque omnibus, si rectè considerentur, habemus, impotentiam hanc impedimentum esse ex ipsa naturali ratione, atque diuino iure, quando ignoratur ab altero. Ita enim in hoc nihil reperimus pontifices de nouo statuisse, sed respondisse consentientes, ægrè certè, his qui anxiè petebant matrimonium solui. Itaque quod ratio naturalis postulabat ex communi lege aliorũ contractuum, curârunt huic contractui matrimonij iuxta illius naturam accommodare. Quare potest meritò hoc impedimentum ad consensum reduci & errorem, de quo superius diximus. Sic enim error seruitutis (quia per eam multum detrahitur debito matrimonij) aufert consensum, & rescindit contractum (cùm tamen alioqui cum seruo contrahi possit matrimonium) multò magis error impotentiæ (per quam omnino aufertur debiti coniugalis solutio) dissoluit contractum: quamuis si ignoretur, non sit cur credatur dissoluere.

Dicendum iam de ordine & voto, quæ duo sunt impedimenta proxima præcedenti: quoniam (vt diximus) per illa fit, vt nõ possit iure, hoc est, sine peccato debitum coniugale solui. De vtroque ergo horum seorsim agendum est. Et, quoniam hoc tempore hæc valde impugnantur ab hæreticis ac nouitatum amatoribus, modestius quidem, sed ideo perniciosius exagitantur: tria per ordinem sunt nobis, quàm breuissimè fieri potest, dicenda. Primũ. Quid in iure ipso, ecclesiasticis scilicet constitutionibus, & inter catholicos omnes certum sit. Secundum: Qua auctoritate, & quo tempore fuerit id in Ecclesia inuentũ. Tertium demum. Qualiter hæreticorum & aliorum omnium obiectionibus respondendum sit.

Circa primum igitur de ordine sequẽtia certa sunt in catholica ecclesia. Primum. Ordo non facer (de quo superius, cùm de hoc sacramento ageretur, diximus) non impedit matrimonium contrahi, & multò minus cõtractum dissoluit: quin potius Ecclesia ordinat, vt clerici, qui continere nolunt, vxores accipiant, antequam ad sacros ordines accedant. Secundum. Ordo sacer, ab Episcopatu videlicet vsque ad subdiaconatum, & impedit ne matrimonium contrahi possit sine graui peccato (cui annexa est etiam excommunicatio ipso facto, in Cle. de consang. & affinitat.) & contractum de facto nullum reddit. Vtrunque horum

Ordo sacer matrimoniũ impedit contrahendum, & dirimit contractum.

Non item ordo non sacer.

rum apertissima iura confirmant, & in proprijs titulis decretalium, videlicet de clericis coniugatis, & qui clerici vel vouentes matrimonium cõtrahere possunt: & apud Gratianum d.30. & duabus sequẽtibus. Et de minoribus quidem ordinibus Grego. apertè dist.32. cap.Si qui verò,& Concilium Carthaginense 4.(cui & Augustin.interfuit)in ca.Lectores,apertè ita definiũt: similiter & Alexan.3.1.2.& 3.ca.de clericis coniugatis. Vbi tamen est nonnulla diuersitas.Grego.supradicto loco non excludit eos ab ecclesiastico statu & gremio, nec à beneficijs & stipendijs ecclesiasticis. Alexander verò 3. & posteriora omnia iura priuant omnino eos beneficijs & functionibus ecclesiasticis. Quod quanquam non dubitemus necessaria ratione factũ esse,crescente videlicet in ecclesia auaritia: tamen an adhibita, quanta posset cautela adhiberi,ne indignis beneficia conferantur expediret magis vxoratos ministros in minoribus in ecclesia esse,si eo rariores essent qui in maioribꝰ castitati sunt astricti:putamus posse merito in cõsiderationem venire, si quando seriò ageretur de emendanda infamia ecclesiastici ordinis ex incontinentia supremorum ministrorum, maximè in concilio.

De sacris verò ordinibus similiter apertæ sunt Conciliorum & pontificũ definitiones. Primò,dist.illa 32.multa sunt Leonis papę decreta & ex 90.epist. ad Rusticũ Narbonensem episcopũ c.3. & ex 82.c.4.similiter & Grego.& 6.synodus, & Concilium Chalcedonense supradicta dist.citantur. Ex quibus constat hoc etiam apud Græcos fuisse semper,atque ita in tota Ecclesia, vt non liceat ordinatis in sacris contrahere matrimonia. Et quanquam multi existiment in antiqua ecclesia talia matrimonia,etsi prohiberentur,non tamen fuisse dissoluta:si quis benè cõsideret in illis locis,& pluribus alijs antiquis, videbit etiã tunc illegitima iudicata esse istiusmodi coniugia,& quidem dissoluenda ac nulla:de quo latius postea agemus: Arcebantur à ministerijs ecclesiasticis sic contrahentes, vt Alexander 1.ca. Præter hoc,32. dist.& Vrbanus 2.cap. Eos qui,eadem dist.ordinant:cùm videlicet in ecclesia non esset tanta potestas de exterioribus iudicandi,maximè in coniugijs, quæ non tantùm clericos ipsos, sed & & vxores respiciebant, nec potestates sæculares quidquam in hoc ecclesiæ permittebant. Postea verò,quando in ecclesia potestas fuit, dissoluta sunt talia matrimonia, vt Alex.3.c.1.& 2.Qui clerici vel vouentes &c. apertè dicit. Hæc itaque de ordine certa sunt.

Cetertùm rationem huius,quare scilicet ordo sacer matrimonium

nium dirimat, inquirunt theologi nostri d.37.4.vbi de hoc ipso Mag.pontificum & conciliorũ auctoritates adduxit. Cui quæstioni (quanquam sit hic nonnulla diuersitas, magis de nomine quàm de re) respondendum est, id habere sacros ordines ex voto solenni castitatis, quod eis annexum est ex statuto ecclesiæ: deinde etiam & ex constitutione ecclesiæ, quæ conuenientissima ratione illegitimos & ineptos reddit in sacris ordinatos, ad contrahendum. De voto itaque dicimus ecclesiam latinam ita ordinasse, vt voueant castitatem omnes: quod Græci non admiserunt vniuersaliter. Quanquam enim etiam ipsi non contrahant, vtuntur tamen matrimonio antea contracto, vt b. Thom. hoc loco dicit, de quo inferius. Vnde non dubitatur, omnem qui scienter ordinatur in sacris, ipso facto hoc promittere non minus, quàm si testaretur verbis. Quare illud esse solene votũ castitatis ecclesia statuit: & addidit constitutionem, illegitimos reddens sic ordinatos ad contrahendum. Tertium denique circa ordinem hoc certum etiam est, si quis post contractum matrimonium ordinetur: quanquam id graue peccatum sit in ecclesia latina, & contra eius ordinationem: non tamen propterea matrimonium dissoluitur, neque nõ est ordinatus. suspensus tamen est ab omni eius officio, & in matrimonio perseuerare cogitur: quanquam, quid circa debitum coniugale vel exigendum vel reddendum facere possit, dubium nonnullum sit, de quo latius dicturi sumus inferius, cùm de indissolubilitate matrimonij, proprio eius effectu, agetur. Nunc priora illa duo sufficere debent, quæ pertinent ad impedimentum, quod præstat ordo præcedens matrimonio. De hoc & alijs ad hoc pertinentibus qui plura, iuristarum maximè, videre velit, legat Siluest. in verbo, matrimonium 8. § 12.

Iam de voto similiter eodem modo dicendum est, quid sit certum. Nec enim nunc tempus est, vt in vniuersum de voto agamus, & de omnibus generib⁹ atq; rationibus, votorũ: quod tamen hac occasione nostri dist.38.4.egerunt, & b.Thom.diligentissimè q.88.2.2. Omnibus omissis, de voto castitatis hic agamus: quod qui emisit, certum est eum subtraxisse sibi potestatem actus carnalis, etiam in matrimonio: Hoc igitur votum distinguitur in simplex & solenne: inter quæ (vt breuiter dicamus) vera & essentialis differentia est, quòd votũ simplex nuda promissio est facta Deo, siue ea publicè, siue secretò fiat, siue quantacũq; etiã solennitate. Solenne verò illud dicitur, quod & ecclesiæ fit, & eius auctoritate probatur atque recipitur. Vnde,

Votorum aliud simplex est, aliud solenne.

Votũ solenne quod.

ne

ne quid dubij esse possit in ecclesia, iam definitum est, nullum esse votum solēne (quòd ad matrimonium attinet) nisi quod fit in professione vel expressa, vel tacita in ordine aliquo approbato, vel per sacri ordinis susceptionem. Ita Bonifacius 8. in c. vnico, de voto, in 6. Et quanquam non dubitetur ecclesiam posse alios modos statuere solennisandi votum: id tamen certum est, solennitatem voti ad cæremoniam pertinere, & quidem humanam ac positiui iuris ecclesiastici: quanquam nō dubitemus (quod postea probabitur latius) hanc differentiam ex traditione apostolica semper in ecclesia fuisse. Et quidquid de hoc sit, certum est, solennis voti differentiam & efficaciam, ex iure diuino esse. Sed hæc omnia postea patebunt.

Quomodo votū simplex impediat matrimoniū cōtrahendū.

Hac igitur distinctione suppositā: duo etiam de voto castitatis certa sunt. Primum. Votum simplex castitatis impedit contrahendum matrimoniū: ita vt non dubitemus mortaliter peccare eum, qui post hoc votū quacunque ratione contrahit matrimonium: & post contractū teneri ad ingressum religionis, vt ita non cogatur consummare matrimonium in quo contra votum ageret: vt b. Thom. supradicta dist. & ceteri scholastici aperte sentiunt. An verò in actu ipso matrimoniali postea peccet, inferius dicemus. Ceterùm illud constat, non esse nullum matrimonium post hoc votum contractum: de quibus & Siluester in titulo, Matrimonium. 7. §. 5. Secundum. Votum tamen solenne & impedit, & nullum reddit matrimonium quod post ipsum contrahitur. Et hoc supradicta dist. theologi omnes asserunt: & de vtroque sunt apertissima iura. tit. qui cler. vel vouent. c. Consuluit, &. c. Rursum, &. c. Insinuāte. Inquiritur quidem à doctoribus de huius diuersitatis ratione: & est nonnulla differentia inter eos: sed multò minor quàm putauit Erasmus: cuius apertissimos & turpes lapsus, si quis videre velit, legat librū de institutione matrimonij Christiani, vbi & verba ipsa beati Thomæ citare voluit, apertè non intellecta, ob puerilem quandā ipsius grammaticæ, & rei de qua agebatur inconsiderationem. Igitur circa hoc (sicut & in præcedentibus) dicimus: solenne votū nullum reddere matrimonium ex institutione ecclesiæ simul & natura ipsius voti Ecclesia reddit illegitimum, habentem votū solenne castitatis, ad contrahendum non autem habentem simplex: idque valde rationabiliter. Quia in voto simplici nuda est promissio: eius verò quod promissum est, dominium manet apud promittentem. In voto verò solenni non est sola promissio, sed etiam traditio eius quod promittitur suijpsius vide-

Votū solēne impedit & dirimit matrimonium.

Quare solenne votū contractū matrimonū dirimat, & nō simplex.

videlicet, & acceptatio quędam atque possessio ab ecclesia accepta. Hæc est enim propria illorum differentia. Est namque etiam inter homines hoc naturale, & certè iuris gentium, vt lōgè minoris efficaciæ sit nuda tantum promissio, quàm exhibitio & traditio possessionis eius quod promittitur. Qui promisit alteri vel domum vel vestem, nondum abstulit sibi eius rei dominium. Vnde si postea alteri tradat, rata est traditio, & (vt plurimum) tenebitur valorem rei promissæ alteri dare. Qui verò alteri iam ipso facto tradidit vel domum vel vestem, omnino priuauit se eius dominio, nec alteri illam conferre potest iam alienam. Cùm igitur votum contractus sit quidam humanus (quāquam inter Deum & hominem) tamen quia Deus etiā ipse cum hominibus more humano agit: multo magis vult, vt homines cum eo humano etiam more agant. Quare plurimum distat nuda promissio facta Deo ab exhibitione: atque ideo si post votum simplex castitatis, hoc est post nudam promissionem corpus suum alteri quis tradiderit (quod fit per matrimonium) firma est traditio. Ceterùm si etiam suum ipsum corpus ad continentiam seruandam Deo dederit, iam, quasi de alieno, nō potest aliud disponere: nec, si tentet, ratum erit. Quod igitur Scotus arguit, voluntate sola esse votum efficax: quod attinet ad obligādum hominem Deo, verū est: quod autem attinet ad rem promissam à dominio promittentis auferendam, lōgè aliud est traditio, quàm nuda promissio. In ecclesia semper fuit dedicatio, qua se Deo obtulerunt, quibus hoc placuit: & consecratio, qua ab ecclesia sic dedicati consecrantur. Memor est huius Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia: & satis patet in tota antiquitate ecclesię. Et quid aliud significatur his, quàm hoc esse hominem se totum Deo, ecclesia & teste & acceptante, tradere? Propterea igitur diximus votum ipsum solenne ex iure diuino hanc efficaciam habere: quoniam ex ratione naturali, quæ inter omnes homines constat. Et quamuis modus ille dedicationis & consecrationis ab ecclesia sit præscriptus (sicut modus tradendi possessionem rerum, à iure humano) tamen ea facta, iam non est suus qui ita se dedicauit: & contra ius diuinum agit, & ex hoc ipso est, vt nullum sit, quidquid contra solenne votum agitur: sicut qui post traditam suæ rei possessionem alteri, rursum de ea disponit, contra ipsum ius diuinum agit, quo rei alienæ contrectatio prohibetur: atque ita nihil est quidquid agit. Dubitatur quidem inter theologos, an in voto solenni dispensari possit à papa. Et beatus Thomas cum monacho non posse dispensari vt

An papa dispensare possit in voto solēni.

contrahat, asserit: potest tamen cum ordinato in sacris. Communiter verò creditur vniuersaliter dispensari posse. Nec opus est de hoc multa dicere. Necessaria & legitima causa existente, non est facile auctoritas dispensandi in his restringenda. Sine causa verò, nulla est dispensatio.

LECTIO SEXTA.

De auctoritate, & ratione eorum, quæ de ordine & voto dicta sunt.

QVONIAM omnia hæc quæ diximus de sacris ordinibus & voto castitatis, ab hæreticis omnibus viribus impugnantur: dicamus nũc (quod superiori lectione proposuimus) qua auctoritate & ratione, & quo tempore hæc tanta obligatio ordinatorum in sacris, & tãta efficacia voti castitatis sit in ecclesia. De quo articulo cùm tot & tam docti ac pij hoc tempore scripserint aduersus modernos hæreticos, & antè etiam aduersus Ioannem VVicleph & sequaces: satis erat lectorem ad eos mittere. Verùm (sicut in ceteris hucusque egimus) non est hic omittendum, quod satis esse possit ad confirmandos animos in vera & catholica sanctæ ecclesiæ doctrina & obseruantia. Egit quidem diligenter hoc Thomas VValdensis in libro de sacramentis ca. 128. & 129. de sacramento ordinis agens: & libro de sacramentalibus. cap. 66. & 67. Is quidem primus contra VVicleph, post illum verò contra Lutheranos multi certè memoria digni, hanc (vt iam diximus) tractarunt caussam: inter quos Iodocus Clichtoueus, Pighius, Alphonsus, Vouesinus, & plures alij.

Nos igitur (quantum ad hoc propositum attinet) hoc in principio statuimus, in quod tanquam in scopum intendendum est: continentiam videlicet ordinatorum in sacris, & efficaciam voti castitatis sacræ scripturæ atque Apostolicæ doctrinæ consentaneam esse, & Ecclesiæ ab ipsis Apostolis traditam, atque in ea semper fuisse.

Cõtinentiæ commendatio.

Ad quod probandum illud primùm certò constat, cælibatum atque omnimodam cõtinentiam carnis, siue in virginitate, siue in viduitate, aut alio quouis modo, maximè verò virginitatem, rem esse magnæ dignitatis & meriti apud Deum, & propriam

euangelici

euangelici ſtatus virtutem, à ſpiritu ſancto & in ſcriptura ſacra, & in doctrina patrum mirè commendatam, ad quam etiam in euangelica lege apprehendendam omnes ſunt meritò exhortandi. Hoc igitur, quoniam nullus eſt, etiam præſentium hæreticorum, qui apertè neget: non eſt opus multis probare. Quia tamen nec id etiam veraciter confitentur: non eſt ſine efficaci probatione relinquendum. Primò igitur (quod attinet ad ſcripturam) Chriſtus ipſe excellentiam commendat virginitatis & continentiæ in eunuchis, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum. Deinde Paulus apertiſsimè omnibus hanc virtutem ſuadet: Volo (inquiens) omnes eſſe ſicut meipſum. Et rurſum: De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. Vbi in hanc ſententiarum multa efficaciſsimè loquitur. Non eſt verò in lege veteri quærendum, vbi de hac virtute, & eius commendatione fiat mentio, niſi vbi de Euangelio & Chriſto promiſsio eſt. Vnde Iſaias Euangelicæ gratiæ prænuncius, de hac apertiſsimè promittit. Non dicat (inquit) eunuchus: ecce ego lignum aridum: quia hæc dicit Dominus eunuchis &c. Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis. Quem locum (ſicut & reliquos) Auguſtinus lib. de ſancta virginitate (quem totum ille in laudandam, perſuadendam, & inſtruendam virginitatem ædidit) adducit & explicat. Vbi & reliqua omnia quæ propoſuimus, efficaciſsimè probat: quàm videlicet propriè ſit hęc virtus Euangelicæ gratię à b. virgine primò cœpta, & quantæ excellentiæ ſit. Quod non ſolùm in hoc libro, ſed & toto ferè libro de bono cõiugali, agit: vbi poſtquam de matrimonio, quod primis temporibus propter propagãdum Dei populũ, ex quo Chriſtus naſciturus erat, neceſſarium fuerat, & à patribus non humano ſolum & carnali affectu, ſed vera fide & pietate in Deum ac religionem obſeruatũ dixerat (quod toto eo libro pulcherrimè probat) nũc verò (inquit) ſunt admonendi omnes, vt vtantur potius bono continentiæ: hac maximè cauſſa, quod nũc ſpiritualiter propagãdus eſt Dei populus, id cõfirmans. Et ſtatim c. 10. obijciẽs ſibi: quid ſi omnes nũc cœlibatũ ſeruarent, quaſi incõueniens: deſiderandũ potius hoc dicit, ex ipſis verbis Pauli: Volo omnes eſſe &c. Vnde & lib. 1. de nupt. & cõcup. c. 13. illud eccleſiaſtæ de hoc exponit: Tẽpus amplexandi (quod legi veteri conuenire dicit) & tempus lõgè fieri ab amplexibus: quod nouæ legis eſſe affirmat: hoc etiã ex illis verbis Pauli confirmans: Tempus breue eſt: qui habent vxores, tanquã

Matth. 19.

1. Cor. 7.

Iſaiæ 56.

Cap. 13. & ſeq.

Cap. 22. & ſeq.

Cap. 19.

1. Cor. 7.

non habentes sint &c. Sufficerent hæc ad id quod propositum est confirmandū, maximè si libri, quos citauimus, legantur: quia tamen in hac causſa virginitatis ex Græcis doctoribus & ecclesijs præscribunt nobis hæretici; breuiter etiam Græcorum hoc confirmantium, & Latinorum aliorum non est omittenda memoria. Igitur (quod ad Græcos attinet) Athanasius librum ædidit de virginitate, in quo efficacissimè eam suadet, & virgines instruit. Basilius in libro de Institutione perfectæ vitæ, in principio, ac deinceps cap. 7. tanquam fundamentum totius virtutis continentiam ponit: & in regula monachorum, de ipsa virginitate & professione eius apertè loquitur: qua auctoritate etiam postea vtemur. Chrysostomus homilia 18. in Genesim, virginitatem quantum extollit? & quāto spiritu ad eam inducit omnes? & in sermone de continentia Ioseph: & rursum in altero, quòd regulares fœminę viris cohabitent (vbi videlicet hoc deplorat) mira facūdia virginitatem etiam suadet, & docet qualiter sit seruanda. Ex Latinis Cyprianus & libro de Habitu virginum, & Epistola 11. 1. libri, hoc ipsum agit, nobilissimam portionem Ecclesiæ virgines vocans. Tertullianus lib. 7. ad vxorem, primum gradum & locum tribuit virginitati, secundum continentiæ viduali, vltimum denique matrimonio. Hieronymus verò quàm multa, quamque efficaciter contra Iouinianū disputat & in duobus libris contra eum, & in multis epistolis, & contra Vigilantium? vbi admirāda sunt præconia virginitatis. Ambrosius proprios etiam libros ædidit ad virgines. Itaque nullus est omnino doctorum Græcorum vel Latinorum, apud quem non sit aut in specialibus tractatibus, aut inter reliqua apertissima cōmendatio virginitatis & continentiæ. Fatentur hoc moderni hæretici & nouatores, sed audent dicere, excessisse antiquiores Patres in commendanda hac virtute: quam querelam primus Erasmus incepit: & exaggerant reliqui aduersarij nostri, adeò vt nō cunctetur Butzerus dicere, videri sibi quòd nimium accesserint ad errorem Tacianorum, & reliquorum hæreticorum nuptias damnantium. Sed hos nec causſæ castitatis & continentiæ iudices recipimus tam suspectos, & manifestè suam propriā causſam, immo carnis & sanguinis agentes (quid enim aliud de votifragis & perfidis monachis dici potest?) nec censores doctrinæ patrum. Illi enim spiritum scripturæ sacræ secuti sunt, illi & ab Ecclesia recepti, à Deo etiam miraculis probati sunt. Quis non videt igitur temerarium esse, quòd priuatus aliquis iudicium suum præferat illis? aut vt nouatorum omnium horum auctoritas vel

tas vel vni eorum comparari debeat in re tam graui, quæ tam longo tempore in Ecclesia tanta cum laude permansit? Non est credendum spiritum sanctum vel excessum aliquem permisisse in eorum doctrina, quam scilicet illi ex vno sensu Ecclesiæ tradunt. Certè si illi omnes exceſſerunt, exceſsit & Ecclesia. Nec detrahunt matrimonio Patres, nec incauti sunt in tenenda via regia, atque media. Abeat igitur omnis ab illis aliena prudentia, quam stultitiam meritò & verius dixerimus. De virginitate & matrimonio, vt illi, loquamur. Et certè si vnius Augustini aut Hieronymi in hac parte attentè perpendatur doctrina, non est quod desiderari possit. Hæc igitur satis de primo illo fundamento, & laude continentiæ: ex quo cetera omnia facilè deducentur.

Quàm deceat ministros ecclesiæ vita cælebs & cõtinentia.

Primò enim ex illo, quàm hæc virtus conueniat Christi & Ecclesiæ ministris, non est difficile videre. Illorum est (vt Christus admonet) lucem esse & sal, & in Ecclesia singulari virtutum fulgore splendere: ad hoc verò, ex suprà dictis locis satis ostendunt patres, quantum conferat cœlibatus. Deinde, ad hæc ministeria rectè explenda, maxima opus est libertate animi, & à cura rerum temporalium elongatione: in hac verò præcipuè implicat hominis animum matrimonium: quod satis asserit & probat Apostolus: Qui cum vxore (inquit) est, sollicitus est, & cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat vxori: & diuisus est. Qui sine vxore est, sollicitus est, & cogitat quæ sunt Domini. Quod experientia etiam ipsa ostendit. Quanta enim in educandis filijs cura? quanta deinde maior in hæreditandis: cùm natura ipsa doceat (Paulo etiam testante) quòd parentes debent thesaurizare filijs? Quis non videat matrimonij onera tanta esse, vt integrum hominem requirant? Quare tandem fiet, vt vel mercenarius totus sit ministeri Ecclesiæ, & omnia ad quærendum victum filijs & familiæ referat: vel vt prematur quotidie penuria & egestate suorum. Satis corruptio ipsa naturæ nostræ ad auaritiam & curam rerũ temporalium nos trahit: quid igitur si huic addatur multitudo filiorum? Quantum verò hæc omnia impediunt à diuina contemplatione & studio ipsius scripturæ, quæ tam necessaria sunt ministris Ecclesiæ! Et, quod his omnibus maius est, quantum ab assidua illa oratione & puritate, quæ maximè in celebrandis mysterijs illis sacrosanctis altaris necessaria sunt, non solùm hęc cura & sollicitudo, sed complexus ipse muliebris & venereæ delectationis vsus impediant, satis Paulus ostendit, dum maritis præcipit, vt ad tempus seperentur, vt oratio-

1. Cor. 7.

1. Cor. 7.

tioni vacent. Non quòd dicamus nullam orationem fieri posse ab his qui coniugalibus actibus vacant: sed feruentior illa & purior oratio (qua frequenter in vita opus est, Paulo ipso teste, ijs præsertim, qui inter ea versantur, quæ & animum maximè tenere, & à Deo auertere possunt: quales certè sunt coniuges) sine maiori illa puritate rectè fieri nequit. Nam & propterea ad eam Paulus exigit separationem à matrimoniali consortio. Ministros autem Ecclesiæ constat huic præcipuè muneri deputatos esse, vt non pro se tantùm, sed pro tota Ecclesia orent, vt iam meritò de ministris Ecclesiæ sæcularibus actibus implicatis dicatur illud Euangelij: Quod si sal euanuerit &c. Hinc enim & Apostolus: Nemo (ait) militans Deo implicat se negotijs sæcularibus. Quæ verò magis sæcularia negotia, quàm ad quæ matrimonium trahit & cogit? Hoc verò maximè confirmatur sacerdotum veteris legis exemplo. Hi mariti erant (quoniam carnali propagatione sacerdotium illud seruandum erat) tamen quando in tabernaculo ministrabant, ab vxoribus & omni illo domestico strepitu separati erant: sicut de Zacharia apertè scriptum legimus, quòd completo tempore ministerij sui, reuersus est in domum suam. Quòd si ad tractanda illa quæ vmbra tantùm erant & figura, abstractione tanta opus fuit, & separatione ab vxoribus: quanto magis hæc necessaria sunt in sacramentis nouæ legis contrectandis? ad quæ non per vices & tempora, sed continuò administranda & consummanda ministros Ecclesiæ paratos esse oportet semper: ergo & ab vxoribus liberos. Hac ratione vsi sunt Zosimus & Innocentius. Ad panem illum (inquiunt) propositionis manducandum requirebatur, vt à mulieribus mundi essent: quanto magis ad vinum & cœlestem panem sumendum, cuius ille vmbra tantùm & figura erat?

1. Tim. 2.

Luc. 1.

Ferè omnes ecclesiæ ministri eximia sanctitate & doctrina clari vixerunt cœlibes.

Hinc etiam secundum manifestum fit. Apostolos videlicet, eorum discipulos, & omnes ferè, aut certè maximam partem omnium, qui in Ecclesia & Christi ministerijs insigni sanctitate & doctrina claruerunt, cœlibes semper permansisse: omnia hæc quæ diximus confirmantes, & exemplum etiam successoribus suis ac reliquo populo Christiano exhibentes. Dignum sanè erat, vt hæc tanta virtus, tam propria Euangelio, in illis prioribus splenderet patribus. Hoc de Paulo manifestum est: qui dum ad cœlibatum exhortatur: Volo (inquit) omnes esse sicut meipsum. Et de cæteris quidem Apostolis confirmat hoc beatus Hieronymus libro primo contra Iouinianum: & probat ex verbo illo Petri: Ecce nos reliquimus omnia: cui respon-

dens

dens dominus : Omnis qui reliquerit vxorem aut filios &c. ostendit illos hæc omnia reliquisse. Quanquam itaque (inquit Hieronymus) demus Apostolos habuisse vxores (quod tamen de solo Petro probari potest) id ante Euangelij gratiam fuit factum : at postquam secuti sunt Christum, non dubitandum est ab his omnibus eos abstinuisse. Immo Ioannem ipsum Euangelistam & ipse Hieronymus ibi, & tota Ecclesia non dubitat virginem permansisse: & multorum testimonia asserunt ex nuptijs vocatum esse à domino. Quod idem & Ignatius, Ioannis discipulus (inter hos etiam & ipse meritò numerandus) Epistola ad Philadelphenses de Apostolis & multis alijs apertè dicit: adductis etiam insignibus quibusdam patribus veteris testamenti: Virgines Christi dicit se præ oculis habere, sicut Iesum Naue, Melchisedech, Helisæum, Ieremiam, Ioannem Baptistam, dilectissimum discipulum (Ioannem scilicet Euangelistam) Timotheum, Titum, Euodium, Clementem, & alios, inquit, qui in castitate de hac vita exierunt. In ea item & pluribus alijs Epistolis etiam sacrarum virginum meminit. Epiphanius etiam tantæ antiquitatis auctor, in libro de hæresibus (in quo ipsum beatus Augustinus secundus est) contra Valesios, hæresi videlicet 58. hoc ipsum de Helisæo, Ioanne Euangelista, & Iacobo fratre Domini, & reliquis Apostolis asserit: qui se (inquit) non manibus, sed spiritu castrauerunt propter regnum cœlorum. Iam reliquos Græcos & Latinos Patres ac pontifices præcipuos Ecclesiarum manifestè constat cœlibes fuisse. In Romana quidem Ecclesia omnes (nullo certè excepto) cœlibes legimus. De alijs, videlicet Athanasio, Basilio, Chrysostomo &c. quòd tales fuerint, constat. Et ex Latinis Cyprianus, Hilarius (prius quidem maritus, sed postea longè à matrimonio) Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, fuerunt cœlibes. Et vix vnius, patris scilicet Gregorij Nazianzeni (qui Episcopus maritus erat) mentio est. Sunt verò & nonnulli alij in Ecclesiasticis historijs: sed certè nulla ratione ostendi potest, eos post sacerdotium vsos fuisse matrimonio. De præcipuis iam diximus & sanctioribus : de alijs postea. *Math. 19.*

Tertium demum etiam ex his deducentes, quasi cõsequentia quadam inferimus ex his omnibus, continentiam istam ministrorum ecclesiæ ab omni matrimonio, simul cum ipso euangelio & Apostolorum prędicatione instillatam esse animis hominum, & sensim quodammodo ita in ecclesiam introductam, vt nullum aliud initiũ eius, quàm ipsius euangelicæ prædicationis *Cõtinentia ministrorũ ecclesiæ Apostolorũ tẽpore fuit in vsu.*

legamus: quanquam fuerit inter antiquos nonnulla diuersitas, & etiam abusus non defuerint. Hoc verò primò efficacissimè confirmat, quod Eusebius 2. libro Ecclesiasticæ historiæ scribit ex
Cap. 17. Philone antiquissimo Iudæo, contemporaneo videlicet Apostolis, qui & consuetudinem creditur habuisse non paruam cum Petro & Marco, vt qui Romam venerit & Alexandriæ vixerit. Is igitur in libro de Vita supplicum (vt Eusebius citat) Christianorum recens conuersorum mores & vitam mirè prædicans, omnia, quæ Egypti monachos egisse legimus, refert: & inter cetera, contubernia fuisse & virorum & mulierum seorsim habitantium, & in virginitate vsque ad mortem permanentium, dicit. Vbi & de abstinentia illorũ, vigilijs, & frequentia lectionis ac orationis multa loquitur: apertè monachorum Aegypti vitam describens: vt hinc videamus virginitatem & monachatum simul cum Euangelio cæpisse. Quod & Concilia ipsa antiqua, & aliæ historiæ testantur de cælibatu ipso ministrorum. Et quia hæretici Ecclesiam Græcam nobis obijciunt: eius etiam auctoritate hoc iam confirmemus.

Etiã græca antiquissima cõcilia voti continentiæ meminerũt, & puniũt votifragos.

Primò igitur concilia illa antiquissima Græca, Ancyranum & Neocæsariense horum manifestè habet mentionem, & cœlibatus scilicet ministrorum, & voti castitatis ac monachatus. In Ancyrano enim cap. 10. de diaconis ita dicitur. Si in ordinatione sua protestati sunt, & dixerint velle se coniungi & copulari: si postea vxores duxerint, maneant in ministerio, propterea quòd eis Episcopus licentiam dederit. Et additur: Quicunque sanè tacuerint, & susceperint manus impositionem, professi continentiam, si postea nuptijs obligati sunt, à ministerio cessare debent. Et cap. 18. Quotquot (inquit) virginitatem promittunt, & irritã faciunt sponsionem, inter bigamos censeantur. Ex quo satis sit hoc haberi, & votum fuisse virginitatis, & eius transgressores esse punitos. In Neocæsarienſi 1. cap. Presbyter (dicitur) si vxorem acceperit, ab ordine deponatur: quòd si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam abijciatur. Et hæc quidem Concilia ante Nicænum ipsum creditur fuisse: & tunc de his rebus, tanquam de certis ac constitutis, loquuntur. Concilium etiam ipsum Nicænum quàm apertè loquitur? Interdixit
Capite 3. (inquit) sancta Synodus, nõ Episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem. Referunt hoc quidem nonnulli ad prohibitionem matrimonij: sed vtcunque sit, satis eo loco offenditur, cœlibes permansisse plurimos, cùm reuera ex superioribus Cõ-

cilijs

cilijs pateat, post susceptos sacros ordines, vsque ad diaconatum (vt minimum) prohibitum esse matrimonium. Mirum autem est, quòd ecclesiæ aduersarij tam fallò omnia peruertunt. Referunt quod lib. 2. Historiæ Tripartitæ cap. 14. scriptū est, & à Gratiano citatur 31. d. c. Nicæna synodus, & addunt Paphnutium, confessorem & sanctissimum monachum, persuasisse Concilio, ne cœlibatus indiceretur ministris Ecclesiæ: fraudulenter dissimulantes id quod non possunt in illa lectione non apertè videre, potius inde contrarium ostendi. Tentatum est vt statueretur, ne presbyteri & Episcopi, & vsque ad subdiaconos cùm coniugibus, quas ante consecrationem duxerant, dormirent. Huic sententiæ contradixit Paphnutius, dicens, hoc occasionem fornicationis futurum ipsis, aut certè vxoribus. Vbi obserua, quàm distinctè distinctum sit quod pertinet ad separationem à mulieribus prius ductis: & quod ad nō deinceps ducendas vxores. Hoc enim non vertebatur in quæstionem in eo concilio: sed constat superioribus concilijs statutum fuisse. Igitur (quod attinet ad priorem ecclesiam, & ad Græcos) hoc certò constat, maritos fuisse ordinatos Episcopos &c. nec in ordinatione ad cōtinentiam astrictos, quin possent vxoribus vti. Vnde & concilij Gangrensis habemus de hoc certissimam definitionem. Vbi propter hæreticos damnantes nuptias, & carnium vsum, & huiusmodi alia, sanctissimè definitur, quicunq; discernit à presbytero, qui vxorem habuit, tanquam occasione nuptiarum, quòd offerre non debeat, anathema sit. Hoc enim quod in principio ecclesiæ fuit, permansit diutius in ecclesia Græca. Aduertant itaque, qui etiam contra nos hoc concilium citant, quàm contra eos sit eius conclusio: Hæc (aiunt) scripsimus, non vituperantes eos, qui in ecclesia Dei secundum scripturas sanctum propositum continentiæ eligunt. Et deinceps: Nos autem virginitatem cum humilitate admiramur, & continentiam, quæ cum castitate & religione susciptur, approbamus. Vbi apertè vides (vt ex consequentibus patet (de perpetua continentia ab vxoribus sermonem esse: & propositum castitatis non tantum in admiratione haberi, sed & probari. Sed vt ad priora redeamus, fatemur fuisse ministros ecclesiæ maritos, & vsos matrimonio, quod tamen ante susceptos ordines contraxerant: post susceptos verò illos, semper interdictum fuit coniugium, etiam Græcis: quod Chalcedonensis synodus (posterior quidem, sed ante mille annos, & vna ex quatuor illis præcipuæ auctoritatis) apertè ostendit. Quia in quibusdam (inquit) prouincijs concessum est lectoribus & psalmistis vxo-

Cap. 4.

Cap. 13.

ſtis vxores accipere. Vides itaque ſuperioribus gradibus apertè id negatū fuiſſe, iuxta antiquiora illa concilia? Idem etiam ſexta ſynodus apertius docet. Sic enim (vt Gratianus citat c. Quoniam, 31. diſt. dicit: Cognouimus Romani ordinis canonem eſſe, vt qui ordinati ſunt diaconi vel presbyteri, confiteantur quòd ſuis iam non copulentur vxoribus. Ipſi tamen hoc non imponunt græcis: ſed legales (inquiunt) nuptias amodo valere volumus, nullo modo cum ſuis vxoribus eorum connubia diſſoluentes. Itaque præcedentia matrimonia diſſoluta non fuerunt apud græcos. Ceterùm Siricius papa & Innocentius primus, non longo poſt priora illa concilia tempore, illud firmius ſtatuerunt, vt non ordinarentur mariti, niſi & ipſi & vxores continentiam vouerent: & hi quidem quadringentis poſt Chriſtum annis iſtud conſtituerunt. Et quoniam hæretici dicunt illos hoc induxiſſe in eccleſiam: legantur eorum de hac re Epiſtolæ: Siricij quidem epiſtola ad Himerium, Tarraconenſem Epiſcopum: vbi ſatis oſtendit, ſe nō nouum aliquid ſtatuere, ſed tantum quæ per abuſum introducta fuerant reſecare. Innocentius etiam in epiſtola præcipuè ad Exuperium Tholoſanum epiſcopum, vbi Siricij auctoritatem referēs, & rationes illas quas ſupra adduximus ex veteris legis ſacerdotibus, & puritate neceſſaria in miniſterijs eccleſiæ, efficaciſsimè proponens, oſtēdit ſe magis curaſſe, vt hæc, quæ negligentia quorundam lapſa erant, reſtaurarentur, quàm de nouo aliqua ſtatuiſſe. Sunt etiam in eadem epiſtola Siricij damnata matrimonia monachorum poſt profeſsionem &c. Itaq; ex his omnibus & cœlibatus legem eccleſiæ miniſtris impoſitam, & votum caſtitatis monachorum manifeſtè cōuincitur ab ipſis fuiſſe Apoſtolis, & ſemper in eccleſia omnium patrum conſenſu probata. Quid igitur opus eſt ſtultiſsima audire, & certe fallaciſsima hæreticorum verba, legem hanc tyrannicā eſſe, & ab antichriſto inſtitutam, & multa alia clamantium? Si quid tamen, quod mouere aliquem poſſet, adferant: ſequenti lectione eſt certis etiam patrum auctoritatib. diſſoluendum.

LECTIO

LECTIO SEPTIMA.

De rationibus hæreticorum contra hæc dissoluendis.

MVLTA Ecclesiæ aduersarij contra hæc omnia garriunt, & re & verbis contradicentes legi cœlibatus ministrorum Ecclesiæ, ac voto solẽni castitatis: sequẽtes in hoc Vuicleph & Bohemos hæreticos, & ab illis etiam plurima eorum quæ referunt, mutuantes: quanquam (vt in his semper contingit) moderni inuerecundius de his omnibus loquantur. Constat in primis omnes hos noui Euangelij ministros & antesignanos, abiectis votis religionis & sacrorum ordinum, non semel, sed frequentius etiam contraxisse (vt populo persuadeant) matrimonium. Itaque à Iouiniano & Vigilantio vsque ad nos, persecutio hæc contra sanctissimum cœlibatum ita à satana aucta est, vt posteriores semper præcedentibus erroribus aliquid addiderint. Primi illi æquabant nuptias cœlibatui, Vuiclephistæ legem cœlibatus & voti castitatis tyrannicam & temerariam dicebant: in vtrisque tamen fuerunt multi cœlibatum seruantes. Nostri iam, omnibus certè illis consentientes (nam nec à Iouiniano longè absunt re ipsa, vt videbimus) addunt etiam & exemplo suo ad nuptias omnes astrictos cœlibatui trahentes, asserunt hoc esse conducibile, & ab ipso spiritu sancto ostensum conuenire Ecclesiæ ministris. Vt igitur capita obiectionum contra cœlibatum habeamus, & illis responderi possit: tria sunt quæ contra hunc adferunt.

Noui hæretici antiquis peiores sunt.

Primum est contra legem cœlibatus. Dicunt enim eam esse tyrannicam, qua onus tam graue vltra legem ipsam Dei, & vltra ecclesiæ antiquæ exempla, à, nescio quibus põtificibus, impositum est. Nonnulli dicunt à Siricio & Innocentio. Addunt etiam Butzerus & Caluinus (vt maiorem inuidiam cõflent & ex nouitate, & ex persona ipsa pontificis) à Gregorio 7. impositum esse Germanis, idq; magna totius germanicæ ecclesiæ perturbatione, ex historico quodam Sigiberto id probantes. Vixit Gregorius 7. circa 1060. annũ, Henrico quarto imperatori contemporaneus, & propter contentiones summas cum eo habitas, mirè traductus ab historicis germanis, & effectus odiosus omnibus præcipuè

Quæ opponãt aduersarij cõtra legem cœlibatus.

præcipuè hæreticis. Huic itaque tribuunt legem cœlibatus in Germania quam & Antichristi dicunt, sicut Bohemi dixerunt post 1000 annos factam, post quos inquiunt soluendū fuisse satanam, vt in Apocalypsi scriptum est: cum tamen Siricius & Innocentius ante completos 500. annos post Christum vixerint. Igitur ad tyrannidem istam probandam, multa primò adducunt ex Paulo ad Corinthios, de necessitate (vt illi inquiunt) coniugij, quod certè remediū esse pluribus, immo omnibus ferè necessarium (cum paucorum sit donum perfectę continentiæ) docet. Laudat (fatentur illi) Paulus cœlibatum, sed ostendit conue-
1.Cor.7. nientissimū remedium, matrimonium. In principio enim huius sermonis inquit: Bonum est viro mulierem non tāgere: sed statim subiungit: Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat. Et rursum, cùm dixisset: Volo omnes esse sicut meipsum: statim addit: Sed vnusquisque propriū donum habet. Vbi quid aliud (inquiunt) significat, quàm eos qui hoc donum non habent, quod habuit Paulus, oportere vxoribus iungi? Et tandem postea: Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant: Sed statim addit: Quòd si se non cōtinent, nubant. Et illud: Melius est nubere, quàm vri. Ex quibus omnibus clamant: cùm Paulus nulli audeat imponere cœlibatū, quomodo audent alij? Immo, cum omnibus qui se non continent, præcipiat vt nubant, hoc vnicum remedium (inquiunt) ostendit esse ijs qui vtuntur, hoc est (vt illi exponūt) qui stimulis & tentationibus carnis exagitantur. Non (inquit Butzerus) Paulus docet, cōfugiendum esse ad orationes, ad mortificationem carnis &c. sed vnicum hoc remediū proponit omnibus. Quæ verba possent sufficere habenti liberum ab omni affectu iudicium, vt, quàm meritò detestādus sit, qui hæc ausus est dicere, cognoscatur. Non dixit Paulus confugiendū esse ad orationes & mortificationes carnis? Quid ergo est illud: Castigo corpus meum? Et rursus: In omnibus exhibeamus nos, sicut Dei ministros, in ieiunijs multis, in laboribus, in vigilijs, in spiritu sancto? Et rursum: Orationi instate? Quis audet itaque illud dicere, nisi planè epicureus? Et quod rursum ait: vnicum hoc remedium proponit omnibus, matrimonium scilicet: quid etiam apertius falsum dici potuit? Volo (inquit) omnes esse sicut meipsum. Nulli hoc remedium proponit Paulus, nisi nolenti continere: quod ostende-
1.Tim.5. mus postea esse vri, ex sensu Patrū. Audent verò etiam asserere, præceptū esse Pauli. Quod & cōfirmant ex his quæ ad Timoth. scribit: Volo (ait) iuniores (de viduis loquens) nubere, filios pro-

creare,

ereare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia: iam enim quædam conuersæ sunt retrò post satanam. Ecce (inquiunt) Paulus vult iuniores, absque exceptione quidem vlla, nubere: & ostendit illud expedire, saltem pluribus. Quomodo igitur imponitur omnibus ministris ecclesiæ continentiæ onus? Confirmant hoc rursus verbis Pauli, quæ de ordinãdis Episcopis & diaconibus dicit: Oportet (ait) Episcopũ irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum. Et iterum ibidem de diaconibus: Sint vnius vxoris viri, qui suis filijs bene præsint & suis domibus. Et iterum, quando Tito de constituendis per ciuitates presbyteris loquitur: Sicut ego (inquit) disposui tibi: si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Ecce (inquiunt) spiritum sanctum de Episcopis & alijs ministris tam diligenter per os Pauli docentem, matrimonium inter familiares virtutes & germanas quodammodo ministrorum ecclesiæ ponentem: Filios (inquit) habentem subditos: Et, si quis domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Vbi quid aliud ostenditur, quàm in matrimonio præparari quodammodo ministros, & specimen sui quoddam ad gubernandam ecclesiam præbere? Nonne hæc conuenientia sunt? Meritò igitur (inquiunt) spiritus sanctus ministros ecclesiæ maritos quærit, non cœlibes: maritos esse præcipit, non virgines: quod multo certè est absurdius, quàm vt posim credere eos, cum hoc dicerent, considerasse: sed apparet ex feruore disputationis & amore propriæ sententiæ profectum. Quid est spiritũ sanctum nolle virgines, sed maritos? Et tamen ex huiusmodi premissis clamãt: qua ergo temeritate hoc imponitur? Quòd si respõdeamus, nulli hoc imponi, sed tantum ecclesiam nullum ad ministeria sua velle recipere, nisi cui placuerit virginitas & cœlibatus: itaque nemini imponi vt cœlebs viuat, sed solum ordinari quibus hoc placet, & quib. hoc cordi est: quod cur ecclesiæ non liceat, cum in domo propria cuiuis licitum sit, quas sibi placuerit exigere à suis ministris cõditiones? Clamant illi, iniquum esse Ecclesiam priuari multis futuris illi vtilibus ministris exactione conditionis, quam spiritus sanctus nõ exegit. Multi nõ possunt hoc præstare, multis nõ placet, qui & pietate, doctrina & diligẽtia: multa præstare possent Ecclesiæ: quibus omnibus propter hanc legem priuatur: immo ita fit etiam, vt repleatur inutilioribus ministris hac occasione. Cùm enim ministris carere non possit, necesse habet ordinare ministros, & suscipere quoscunque, qui cœlibatum se Cap. 5.

batui se addicunt, carent tamen alijs multò vtilioribus & magis necessarijs vel doctrinæ, vel pietatis, vel diligentiæ donis. Denique vt hæc tyrānis ostendatur clarius, videamus (inquiunt) fructus huius legis, hoc est, quæ vtilitas eam secuta sit in Ecclesia. Ex ea magis impleta est Ecclesia libidinibus, & omni spurcitia: dum videlicet quidquid ad hoc pertinet, permittitur ministris, præter solum sanctum matrimonij. Quæ igitur lex est, aut quæ disciplina, tot permittere fornicationes & adulteria, & solùm punire matrimonium? Si casti essent ministri, sustinendi essent & laudandi: modò constat eos non esse castos: quid igitur, dum lex illa tenetur, aliud fit, quàm vt multorum peccatorum occasio detur? Vltimò denique & illud Pauli, quod Timotheo scribit de nouissimorum temporum erroribus, huic legi conuenire asserunt: Discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hyprocrisi loquentes mendacium, & cauteriatam habentes conscientiam. Ecce quanta periculosissima mala dicat Paulus? Caussa verò & finis omnium illorum, quæ sit, statim ostenditur: Prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarū actione fidelibus, & his qui cognouerunt veritatem. Patet igitur (inquiunt) quales sint duæ istæ leges: cœlibatus, qua prohibetur matrimonium, & delectus ciborum. Nec satis fieri sibi vlla ratione volunt, si dicamus illa contra Tatianos, Manichæos, & alios hæreticos antiquos dicta esse: quasi (inquiunt) non ideo de alijs intelligi possit quod Apostolus dixit, quia de illis etiam accipitur. Nec rursum eò quòd dicimus, lege hac cœlibatus non omnibus prohiberi nuptias, sed vouentibus tantum: contenti esse volunt: hoc est enim (aiunt) ac si quis diceret, legem aliquam non iniquam esse aut tyrannicam, quia non totam ciuitatem, sed partem eius opprimat. Hæc igitur priora sunt, quæ contra legem cœlibatus adferunt.

1. Tim. 4.

Priusquam verò duo reliqua capita argumentorum contra vota castitatis adferamus, respondendum huic priori est, ne diutius quenquam teneamus in consideratione fallacium quidem, sed nonnunquam apparentium argumentorum, eorum qui sensum proprium sequuntur.

Primò igitur, vt his & ceteris omnibus respondeatur rationibus: illud firmiter statuendū est, verum scripturæ sensum, & diuinæ voluntatis agnitionem nō proprio sensu, nō humanis rationibus quærendum esse aut inueniri posse, sed ex cōsensu Ecclesiæ, ex his videlicet, quę semper in Ecclesia obseruata sunt, & quæ ha-

quæ habet consensus patrum ac doctorũ illorum, qui in ea probati sunt. Extat de hoc Clementis (aut si fortè alterius est) grauissima certe sententia, quam Gratianus retulit. Obseruandum (inquit) diligenter, vel lex Dei cùm legitur, non secundũ propriam ingenij virtutem vel intelligentiã legatur, vel doceatur: sunt enim multa verba in scripturis diuinis, quę possunt trahi ad eum sensum, quem sibi quisque præsumpsit sponte (& post nonnulla in hanc sententiam dicta) atque ideo oportet (ait) ab eo discere scientiam scripturarum, qui eam à maioribus secundũ veritatem sibi traditam seruat, vt & ipse possit eam quã rectè susceperit, cõpetenter asserere. Hoc quando cum hæreticis agitur, est semper præ oculis habendum: quod in hac caussa ideo diximus, quia mirũ est quanta excogitant in expositionem 7. illius cap. 1. ad Corinthios, & reliquorũ locorum, quæ ex Paulo adduximus: mirum est, quomodo torqueant & ad se trahãt: & omnia quidem hæc ingenio ac ratiocinatione humana: quibus, si nunc diutius insistendum esset, facile etiam est, præcedente attenta meditatione, eadem via humani ingenij respondere. Sed absit hoc, vt cum hæreticis de verbis & sensu scripturæ disputemus contra admonitionem illam grauissimam Irenęi & Tertulliani, non esse hæreticos admittendos ad disputationes & argumenta ex scripturæ verbis, quæ illi semper deprauarunt. Rebus agendum est potius (quod & à principio tractatus huius admonuimus) exemplis scilicet, obseruantia, & consuetudine Ecclesiæ: præcipuè verò cùm de moribus agimus: qui videri possunt, & manifesti fuerunt semper in Ecclesia. Nam quamdiu aliud agimus, quid aliud est, quàm pro verbis verba reddere? Sequamur igitur patrum sensum & ecclesię cõsuetudinem, quæ est columna & firmamentum veritatis: alia omnia hominum commenta sunt. Vbi nõ quod aut Hierony. aut Augustin. singulariter dicit, proponimus sequendum: sed id, in quo omnibus cõuenit, quod habet tota ecclesia, & totus ille chorus doctorum. Et certè vel vnus illorum meritò omnibus Lutheranis præponendus est. Nunc autem omnium illorum (qui idem est & Ecclesiæ) consensum nobis proponimus, fundamentum & scutum aduersus omnes hęreses. Quòd igitur cœlibatũ impositum esse tyrannicè ministris Ecclesiæ dicũt: impudentissimum mendacium est. Primò enim probauim⁹, à spiritu sancto sensim persuasum esse cordibus syncerorum ministrorũ ecclesiæ, adiuuantibus exemplis Apostolorum discipulorum ipsorum, & probatissimorum omnium põtificum. Hoc igitur statutum magis receptum consensu

Epist. 5. Clementis dist. 37. ca. relato. *Grauissima sententia scitu & obseruatu summopere necessaria.* *Ex scriptura cum hæreticis non est disputandum.* *Respondetur aduersariorũ argumentis.*

sensu omnium, idque ab ipso primo Ecclesiæ ortu: & confirmatum potius voluntate & voto ipsorum ministrorum, quàm impositum ab aliquo, dici debet. Statutũ (inquam) hoc cœlibatus, si non quale nunc est in ecclesia, vt scilicet nullus maritus ordinetur, nisi promissa castitate, & separatus à consortio vxoris: saltem vt postea non contrahat. Quod ex ipsis antiquissimis concilijs euidenter probauimus. Et quanquam illius rei testimonia sint & in epistolis Clemen. & in canonibus Apostolorum: quia tamen de illorum auctoritate nonnihil est dubij, ea omisimus. Quid verò opus est rem tam apertam aliter confirmare? Cõstat ante 500. annos impletos à Christo, Latinos omnes & Græcos patres cœlibatum hunc ministrorum ecclesię, tanquam receptũ, & certissimum, ac sanctissimum, nõ tam confirmasse, quàm antiquitus obseruatũ dixisse, & ad alia etiam probanda adduxisse: de quibus superius mentionem fecimus. Ex latinis Hiero. contra Iouinianum: nisi quòd nonnunquam prima facie videatur nonnihil detrahere nuptijs: sed Augustinus hac in re, in libris quos superius citauimus, ipsum temperauit, medium inter nuptias & virginitatem tenens. Addamus tamen nunc huic proposito cõuenientissimum locum, & contra sequentes hęreticorum rationes efficacissimum. Secundo igitur de Adulterinis cõiugijs lib. in fine, cùm ad cõtinentiam exhortatur eos, qui adulteras vxores recipere nolunt: solemus eis (inquit) proponere etiam continentiam clericorum, qui plerunque ad sacerdotium inuiti rapiuntur, eamque susceptam vsque ad finem, domino adiuuante, producunt. Vbi vide primò tam receptum iam cœlibatũ, & tam iustè exactum à ministris ecclesiæ, vt Augustinus nec murmurauerit, nec conquestus sit, immo nec memor fuerit vllius, qui de hoc conqueretur: adeo vt nec curauerit responsionem illam, quam multi nõ irrationabiliter adferunt aduersus hanc calumniam: quòd scilicet nulli imponatur cœlibatus, sed voluntariè susciptatur ab his qui ordinantur: cum in eorum potestate sit nõ ordinari. Sufficere certè posset hoc: sed tam longè putauit Augustinus legem istam à tyrannide abesse: immo idem putabant omnes: vt etiam qui inuiti cogebantur ad susciptenda ministeria ecclesiastica, deberent etiam cœlibatum susciptere: nec vllus fuit, qui exciperet se non consensisse. Ambrosius fuit vnus ex his, quos Augustinus, dicit, raptus & coactus à plebe subitò (nõdum etiam baptizatus) ad episcopatũ: qui etiam & seruauit hanc legem, & illi perhibet testimonium: vt habemus interim tres hos ex latinis fidelissimos testes, quorum alterum inferius citabimus.

Cap. 19. & 20.

Olim etiã inuiti ad sacerdotium rapti, cœlibem vitam agebant.

binius. Sed & Cyprianus in lib. de singularitate clericorũ, quàm apertè perhibet de hoc testimoniũ? Ex Græcis Chrysostomus & Athanasius in ijs ipsis locis Pauli citatis, de hoc apertè loquũtur. Et in his omnibus nullus suã adfert sententiã aut suũ proprium sensum, sed totius Ecclesiæ certam consuetudinem. Nõne igitur mendacium est, quòd Siricius & Innocentius cælibatum imposuerunt ministris? Contemporanei illi fuerunt aut vicini his omnibus patribus, longè post Concilia illa Anciranum & Neocæsarienſe &c. Et quod de Gregorio 7. dicitur, quàm est apertum mendacium? Sigibertum non vidi: ceterùm Naucle-rus, Germanus etiam, in illius vita narrat quidem curasse Gregorium, vt in Germania seruaretur lex illa, & sacerdotes castè viuerent: atque Moguntiæ de hac re non fuisse minimam ipsorum rebellionem contra pontificem. Sed hoc illum de nouo imposuisse Germanis, quis, nisi inuerecundè mendax, potest dicere? Rabanus Maurus Moguntinensis Archiepiscopus (longe ante Gregorium, tempore Ludouici & Pij, filiorum Caroli magni) scripsit librum de institutione clericorum: in eo aperta est mentio cælibatus, tanquam rei certæ & receptæ. Et similiter in alijs antiquioribus Germanię historijs. Verum est, fuisse frequẽter magnos lapsus ex diuturna negligentia (qualis etiam est quam hodie cernimus) hos curárunt nonnunquam pontifices emendari: & de hac re potuit esse rebellio illa contra Gregorium: non quòd ille de nouo hoc conaretur imponere. Adeo verò hæc omnia vera sunt, vt vix credam eos, qui hæc scribunt, si quidem ea legerunt & historias antiquitatis ecclesiæ, ita credidisse, vt scribunt. Sed voluerunt magis illa ignorantibus & simplicioribus persuadere: sicut Augustinus dicit de his, qui infortunia omnia illius temporis, & vrbis Romæ deuastationem tribuebant fidei Christi. Sufficiant ergo hæc, vt ab omni tyrannide tam sanctum institutum Ecclesiæ defendatur.

Greg. 7. nõ imposuit germanis cælibatum.

Iam ad cetera facile est respondere. Omnia illa quę ex Paulo citant, constat aliter omnino à patribus accipi. Nam primum illud quod ex Epistola ad Corinthios adferunt, patres omnes apertè ita intellexerunt, vt Paulus suadeat omnibus cælibatum, tanquã rem meliorem, maioris meriti, & ad vacandum Deo cõmodiorem, quàm matrimonium. Pro quolibet verbo quod ipsi adferunt, & quo videtur Paulus matrimonium commendare, sunt plura alia, quibus probemus cęlibatum commendari. Itaq; (vt omittamus Hieronymum libro primo contra Iouinianum)

Chryſoſtomus & Athanaſius Græci: Ambroſius & ceteri, magis ſentiunt Apoſtolum eo loco, cùm cælibatum & virginitatē omnibus commendaret & ſuaderet, cauiſſe, ne infirmos, qui ad tantam perfectionem aſcendere nō valerent, aut contriſtaret, aut cōfunderet, aut certè neceſsitate quadam traheret inuitos.

4. Cor. 9. Quod in minoribus diligenter cauit, admonens ipſos Corinthios, vt in eleemoſyna conferēda vnuſquiſque, prout deſtinauit in corde ſuo, ageret: non ex triſtitia aut ex neceſsitate. Multo igitur magis hoc obſeruandum fuerat in perpetua ſuſcipienda continentia. Propter hoc igitur inquit: Non vt laqueum vobis injiciam, ſed vt ad id quod melius eſt &c. Et rurſum: Præceptum Domini non habeo, cōſilium autem do. Quo vnico verbo omnes eorum fallaciæ excludūtur. Abſit igitur, vt dicamus Paulum alicui præcipere, vt contrahat matrimonium, aut aliquē deterrere à cælibatu: quod audent illi inuerecundè dicere, & (nā aliter id dici non debet) mendaciter. Conditionaliter Apoſtolus loquens: Si ſe non continent, inquit, nubāt: hoc eſt, ſi nolūt continere. Itaque nolenti continere hoc præcipit, ſed non præcipit vt nolit. Et huc pertinet illud: Melius eſt nubere quàm vri: & illud: Propter fornicationem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat. Non ſunt hæc præcepta, ipſo Apoſtolo teſte: Hoc autem dico (inquit) non ſecundum imperium, ſed ſecundum indulgentiam. Quod verbum etiam Bucerus, dum diligentiſsimè diſcutit cōtra Latomum hoc caput Pauli, immo (vt verum dicamus) dum fallaciſsimè peruertit, omittit: quod videlicet nō haberet quid fallaciter reſpōdere poſſet. Deniq; quàm aperta ſunt verba illa: Qui matrimonio iungit virginem ſuam, benè facit: qui non iungit melius facit? Illud verò quod de adoleſcentioribus viduis dicit: Volo eas nubere: in eūdem ſenſum Chryſoſtomus apertè interpretatur. Nō putes (ait) ipſum ad delicias eas adhortari: ſed volo (inquit) quia ipſæ volunt: longè enim præſtat hęc facere (de procreatione filiorum loquens) quàm illa: de quibus ſcilicet antea dixerat, quòd conuerſæ fuerant poſt ſatanā. Hæc Chryſoſt. Et in eandem ſententiam Athanaſius, ſiue Vulgarius (cui alij tribuunt illam expoſitionem) & Ambroſius. Et hoc quidem quaſi rem certā & ſenſum Eccleſiæ aſſerentes. Reliqua etiam, quæ de epiſcopis & diaconibus vnius vxoris loquitur Apoſtolus: quanquam hæretici opponant nobis, græcos aliter quàm latinos intelleziſſe: tamen conformiter à græcis & latinis intelligitur, nullo modo illud præceptum eſſe, ſed permiſſionem illis temporibus neceſſariam: quando videlicet non poterant

terant alij fieri ministri ecclesiæ, quàm qui ex gentibus conuertebantur. Cæterùm Ambrosius apertè inquit, maritos quidem Paulum admittere, sed qui deinceps se ab vsu fœminæ cohiberent adducens eo loco illa, quæ superius diximus de sacerdotibus veteris legis, & puritate necessaria ad vacandum orationi, & sacramentis administrandis. Chrysost. & Theophyl. eodem modo sentiunt: nō quidem de abstinētia ab vxoribus, sed quòd illa permissio sit, nō præceptum: vel etiam, quòd significet Paulus eum recipiendum ad ministeria ecclesiæ, qui prius non plures habuerit vxores, qui non fuerit bigamus. Hanc expositionē Græci non reijciunt, sed potius eam, sicut antiqui omnes, ita & tota ecclesia latina intellexit. Et pulchrū est videre, quàm Bucerus sibi applaudat, & quàm inuerecunde suam incontinentiā defendat, qui nō potuit post fidem professionis monasticę vna contentus esse: sed secundò, & tertiò (puto) contraxit: Sic itaq; ait. Qui vna vxore mortua, alteram ducit: nunquam dici potest plurium vxorum vir. Cùm enim primam habuit, non fuit nisi vnius vxoris vir: cùm secundam, similiter: semper ergo vnius vxoris vir. Elegans certè sophisma: heri semel comedi, nudiustertius semel, ergo nunquam bis comedi. Ita igitur bene argumentatur: quia nullo determinato ac eodem tempore habuit duas, sed vnam post alterā: igitur non potest dici habuisse duas: quo nihil magis sophistice dici posse video. Ita igitur nostri noui euangelici non sophisticis rationibus, sed manifestissimis & solidissimis exponunt scripturam: & ita audent reijcere omnium patrum sensum. Id verò quod ex alio loco Pauli adferunt, de his qui prohibent nubere & abstinere à cibis: quidquid ipsi proterue & absque ratione dicāt: ex ipso cōtextu Apostoli manifestè cōstat intelligi de his, qui hæc tanquā mala reijciunt & abominātur. Ita enim Paulus statim cōtradicens illis, inquit: Quos Deus creauit ad percipiendū cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognoscunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione suscipitur. Hunc sensum tota antiqua Ecclesia tenuit cōtra Manichæos: & Cōcilium Gangrense (cuius superius meminimus) Nicæno proximum, ita explicauit, damnans eos qui hęc abominantur, probans verò eos, qui ab his propter melius bonum, vt magis Deo placeant, abstinent. Non est opus alia expositione, quam illius concilij. Et (quod etiam superius diximus) qui hæc tanquam mala abominantur, prohibent ea omnibus. Nos hoc non agimus, sed ministris Ecclesiæ docemus cōuenire, & illis,

postquã se ad id voluntariè obligant, illicitas esse nuptias. Itaq; non ad nos, sed ad hæreticos illos referenda sunt Pauli verba. Denique quòd legem istam caussam fuisse libidinum, & per eam Ecclesiam priuari dicunt multis bonis ministris, negamus. Abusus illius legis, omissio ecclesiasticę disciplinæ & seueritatis, malitia subditorum, prælatorum negligentia, tantorum malorum (quæ non negamus, sed deflemus in ecclesia, caussa sunt, non lex illa. Et certè si eadem negligentia gubernaretur ecclesia, & tanta esset indulgentia, non dubitamus plura mala ex matrimonio permisso ministris futura in ecclesia, quàm ex cælibatu. Deberent (inquiunt) tunc grauius puniri, vt apud græcos. Cur non & nunc grauius puniuntur? Sed non licet nobis in nostris angulis non solùm definire, sed nec monere quidem aut scribere, an legem hanc expediat mutari, an non. Si tamen in Concilio post deuotam spiritus sancti inuocationem, summa diligentia & pietate hoc quæreretur: liceret pijs & doctis sensum suum sine inuidia & cõtentione referre. Nec inter catholicos vnquam vidimus aliquos, qui cuperent prodesse Ecclesię, propter matrimonium prohibitos esse. Non desunt multa, in quibus mariti etiam ecclesiæ conferre possunt. Nec inepti & inutiles admittuntur, misi ex magna certè & deploranda culpa. Nihil igitur mali tribuatur huic legi, sed peccatis nostris: quæ vtinam det Dominus in Ecclesia emendari, vt quærant omnes ea quæ Christi sunt, non quæ sua. Hoc putamus vnicum remedium esse, & veram responsionem aduersus omnes hæreticorum calumnias.

LECTIO OCTAVA.

De reliquis duobus capitibus rationum hæreticorum.

CONTRA votum igitur castitatis perpetuæ in vniuersum, maximè verò solène, (quod, vt diximus, fit professione in religione probata, vel susceptione sacri ordinis) mirũ est quanta hæretici tela iaciant. Sed (quantum nos capimus) omnia ad duo reducuntur capita. Primùm enim arguunt hoc votum superstitionis, quòd scilicet in cultum Dei assumamus aliquid fine verbo. Certum est enim apud eos (vt frequenter alibi diximus)

mus)omnem cultum qui in scriptura sacra expressus non est,& qui à Deo non exigitur,superstitiosum esse,& pertinere ad doctrinas & mãdata hominum: quibus per Isaiam prohibet Deus se coli:dicente etiam Christo in Euangelio: Sine causſa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Docete igitur (aiunt nobis hæretici)vbi in scriptura sacra Deus ostendat,velle se coli voto virginitatis aut castitatis. Non (aiunt) negamus virginitatem & castitatem bonas esse & Deo gratas: sed quòd cultus Dei sint, quòd Deus velit illis coli, hoc nusquam legitur. Sint itaque bonæ vel ad carnis mortificationem, vel ad libertatem animi: vt scilicet expeditior sit ad vacandum spiritualibus:nõ tamen propterea cultus Dei sunt. Quo solo nomine putant illi damnanda esse & ieiunia ecclesiæ, & vota etiam monastica, quanquam aliàs licita: sed quatenus ordinantur ad cultum Dei sine eius expresso verbo,fiunt(inquiunt) illicita & reuera blasphemiæ quædam ac idololatriæ: his enim proxima est superstitio, quæ excessus est in Dei cultu: cùm videlicet ea quæ ille præscribit,excedimus. Quis (inquiunt) potest nobis præscribere, quomodo colendus sit Deus, & quid ipsi placeat, nisi ipse Deus? Itaque in hunc sensum multa congerunt, quæ (quod attinet ad hunc articulum) hoc solùm continent, quòd in scriptura sacra non inueniatur,Deum talia vota exigere. Addunt etiam aliam grauiorem blasphemiam,nos hic mittere, vt dicamus hæc esse supererogationis bona: ad quæ videlicet à Deo non obligamur: quasi possimus homines plura præstare & maiora,quàm ipse à nobis requirat:cùm nullus sit,etiam sanctorum,qui perfectè eius impleat præcepta, dum in multis offendimus omnes,vt Iacobus inquit: & Iohannes, si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Est igitur superbissima blasphemia, dicere quòd plura præstemus Deo, quàm debeamus.Hoc enim,qui hæc promittunt,dicunt: Quia etiam intẽtione opus ipsum alioquin bonum, blasphemum fit: igitur non tãtùm superstitiosa,sed blasphema quoque sunt hæc vota.Hæc itaque de primo isto capite.

Esaiæ 28. *Matth. 15.* *Iacob. 2.* *1.Ioan.1.*

Secundum caput argumentationum aduersæ partis maximè est ex difficultate continentiam seruandi, & raritate illam integrè custodientium:quibus conantur probare, temerariè emitti perpetuum castitatis votum.Primò ad hoc vtuntur verbis Pauli,qui cùm dixisset:Volo omnes esse sicut meipsum: statim addidit:Sed vnusquisque proprium donũ habet à Deo, alius quidem sic,alius verò sic.Vbi duo sunt consideranda,inquiũt. Pri-

1.Cor.7.

mò, in matrimonio continentiã esse, & eam Dei donum. Quod verissimum est, & Augustinus ex eo ipso loco ita probauit in lib. de nupt. & concupiscentia. Secundò, quòd his verbis Paulus ostendit non esse promittendam: immo nec assumendam virginitatem ab eo, qui id donum à Deo nõ habet: & paucos esse qui habeãt, plures qui non habeant. Propter quod statim addit. Quòd si non se continent, nubant. melius est enim nubere, quàm vri.

1. Tim. 5. Quod etiam apertius, Timotheo scribens, docet: de quo suprà diximus. Iubet enim aperte adolescentiores viduas nubere, & generationi operam dare. Hoc ipsum etiam Christus Dominus manifestè in euangelio docet, cùm de eunuchis, qui se propter

Matth. 19. regnum Dei castrauerunt, loquens, addit: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Nam cùm Apostoli quæsissent, dicentes: Si sic est, melius est nõ nubere: non confirmauit Christus hoc absolutè: sed dixit, non omnes capiunt verbũ istud: sed qui potest capere, capiat. Cùm igitur sine dono Dei nullus hoc capere possit: notum est eum qui sine illo ad hoc se astringit & deouet, ad impossibile se adstrinxisse. Igitur temerarium iudicandum est, hoc promittere eos, qui nõ agnouerunt se donum habere. Quis (inquiunt) reuelauit his, qui ita se obligant, eos donum hoc habere? maximè cùm frequenter videamus adolescẽtulos, antequam potuerint stimulos carnis sentire, siue experiri difficultatem horum certaminum, in hæc se præcipitare vota. Addunt etiam, ex ipsa Pauli doctrina ostendi, eos qui vruntur, hoc dono carere: Qui se nõ continent (inquit) nubant, melius est enim nubere, quàm vri. Si iubet eos qui se nõ continent, nubere: sentit eos non habere donum: & hoc ipsum dicit vri, quod interpretãtur esse, stimulis carnis inquietari, & superari. Et postea eos qui labuntur (inquiunt) mittitis ad orationem, vt petant à Deo continentiam. Quid verò, si Deus hoc donum illis non contulit? aut non ad hoc eos vocauit in ecclesia, vt essent cælibes: sed vt ei in cõiugio seruirent: quid aliud erit hoc casu donum cælibatus petere, quàm Dei vocationi & ordinationi resistere? Cùm itaque orãtibus promissa sint necessaria ad salutem: iuxta diuinam ordinationem petenti à Deo auxilium aduersus stimulos carnis (petenti inquam fideliter, & vt oportet) dabitur (credendum est) castitas vel coniugalis, vel cælibatus: quælibet enim harum ad salutem sufficiens est: cælibatus verò castitatem petere, non est aliud quàm tentare Deum, & determinatè petere quod non nisi disiunctiuè petendum esset. Itaque ex his omnibus inferunt, temerarium esse hoc votũ per-

perpetuæ castitatis, atque ita non emittendum : aut si emissum fuerit, rescindendum ab his qui vruntur, hoc est, qui sentiunt se inquietari stimulis libidinis, nec releuari oratione: quia videlicet sic fecit Lutherus, primus eorum antesignanus: sic Bucerus, & multi alij. Vt verò causam exaggerent, addunt traducere mores omnium monasteriorum, quam præposterè in eis agatur, quantum ocium, quanta insciția, quomodo etiam multi victus maximè quærendi causa illa ingrediantur: ne plura (inquiunt) addamus. Confirmant præterea hac antiquitatis auctoritate. Olim (inquiunt) non erant hæc monastica vota: liberum erat relinquere: quod ab Erasmo etiam mutuantur: de quo & Cyprianum citant in epistola exhortatoria ad virgines, qui eis quæ continere aut non possunt, aut non volunt, permittit vt cõ trahant, ne fornicentur: quod aiunt etiam satis in ipsa antiquitate ostendi: redijsse videlicet ex monasterijs ad sæcularem vitã, & ad matrimonialem quoque nonnullos: nec tamen talia matrimonia fuisse rescissa ab ecclesia. Et in hanc tandem sententiam multa alia: sed hanc putamus summam esse eorum quæ adferunt: in quibus certè, quanto plura retulerimus & legerimus, tanto plures offendemus errores. Iam igitur his breuiter respondendum est ex ipso cõsensu patrum & ecclesiæ, vt in his diximus agendum esse. *Lib. 1. epist. 11.*

Primum igitur illud caput de superstitione & blasphemia, quam in hoc voto dicunt cõmitti, quid aliud cõtinet, quam veras certè blasphemias & sacrilega verba? Contra quæ hoc primò opponendum, quòd sacra scriptura virginitatem, vt Deo gratam commendat & laudat, & ad ipsam Deo vouendam ac offerendam hortatur: & hoc habet totius ecclesiæ ab Apostolis ad nos vsque consensus: cuius (ne temerè dicere videamur) sufficient nobis vel pauci, ex probatissimis patribus græcis & latinis, testes. Græci primò (quoniam illorum nobis obijciunt auctoritatẽ) sunt Chrysostom⁹, Basilius, Theophylactus & Oecumenius. Hi omnes de voto castitatis, tanquam de re certa, neq; controuersia in ecclesia, loquuntur: & alij etiam horum ad eã exhortantur omnes: respõdentes quoque his ipsis aduersariorũ obiectionibus, quas retulimus. Chrysostomus & Athanasius in illũ locum Pauli, vbi de viduis agit: Habentes damnationẽ quod primam fidem irritam fecerũt: fidem apertè interpretãtur pactum & fœdera, quibus Christo se deuouerunt. Eodem etiam modo Theophylactus & Oecumenius. Citabimus verò hos ipsos inferius quoque, cùm opus fuerit. Basilius verò in *Antiquissima testimonia de voto continentiæ.* *1. Tim. 5.*

C.4.8. regula monachorum (quam transtulit Ruffinus) interrogatus ex qua ætate oporteat nos ipsos Deo offerre vel virginitatis professionem: respondet, à pueritia quidem expedire vt dedicentur Deo: sed firma (inquit) erit professio virginitatis, ex quo adulta iam ætas esse cæperit, & ea quæ solet nuptijs apta reputari. Vide votum virginitatis: vide ætatem conuenientem illi voto: vide vtrumque certum & receptū. Latini verò patres sint nobis Hieronymus, Augustinus, & Ambrosius, eiusdem sæculi, & antiquissimi. Hieronymus innumera habet de hac re. Sufficiat ex libro primo aduersus Iouinianum hoc testimoniū. Exponens illud Pauli: Si nupserit virgo, non peccat: nō (inquit) illa virgo quæ semet Dei cultui dedicauit: harum enim, si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Vide itaque & hîc votum virginitatis, & id custodiendi obligationem, & vtrunque esse traditum in scriptura: vbi & de consecratione virginum loquitur. Ambrosius verò quàm multa scripsit de virginitate? Tres libros primò, deinde exhortationem ad virgines, tum demùm de institutione virginum: cuius vltimi libri argumentum est de quadam virgine, quam Deo sacrauit. In vltimo igitur capite illius libri (vt cetera omittamus) illam offerens Deo, ita de ipsa inquit: Quæ tibi seruire, tibi animā suam, tibi integritatis suę studiū dicare præsumpsit. Vbi multa in hanc sententiā. Orat enim deuotissimè in illius libri cōclusione pro ea, quā Deo se consecrare testatur. Augustini vnius non possemus omnia ex solo libro de sancta virginitate referre admiranda huius rei testimonia: legatur igitur ille liber. Primò

C.4.4. beatam virginem dicit voto castitatis se deouisse, & probat: Ipsa quoque (inquiens virginitas eius gratior & acceptior Christo, qui priusquam conciperetur, eam iam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum, annunciāte angelo, Maria reddidit: Quomodo fiet istud, quoniā virū

C.4.8. non cognosco? Quod profectò nō diceret, nisi Deo virginem se ante vouisset. Et ibidem hoc exemplum proponens omnibus, ita inquit, de virginitate carnis loquēs. Nec enim ipsa, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur: quæ licet in carne seruetur, spiritus tamen religione & deuotione seruatur: ac per hoc spiritualis etiam est virginitas corporis, quam vouet

C.4.11. & seruat cōtinentia pietatis. Et rursum: Nec hoc in virginibus prædicamus, quòd virgines, sed quòd Deo dicatæ pia cōtinentia virgines. Vides itaq; in Augustino, vt rem consuetā in ecclesia, votum virginitatis? Vides, hāc esse religionē cultumq; Dei?

Hoc

Hoc enim nomine pietatis apertè Augustinus significat, quod frequentissimè ita ipse exponit, maximè ex illo verbo, quod in libro Iob scriptum est, vbi alij habent (ipso teste) Pietas, ipsa est sapientia: alij: Cultus Dei, ipsa est sapientia: alij: Bonus cultus. Et vt locupletius sit testimoniū latinorum, his tribus addamus cō cilium Carthaginense tertium: sic enim ibi dicitur. Lectores, cùm ad annos pubertatis peruenerint, aut vxores accipiant, aut cogantur continentiam profiteri. Itaque professio continentiæ tam certò erat in ecclesia constituta, testantibus in hoc cōcilio 44. episcopis (inter quos & Augustinus) vt non expectauerint patres illi maiorem ætatem, quàm vt ad annos pubertatis peruenissent: nec timuerint votum cōtinentiæ exigere ab his, qui futuri erant ecclesiæ ministri. Multa alia in hoc, & quarto concilio Carthaginensi de voto castitatis. Satis verò erat hæc oppo suisse istis tam sanctis (scilicet) doctoribus. *Ca. 19. Grat. 32. dist. c. lectores.*

Sed ex his breuiter ad eorum argumēta respōdeamus. Quod igitur aiunt, esse cultum Dei sine verbo: apertè falluntur. Verbum est, immo multa sunt verba scripturæ, quibus cælibatus ostenditur Deo placere, & magnum præmium promissum esse illum profitentibus: quæ diximus superius Augustinum 22. capite, & pluribus sequentibus in libro de sancta virginitate adduxisse. Habemus præterea scripturæ verbum de professione & voto castitatis, ita consentientibus patribus omnibus. Habentes (inquit Paulus) damnationem, quòd primam fidem irritam fecerunt: de viduis enim loquitur, vt suprà citauimus. Habemus exemplum beatæ virginis, Augustino teste. Habemus & consuetudinē totius ecclesiæ græcæ & latinæ, ab ipsis etiā Apostolis. Rursum, in scriptura habemus grata esse Deo vota illi oblata de bonis, quæ non sunt præcepta. Vouete, & reddite vota vestra domino. Et Isaias de nouæ legis tempore prophetat: Vota vouebunt domino, & soluent. Habemus ea, quæ aliàs bona sunt, hoc ipso quòd promissa fuerint Deo, religionis esse & fidei: atque ita veros Dei cultus. Displicet (inquit sapiens) ei infidelis & stulta promissio: vnde consequens est, vt placeat fidelis & discreta: atq; ita religionis sit actus, implere vota Deo promissa. Quid igitur de hoc amplius querendum est? Aut quę superstitio in his tam certa scripturæ & ecclesiæ auctoritate probatis? Quòd verò cōtra opera supererogationis, quę vocamus, clamāt blasphemiam esse, docere quòd possumus vltra ea quæ à Deo pręcepta sunt, illi aliquid reddere: cùm vix etiā, immo nunquā eius satisfaciamus pręceptis: etiā apertissimè falsum est: nec eis *Ca. 19. Eccles. 5*

C4.14. aliter opus est respondere, quàm Augustini auctoritate, qui certè non ex sensu suo, sed scripturæ & ecclesiæ, lib. de sancta virginitate, non semel, sed frequenter hoc docet. Ita igitur quodã loco ait, verbum illud Pauli citans: De virginibus præceptum domini non habeo. Præcepto quisquis non obtemperat, reus est & debitor pœnæ: proinde vxorem ducere vel nubere, peccatum non est: si autem peccatum esset, præcepto vetaretur: & propterea præceptum de virginibus nullum est. Vbi multis in hanc sententiam adductis, tandem ait: Consequendæ egregiæ cuidam gloriæ parum est, liberatum esse à peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori voueatur, quod nõ sit criminis non vouisse, sed vouisse ac reddidisse sit laudis: consilium (inquit) do, tanquam
C4.15. misericordiam consecutus. Rursum hoc apertius distinguens, dicit. Apostolus ait: Alligatus es vxori, noli quærere solutionẽ: solutus es ab vxore, ne quæsieris vxorem. Horum duorũ quod prius posuit, ad præceptum pertinet, contra quod non licet facere. Non enim licet vxorem dimittere. Illud autem quod addidit: Solutus es ab vxore, ne quæsieris vxorem: cõsilij sententia est, non præcepti. Licet itaque facere, sed melius est non facere. Non igitur negamus, in hac vita sine peccato nos non esse: sed nec præcepto illi dilectionis Dei nunquam nos facere satis in hac vita. Sed quod ad vsum attinet rerum temporalium, quidam prohibetur, vt alienæ rei, siue alienæ vxoris contractus: quidam conceditur, vt propriarum rerum vsus: in quo nullum peccatum est: cùm tamen eum propter Christum relinquere, sit magnum meritum. Nec omittendum est hoc loco, istos puritatis euangelicæ assertores in hoc articulo ipsam Iouiniani hæresim asserere, cælibatum dicentes vtilem quidem & conuenientem fuisse primitiuæ ecclesiæ tempore, cùm tantæ instabant persecutiones: vel etiam nunc fortè ministris ecclesiæ, donũ cælibatus habentibus, ad ampliorem libertatem: non tamen aut simpliciter bonum, aut præferendum matrimonio: Certè apud b. Hieronymum, qui acerrimè Iouinianum arguit, nõ lego eum asseruisse cælibatum non esse per se rem sanctam & Deo gratam. Refert
C4.13. Augustinus errorem quorũdam, lib. de sancta virginitate, asserentium cælibatum nõ esse bonum propter regnum cælorum, sed propter præsens sæculum: quòd scilicet virgines carerent molestijs pluribus terrenarum curarum, quas secum adfert matrimonium, confirmantes hoc ex verbo Pauli: Existimo hoc bonum esse propter præsentem necessitatem. Quod Augustinus eo loco, vt stultissimum errorem cõfutat multis capitibus, & concludens

cludens tandem, verbum illud: Propter præsentem necessitatem: ita exponit, quòd præsentis temporis necessitas, cui cõiugia seruiunt, cogat ea quæ Dei sunt minus cogitare, quàm suffi ciat adipiscendæ illi gloriæ, quæ non erit omnium, quamuis in æterna vita atque salute manentium. Itaque virginitatem & cælibatum ad beatitudinis illius cœlestis præmium excellens consequendum non conducere, contra scripturam dicit esse. Illos itaque reijcit Augustinus: & tamen nihil magis tribuunt cælibatui isti nostri Doctores, quàm illi tribuerunt: immo multò magis illi detrahunt, quàm vlli hæretici fecerunt, negantes aperte esse cultum Deo gratum: reuera minus quàm hoc nostri sanctitatis æstimatores tribuunt cælibatui: sed de his satis. C. 14.

Iam tertium caput rationum, quas adferunt, attingendum est. Contendunt non esse vouendam castitatem, nisi ab his qui donum habent: cùm alijs impossibile sit illam seruare: & si promiserint, tanquàm indiscretè promissum, votum rescindi debere. His primò opponimus supràdictos patres omnes, & ecclesiæ consensum. Non expectârunt reuelationem Dei, vt ad promittendam castitatem, adolescentes etiam, sed puberes admitterẽt. Non docuerunt expectandum esse, vt prius certamina carnis experiẽtur: sed potius apertè docent, hoc omnibus esse possibile. Chrysost. quem, quoniam græcus est, adducimus) homilia 16. in epistolam ad Hebræos, exhortans omnes ad perfectionem & altiorem gradum: Si enim (inquit) voluerint omnes, poterunt: propter hoc Paulus dixit: Volo omnes esse sicut meipsum, quoniam sciebat, quòd omnes poterant, sicut ipse. Vides igitur quòd de cælibatu loquitur, vt Paulum constat loqui cùm inquit: Volo omnes esse sicut meipsum? Ambrosius quoque in idem illud caput Pauli, exponens hæc verba: Vnusquisque proprium donum habet: hoc est, inquit: Vnusquisque iuxta votum suum donum Dei habet, vt si velint, ipsius nutu Dei possibilitatem consequantur: ideo non debet quis constringi, ne à licito prohibitus, illicita committat: sed ipse sibi eligat quod sequatur. Et post plura in hanc sententiam, tandem inquit: In eo adiuuatur quis, quod videtur auiditate mentis appetere. Vides vt Ambrosius nullum deterret, sed omnes propensionẽ ad id habentes exhortatur? Ostendit etiam ibidem quid sit vri: superari scilicet & vinci carnis voluptatibus: non autem eas pati. Denique & cetera omnia quæ ex hoc loco Pauli citant, & ex euangelio, superius ostendimus ita accipi, vt nulli Paulus præcipiat matrimonio iungi, & nullum deterreat à 1. Cor. 7.

cæli-

cælibatu: sed nolentibus castè viuere præcipit, vt potius nubãt. Denique huius posibilitatis, & cõsuetudinis ecclesiæ sit nobis locupletissimus testis Augustinus. in se expertus ante baptismum tantam difficultatem, sicut ipse in libris confessionum fatetur.

C.11. Primò enim in 8. illorum lib. quanto ardore dicit se à castitate illa virginea inuitatum, ostendente ei turbas puerorum & puellarum virginũ in ecclesia, & dicente: Tu nõ poteris quod isti & istæ? An isti & istæ in semetipsis possunt, & non in Deo suo? Proijce te in eum &c. Et lib. 2. de adulterinis coniugijs ad Pollentium, docens eum qui adulteram dimittit, quàm diu illa vixerit, necessario cælibem manere: multos etiã adferens casus, in quibus necessariũ est coniugẽ cælibẽ vitã agere: audiamus quid dicat contra prurientissimos, prudentissimos dico, doctores

C.10. istos, & quo nomine eos appellet, aduertamus. Ita igitur inquit. Sed attende quàm plura sint, vbi si querelas incontinentium velimus admittere, necesse nobis erit adulteria fienda permittere. Quid enim si aliquo diuturno & insanabili morbo corporis teneatur coniunx? Quid si captiuitas, vel alia vis separet, ita tamẽ vt maritus sciat vxorem viuere? Vbi denique timore Dei, & oratione laborandum esse ad continentiam habendam, docet. Et capite decimo nono, multa etiam in hanc sententiam: Qui (inquit) voluntate elegerunt continentiam, fecerunt eam esse necessitatis: quoniam sine damnatione ab illa deuiare non possunt: & qui in eam necessitatem contrusi sunt (quod dicit propter eos, quorum vxores morbo aliquo redditæ sunt inhabiles ad vsum coniugalem) faciant eam esse voluntatis: si non de seipsis, sed de illo, à quo est omne bonum, confidunt. In vlt. c. illius libri multarum mulierum exempla adducit, quæ & conuincunt (inquit) non esse impossibile. Si enim hoc non posit infirmitas hominum, multò minus posset infirmior sexus fœminarum. Ibi etiam (vt superius diximus) cælibatus clericorum memorat. Sed (aiunt) omnia nunc corrupta sunt, etiam monasteria: & multos videmus hoc non seruare. Quid igitur? Hoc non fuit etiam olim in ecclesia? Nonne & olim multi cadebant? Cer

C.40. tè Augustinus libro de sancta virginitate, exhortans ad humilitatem virgines, inquit: An verò propter aliud credendum est permittere Deum, vt misceantur numero professionis vestræ multi & multæ casuri & casuræ, nisi vt his cadentibus, timor vester augeatur? quò superbia comprimatur, quam odit Deus? Nõ dicit, vt qui reliqui sunt, confugiant ad matrimonium, vel potius ad sacrilegia: non, vt ceteri non ausint votum castitatis emit-

emittere: sed, vt non superbiant. Quod ergo dicitur: qui non habent donum cælibatus, non possunt: fatemur. Immo hoc docent patres considerandum esse, maximè his qui castitatem vouent, vt nō viribus suis, sed diuinæ gratiæ innitantur. Hoc enim Augustinus libro de sancta virginitate multis & efficacibus verbis agit. Et tandem: quapropter (inquit) hæc prima sit induendæ humilitatis cogitatio, ne à se sibi putet esse Dei virgo, quod talis est: ac non potius hoc donum optimum desuper descendere à patre luminum. Sed quòd sine dono Dei seruari non possit, nullam adfert excusationem non seruantibus postquam promiserint. Probat ibi Augustinus (sicut & multis alijs locis) nec ipsa Dei præcepta sine dono eius seruari posse: quo certè carent non seruantes: nec tamen ideo excusantur. Quod vero postea dicunt, eos qui vruntur, non habere donum: si intelligant, qui vincuntur à peccatis, verum est: nec tamen ideo minus voluntariè id faciunt, cùm peccant. Ceterùm qui tentantur, & qui vehementissimè etiam impugnantur, non propterea dono castitatis carent. Exemplo sunt nobis castissimorum monachorum & sanctorum aliorum pugnæ. Hoc igitur Dei donum non ita stabile est, vt cui semel datum fuerit, non aliquando subtrahatur. Igitur quanquam eos qui peccant, non habuisse donum hoc fatendum sit: nō propterea tamen ita desperent, vt credant se postea nunquam habituros. Nulli itaque dici potest, vt desperet de castitate seruanda: nulli ergo vt contrahat: nisi (vt diximus Paulum dicere) his qui nolunt ad hoc laborare castigatione corporis (vt Paulus inquit) ieiunijs multis, vigilijs &c.

Cap. 42.

Donū continentiæ amitti, & iterū recuperari potest.

Vltimò tandem dicunt. Non rescindebantur olim matrimonia eorum, qui post hæc vota contrahebant: immo Cyprianus (inquiunt) permittit. De hoc iam superius diximus, non constare quòd Ecclesia illa tanquam legitima matrimonia approbârit: sed vel permittebat, imposita pœnitentia, nihil de facto tentans: vel dissimulando fortè dispensabat cum his, quos videbat infirmiores. Verbum illud Cypriani (de quo suprà) singulare est: & in huiusmodi non semper recipienda est auctoritas vnius patris: maximè contra omnium aliorum consensum, & ipsam scripturam. Iam verò probatum est, scripturam & Ecclesiā totam grauissimum peccatum & infidelitatem hoc iudicare. Primam fidem irritam fecerunt &c. Itaque, si nulla alia expositio admittatur, apertè dicimus Cyprianum hic non esse sequendum. Fortè tamen, agnita magna infirmitate in his de qui-

quibus scribebat, iudicauit sibi cum illis dispensandum esse. Sed vt interim demus ita fuisse, antiquam Ecclesiam non dissoluisse hæc matrimonia: quid absurdi sequetur, si postea Ecclesia, ob vitandas occasiones peccandi, & tam grauium peccatorum, hoc mutauit? Quot contraherent, si sperarent rata futura matrimonia? Et quot blandirentur & permitterent sibi, quod non nisi procis permitti solet? His vero quid indignius in ijs, qui vitam suam dedicârunt ad continentiam? Non est itaque de quo queri possint, nisi amatores libidinis: vt Augustinus superius dixit.

LECTIO NONA.

De *tribus alijs impedimentis matrimonij.*

DIximvs de impotẽtia, sacro ordine, & professione religionis, quomodo matrimonia nulla reddant: dicamus iam de tribus alijs, quæ (vt diximus) non simpliciter inhabilem reddunt aliquem ad contrahendum, sic vt omnino nullum contrahere possit matrimonium. sed in ordine ad alium: qualia sunt omnia quæ iam sequuntur. Quæ quidem ideo impediunt matrimonium, quoniam contrahentes vel nimium dispares sunt, & ideo inepti vt coniungantur matrimonio: vel tam propinqui, vt non conueniat eos arctius coniungi.

Disparitas cultus.

Inter hæc computatur disparitas cultus. Hæc enim non permittit vt Christianus cũ gentili & ethnica contrahat matrimonium: de quo magister sentent. dist. 39. agit, scripturæ & patrum auctoritates citans: & Gratian. 28. q. 1. Hæc est itaque illius sententia, vt credat iure ipso diuino illicita esse & nulla huiusmodi matrimonia fidelium cum infidelibus: cùm hæc Deus ipse prohibeat Exod. 34. De exteris enim nationibus loquens, inquit: Nec vxorem de filiabus eorum accipies filio tuo. Et rursum Deut. 7. Non sociabis cum eis coniugia &c. Vnde & in Esdra leginus, eos qui sic contraxerant, ad pœnitentiam, & ad dimittendas vxores coactos esse. Citatur etiam à Magist. Ambrosij & Augustini auctoritas: vbi tamen hoc est aduertendum, Ambrosium quidem hoc apertè tenere: sed quoniã veteris

1. Esdre 10.

illa

illa testamenti præcepta in lege euangelica non obligant (sunt enim iudicialia) nisi quantum recipiuntur ab ecclesia: ideo Ambros. scribens in septimum cap. 1. ad Corinth. & exponens illud: cui vult nubat, tantùm in Domino: apertè ita intelligit, vt ad gloriam Dei matrimonium dirigatur, & cum Christiano fiat. Hæc est eius igitur sententia & ibi, & alijs locis, vt à Gratiano citatur 28. q. 1. cap. Caue. Augustin⁹ verò fuisse videtur dubius. Quare quod à Magistro citatur ex lib. primo de adulterinis cõiugijs: Dominus iussit, ne coniugia sibimet diuersæ religionis copulentur. Et iterum: Hoc est ergo Domini præceptum tam in veteri, quàm in nouo testamento, vt non nisi vnius religionis & fidei coniugia sibi maneant copulata: & huiusmodi alia, quæ in hanc sententiam habentur eo loco: reuera Augustinus non ex suo sensu dicit, sed tantùm refert à Pollentio opposita sibi esse: postea verò in eodem libro illis respondens: Non enim (inquit) tempore reuelati testamenti noui in Euangelio, vel vlis Apostolicis literis sine ambiguitate declaratum recolo, vtrũ Dominus prohibuerit fideles infidelibus iungi. Vnde & illud Pauli: Cui vult nubat, tantùm in Domino: duobus modis dicit accipi posse: aut vt Christiana permanens, aut vt Christiano nubens dicatur in Domino nubere: quamuis eo loco dicat beatissimum Cyprianũ nõ dubitare, hoc potius esse prostituere gentibus membra Christi. Et quia de ea re Augustinus non agebat, ita sub dubio reliquit. Hæc dicta sint, vt ex loco illo Magistri nullus decipiatur. Ceterùm de ipsa conclusione non est dubitandum: hoc iam illorum patrum auctoritate & consensu Ecclesiæ obtinuit vim legis. Potuit hoc Ecclesia statuere, & illegitimos reddere sic contrahentes: & ita factum esse constat omnium consensu. Id tamen notauit b. Tho. in illa dist. de infidelibus nõ baptizatis esse intelligendũ. Ceterùm cum hæreticis vel apostatis etiã, etsi contrahens cũ illis peccet, quos saltem propter excommunicationem vitare debuerat non tamen nullũ est matrimoniũ: cùm hoc nulla lex habeat. Verùm nõ ideo infideles inter se negamus verum matrimoniũ contrahere: de quo superius dictum est, quòd non sit sacramentum, & inferius, quàm sit validum explicabimus. Hęc igitur de disparitate cultus.

Cap. 21.

Cap. 25.

Matrimoniũ christiani cũ hæretico vel apostata esse ratum.

Ponitur aliud impedimentum, crimen. Sunt enim peccata quædam non impedientia tantùm ne contrahatur matrimonium (de quibus postea dicemus) sed nullum reddentia ipsum: de quibus nunc est agendum. Hæc verò sunt homicidium & adulterium: de quibus Magist. sentent. dist. 35. vbi de adulterio

Crimen.

4. lib. sent.

terio,& 37. vbi de homicidio. Ex his igitur duobus (vt bene Caietanus resoluit,secutus b. Thom.in expositione literæ dist. 35.& dist.33.fiunt quatuor casus, quibus matrimonium contractum nullum est.

nr.2.q.2.

Quãdo homicidiũ impediat & dirimat matrimoniũ.

Primus, ex homicidio solo:quando scilicet vterque, tam cõiunx qui reliquus est , quàm qui cum eo post mortem alterius contraxit, operam dederunt homicidio alterius : vt Celestinus tertius definit,Triburiensis concilij auctoritate citata,in c.Laudabilem,de conuersione infidelium,in decretalibus: vbi apertè etiam dicitur hoc verum esse,quando machinante coniuge occisus est alter. Ceterùm homicida alicuius coniugum in bello, aut aliqua alia ratione, potest contrahere cum altero: vt ibidem dicitur.

Quomodo homicidiũ adulterio iunctum impediat et dirimat matrimonium.

Secundus casus est,ex homicidio coniũcto adulterio.Si enim alter coniugum adulteratus est , & deinde machinatus in mortem alterius : nullo modo cum adultero matrimonium contrahere potest:vt Alex.3.definit:immo docet antiquitus fuisse definitum , in ca. Super eum , de eo qui duxit in matrimonium, quã polluit per adulterium.Circa hos duos casus id aduertendũ est,quòd b.Thom.homicidium hoc tunc putat impedire,quãdo ea intentione factum est,vt matrimonium contraheretur:ita enim loco suprà citato dist.37.inquit.Quod Syluester etiam in verbo,matrimonium 8. ℣.nono, asserit esse plurium iuristarum sententiam.Alioqui(inquit b.Tho.) si propter odium vel adulterium occidat vnus coniugum alterum : etsi prohibeatur contrahere,non tamen nullum est matrimonium.Caietanus tamẽ, cùm hæc ex definitione iuris pendeant , nec iura hanc apponãt limitationem , putat vniuersaliter homicidium cum adulterio impedire , vel solum homicidium , machinantibus coniuge & eo cum quo cõtrahit.Et certè hoc probabilius videtur,maximè cùm difficile,aut certè rarum sit,vt homicidium ab adultero nõ illa intentione fiat,contrahendi scilicet:vel etiam à cõiuge machinãte in mortem, & volente postea cum homicida coniugis contrahere.Hoc enim videntur iura aut credere,aut suspicari vt in pluribus contingere : & ad tollendam hanc occasionem , ita definiunt. Et b. Thom. eo loco tantum loquitur de occidente vxorem,non intentione contrahendi: cùm verò adulterium simul coniunctum est, nihil distinguit. Nos verò iuxta c. illud, Laudabilem,homicidam tantùm coniugis nõ diximus impediri , ne vllum possit cõtrahere matrimonium: sed tantùm ne cũ altero,qui similiter interfecit in morte,contrahere possit.

Porrò

Porrò ex solo adulterio non fit impedimentum reddens nullum matrimonium. Quod Mag. sentent. dist. illa 35. ex August. probat: & Grat. similiter 31. q. 1. in principio: citantes hūc locum ex August. lib. primo de nupt. & concupiscentia, vbi ita inquit: Denique mortuo eo cum quo fuit verum coniugium, fieri potest coniugium cum qua præcesit adulterium. Quod illi certissimum esse credunt: quanquam sint pontificum quædam auctoritates quibus prohibetur cùm adulteris contrahi matrimonium, sed non ita, vt nullum sit, quando solum adulterium fuit. Quòd ideo diximus de loco Augustini, quoniam in nostris libris omnino contrarium legimus, negatiuè scilicet: fieri nō potest coniugium, cum qua præcesit adulterium. Sed reuera crediderim in nostris exemplaribus esse mendam, quòd magis cōueniat contextui affirmatiua illa sententia. Loquitur enim Augustinus eo loco de matrimonij indissolubilitate viuente viro, dicens, quòd quamdiu ille viuit, si adultera propter hoc separata cum alio contrahat, nullum est matrimonium: quia ille viuit. Et postea in confirmationem horum addit: Denique mortuo eo, cùm quo fuit verum matrimonium, fieri potest &c. hæc igitur sententia cōfirmat supradicta: si negatiuè legamus, nihil ad rem facit. Itaque magis putauerim hoc mutatum fuisse ab aliquo sciolo, qui putauit illud falsum esse: & crediderim magis libris, quos illi patres legerunt, quàm nostris: maximè cum affirmatiua lectio respondeat contextui, & veritatem habeat. Vnde Magister sententiarum bene exponit Augustinum loqui, cùm adulterium, & nihil præterea præcesit. Gratianus verò nonnihil aliter interpretatur: de ea scilicet, quæ separata à priori viro, cum altero, eo viuente, contraxit: propter quod & adultera dicitur. Vtrunque verum est, & vterque horum & literam, & sensum Augustini veriorem habuit, quàm nos: Et cauendum ne in ipsis iuxta corrupta nostra exemplaria fiat emendatio. Constat eos ita legisse: alioqui extra propositum citassent Augustinum. Ille enim loquitur, quantum est ex diuino iure, & ex natura ipsius matrimonij: nec certè ab Ecclesia superaddita est aliqua cōstitutio, declarans nullum esse hoc matrimonium. Ceterùm si adultero detur fides de contrahendo post mortem alterius (quocunque id ordine fiat, siue præcedat fides, & sequatur adulterium: siue contrà) matrimonium redditur nullum: quod probant quæ Magister sentent. & Gratianus adducunt supradicto loco: & definiunt Alexand. 3. cap. Super hoc, & Innocentius 3. cap. Significasti, de eo qui duxit in matrimonium &c.

Solū adulterium non dirimit matrimoniū.

Multò verò magis hoc impedimentum est, si de facto matrimonium contrahatur. In his tamen duobus casibus primò iura requirunt, quòd vterque sciat esse adulterium, & coniugem viuere. Si itaque aliquis aut promittat, aut contrahat cum muliere ignorante inculpabiliter eum habere vxorem: ea mortua, non prohibetur cum hac permanere, si ratum voluerit habere, quod prius inique fecit. Ita Innocentius tertius in capite, Veniens, de eo qui duxit in matrimonium &c. & Alexander tertius cap. 1 eodem titulo. Similiter & illud iura prouidè statuerunt, vt, si primum matrimonium nullum sit aliquo iusto impedimento, fides illa data alteri, etiam cum congressu (qui tamen non est adulterium) non impediat hoc matrimonium post mortem primi. Ita Alexander tertius in capite, Significauit, eodem titulo. Denique illud etiam in hoc obseruandum est, quòd sola fides data de contrahendo post mortem coniugis (si adulterium non interuenerit) non impedit matrimonium, quin si postea contrahatur, verum sit, quamuis vtrunque illorum grauiter deliquisse Ecclesia iudicet: propter quod pœnitentia est eis iniungenda. Ita Gregorius nonus c. vltimo, eodem titulo.

Hæc igitur iura canonica iustissimè statuerunt ad cauenda adulteria & homicidia, aut certè odia, & desideria mortis coniugum inter se: quæ cùm iure diuino prohibita non sint, nullus tamen, nisi à ratione alienus, dicere potest non sanctissimè & necessariò constituta esse: quæ etiam propterea ab his qui in iudicio illo confessionis præsunt, sunt cognoscenda: quoniam nonnunquam hæc occulta sunt, neque expedit in iudicium Ecclesiæ trahi, nec vlla ratione fieri debet: & tamen reuera matrimonia nulla sunt in illis casibus: quare in ipso iudicio secretò prudenter sunt terminanda. Vbi in occultis omnino casibus (cùm scilicet adulterium fuit occultum, & occultè data fides, aut interceſsit machinatio aliqua in mortem) locum habet præcipuè dispensatio Ecclesiæ: & est propter hæc necessariò quærenda. Nam hos, inter quos probari non possunt hæc impedimenta: etiam si illi fateantur, Ecclesia coget ad permanendum: nec illi vlla ratione fateri debent. Restat igitur vt dispensatione illis succurratur. Sed illud diligenter in his casibus eis est significandum, quòd vsque ad dispensationem abstinendum eis est à matrimoniali actu.

Ligamen, præcedens matrimo-

Aliud impedimentum ponitur, aliud prius matrimonium. Qui enim vno matrimonio ligatus est, nō potest alterum inire: quod vocant ligamen: de quo non est opus multa dicere. Primum

mum enim matrimonium ratum, nullum & irritū reddit quodcunque sequens, etiam si primum non fuerit consummatum, & secundum consummetur. Non enim matrimonium semel ratum dissoluitur, nisi per ingressum religionis &c. Nec hic est aliud dubitandum, quam quòd solet in quæstionem verti: quid si bona fide alter, putans alterum coniugem mortuum, contrahat: cùm videlicet in bello, vel nauigatione, vel captiuitate, vel aliqua alia ratione audiuit mortuum, aut credidit. Sed de hoc iura aperte volunt, primùm, vt non sine certa probatione mortis transeatur ad secundum matrimonium. Et quidem coram Deo necessaria est bona fides, iusta de caussa concepta: alioquī manifestum est grauiter peccare contrahentem. Ceterùm contracto semel matrimonio iustè, si superueniat dubitatio, agendum est quod in cap. Inquisitioni, de sententia excommunicationis, definitur: vt scilicet dubium ex leuibus caussis, nec satis probabile, deponatur ex consilio peritorum. Si verò fuerit dubium probabile: vt, qui illud habet, non exigat debitum, sed reddat: ne præiudicium fiat alteri qui bona fide contraxit. Et quanquam de hoc nonnulli dubitent, cùm in hoc probabili dubio exponat se periculo peccandi, etiam solùm reddens debitum: tuta tamen conscientia ecclesiæ illa definitio sequenda est, ne nimium in alteram partem declinemus, ne scilicet vel alteri subtrahatur debitum, vel contra propriam conscientiam agatur. In re certa non est dubium separandū esse matrimonium. Quare quando res valde est anceps, iudicio Ecclesiæ standum est: vel arbitrio prælati, quando res non est talis, quæ in iudicium Ecclesiæ venire possit. De his omnibus Syluester (si quis plura videre velit) in verbo Matrimonium 8. §. 13. scribit.

nium dirimit sequēs.

LECTIO DECIMA.

De *impedimento cognationis.*

Cognatio naturalis, spiritualis, & legalis impedit matrimonii, & dirimit.

VLTIMVM impedimentum, præcedentibus simile, quod nullū reddit matrimonium, est cognatio: & ea triplex: scilicet naturalis: quæ consanguinitatis dicitur: spiritualis: & legalis: illa quidem ex sacramentis: hæc ex adoptione. Et ex priori illa consanguinitate sequitur affinitas ex matrimonio orta, cū con-

sanguineis scilicet ipsorum coniugum: sed ex sponsalibus quoque de futuro, coniunctio quædam & vinculum spōsorum cum consanguineis eorum nascitur, quam iura publicæ honestatis iustitiam vocant. De his omnibus sigillatim breuiter est dicendum.

De consanguinitate, quatenus matrimonium nullum reddat, & quo iure, atque qua ratione, loquūtur Magister sententiarum & nostri distin. 40. & Gratianus 35. q. 5. de quibus & summistæ plura referunt: Syluester specialiter in titulo, Matrimonium 8. § 6. Est etiam de his proprius titulus in decretalibus de consanguininitate & affinitate.

B. Thom. art. 1. q. 1. illius dist. Quid consanguinitas.

Ex his igitur locis, omissa definitione consanguinitatis, quæ non est admodum necessaria (cùm per se satis pateat cōsanguinitatem coniunctionem esse ex carnali propagatione & generatione ortam inter genitores & genitos primò, deinde inter ipsos ab eodem genitos siue descendentes) omissis etiam multis quæ de lineis & gradibus, eorumq; definitionibus dicuntur: cùm etiam hæc satis constent: dixerunt enim lineam esse ordinem cōsanguineorum inter se, siue collectionem huius ordinis. Vnde tres posuerunt lineas: ascendentem, genitorū scilicet omnium ordinem, vbi pater, auus, & omnes superiores ponuntur: descendentem, vbi filios & succedētes omnes, nepotes scilicet, pronepotes &c. collocarunt: tertiā transuersalem, in qua fratres, eorum filios, & reliquos inde procedentes posuerunt. Gradus verò distantiam vocant personarum inter se: vt quæ est inter patrem & filium, aut inter duos fratres &c. Horum igitur omnium longiori tractatione omissa (qua opus nō est) breuissimè etiam quod pertinet ad cōputationem graduum perstringamus. Sit itaque primū, in linea descendentium & ascendentium, cum inter duos nulla persona est media, esse primum gradū: si vna vel plures sint mediæ, tot esse gradus quot personæ, vna excepta. Verbi gratia, pater & filius in primo gradu sunt, quia nulla est media persona: ipse verò filius cum auo, hoc est, patre patris, in secūdo gradu, cùm sint tres personæ, filius scilicet, pater, & auus: filius & proauus distant tertio gradu: & sic de ceteris omnibus. In linea verò collaterali fuit nō parua diuersitas iuris ciuilis & canonici. Secundum illud enim tot gradus ponuntur, quot personę. Quare fratres in secundo gradu ponuntur, filij eorum in quarto. Secundum verò canonica iura, longè aliter se res habet. Eo namq; gradu secundum canones distāt inter se collaterales, quo à cōmuni principio, modò æqualiter distant: Sin inæqualiter, eo gradu-

B. Thom. ar. 2. illius dist. Linea quid, & quotuplex.

B. Thomas art. 3. supra dictæ q. Regula de numero graduū cōsanguinitatis in recta linea.

De graduū distātia in linea collaterali.

duum numero distant ab inuicem, quo remotior distat à cõmuni principio. Duo igitur fratres in primo sunt gradu: quia à patre vno tantùm gradu distat vterque: filij eorum similiter in secundo gradu, quia ita distãt à primo principio, patre scilicet patrum suorum. Ita de nepotibus & pronepotibus: illi enim in tertio, isti in quarto gradu distant. At verò frater patris à filio eius secundo gradu distat, nõ primo: quia filius remotior est à cõmuni principio, in secundo scilicet gradu. Vnde tãquam certissima hæc duo asseruntur iuxta canones. Primum. In linea collaterali nullus est propinquior alteri, quàm sit cõmuni principio: sicut filius fratris patruo non est propinquior, quàm auo. Secundum. In eadem etiã linea potest aliquis esse remotior ab altero, quàm sit à principio illo cõmuni: sicut patruus à filio fratris, vt nunc dictum est. Semper itaq; inter collaterales sumendus est gradus à remotiori. Cuius diuersitatis rationem reddidit Alexander secundus c. Ad sedẽ, 35. q. 5. quòd scilicet iura ciuilia de his gradibus, vt ad successionem pertinent, considerant: vbi frater non succedit nisi fratri mortuo: quare in illa successione secũdus est gradus. Canonica verò iura considerant quod ad matrimonium attinet: quare eorum computatio tenenda est: vt ibi definitur. De his igitur satis. Iam ad ipsam rationem impedimenti consanguinitatis accedendum est. Sit itaque huius rei breuis resolutio tribus propositionibus comprehensa.

Prima. Inter ascendentes & descendentes iure naturali, atque ita diuino, est perpetuum impedimentũ matrimonij: ita vt nullus ascendentium cum aliquo descendentium cõtrahere possit. Hoc satis ipsa natura ostendit. Inter coniuges enim est societas & æqualitas quædam, maximè ad actum generationis, cui repugnat (vt ita loquar) superioritas vel inferioritas, qua fit, vt nec pater cum filia, multo minus mater cum filio conuenire possit in matrimonio. Quod congruè à multis animaduersum est significatum fuisse in prima illa Euæ productione ex latere: quo insinuabatur æqualitas quædam & societas, quam & illis verbis: Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, scriptura significat. Itaque illi dimittendi sunt, non adiungendi in matrimonium. Si itaque naturalis hæc reuerentia causa est, vt omnis natura abhorreat ab hoc coniugio: quò magis ascenditur, maior est reuerentia: ergo etiam magis repugnat naturali pietati, vt nepos cum auia, aut neptis cum auo matrimonium contrahat. Et quis non videt hoc magis inconueniens esse?

1. Propo. B. Thomas art. 4. Iu. pradicta quæst.

Secunda propositio. Inter collaterales secundũ quosdam proximiores 2. Propo.

ximiores gradus prohibitum est matrimonium iure diuino veteris legis,& naturali etiam iure,si nō primario, secundario saltem: atque ita non mirum, si non semper hoc seruatum fuerit. Nec enim in filijs Adæ seruari potuit. Creditur verò seruatum mox post primam humani generis propagationem. Itaq; à principio humani generis necesse fuit vt fratres contraherent, cùm duo tantùm parentes essent totius humani generis. Non est igitur hoc contra ipsam naturam, aut contra proprium finem matrimonij, qui est generatio & educatio prolis. At verò postea in lege prohibetur inter fratres matrimonium: similiter inter nepotem & sororem patris vel matris eius, materteram scilicet vel amitam: & huiusmodi alia. Nec tantùm diuina ipsa lege, sed inter omnes ferè gentes huiusmodi primi gradus inueniuntur prohibiti, & ipsa abhorret natura ab hac cōiunctione: quanquam, quod attinet ad gentes, in multis magna corruptio fuerit. Quare non cuiuslibet gentis consuetudo, sed vel omnium, vel plurium consideranda est. Hæc igitur indita naturæ ipsi persuasio videtur esse (quam vel omnes, vel plurimæ gentes habent) quòd abhorret à cōiunctione fratrum. Et quanquam in his plurimum valeat educatio & consuetudo: hęc tamen ipsa, cùm apud omnes vel plurimos eadem sint, satis probabiliter ostenduntur esse naturalia. Cæterùm lege diuina hæc prohibita sunt, quę illo

Leuit. 18. c. Leuitici habentur: eo quòd repugnent secundario fini matrimonij, & quidem non minimo, qui est repressio cōcupiscentię: & ita conuersatio quædam honestatis. Natura enim cōparatum est, vt masculi & fœminæ eiusdem familiæ, qui in eadem domo aut semper, aut frequenter conuersari habent, sibi inuicem reuerentiam quandā honestatis exhibeant: & multò magis, vt à mutuo cōtactu carnali abstineant. Vnde & incestus ab earum etiam gentium legibus, quæ hæc cōcupiscentiæ & commistionis carnalis mala non prohibent, si præter iniuriam cuiusquam sint: reprehenditur & punitur. Illis ergo prohibet ius diuinum cōtrahere inter se, quos contingit simul educari, vt b. Thom. notat. Itaque inter hos si matrimonium admitteretur, illius occasione etiam ante ipsum, hi inter quos est continua consuetudo, & in mutuum amorem exardescerent, & in turpitudines non paruas facilè labi possent: vnde magna corruptio totius humani generis sequeretur. Nam nonnullā causſam primæ illius corruptionis, quæ diluuio purgata est, hanc fuisse (nuptias scilicet incestuosas) creditur. Et certè primam & maximam eius causſam fuisse coniugia illegitima, ipsa scriptura ostendit.

Tertia

Tertia. In gradibus similiter collateralibus multo plures prohibentur iure positiuo, & ciuili & canonico, contrahere: idq; rationabili & iusta de caussa, ad pacem reip. & christianam charitatem conducente. Est enim nuptiarum alius etiam finis, quem humana iura consideranr: amicitiæ videlicet extensio & confirmatio inter homines: cùm ipsi qui matrimonium contrahunt, inter se, & quilibet eorum cum alterius consanguineis, & multo magis filij ex tali matrimonio geniti, nouam contrahant amicitiæ caussam: atque ita multis nexibus connectuntur inter se homines. Propter hæc igitur & similia noluerunt iura, vt inter eos qui sanguine iuncti sunt, matrimonia coëant, sed cum alienis: vt ex matrimonio plures efficiantur consanguinei. Considerârunt etiam in hoc iura caussam proximè dictam: quoniam inter consanguineos solet esse conuersatio frequentior & familiarior: quare, si esset inter eos spes coniugij, magna sequeretur facilè corruptio totius honestatis. Igitur iura quidem antiqua prohibuerunt matrimonia contrahi vsque ad septimum gradum. Immo reperiuntur antiquissima quædam, prohibentia huiusmodi contractum secundum omnes gradus quorũ memoria haberi poterat: sed tandem declaratum est id ad septimũ vsque gradum esse intelligendum, quæ lex tempore etiam Gratiani & Magistri sentent. seruabatur. Postea verò propter pericula multa conscientiarum, visum fuit vsque ad quartum tãtùm gradum in collateralibus prohibere matrimonium, de quo extat certa definitio in c. non debet, de consang. & affinitate: & istud hodie in ecclesia seruatur. *Tertia prò positio.*

Circa hoc igitur non est aliud dicendum, nisi quòd iniustè de hac lege cõqueruntur hæretici, & multa calũniantur, quasi hoc iniquum sit. Quod primò Erasmus fecit, nescio quo pruritu reprehendẽdi omnia, & definiẽdi leuiter de omnibus. Sed de istis duo sunt dicenda. Alterum est, quòd huiusmodi prohibitio satis ostenditur rationabilis: cùm & iura ipsa ciuilia inueniãtur similia prohibere, & in omni benè instituta repub. hoc fuerit curatum. Secundum quòd antiquior ecclesia, in qua maior fuit sanctitas & auctoritas, multò plura prohibuit. Et certè tam antiqua est hæc prohibitio, vt ab Apostolis videatur cum ipsa ecclesia initium habuisse. Itaque non est quòd conquerantur, quasi hoc sit nouum in ecclesia, aut durius agatur cum aliquo: maximè cùm non denegetur circa hæc dispensatio, quando de periculo agitur conscientiæ. Et certè qui tantopere laborãt, vt laxetur licentia hæc cõtrahendi, parum videntur cõsiderare honestatem *Erasmus.*

inter homines. Hæ sanè prohibitiones nō aliud sunt, quàm frena quædam libidinis & immodicæ cōcupiscentiæ. Videant igitur de qua re querantur, aut qua vtilitate cupiant hæc abrogata esse. Certè nusquam videmus viris deesse vxores. Hæc igitur de consanguinitate dicta sufficiant.

Affinitas est impedimētū dirimēs etiam matrimonium.

Consanguinitati coniuncta est Affinitas, quæ & ipsa impedimentum est, matrimonium nullum reddens: de qua Magister sentent. 43. dist. patrum & ecclesiæ decreta ac definitiones attulit: & de ea b. Thom. & ceteri post illum: iura etiam in proprio titulo de consang. & affini. & Syluester in tit Matrimon. 8. §. 15. vbi specialia dubia, quæ non pauca sunt, videri poterunt: nunc sequentia notentur.

Affinitas quid.

Primum. Affinitas coniunctio est ex vinculo matrimonij orta inter coniuges ipsos, non inter se, sed cum suis hinc inde consanguineis. Itaq; duo vincula naturalia quidem & legitima tertium hoc producunt: primum vinculum inter cōsanguineos ex propagatione carnali est: secundum est matrimonium ipsum inter coniuges, maius certè quàm ipsa consanguinitas: ex quibus duobus tertium sequitur, vt scilicet maritus coniungatur affinitate consanguineis vxoris: & contrà, vxor consanguineis viri: quod (vt beatus Gregorius inquit) ex ipsa ratione matrimonij est. Efficiuntur enim vna caro vir & vxor. Et quanquam secundum antiqua iura ex hac affinitate secundum & tertium genus nascebatur, dum vnus coniugum, affinis consanguineis alterius, & postea (soluto illo matrimonio) alteri coniunctus, causa erat vt priores affines sui efficerentur etiam affines secundis: vt beatus Thomas explicat eo loco. Iam tamen, ad dubia & pericula auferenda, cessarunt hæc omnia, & tantum affinitas est (vt diximus) vnius coniugum cum consanguineis alterius.

Affinitas habet etiã lineas & gradus. Nota regulam.

Secundum. Cùm hæc affinitas ex naturali illa cōiugum vnione oriatur: habet lineas & gradus eodem modo, quo consanguinitas. Itaque nulla alia regula est hæc discernendi, quàm, quo gradu aliqui sunt consanguinei viri, eodem gradu sunt affines vxoris: & sicut vsque ad quartum gradum prohibentur contrahere consanguinei, ita vxor prohibetur cum cōsanguineis mariti, & maritus cum consanguineis vxoris cōtrahere. Et eadem ratione ac iure impedit affinitas matrimonium, quibus consanguinitas: naturali videlicet, ex reuerentia, quæ debetur à filio vxori patris: & ex subiectione, quæ est vxoris filij erga patrem: & ita inter ascendentes omnes & descendentes. Iure etiam diuino, eodem capite Leuit. prohibentur adhuc alia: vt de vxore

Cap. 8.

fratris:

fratris: eaſdem ob cauſſas, hoc eſt, propter frequentem conuictum, & prohibendam occaſionem concupiſcentiæ. Iura etiam addunt vſque ad quartum gradum, eadem ratione qua in conſanguinitate. Nihil itaque hic nouum eſt.

Quomodo cõtrahatur affinitas.

Tertium eſt, non negligenter conſiderandum in hac materia, maximè ab his quos inſtruimus: qua ratione contrahatur affinitas. Prima igitur & aperta cauſſa affinitatis eſt matrimonium legitimum, & per verba de præſenti contractum, etiam ſi non fuerit conſummatum. Cæterùm iura ipſa ex carnali coniunctione illicita etiam & extra matrimonium, affinitatem definierunt contrahi: conſiderantes quòd Apoſtolus inquit: Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur cum ea. Si igitur (inquiunt) in illicito etiam concubitu vna caro efficiuntur vir & mulier, etiam conſanguinei carnales vtriuſque eorum vna caro effecti ſunt cum altero. Accedit etiam ad hæc, quòd nimium extenderetur inhoneſtas & corruptio, ſi cognita aliqua, etiam illicitè, non eſſet omnis acceſſus ad ſorores & conſanguineas eius magis prohibitus & illicitus: & idem dicendum de viro. Quis non videt hoc ab omni humana honeſtate abhorrere? Quare non poſſumus non mirari Eraſmum hæc mordentem, eadem certè leuitate, qua cetera multa. Sequuntur hinc (ait) multa pericula propter occultas fornicationes, vnde ſequuntur multæ occultæ affinitates. Ad hoc reſpondemus, & monemus etiam animarum paſtores, vt de his diligenter admoneant ſuos ſubditos & publicè in concionibus (quas de ſanctitate matrimonij, de prohibitis vagis fornicationibus, & inceſtibus frequenter debent habere ad populum) & in priuatis etiam cõfeſsionibus, maximè cùm ad eam accedunt contracturi matrimonia. Vbi ſi quid occulti vel ante, vel poſt contractum matrimonium deprehendunt, debent (vt dictum eſt) occultis diſpenſationibus & remedijs à ſuperiorum auctoritate impetratis, prudenter prouidere. Eſt verò etiam hoc loco non omittendum, quòd coniunctio quidem maris & fœminæ, etiam illicita, affinitatem hanc efficit: ſed non niſi quando eſt completa & integra: ita videlicet, vt generatio naturaliter inde ſequi poſsit: per alias verò aut impudicitias, aut innaturales coniunctiones (quanquam grauiora hæc peccata ſint) non contrahitur: quod prudenter etiam curabit cognoſcere ſpiritualis paſtor.

Nõ per ſolũ matrimoniũ cõtrahitur affinitas.

Eraſmus.

Notẽt paſtores.

Affinitati accedit proximè vinculum quoddam non ex matrimonio aut copula, ſed ex ſponſalibus de futuro ortum: quod

Publicæ honeſtatis

Iustitia quomodo matrimonium impediat ac dirimat.

vocarunt iura publicæ honestatis iustitiam. Intellexerunt enim, quòd is qui fidem dedit de cõtrahendo in futurum matrimonio cum aliqua, etsi nondum maritus eius sit: & ita nec affinis consanguinearum eius: quia tamen iam non leui vinculo est alligatus illi, consequenter etiam & cõsanguineis illius (propter quod & frequentior est iam & familiarior conuersatio) publica iustitia & honestas exigunt, vt illi magis sit illicita coniunctio cum consanguineis sponsæ, ita, vt nec cum eis contrahere possit. Igitur (vt iura ipsa definiunt, & b. Thom. supradicta distinctione docet, & Sylvest. titulo, matrimonium 8. §. 14.) eodem modo hoc vinculum impedit matrimonium, & in eisdem gradibus, in quibus affinitas.

Illud duntaxat restat hic considerandum, quòd, etsi non ex omnibus sponsalibus de futuro hoc impedimentum oriatur, & fuerit olim doctorum sententia (vt supradicto loco b. Thomas docet) ex sponsalibus nullis non oriri hoc impedimentum: iam tamen Bonifacius 8. in c. vnico de sponsalibus, lib. 6. definiuit, ex sponsalibus liberis & puris, etiam si alia ratione nulla sint, & is qui promisit, non possit præstare, oriri tamen hoc vinculum & impedimentũ, ita videlicet, vt non possit cum consanguineis illius quam desponsauit, contrahere, etiam si nulla & irrita fuerit desponsatio. Vt si, qui iam de præsenti cum vna contraxit, alteram de futuro desponsaret. Excipit ius illud metum & coactionem: nullum enim impedimentum ex sic contractis oritur. Excipiendus etiã est defectus vsus rationis, vt Sylvester ex Petro de Palude notat. Similiter etiam quando cõditionaliter contrahitur: si ante cõditionem completam cum cõsanguinea eius contrahat, definit Papa tenere matrimonium. In ceteris omnibus, quantumuis nulla sint, tamen impediunt supradicto modo matrimonium contrahi.

LECTIO

LECTIO VNDECIMA.

De cognatione spirituali & legali.

CONSANGVINITATI & affinitati proximæ sunt duæ aliæ cognationes, quę ex generationibus quibusdam non carnalibus, sed inuentis vel diuina, vel humana ratione, oriuntur. Prima est spiritualis cognatio, quæ ex generatione spirituali & per illam contrahitur. Secunda est legalis, quæ ex adoptione. Cùm itaque spiritualis generatio ex diuina institutione & fide habeatur; his præsuppositis, ex naturali ratione sequitur coniunctio quædam & amicitia, atque reuerentia inter eum qui spiritualiter generat, & qui generatur. Legalis autem adoptio rationali naturali consentanea est, qua suppletur naturalis defectus filiorum: atque ita etiam iure gentium coniunctionem habet & reuerentiam inter adoptantem & adoptatum, & quosdam alios. Est præterea & inter hos, & inter quosdam eorum consanguineos ac affines continua atque domestica conuersatio: propter quæ omnia iura canonica constituerunt, vt cognatio spiritualis matrimonium impediat, & nullum reddat vsque ad quosdam gradus: Et iura ciuilia idem similiter statuerunt de adoptione: consentientibus etiam ipsis canonibus. Quæ omnia fundata sunt in æquitate & ratione: & per ea consulitur honestati humanæ, dum speciali ratione prohibetur coniunctio carnalis inter eos, inter quos est assidua conuersatio: sicut patet ex his, quæ de consanguinitate dicta sunt. Etsi itaque impedimenta hęc non ex diuino, sed humano iure sint: tamen quia rationi consona sunt, non est cur de eis quisquam conqueri possit: maximè cùm spiritualis cognationis impedimentum tam antiquum sit in ecclesia, vt vix principium illius inueniatur: & sit multo maior ratio quare impediat, quàm adoptio illa & legalis cognatio, quia tamen ab ethnicis etiam ipsis iudicata est meritò debere esse impedimento. In speciali igitur de his habentur proprij tituli in decretalibus, de cognatione spirituali, & legali. Et Magist. sent. dist. 42: post quem beatus Thomas ac ceteri nostri scolastici de ea differunt. Sylvester quoque titulo, matrimonium 8. §. 7. & 8. Ex quibus breuiter sequentia putamus necessaria esse scitu his, quos hic instruimus. dist. 42. q. 1. art. 1.

De

Quomodo & inter quos contrahatur spiritualis cognatio.

De cognatione igitur spirituali, primũ sit de ratione qua contrahitur, & personis inter quas est. Contrahitur igitur in baptismo tantum & confirmatione: quibus duobus sacramentis perficitur generatio illa ad Christianam vitam, quæ meritò regeneratio dicitur. Itaque nec in alijs sacramentis, nec in istis quidem ex omnibus actibus: sed duntaxat ex ipsa collatione baptismi vel confirmationis, & ex susceptione, qua videlicet vel baptizatus leuatur ex sacro fonte & susciputur, vel in confirmatione ipsa tenetur. Itaque nec per catechismum solum, nec ex eo, quòd in eo teneatur ab aliquo qui catechizatur, vel resp̃deatur pro eo, contrahitur hæc cognatio: sed tantum vt dictum est.

B. Thomas ar. 2. supra dicto loco. Cognatio spiritualis est triplex, paternitas, compaternitas, & fraternitas

Est autem huius cognationis triplex species. Prima, quam paternitatem vocare possumus, inter baptizatum scilicet & baptizantem vel susciptientem. Isti enim patres sunt. Et est similis hęc cognatio consanguinitati primi gradus lineæ ascendentis vel descendentis. Secunda est compaternitas, inter baptizantem & parentes baptizati. Tertia denique confraternitas dici potest, inter filios scilicet spirituales & naturales baptizantis vel susciptientis. Et idem per omnia de confirmatione dicendum est. Quibus tamen hoc addendum, quòd cognatio hæc spiritualis tranfit etiam in vxorem, carnaliter prius cognitam, ipsius baptizantis vel susciptientis: ita videlicet, vt illa quæ vna caro est cum ipso, eodem gradu cognata sit baptizato & parẽtibus eius, quo & vir. Non autem eodem modo transit hæc cognatio in vxorem patris ipsius baptizati: non enim illa commater erit baptizantium vel susciptientium filium mariti ex alia. Ad alios verò quacunque ratione non tranfit hæc spiritualis cognatio. Vnde plures spirituales filij alicuius non sunt confratres, nec inter eos vllum est impedimentum. Similiter vir & mulier, siue plures viri & mulieres susciptientes aliquem ex sacro fonte, nullam contrahunt cognationem spiritualem. Addunt etiam b. Thomas & alij, non baptizatum nullam contrahere cognationem, etiam si fortè in necessitate baptizet, aut sit vxor baptizantes, nec vlla tandem alia ratione. Sed nec hoc etiam omittendum est, quòd spiritualis hæc cognatio, vt à viro transeat in vxorem, vel contrà ab vxore in virum (vt etiam suprà diximus) opus est vt vxor sit carnaliter cognita antea: vt scilicet effecta sunt vna caro. Vnde quanquam ad affinitatem sufficiat contractus matrimonij sine consummatione: ad hanc tamen (quæ affinitas quædam spiritualis est) quia minoris efficaciæ est quàm illa, requiritur etiam consummatio matrimonij. Vbi

etiam

etiam hoc cõsiderandum, quòd iuxta b. Thom. & theologorum atque iuristarũ saniorem sententiam, illicitus etiam concubitus satis est ad hanc spiritualem affinitatem in mulierem prius carnaliter cognitam transferendam. Quare hoc etiam docere debent & publicè & priuatim (cùm de matrimonio agitur) parochi. Cùm enim concubitus hi illiciti occulti sint, hæc impedimenta non poterunt cognosci, nisi ab his qui conuenerunt. *Notet pastor.*

Secundum de hac cognatione hoc sit, quòd (secundum tres illas species) si præcedat, nullum efficit matrimonium sequens: non tamen se extendit hoc impedimentum vltra prædictas species. Suscipiens igitur aut baptizans cum baptizato, vel cum parentibus eius contrahere non potest. Similiter neque alter coniunx baptizantis vel susceptientis cum eisdem: & hoc iuxta duas priores species. De tertia verò specie loquendo, non potest baptizatus vel susceptus cõtrahere cum filijs baptizantis vel susceptientis, nec certè cum filijs vxoris vtriuslibet prius cognitæ, vt dictum est. Quod tamen ita multorum sententia restringit, vt putent baptizatum cõtrahere posse cum filijs vxoris baptizantis vel susceptientis ex altero viro natis post mortem illius, ratione cuius contracta fuerat spiritualis affinitas. Et quanquam de hoc sit dubium, & cum occurreret, tutius esset dispensatione vti: id tamen certum est, inter nullos alios impedire matrimonium hanc spiritualem cognationem, quantumuis consanguinei sint vel affines eorum. Sed tantum inter baptizatum ipsum & baptizantem, vel coniugem & filios eius. Hæc quidem de cognatione ista, quando præcedit matrimonium. Si verò sequatur, quod tunc euenire potest, cùm alter coniugum communem filium baptizat extra necessitatem (nam in necessitate nõ contrahitur compaternitas) vel susscipit è sacro fonte, vel certè alterius coniugis filium ex alio matrimonio. Igitur cùm ita sequitur (inquam) non potest matrimonium nullum reddere: priuat tamen illum iure exigendi debitum, qui hoc fecit, siue vtrunq; siue vterque aut fecit aut consensit: immo cum ab aliquo malitioſè hoc factum est, vt videlicet callidè impediret matrimoniũ, priuant illum iura coniugio perpetuo, soluto priori matrimonio. Qui verò innocens est, potest suo iure vti, & alter tenetur reddere: vbi satius est dispensatione vti. Hæc verò iã sufficere poterũt: si qua tamen specialia magis dubia occurrerint, Syluester supradicto loco, & iuristæ sunt consulendi. Vbi etiam nonnihil valet consuetudo, quæ legis vim in his nonnunquam habet. *Quousque extẽdatur impedimẽtũ spiritualis cognationis præcedẽs matrimon.* *De cognatione spirituali sequẽte matrimonium.*

De cognatione legali, quomodo cõtrahatur, & impediat, breuius dicẽ. *Cognatio*

Legalis oritur ex adoptione legitima.

uius dici potest. Oritur ex adoptione legitima, hoc est, iure facta, siue auctoritate principis, siue iudicis tantùm priuati, modò legitima sit adoptio, etiam si non transeat adoptatus in potestatem adoptantis, secundum b. Thomam & saniorem sententiam. Ex ea igitur fit, vt adoptans efficiatur pater adoptati, & filiorum atque nepotum, ac omnium ab illo descendentium. Immo inter adoptantem & vxorem filij adoptati: & inter filium adoptiuum ac vxorem adoptantis nascuntur cognationis legalis vincula, quæ sunt velut consanguinitas & affinitas lineæ ascendentis & descendentis. Et igitur inter hos omnes perpetuò hæc cognatio impedit matrimonium, vt etiam post emancipationem adoptati, nullum sit. Rursum, inter adoptatum & filios naturales adoptantis contrahitur hęc legalis cognatio quasi fraternitas, & impedit quidem atque nullũ reddit matrimonium, quamdiu naturales sunt sub potestate adoptantis. Nam cùm à patre fuerint emancipati, inter se non prohibentur contrahere: multò minus plures adoptati inter se, sicut nec cum spiritualibus filijs. Hæc omnia introducta sunt legibus consulentibus (vt diximus) honestati ex iusta ratione: de quibus plura apud Sylvestrum, eodem loco, §. 8.

B. Th. q. 2. 42. dist.

De dispensatione in cognationibus.

Iam circa omnia hæc, quæ de cognationibus dicta sunt, quantum in eis valeat & possit dispensatio Ecclesiæ siue Papę, disputatur. Et quidem, quod attinet ad duas has proximas cognationes, non est dubium in eis dispensari posse ab Ecclesia, cùm ab ea sint introductæ. In omni tamen dispensatione necessariam esse iustam causam, nomen ipsum & ratio dispensationis ostendit. Nunquam itaque pro libito Ecclesia iustè dispensare potest: sed tantùm ob aliquam vel iustam, vel vtilem causam. Cęterùm de affinitate vel consanguinitate nõ dubitatur in eis gradibus dispensari posse, in quibus iure tantùm humano prohibitum est matrimonium.

Vnde abstulit iam ecclesia in vniuersum tres gradus: septimũ videlicet, sextum, & quintũ. In eis verò qui iure naturali & diuino matrimonium impediunt, cõmunior sententia habet & rationabilior, dispensari nõ posse ab homine. Est verò difficultas, qui gradus sint iure naturali & diuino prohibiti. Vbi de ascendentibus & descendentibus nulla quæstio est: sunt enim manifestè indispensabiles. De collateralibus verò, qui in Leuitico (vt supra diximus) prohibiti sunt, disputatur: maximè de illis, in quibus accedit quædam naturalis reuerentia id prohibens: sicut si nepos cum amita vel matertera contrahat. Illud tamen certũ est, prohibi-

prohibitionem illam legis Moysi non obligare nunc in Ecclesia, nisi quatenus recipitur & statuitur de nouo. Ex sola itaque prohibitione legis non sequitur illos prohibitos esse iure diuino. Nec etiam quæcunque naturalis reuerentia & superioritas statim probat prohibitionem iuris esse naturalis. In omnibus igitur illis in quibus dubium est, id tutò sequi quis potest, quod cõsuetum & receptum est in Ecclesia, nec vltrà putamus extendendam esse dispensationem. Igitur in secũdo collaterali gradu consanguinitatis vel affinitatis dispensat Ecclesia, & suscipitur dispensatio ab omnibus: etiam nepotis cum matertera vel amita, licet id rarius. Dispensauit etiam nonnunquam inter fratrem & vxorem fratris defuncti: quę quęstio fuit tanto cum scandalo ab Henrico octauo rege Angliæ mota, & multorum nostro tempore exercuit ingenia, & christianas ecclesias ac vniuersitates: quæ tandem, postquam definita fuit apostolicæ sedis sententia, occasionem dedit grauissimo schismati, ob furiosam eiusdem Henrici regis tyrannidem: quod nunc (Deo miserante, & mirabiliter cõsilia omnia destruente) à pijs regibus præsentibus extinctum est. Ad caussam igitur de qua agebamus, redeundo, illud modestis & pacificis sufficere debet, quòd in his omnibus publica dispensatio, cui in ecclesia nõ contradicitur, sufficiat apud Deum & homines. Inter fratres etiam dicunt nonnulli dispensatum aliquando fuisse, vt Syluester refert in verbo, Papa, §. 17. Sed hoc certè nimium videtur: nec vltra consueta progrediendum est: quanquam non debeamus in his legem præscribere ecclesiæ, sed suscipiendum humiliter quod illa iudicauerit.

LECTIO DVODECIMA.

De *indissolubilitate matrimonij.*

QVAE hucusque dicta sunt, pertinent ad integritatem & perfectionem matrimonij, siue quatenus est contractus & officium quoddam naturæ, ad quem requiritur, vt probetur legibus, quod hucusque explicauimus qualiter fiat, loquentes de illegitimis personis: siue etiam vt sacramentum est, ad quod requiritur materia & forma: de quibus etiam diximus, formã esse verba vel signa exprimentia consensum: & materiam, personas

ipsas

Sacramentū matrimonij non habet ministrū proprium.

ipſas contrahentes: de quibus hucuſque actum eſt. Cùm verò hoc ſacramentum nec certum miniſtrum habeat, nec reuera ſit neceſſarium per aliquem alium adminiſtrari: cuncta quæ de neceſsitate & integritate eius ſunt, habentur ex his quæ diximus.

Effectus proprius ſacramenti matrimonij.

Iam igitur dicendū reſtat de proprio eius effectu. Sicut enim cetera omnia ſacramenta ad effectum aliquem operandum inſtituta ſunt, ita & matrimonium: cumque ſacramento ordinis ſit ſimilius, per quod datur ſpiritualis poteſtas adminiſtrandi ſacramenta: etiam hoc ſacramentum ad mutuam poteſtatem tradendam coniugibus in propria corpora ad generationem, conſtat inſtitutum eſſe: & is proculdubio proprius eius effectus eſt, qui in actu ipſo coniugali perficitur, quando duo fiunt caro vna: vt iam non ſint duo, ſed vnum. Quanta igitur ſit hæc matrimonij vnio, nunc dicendum eſt. Cùm enim vnio diuiſioni opponatur, tanto maior eſt, quanto minus diuidi poteſt. Igitur ex natura ipſa coniugij, & verbis quibus à Chriſto Domino in Euāgelio explicatur (vbi ea quæ in prima inſtitutione dicta ſunt in Geneſi, ſunt etiam expoſita: ſimiliter & à Paulo Chriſtum ſequente, & vt ipſe inquit, ſpiritum Dei habente) eſt docendum, quàm ſit indiuiſibile matrimonium: de quo nonnihil ſuperius, cum probaremus eſſe ſacramentum, dictum eſt: ſed nunc quæ ad hoc pertinent, latius explicabimus.

Triplex gradus in matrimonio.

In vniuerſum ergo de legitimo cōiugio doctores loquentes, triplicem gradum eius eſſe docent. Eſt enim primus gradus, vbi matrimonium verum quidem, ſed nō ratum collocant: ſecundus, in quo matrimonium verum & ratum, ſed non conſummatum collocatur: tertius denique, eſt matrimonij veri, rati, & conſummati. Quj gradus non parum, quod ad indiuiſibilitatem pertinet, differunt. De ſingulis igitur dicendum.

Primum itaque eſt matrimonium inter infideles contractum: quando ſcilicet, vterque infidelis eſt: nam cùm alter tantùm, eſt alia ratio, de qua ſuperius egimus. Hoc itaque vocatur verum coniugium, & legitimum quidem, ſi non contrahatur in gradibus lege naturali prohibitis, nec contra proprias rationabiles leges (de quo etiam ſuperius diximus) non tamen ſacramentum. De hoc itaque Magiſter ſententiarum agit diſtinct. 39. & poſt illum ceteri ſcholaſtici, ex Auguſtino maximè in libris de adulterinis coniugijs, rem hanc diligenter expendente: & Gratianus 28. q. 1. & eſt proprius titulus in iure de conuerſione infidelium. Ex his igitur omnibus locis ſequentia notanda ſunt.

Primum.

Primum. Coniunx ad fidem conuersus, altero manente in infidelitate, liber est à vinculo matrimonij huius quoad debitum & cohabitationis, & vsus matrimonialis. Secũdum. Non tamen liber est ad cõtrahendum nouum matrimonium, si permanens in infidelitate consentiat pacificè cohabitare, & sine periculo salutis animæ eius qui conuersus est: quòd si alterum horum infidelis non præstiterit, potest etiam fidelis contrahere aliud matrimonium. Tertium. Conuerso ad fidem licet (immo Paulus magis id expedire docet) cohabitare cum infideli: quamdiu videlicet ille non discedit, & spes aliqua est conuersionis eius. *Conuerso licet cum vxore adhuc infideli manere.*

Tria hæc quę dicta sunt, probat abundè & apertissimè Pauli doctrina 1. ad Corinthios 7. capite, de quo etiã capite superiùs, cùm de cælibatu loqueremur, non pauca diximus. Eo igitur loco Paulus, postquam dixerat. His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus (quod nos inferiùs exponemus) & cetera: vbi de fidelibus cõiugatis aperte locutus est: statim se ad id quod nunc agimus tractandum conuertens, ita inquit: Nam ceteris ego dico, nõ Dominus. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: & si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Ex quo loco (vt Augustinus libro primo de adulterinis coniugijs diligenter obseruat) duo eorum quæ diximus, probata sunt. Primum, quòd Dominus non prohibet (Paulo teste) viro conuerso ad fidem vxorem secum volentem manere, dimittere, nec præcipit cum illa habitare. Sic enim inquit Paulus: Præcipio ego, non Dominus: quod (vt Augustinus inquit) non est contrarium Christo: vt videlicet quod ille permittit, & quod ille liberum facit, Paulus propter melius bonum non faciendum esse dicat. Multa enim (vt Augustinus inquit) facienda sunt, non iubente lege, sed libera charitate: & sunt gratiora in nostris officijs, quæ cùm liceret nobis non impendere, tamen caussa dilectionis impendimus. Licet itaque dimittere infidelem, etiam pacificè volentem permanere: sed non expedit: vbi (inquit Augustin.) non potest dici, quod de nubendo ibi dicitur: Bonum est non permanere cum infideli: sed, melius est permanere: potius enim dicendum est: licet discedere à coniuge infideli, sed non expedit. Sunt itaque quædam licita, sed non expedientia: inter quæ, quamuis difficile sit distinguere, distinguit tamen sic Augustinus eodem loco, vt quod licet & nõ expedit, sit, quod per

à c. 13. vsq. ad 20.

Cap. 14.

Cap. 5.

16. & 17. c.

iustitiam coram Deo permittitur, sed propter offensionem hominum, ne ob hoc impediantur à salute, vitanda sunt: & tale est de quo nunc loquimur, non cohabitare cum infideli consentiente: scilicet si dimittatur, obduretur magis contra fidem, & incipiat odio habere euangelium. Cùm enim quotidie ad prædicationem Apostolorum conuerterentur quàmplurimi: si omnes relinquerent coniuges, facilè traduceretur Euãgelium, quasi per illud inhumani redderentur homines, & fidem ad quã seruandam natura obligat, contemnerent. Denique fidelis etiã cohabitando infideli, meritò sperare poterat conuersionem eius. Ita enim tunc Paulus ait factum frequenter fuisse: Sanctificatus est enim (inquit) vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis &c. Duo itaq; illa probata sunt. Primum scilicet & tertium, posse dimitti, & posse retineri infidelem coniugem à fideli: immo tunc, cùm Paulus scriberet, non expedisse vt dimitteretur. Quare non est mirum, si postea quàm infideles magis obdurati esse cœperant, neque spes erat de eorum conuersione, statutum fuerit, ne conuersi habitarent cum infidelibus coniugibus sicut in quodam concilio Toletano statuitur, vt Gratia. citat 28. q. 1. Nec difficile est ratione horum videre. Per baptismum enim & conuersionem ad fidem moritur homo priori vitæ, vt videlicet non teneatur obligationi reddẽdi debitum: sed tamen cùm non repugnat religioni, licebit ei id præstare: maximè cùm speratur conuersio: tunc enim non repugnat religioni. Quod verò secũdo loco diximus, duo etiam continet: quòd videlicet, quando volens permanere infidelis coniunx dimittitur, non possit aliud contrahi matrimonium: & quòd, si permanere non vult pacificè & sine periculo, aliud cõtrahi possit. Horum itaque primum ita probatur. Quia cùm matrimonium inter infideles legitimus fuerit contractus, non est cur infringi debeat, aut minus seruari à fideli, cùm alter nullam causam præbet non obseruandi: nisi vbi inuenitur à Christo dispensatum, aut alibi in scriptura sacra noui testamenti. Igitur non cohabitare infideli permittitur à Christo, dicente Paulo, quòd Dominus non prohibeat relinquere infidelem: contrahere verò aliud matrimonium, nusquam legimus esse concessum. Non licet itaque. Ex quo etiam illud secundum probatur, quòd scilicet discedente infideli & nolente cohabitare, liceat fideli contrahere matrimonium. Paulus enim apertè hoc docet: Quòd si infidelis (inquit) discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater vel soror in eiusmodi. Itaque cùm

Infideli volẽte cohabitare, nõ potest fidelis aliud matrimoniũ contrahere: secus si cohabitare nolit.

1. Cor. 7.

cùm infidelis iustam dat causſam diſcedendi, rectè permittitur fideli libertas contrahendi. Hoc itaque matrimonium quod inter infideles eſt, verum coniugium dicitur, ſed in officium naturæ tantùm: & ideo contractus duntaxat naturalis, non ſacramentum: & propterea dicitur non ratum, nec omnino indiſſolubile, quoniam hoc maximè ex ratione ſacramenti illi conuenit, vt poſtea dicemus. *Quale ſit coniugium infidelium.*

Poſt hoc eſt matrimonium inter fideles contractum, nondũ tamen conſummatum: quod non dubium eſt verum eſſe ſacramentum: & propterea (vt Auguſt. inquit lib. de nupt. & cõcup. & de bono coniugali) omnino indiſſolubile eſt, ſicut (inquit ille) ordinatio ſemel ritè peracta non redditur irrita quacunq; ex cauſſa, etiam deficiente plebe, cui gubernandæ ordinatus eſt: & ſicut baptiſmus, negata etiam fide in qua datus eſt, aut excommunicato eo qui ſuſcepit. His enim ſimilitudinibus Auguſt. vtitur, indiſſolubilitatem matrimonij ex ratione ſacramenti oſtendens. Igitur duo de hoc matrimonio fidelium nondum conſummato pro certis habenda ſunt. Primum de illo verum eſſe quod Chriſtus inquit: Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Nulla videlicet humana poteſtate ſeparari poſſe, vtroque viuente. Vnde quanquam Caiet. probabile putet, papam diſpenſare poſſe vt diſſoluatur, & aliud contrahatur matrimonium, ex cauſſa aliqua rationabili: & quidam canoniſtarum hoc non reijciant: Eccleſia tamen hoc non recipit, nec vnquam conſuetum eſt. Quare probabilius his rationibus in hac parte non eſt facile credendum. Hoc eſt verum matrimonium & ſacramentum: ſemel ergo perfectum & integrum non ſubiacet humanæ poteſtati. Secundum. Soluitur tamen hoc matrimonium per ingreſſum & profeſsionem religionis alterius coniugis, ita vt alter contrahere poſsit. Quæ ſententia catholica eſt, & totius eccleſiæ ſenſus, vt Magiſt. ſentent. diſt. 27. auctoritate Euſebij & Gregorij, & exemplis Macharij ac Alexij ſatis probauit: immo ipſius Chriſti exemplo: qui (vt Hieronymus inquit) à nuptijs Iohannem Apoſtolum vocauit: & habentur etiã in iure definitiones aliæ pontificum ſub proprio titulo, de conuerſione coniugatorum. Quare (vt b. Thom. ead. diſt. inquit) matrimonium hoc perfectum eſt: ſed eſt dumtaxat ſpirituale vinculum, nondum carnale, ante conſummationem, nec vltima perfectione (quæ in operatione cõſiſtit) completum. Nihil mirum igitur ſi ſoluatur per ſpiritualem mortem, & ingreſſum religionis: quod ſpirituale vinculum meritò cenſetur fortius *De matrimonio ſimiliũ non conſummato. Li. de bono coniugali ca. 24. Lib. 2. de adul. cõiug. cap. 5. Matrimoniũ nõ conſummatũ ſoluitur per ingreſſum religionis. q. 1. ar. 3.*

illo: quandoquidem est perpetuum quoddam ad obsequia diuina vinculum. Nec tamen etiam in hoc casu ab homine soluitur matrimonium (esset enim contra illud Christi: Quod Deus comunxit &c) sed ab ipso Deo soluitur, à quo est inspiratio melioris vitæ & propositum religionis: de quo meritò dicitur illud Pauli: Vbi spiritus domini, ibi libertas. Nec enim iustis lex
Erasmus. posita est: lex (inquam) quæ à libertate hac sequendi spiritum impediat. Erravit itaque in hac re turpissimè Erasmus in annotatione septimi c. 1. ad Cor. & temerariè valdè loquutus est, dicens eos qui propter humanum institutum, vel vestem nigrā sacramentum Christi dicūt dissolui, aut non intelligere diuini præcepti efficaciam, aut nimium humanis institutis concessisse: vnde hæretici postea apertius hoc ausi sunt negare. Catholica verò sententia & monachatum, & professionem illius non humanum, sed diuinum esse opus apertè docet, multò efficacius ipso matrimonio: maximè tempore reuelatæ gratiæ. Illud enim conceditur aut infirmitati, aut naturali desiderio generationis:
Matth. 19. sed istud suadetur & consulitur, & donatur maximo præmio à Deo: Quicunque (inquit Christus) reliquerit patrem, matrem, aut vxorem &c. Quod si dicatur fieri posse, vt non recta intentione profiteatur quis religionem, atque ita non à Deo vocatus: quid enim si offensus vxoris deformitate, aut leui aliquo irę motu ingrediatur? quid rursum, si monasteria ipsa nō pura sint, & quales oportebat esse scholas perfectionis, aut qualia olim
Erasmus. erant? Hæc enim omnia, mirum est quibus verbis Erasmus exaggeret, & tum eo hæretici. Nos verò respondemus, propter humanos defectus non impediri Dei operationes. Sæpe ipse trahit nolentes, & nihil minus cogitantes quàm perfectionem. Is qui timore mortis (qua plectendus erat, propter furtum) eremum petijt, legitur postea perfectissimus factus monachus. Quare verissima est patrum sententia, ex imperfectis nō nunquam principijs in magnam perfectionem euasisse multos. Interim qualecūq; sit propositum, qualecūq; monasteriū: quod agitur per professionem, obligatio est ad perfectionē. Ceterùm cùm consummatum est matrimonium & carnalis copula facta, non nisi morte carnali soluitur, vt iam statim ostendemus.

Igitur tertius matrimonij gradus integerrimi videlicet & vn dequaq; perfecti, est in matrimonio fidelium, vero & rato ac cō summato carnali copula: de quo nunc dicendum, quàm scilicet indissolubile sit: quod ex verbis Christi domini, apud Matthęū
Ca. 5. præcipuè & Marcum, etiam apud Lucam, colligamus. Primò igi-

igitur in sermone habito in monte, Christus apud Matthæum ait: Dictum est autem: quicunq; dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudij. Ego autem dico vobis: quicūq. dimiserit vxorem suam excepta caussa fornicationis, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat. Et postea interrogatus à Pharisęis: Si licet dimittere vxorem suam ex quacunque caussa? respōdet, citatis verbis Genesis: Qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam &c. Et cōcludens omnia: Quod ergo (inquit) Deus coniunxit, homo non separet. Et cùm opposuissent de libello repudij, quem Moyses præcepit dari: respondet apertè: Moyses ob duritiā cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non sic fuit. Et statim: Dico autē vobis: quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur. Vbi apertè Christus dominus ostendit matrimonium ex prima sua institutione indissolubile esse: & quanquā ratione aliqua à Deo in lege fuerit aut dispensatum, aut permissum dissolui, abrogat tamen ipse Christus, auctoritate manifestè diuina, legem illam libelli repudij, & reuocat matrimonium ad primam suam institutionem, de qua iam dicendum est, & de verò horum verborum Saluatoris sensu. De his igitur Aug. & in 1. lib de sermone domini in monte, c. 25. & pluribus sequentibus, & ambobus libris de adulterinis coniugijs, diligenter disseruit. Ex quo Mag. sen. dist. 35. plura collegit: post quem etiā b. Tho. & ceteri: ex quibus sequentia sunt notanda. Primum. Licet innocenti coniugi adulterum dimittere, quod attinet ad cohabitationem & vsum matrimonij. Hoc apertè verba illa Christi testantur apud Math. 5. & 19. c. Vbi nō esse dimittendam vxorem docens, semper excipit caussam fornicationis. Estq; hoc statutum in fauorem cōiugis fidelis, & pœnam adulteri. Quare etiā excipiūtur nōnulli casus, quibus hoc nō licet: vt b. Tho. suprà dicto loco inquit: vel quia non est in culpa coniunx qui adulteriū commisit, vel alter etiam est in eadem culpa. Propter primū, si mulier vi oppressa fuerit, vel doló ab aliquo sub specie viri intrante sit cognita, vel deniq; si rationabili caussa post longam absentiam viri, credens illum mortuum, matrimonium contraxerit, nō potest dimitti. Propter secūdum verò, si vir cōsenserit adulterio vxoris, vel eā prostituerit, vel certè ipse similiter adulter fuerit, nō habet ius eā dimittendi: vel si fortè in infidelitate dato sibi à viro libello repudij ipsa cum altero contraxerit: tunc enim post conuersionem amborum ad fidem, cogitur vir eam

Matth. 19.

Coniunx innocens adulterum potest, sed non tenetur dimittere.

Ar. 1.

fuscipere: cùm illius secũdi matrimonij (quod verè adulterium est) ipse sit caussa. Vbi circa hoc id etiam obseruãdum est, quòd separatio hæc publica & quoad cohabitationem, non nisi iudicio ecclesiæ fieri potest: & ob id non propter occultum adulterium. Vbi tamen considerandum est, quòd etsi vnius adulterium probari potest, & non alterius: tamen coram Deo, qui etiã
B. Tho. ar. 3. art. 6. ad 5. adulter est, etsi occultus, non potest iustè alium repellere, etiam si alterius adulterium ipse probare posset, vt b. Thom. docet. Quod verò attinet ad thorum (quod occultiùs fieri potest) in-
B. Thom. ar. 2. nocens rectè se separat ab adultero. Secundum. Non tamen tenetur coniunx innocens hoc iure vti, maximè quando is qui adulterium commisit, pœnitentiam agit. Non enim præcipitur hoc, sed conceditur innocenti: modò tamen non sit patronus turpitudinis, vel omittat quantum in ipso est, corrigere delinquẽtem. In hac itaque caussa maior est viri auctoritas, qui ex officio tenetur vxorem corrigere: tenetur tamen & vxor agere quidquid putauerit ad hoc conducere: vt scilicet virum retrahat ab adulterio. Ceterùm vterque coniugum potest aut parcere pœnitenti, aut dissimulare, aut sustinere quod non valet corrigere. Vbi etiam, si post cognitum adulterium missus fuerit alteri coniugi innocens, iam etiam visus est remittere, nec iure
B. Thom. art. 6. 1. Cor. 7. potest separationem petere. Sed & illud quoque certum est, quòd facto iam diuortio & separatione, etiam per ecclesiam, possit rursum, volente innocente, reus recõciliari: Sic enim Paulus permittit mulieri discedenti vel manere innuptam, vel viro reconciliari. Quinimo & illud probabilius ac salubrius est, quòd, si facta separatione, innocens fornicatus fuerit, teneatur,
Eodem ar. ad 4. quod ad Dei iudicium attinet, reconciliari, vt b. Thom. inquit: quod ecclesia etiam ex officio suo agit, consulens vtrique, ne
Propter hæresim & alia quædã peccata potest etiam diuortium fieri. ob humanam infirmitatem labantur. Tertium est etiam notandum, quòd ea quæ de fornicatione dicta sunt, etiam in hæresi locum habeant (quæ est fornicatio à Deo) multo etiam magis, quàm in fornicatione vel adulterio corporali. Locum etiam habet in quocunque alio vitio contrario naturæ, vel abusu, quo vir abuti vult vxore: vt Ambros. in illum locum Pauli apertè dicit: & b. Thom. August. etiam vtrumque apertè tenens in 1. ilar. 1. ad 4. c. 28. lo lib. de sermone domini in monte, non solùm in his, sed in ceteris omnibus vitijs, in quibus vnus coniugum alteri occasio est peccandi, atque ita fornicandi à Deo, putat locum habere facultatem hanc relinquendi coniugem. Ceterùm postmodum retractans hunc locum, lib. 1. retract. c. 19. non putat facile

hoc

hoc definiendum esse, sed magis sub dubio reliquit. Magister quidem Sentē. primum locum secutus, tenet quod ibi August. sed b. Thom. ibidem, perpetuò ab omni cohabitatione non putat ob alia peccata licitum esse separari, maximè ecclesiæ iudicio, id est, publicè. Non enim sine caussa fornicationē dumtaxat excepit Christus: vt videlicet nō extendatur longiùs, quàm ad hæresim, vel abusus alios carnis. Hæc enim omnia specialiter contraria sunt ipsi matrimonio: adulterium quidem generationi, hæresis verò educationi legitimæ prolis. Ceterùm alia vitia non habent specialem in matrimonio rationem. Sed communis illa regula euangelij certa est: Si oculus tuus scandalizat te &c. vt videlicet ad tempus à continuo conuictu coniugis separari debeat, qui inde videt se periclitari & ad peccatum sollicitari. Quartum denique istud sit. Quòd in hac caussa adulterij æquale est ius vtriusque coniugis, quod attinet ad dimittendum adulterum. Sic enim Paulus apertè eos æquat, quod attinet ad fidelitatem seruandam, & ius vtendi corpore alterius. Mulier (inquit) sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Cùm itaque æqualiter vterque sit obstrictus alteri: iustè potest innocens frangenti fidem ius suum auferre. Vbi (vt b. Thom. diligenter considerat) quod attinet ad fornicationem siue carnis vitium, grauiùs peccat vir quàm mulier: quòd debilior sit mulier, & vir magis debeat ratione vti. Quare & August. lib. 2. de adult. coniug. adulterium viri magis exaggerat. Ceterùm, quod pertinet ad nocumentum matrimonij, magis peccat mulier: cùm inde confusio & incertitudo in prole sequi possit. Quare humanæ leges magis mulierem peccantem puniunt, quòd & natura etiam magis subdita sit, & grauiùs offendat. Vnde etiam adulterium vxoris contumeliosius est viro, quàm viri vxori. Hæc igitur de consummati matrimonij dissolutione quoad cohabitationem & vsum, dicta sint: de alijs sequenti lectione dicemus.

dist. 39. can. 6.

1. Cor. 7.

B. Tho. in 4. dist. 35. Ad 5.

LECTIO DECIMA-TERTIA.

De indissolubilitate matrimonij quoad vinculum.

VAE hucusque dicta sunt de dissolutione matrimonij, quoad actum eius, cohabitationem scilicet vel thorum, dicta sunt. Verùm an vinculum ipsum matrimonij dissolui possit, nunc restat dicendum. Si enim vinculum dissoluatur, vterque eorum, & adulter & innocens poterunt alia cõtrahere matrimonia: quod si non licet, consequens est vinculum non esse solutum. Igitur Magister senten. supradicta 35. dist. hoc disputans, quanquam diuersas patrum sententias de ea re adduxerit, tandem tamen negatiuam partem asserit: quem b. Thom. ibi sequitur, & ceteri omnes scholastici: immo & catholici omnes doctores post Magistrum, illud tanquam certissimum tenent: permanere scilicet vinculum matrimonij indissolubile. Quod maximè probatur ex natura ipsa sacramenti. Nam sacramentum semel perfectũ, nulla humana actione aut peccato consequenti, fieri potest inualidum & irritum. Verùm quoniam de hoc hæretici calumniantur ecclesiam catholicam, & Eras. non pauca, vnde illi ansam arripuerunt, scripsit in lib. de institutione matrimonij Christiani, & in annotat. in 7. c. 1. ad Corinth: breuiter est hæc sententia confirmanda. Igitur hoc fuisse dubium in antiqua ecclesia, multa apertè ostendunt: tunc maximè, cùm legibus ciuilibus matrimonia tractarentur. Vnde Origenes refert, in locum illum Mathæi 19. superiùs citatum, multos episcopos permisisse viris, vt contraherent secunda matrimonia. Et ex Hieronymo patet Fabiolam nobilem Romanam & Christianam iam, sed iuniorem, hoc feciſſe, ex ignorantia potius quàm contemptu aut malitia: Ambros. etiam in locum illum Pauli: Vxorem à viro nõ discedere: viris putat licere alias ducere, relictis adulteris: non tamen mulieribus. Sic enim intellexit Paulum disertè mulieribus præcepisse, vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam &c. Viris verò tantùm (ait Ambrosius) iubet: Et vir mulierem nõ dimittat: nihil amplius addens. Huic dubitationi præbuerunt non paruam occasionem multis verba Do-

Matrimonij vinculũ nõ potest dissolui, nisi per mortẽ alterius.

Erasmus.

Homil. 7. in Matth.

1. Cor. 7.

ba Domini ſuperius citata 5. & 19. c. Matth. Nam ea. 5. inquit. Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, excepta cauſſa fornicationis, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat. Ecce, excipit cauſſam fornicationis. Commiſſa itaque fornicatione, videtur permitti vt alius eam ducat. Similiter & ſecundo loco, ca. videlicet 19. Quicunque, inquit, dimiſerit vxorem, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Propter hæc igitur dubitatum fuit olim: vt Auguſt. etiam ſatis oſtendit lib. de fide & operibus, in quo ipſe quoque dubius adhuc erat: poſtea verò reſpondens Pollentio duobus illis libris de adulterinis coniugijs, vt certiſsimum ex ipſo euangelio & ſcriptura ſacra probatum, tenet, nulla ratione, viuente altero coniuge, vel vtrunque vel alterum contrahere poſſe matrimonium: ſed omnino indiſſolubile eſſe, quod ſemel inter Chriſtianos ratum & conſummatum fuerit. Quod primò probat ex verbis Apoſtoli: His autem qui matrimonio iuncti ſunt, inquit, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari: Ex quo efficaciſsima ratiocinatione ita Auguſtin. concludit: Paulus (inquit) diſcedenti mulieri optionem dat, vt vel maneat innupta, vel reconcilietur viro. At verò ipſemet Paulus eodem c. apertè docet, nulli coniugum licitum eſſe, altero inuito, ab eo diſcedere: nolite (inquit) fraudare inuicem, niſi fortè ad tempus, ex conſenſu ſcilicet amborum: non igitur licitum eſt vxori à viro diſcedere pro ſuo arbitrio. Illa igitur optio data mulieri, vt vel maneat innupta, vel reconcilietur, non aliter poteſt intelligi, quàm vt locum habeat, cùm iuſta cauſſa diſcedere poteſt. At verò omnis alia cauſſa à Chriſto reiecta eſt præter vnam fornicationem. Cùm igitur diſcedit mulier licitè, propter adulterium ſcilicet viri, quale ſuperiùs expoſuimus: tunc datur ei optio duorum illorum, vt vel maneat innupta, vel viro reconcilietur. Igitur non poteſt alteri coniungi. Et idem (inquit) de viro Paulus ſenſit: quod tamen breuioribus explicauit verbis, dicens ſtatim: Et vir vxorem non dimittat: quia iam ſuperius oſtenderat æqualem eſſe in hoc vtriuſque cauſſam. Vnde etiam eodem cap. apertius, ſicut & ad Roman. 7. Mulier, inquit, alligata eſt legi, quamdiu vir eius viuit: quòd ſi dormierit vir eius, liberata eſt. Igitur (inquit Auguſtin.) ſola morte alterius vinculum matrimoniale diſſoluitur. Viuente viro (inquit Apoſtolus) vocabitur adultera, ſi fuerit cum altero viro. Non igitur deſijt ille vir eius eſſe, qui mulierem ob

C. 2. & ſequētibus.

lib. 2. c. 2. & ſequēt. aliquot.

Ca. 5. 2. lib. fornicationem dimisit. Hæ sunt potissimæ b. Augustini rationes, simul cum ipsius sacramẽti ratione. Sicut enim (inquit) reus excommunicatus, etiam si nunquam reconcilietur, non carebit sacramento baptismi: ita nec mulier adultera. Adducuntur quidem ad hoc ipsum probandum etiam à b. Hieronymo efficaciores rationes: sed solidum fundamentum est hæc doctrina Pauli, ex persona Dei id tam apertè præcipientis. Ceterùm duo illa loca euangelij apud Matthæum, quæ difficultatem in hac re faciunt, quia excipit Christus causſam fornicationis, quare in fornicatione vtrunq; videtur permittere, & vt dimittatur vxor, & vt alia ducatur, ac ipsa alterum accipiat: si (inquit Augusſt.) cũ alijs locis conferantur euangelij, facile tollitur omnis ambiguitas. Marcus enim referens quæ dixerat dominus Pharisæis de libello repudij, ita diserte dicit: Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: Et idem etiam de vxore addit. Ecce igitur (inquit b. Augusſt.) nihil excipitur: sed quicunque dimiserit, ex quacunque causſa, & aliam duxerit, mœchatur: Rursùm apud Lucam ita absolutè dicitur: Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur. Cùm igitur duobus his locis non excipiatur causſa fornicationis: ille alter locus, vbi excipitur ita accipiendus est, vt intelligamus quòd eo loco Christus dominus vnam tantùm partem & causſam huius quæstionis dissoluerit, & quidem eam, quæ apertior erat: Qui dimiserit vxorem excepta causſa fornicationis, & aliam duxerit mœchatur. Cui enim nõ apertissimum est, multo esse peius vxorem non fornicantem dimittere, & aliam ducere: quàm eã quæ iam adultera est? Illud igitur quod est apertius Matthæus refert, hoc verò, quod minus apertum erat, præsertim tunc temporis, tacet: non tamen propterea sequitur non esse adulterium.

Quomodo Christ⁹ excipiat causſam fornicationis.

Ca. 10.

C. 11. *prim. lib.*

Ca. 16.

C. 9. *primi lib.* Nec enim (inquit Augustinus) quia Apostolus Iacobus dixit: Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi: statim inferre licet, eum qui nescit bonum facere, & ideo non facit, non peccare. Hoc enim ex alijs locis scripturæ etiam constat peccatum esse. Ita igitur, quia dicit Christus, eum qui vxorem suam dimittit sine causſa fornicationis, & aliam ducit, mœchari: nõ sequitur: quòd qui ex causſa fornicationis dimittit, & aliã ducit, non mœchetur: Sed hoc ex alijs locis scripturæ colligendum est: ex Paulo videlicet, & alijs Euãgelistis, qui ostendunt esse peccatum. Itaq; quòd multi scholasticorũ verbum illud: excepta causſa fornicationis (à priori clausula excipere tantùm intelligunt,

hoc

hoc modo: Qui dimiserit vxorem suam excepta caussa fornicationis, mœchatur &c. non tamen à secunda clausula, vt scilicet debeat intelligi: Qui aliam vxorem duxerit excepta caussa fornicationis: quod ad rem attinet) conforme est huic Augustini sententiæ: quanquam ex literę illius cõtextu hoc probari nequeat. Itaque si rectè hæc expendantur, & certissimæ veritati atq; cõsensui euangelistarum fuerint coniuncta: potest iustissimè credi, Christum Dominum vtrumque dixisse: & quod apud Matthæum, & apud Marcum est. Si enim non excepisset caussam fornicationis, non addidisset illud verbum Matthæus: & si non vniuersaliter dixisset, nequaquam Marcus & Lucas obliti fuissent excipere caussam fornicationis. Vnde non immeritò quidã conijciunt illud verbum, excepta caussa fornicationis, dictum esse primò à Domino propter infirmitatem pharisæorum, quibus persuasissimum erat, ob fornicationem dimitti posse vxorem, & aliã duci: quare nullo modo sustinere potuissent totam Euangelici matrimonij indissolubilitatem. Postea verò illud secundum, quod est apud Marcum, vniuersaliter dixit, nullã excipiens caussam. Et hoc satis apparet in schola illa Christi non solùm tunc, sed frequentiùs dictũ esse, & tanquã certũ ab eius discipulis habitũ. Vnde etiã Lucas non refert hęc certo aliquo loco dicta esse, sed inter quædã quæ colligit Euãgelica dogmata, hoc ponit, non ab aliqua alia sententia pendens. Et Paulus etiã tam vniuersaliter loquens, satis docet hanc esse sententiam propriam Euangelij. Huic igitur Augustini sensui, quem paulò fusiùs explicauimus, consentit aliorum patrum auctoritas. Nam Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ, apertè cõtra Euangelium dicit esse quod illa fecit, vt licet iustè à priori viro separata, alterum duceret: immo ostendit Ecclesiæ ipsius Romanæ hunc esse sensum, quæ propter hoc publicæ pœnitentiæ subiecit nobilem & insignem matronam Romanam: quare etiam de tanta humilitate Hieronymus vehementer commendat eam. Origenes quoque loco superiùs citato, apertè dicit cõtra Euãgelium esse, virum aliam ducere. Et Concilium Mileuitanum hoc apertè definiuit, hunc esse sensum verborum Pauli quę citauimus, affirmans. Idem similiter Innocentius 1. in Epistola ad Exuperium Tolosanum episcopum, quæ tertia est, conforme esse Euangelicæ doctrinæ, definiuit. Et deniq; Innocentius 3. in cap. gaudemus, de diuortijs, ita hoc certissimum habet, sicut Ecclesiæ sententiam. Quare non est cur de hac caussa amplius disputetur. De multis licuit olim dubitare, quæ, cùm iam

Cap. 27.

Cap. 6.

expli-

explicata sint & totius Ecclesiæ consensu recepta, non possunt in dubium sine hæresis & schismatis periculo reuocari. In qua re non possumus omittere, quin Erasmi memineri mus, qui supradictis locis multa cõtra hoc dixit, ad nihil aliud vtilia, quàm ad inquietandos simplicium animos, & ad præbendam ansam hæreticis: cùm interim specioso titulo commendetur liber, videlicet, De institutione Christiani matrimonij &c. Ad id verò quod ex Ambrosio diximus, non est aliter respondendũ, quàm quòd non mirandum est, si, re tunc temporis nondum satis discussa, Ambrosius id affirmauerit, quod postea repertum est minus verum. Nec dubitamus Ambrosium facilè fuisse cessurum aliorum sententiæ, & maximè consensui Ecclesiæ.

Erasmus.

Vtrũ liceat adulteram occidere.

Mouentur circa hoc nonnulla alia dubia, de quibus quoque iam breuiter restat dicendũ. Primum, An liceat Christiano adulterã occidere? Augustinus putauit omnino illicitum esse, quanquam legibus humanis permittatur. Ita enim ille asserit, respon-
c. 14. & 15. dens Pollentio, secundo libro de adulterinis coniugijs. Et omnino putat satius esse viris, sine spe coniugij manere, quàm adulteram, vt aliam habere possint, occidere: hoc enim (inquit) est facere illicitum, vt aliud, etiam illicitum permittatur. Ceterùm
dist. 37. ar. 1. q. 2. b. Thomas accusatam & condemnatam in iudicio licitè putat occidi à viro, modò nõ vindictæ animo, sed iustitiæ zelo faciat: sicut, inquit, in ceteris alijs peccatis, quæ capitali pœna puniri solent. Odium autem & intentio mali proximi, peccata sunt: ipsa vero executio iustitiæ est licita. Immo repertam in ipso adulterio non putat sine peccato occidi, sine iudicio & sententia iudicis: quanquam leges ciuiles hoc permittant, compatientes magis infirmitati virorũ, quàm hoc præcipientes: & propterea Ecclesia huiusmodi subijcit publicæ pœnitentiæ.

De libello repudij.

Secunda, his etiam proxima, quæstio est de libello repudij, qui in lege permittebatur dari mulieribus: An scilicet illud sine peccato fieri possit? Nam Christus Dominus apertè dixit, propter duritiam cordis Iudæorum hoc olim permissum fuisse: ex quo verbo quidam putãt tantùm fuisse permissionem minoris mali, vt caueretur maius: scilicet occiderent quas dimittere nõ poterant: sicut permittitur in republica fornicatio &c. Sed bea-
dist. 33. ar. 2. q. 1. et 2. tus Thomas, diligenter hoc disputans, magis putat esse probabile, quòd fuerit dispẽsatio, fretus maximè auctoritate Chrysostomi, qui in homilia illius loci apertè hoc dicit, quòd scilicet legislator à peccato culpam abstulit: quanquã fateatur primum esse communius. Sed cùm lex illa tam reuocata sit à Christo,

ſto, non eſt cur de ea ſit anxiè diſputandum. Certum eſt Deum diſpenſare poſſe, vt beatus Thomas ibidem dicit: quoniam quanquam hæc indiſſolubilitas videatur eſſe de iure naturę (eſt enim ob educationem & prouiſionem filiorum, parentum perpetua coniunctio neceſſaria) tamen magis putat beatus Thomas eam ad ſecundaria legis naturæ præcepta pertinere, vt poſſit à Deo (etiam præter alicuius myſterij ſignificationem) diſpenſari. Si itaque diſpenſari poteſt: cur non credendum eſt diſpenſaſſe Deum, & abſtuliſſe occaſionem peccati ab illis? Quod ſi ita non placuiſſet Deo: cur non etiam illud ſignificari voluiſſet per Prophetas? Nullus enim vnquam populum admonuit, illud peccatum eſſe. Rurſum etiam, quæ cauſſa ſufficerit ad libellum repudij dandum, diſputatur: & diuerſæ ſunt ſententiæ, de quibus beatus Thomas ſupradicto loco. Alij enim infirmitatem, ſiue maculam, aut mores minus compoſitos putant fuiſſe cauſſam ſufficientem, vel certè ſolum odium. Alij eas tantùm, quæ ad impedimentum prolis pertinere poſſent: vt ſterilitatem, vel lepram, aut tales mores, quibus corrumpi poſſent filij. Certè Malachias tantùm dicit: Cùm odio habueris eam, dimitte, dicit Dominus Iſraël. Sed de his ſatis, quæ nunc minimè neceſſaria ſunt, reuocata à Chriſto illa lege. *De cauſſa libelli repudij.*

Vltimò tandem de pluralitate vxorum quæſtio eſt, quæ etiã nunc à recentioribus quibuſdam mouetur, cùm tamen hoc in antiqua Eccleſia nunquam videatur fuiſſe dubium. Diſputat hoc Magiſter ſententiarum, & poſt illum reliqui, diſt. 33. Primò conſtat hoc aliquando licitum fuiſſe in populo Dei, vt patet in Abraham, Iacob, & alijs patriarchis, quos, etſi plures habuerint vxores, beatus Auguſtinus libro de bono coniugali, & libro de ſancta virginitate, non ſolùm à peccato defendit, ſed etiam myſterium fuiſſe dicit factum illud, & religionis, multoque in illis ſanctiùs, quàm in Chriſtianis eſſe ſoleat nũc habere vnam tantùm vxorem, immo quàm ipſe cælibatus & virginitas: de quibus tamen poſtea. Hoc itaque licuiſſe ex diuina diſpenſatione putat b. Thom. eò quòd vxorum pluralitas proprio & primo fini matrimonij, qui eſt generatio & educatio filiorum, non repugnet, ſed ſecundario: pacificę ſcilicet cohabitationi & conſuetudini domeſticæ vitæ, quæ iure naturæ neceſſaria eſt ad generationem & educationem. Propterea enim putat ſola Dei diſpenſatione, qui inſtitutor eſt matrimonij, id fieri potuiſſe. Alij dicunt nuſquã reperiri diſpenſationem, & tamen communem in lege vſum fuiſſe plurium vxorum putant, neque tamen *De pluralitate vxorum.* *q. 1. art. 1. & 2.*

Cap.21. men illicitum. Vnde in Deuteronomio dicitur: Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam & alteram odiosam &c. quod non reprehenditur: sed tantùm præcipitur, vt non præferatur filius dilectæ filio odiosæ, si hic primogenitus fuerit. Et eodem loco, de ducenda muliere captiua quæ placuerit, lex tra-
Cap.17. ditur. Quanquam etiam in eodem libro regi prohibeatur, ne habeat plurimas vxores, quæ alliciant animum eius: non tamè plures habere illicitum erat, etiam Regibus. Nam & Dauid 7. legitur habuisse, sed nō plurimas: sicut Salomon. Ex his itaque volunt hi, ex communi lege hoc licitum fuisse absque vlla dispensatione, modò id fieret absque præiudicio alicuius. Quia enim vir tenetur vxori debitum reddere (inquit Durandus) si secundam ducat, non poterit priori satisfacere: & ita neutri: multo minus si plures habeat. Sed quando iam (inquit) hoc in vsu erat, quæ ducebantur mulieres, implicitè consentiebant, vt eis debitum redderetur iuxta legem illam matrimonialem. Et certè
Lib. de bono cōiuga. Augustinus aperte dicit, non esse contra naturam nuptiarum, vt vnus plures habeat vxores: sicut (inquit) contra naturam earum est, quòd vna plurium virorum sit vxor: quare hoc nusquam legitur vllam sanctarum mulierum fecisse: & omnes theologi hoc omnino indispensabile esse affirmant. Itaque nō est dubium, quòd vnitas viri in matrimonio, de natura ipsius matrimonij sit, secundum quam superior est vir & Dominus: pluralitas verò vxorum eidem non repugnat: sicut (ait Augustinus) vnus dominus plures habet seruos, non vnus seruus plu-
Ca.15. eo. lib. & 18. & 25. res dominos. Denique Augustinus hoc ante Christum nec cōtra naturam, neque contra morem, neque contra præceptum: & ideo licitum fuisse in his patribus, asserit: quod etiā ad sacramētum ille refert, quo significabatur Christū plures gentium Ecclesias sibi copulaturum in spirituale matrimonium. Itaque cōstat, licuisse ante Christum plures habere vxores. De caussa verò disputari potest: an scilicet dispensatio sola Dei, an verò lex ordinaria fuerit. Primum tamen illorum probat Innocentius tertius, in cap. gaudemus, de diuort: & consentit valde cum verbis Christi, de quibus statim dicemus. Permittatur itaque illud disputari circa tempus veteris legis. Ceterùm, vt nunc à quibusdam in quæstionem vertatur: An in Ecclesia hoc aliquando licitum fuerit: vel an nunc etiam liceat: non putamus sustinendū esse. De hæreticis quidem non mirandum est, qui multa alia corrumpunt: sed in catholicis certè mirandum est. Et superfluū est huius rei aliam rationem quærere, quàm totius Ecclesiæ cer-

certissimum sensum. Tamen, ne sine certa fidei ratione relinquamus hoc: omnia supradicta istud confirmant. Primò, quòd Christus dominus apud Matthæum respondet Pharisæis: Qui fecit hominem, masculum & fœminam fecit eos: & dixit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Quæ omnia vnitati vxoris testimonium præbent: sicut Chryso. in homil. illius loci inquit. Non enim dicit Dominus, adhærebit vxoribus, sed vxori: nec erunt tres vel quatuor in carne vna, sed duo: nec masculum & fœminas creauit: sed masculum & fœminam. Quare adeò certum hoc ecclesia habuit, vt Innocentius tertius in c. gaudemus, de diuortijs, non permittat ei qui plures vxores in infidelitate habuit, ad fidem conuersò, retinere, nisi priorem: etiam si fortè illi libello repudij dato, & ea abiecta, aliam, vel alias duxerit. Sufficere deberet hæc Ecclesiæ auctoritas, & quòd nunquàm in antiquitate Ecclesiæ plurium vxorum exemplum habeatur. Patres sanè omnes & Græci & Latini, verbũ illud interpretantes: Episcopus sit vnius vxoris vir: nunquàm cogitárunt, quòd alijs liceret plures simul habere: sed episcopis (vt suprà diximus) etiam successiuè plures habere prohibuit Paulus. Quare contrarium sensum Caietani in illo loco, non dubitamus alienum esse à fide. Quòd si verba citata non satisfaciunt: certè quod sequitur, efficaciter hoc conuincit. Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Vbi, si non dimissa vxore, sed eam retinendo liceret aliam ducere, neq; hoc esset mœchari: cur nõ magis ea dimissa, aliam sine peccati periculo liceret ducere. Certũ est enim minus hoc repugnare matrimonio, vt dimissa vna, altera ducatur: quàm, vt simul plures habeantur. Itaque si nõ prohibuisset dominus plures vxores habere: nequaquã dicturus erat: Qui dimiserit vxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: sed tantùm dixisset: iniuriam illi facit. At verò dixit: mœchatur aliam ducens. Sequitur ergo, quòd illa superinducta vxor eius nõ sit: & quòd eiecta vxor eius maneat. Vtrunque enim horum requiritur vt adulter sit vir aliam ducens eiecta priori, & similiter vt eiectam ipsam ducens adulteret. Adulterium enim non est, nisi quando ad eam quæ est alterius: aut alteram habens vxorem, ad aliam quamcunque accedit. Itaque nõ est dubitandum, Christũ Dominum eo loco matrimonium ad suam priorem naturã reduxisse, & voluisse vt vnus tantùm vnam habeat inseparabiliter quoad vinculum: nec voluisse tantùm, sed ostendisse

hoc

hoc esse ex ipsa perfecta natura matrimonij, & prima conditione humanæ naturæ, & maximè ex ratione sacramenti, quam perfectam & integram oportuit esse tempore reuelatæ gratiæ. Mouet b. Augustin. dubium in libro de bono coniugali, an de consensu propriæ vxoris liceat viro ad aliam accedere: vt ad ancillam fortè vxoris, ex qua vxor vellet filios habere, quos ex se non potest. Et quanquam sub dubio visus sit hoc relinquere, satis tamen ostendit illud alterius temporis fuisse. Sic etiam in 1. libro de sermone Domini in monte, retulit exemplum quoddam fidei coniugalis in muliere, humano quidem iudicio commendabile, quòd scilicet illa ob liberandum virum à carcere, qui ob inopiam, quæ fisco reddenda erant, soluere non poterat, consensit diuitem quendam admittere, consentiente marito, qui pecuniam illam promiserat se daturum. Non probo (inquit ille) hoc. Sed interim non putat arguendam mulierem de adulterio aut infidelitate. Itaque duo ista eodem modo Augustinus illis locis tractauit: non dubitat tamen (quod alibi dixerat) contra naturam nuptiarum esse, quòd vna pluribus seruiat, sicut non dubitat, quòd vna habenda sit in Ecclesia & fide Christi: Vnum tantùm ex tota Ecclesiæ antiquitate habemus, quod his videtur repugnare. Legimus namque in historia tripartita, quòd Valentinianus Imperator lege permisit vni viro duas vxores habere. Sed lex Imperatoris non est recipienda: nec certè legitur quòd recepta fuerit, vel vt iusta habita, sed potius ibi etiam refertur, quòd priuato affectu, vt ille posset. Iustinam ducere, id fecerit.

Nec cũ cõsensu vxoris marito ad aliã accedere liceat.

Nulla itaque ratione illud trahendũ est in exemplum.

LECTIO

LECTIO DECIMA QVARTA.

De superadditis integritati & veritati sacramenti matrimonij, & impedimentis non dirimentibus ipsum.

DIximvs de his quæ huic sacramento necessaria sunt, & de proprio eius effectu: ex quibus iam habentur ea, sine quibus sacramentum & cõtractus matrimonij nõ sunt rata. Restat vt breuiter, quæ ad solennitatẽ pertinent, referamus. Habent cetera sacramenta quædam superaddita suæ essentiæ, siue ex iure ipso diuino & traditione apostolica, siue ex statuto Ecclesiæ. Exempla horum sunt Catechismi & Exorcismi in baptismo: mistio aquæ cum vino in eucharistiæ sacramento: & huiusmodi alia. Hæc sine peccato quidem non omittuntur: omissa tamen non faciunt irrita sacramenta. Ita in matrimonio quædam sunt ex iure ipso diuino, quędam ex ecclesiæ statuto obseruanda, non tantùm vt integrum sit sacramentum & validus contractus: sed vt ritè quoque & sanctè celebretur. Ex illis sumuntur impedimenta quæ impediunt quidem, sed non dirimunt matrimonium: hoc est, quæ si adsint, nõ potest matrimonium sanctè & ritè contrahi: contractum tamen verum & ratum est. Sic enim b. Thomas dist. 34. & alij scholastici distinxerunt impedimenta, vt alia sint dirimentia matrimonium: alia impedientia tantùm, quæ videlicet (inquit b. Thomas) sunt cõtraria his quæ pertinent ad solennitatem sacramẽti. Ista igitur Syluester collegit in verbo, Matrimonium 7. fusiùs quidem: & Caietanus breuiùs ac luculentiùs in Summula: ex quibus sequentia sunt notanda.

Primum. Ius ipsum naturale & diuinum, quo matrimonium cõstat, tria duntaxat, aut certè quatuor exigit vt iustè matrimonium contrahi possit: in quibus quædam magis specificata sunt ab Ecclesia: omnia tamen tantùm requiruntur, vt sine peccato contrahatur matrimonium: nam etiam sine illis contractum, firmum & ratum est. Primum igitur natura huius sacramenti requirit, *Cõtractus matrimonij debet esse publicus.*

quirit, vt publicè, non occultè & clandestinè celebretur. Siue enim quatenus officium naturæ est consideretur, requirit vt ita fiat contractus, quatenus Reip. constare possit, & filij ex eo nati legitimi agnosci: quod non fit nisi publicus cõtractus: siue quatenus sacramentum est cogitetur: requirit etiam vt in facie ecclesiæ, & sub eius testimonio contrahatur. Vt omittamus interim scandalum, quod ex occultis matrimonijs oritur, & periculum contrahendi alia matrimonia, quæ ab Ecclesia non iudicabuntur nulla, cùm de prioribus constare non possit, vt ex superioribus patet: vnde multa pericula sequuntur. Idcirco Ecclesia diligenter cauet, ne clandestina matrimonia contrahantur, vt in proprio titulo de clandest. despõ. habetur. Vbi Innocentius 3. in concilio generali c. Cùm inhibitio, diligenter statuit, vt in Ecclesia publicentur &c. Igitur occultè omnino & sine testibus matrimonium contrahere: ita vt probari non possit coram Ecclesia: manifestum est mortale peccatum contra ius ipsum naturale: nec solùm cõtractus ipse, sed & vsus matrimonij sic contracti. Contrahere verò sine ea publicatione quam ecclesia requirit, similiter mortale est: nisi fortè alicubi excusaret consuetudo. Est enim ecclesiæ præceptũ circa rem certè grauem. Huic etiam solemnitati superaddidit ecclesia benedictiones, quas fieri voluit per ministros suos cum sacra oblatione: de quibus in principio adduximus antiquissimæ Ecclesiæ auctoritates ex Anacleto, Tertulliano, & Cõcilio 4. Carthaginensi. Quas quidem benedictiones non in contractu ipso, sed in traductione vxoris in domum: & quidem ante cõsummationem matrimonij ecclesia iubet adhiberi. Et quanquam Anacletus (vt suprà diximus) aliter contracta cõiugia nulla esse pronunciauerit: tamen sensus & cõsuetudo ecclesiæ hoc iam habet, vt valida nihilominus sint matrimonia: immo licitè contrahantur, modò ante traductionem in domum suscipiantur benedictiones. Omissio igitur illarum quando, & quomodo illæ suscipiendæ sunt: non est dubium quin sit etiam mortale peccatum, contra grauissimam ecclesiæ ordinationem in re tam seria ad cõciliandam diuinam gratiam, qua maximè opus est in matrimonio & perpetua illa vitæ consuetudine. Quod verò à nonnullis dicitur, quòd consummatio matrimonij ante illas benedictiones peccatum sit: de peccato nonnullo nõ est dubium: cùm (vt superius diximus) etiam post benedictionem expectandũ esse aliquod tempus, aut diem, antiqua ecclesia præceperit: mortale verò id esse peccatum, qui prudentius iudicant, non audent definire, maximè ob infirmitatem humanam.

Clandestinũ matrimonium eius q; vsus mortale peccatum est.

humanam. Sed in his quantum fieri potest, nō sunt laxandæ habenæ & frena concupiscentiæ, sed retinenda antiqua honestas. Interim tamen etiam cauendum, ne, dum hoc nimium curatur, detur occasio aliarum impudicitiarum & turpium libidinū inter sponsos, quæ profectò multo grauiora peccata sunt, etiam si hoc graue esset. Hęc itaq; de solennitate superaddita contractui matrimonij. Vbi etiam non est omittendum, multos prudentes & Deum timentes iam à multis annis desiderasse, vt ecclesia irrita decerneret eiusmodi matrimonia: ea (vt minimū) quæ sine legitimis, fide dignis, & sufficientibus testibus passim contrahuntur: quod certum est ecclesiam posse, vt ex superioribus patet: & tali cōstitutione multorū malorum ac perplexitatum occasiones auferrentur. Nullum esset tunc matrimonium, quod non posset probari in ecclesia: nulla posset decipi & frustrari promissione mendaciter facta: sed ecclesia cōpelleret fidem datam seruare. Sunt qui cupiant constitutionem illam Anacleti, qua multæ aliæ solennitates requiruntur (vt suprà diximus) renouari, vt (sicut illa apertè habet) aliter contracta nulla sint coniugia: vt videlicet omnis occasio fraudis & corruptionis, quę in huiusmodi matrimonijs committitur, per lenas & lenones contractis: & multa alia peccata tollerentur. Hucusque tamen ecclesia nihil statuit. Est enim satis propensa in fauorem matrimonij semel contracti. Expectanda est igitur de his definitio generalis concilij, aut legitima auctoritate facta: & illud iudicandū melius, quod ita decretum fuerit. Non est etiam omittendum circa hoc (quod Caietanus in additionibus 3. par. diligenter adnotauit) licitè nonnunquàm & sanctè matrimonium contrahi occultè. Vt cùm aut iniustè & irrationabiliter impediuntur vir & mulier, qui sub potestate alterius sunt: aut certè ad minus conuenientia sibi matrimonia iniquè trahuntur & vrgentur à potentioribus, aut in vrbis direptione, propter vitāda pericula &c. In his enim manifestum est non agi contra intentionem legis.

Multi optāt clandestina matrimon. ab ecclesia decerni nulla.

Nōnunquā occultè licet matrimonium cōtrahere.

Huic proximum est interdictum ecclesiæ. Nō enim dubium est peccari, si contra interdictum vel iuris, vel iudicis, aut ipsius Parochi, ad quem pertinet hoc curare, contrahatur matrimonium: nō tamen propterea nullum est contractū: de quo proprius est titulus, de matrimonio contracto contra interdictum ecclesiæ. Quod ideo inter ea quæ iuris naturalis sunt ponimus: quia quanquam interdictum ipsum vel iuris positiui, vel hominis etiam esse possit, tamē (vt suprà declaratū est) ius ipsum naturale exigit, vt legibus probetur contractus matrimonij: propter

Interdictū ecclesiæ vel iudicis impedit matrimonium cōtrahendū, sed non dirimit cōtractum.

quod etiam vocatur legitimum. Itaque si contra leges fuerit aut iudicum prohibitionem, illegitimum est: nec dubiũ quin peccatum mortale sit hæc transgressio, præcipuè cùm interdici non debeat à iudice sine graui causſa: quia scilicet aut dubium aliquod occurrit, an possit contrahi: vel aliqua huiusmodi causſa.

Quib⁹ diebus non liceat celebrare nuptias.

Circa hoc etiam occurrit tempus feriarum: quo ecclesia prohibet benedici & solenniſari matrimonia. De quo Magiſt. ſenten. d. 32. & Gratia. 33. q. 4. c. non oporteret & ſequentibus aliquot, patrum & conciliorum citārũt decreta: & in tit. de ferijs, habentur etiam nonnulla ad hoc pertinentia: quamuis illis temporibus, ſecundum iam receptam conſuetudinem non prohibeatur matrimonium contrahi, ſed vxor in domum traduci, benedicere nuptias & ſolenniter celebrare. Nam (vt b. Tho. ſupradicto loco inquit) in his nouis dedicationibus matrimonij ſolet nimia eſſe

art. 5. q 4.

cura & implicatio circa carnales actus. Numeratur tamen inter hæc impedimenta (ſicut explicatum eſt) cùm ſit impedimentum ſolennitatis &c. Deſignant ſtatuta eccleſiæ tempus ab Aduentu domini vſque ad Epiphaniam, & à ſeptuageſima vſque ad octauam Paſchæ, & à tribus diebus ante Aſcenſionem vſq, ad octauam Pentecoſtes. Vbi quãquam quædam iura tribus hebdomadis ante feſtum Ioannis baptiſtæ hoc prohiberent: tamen tres illas hebdomadas propter feſtũ pentecoſtes intelligendas eſſe, explicat Alexander 3. in c. Capellanus, de ferijs. Tria itaque illa tempora ob ſpecialem ſanctitatem, quã in illis à populo exigit eccleſia & propter præparationem ad communionem, quę circa illa tempora fieri ſolet, eccleſia ſeparauit, in quibus non debeant ſolennitates hæ carnales (quãquam alioqui licitæ) celebrari. Vbi etiam eſt conſiderandum, non ſolùm ante cõmunionem, quam in Natiuitate, Paſchate, & feſto Pentecoſtes eccleſia præcipiebat: ſed etiam pòſt, antiquam eccleſiam apertè ſignificaſſe frequentiora & puriora orationum exercitia habenda eſſe, propter quæ ab his ceſſari voluit. Ceterùm ſi quæ de horum omnium intellectu dubia eſſe poſſunt, magis ex communi conſuetudine iudicanda ſunt. An videlicet prohibeantur octaui ipſi dies paſchæ & pentecoſtes? et ſi quæ ſunt huiuſmodi. Nam & quod de conſummatione matrimonij in his diebus mouetur, an ſcilicet licitè fiat, & huiuſmodi alia, ſatis iam conſuetudo & permiſsio eccleſiæ oſtendit non eſſe peccata. In his enim omnibus non eſt parũm conceſſum infirmitati humanæ.

Septē peccata matri

Huic impedimento interdicti eccleſiæ meritò coniungi poſſunt ſeptem peccata, propter quæ prohibet eccleſia contrahere

matrimo-

matrimonium his qui illa committunt: quibus si adiungamus cognationem quandam spiritualem, octo erunt impedimenta iuris positiui, ob quæ non licet matrimonium contrahere. Peccata igitur hæc sunt. Primum. Incestus cum consanguineis vxoris de quo in iure titulus est, de eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ. Et idem de muliere à consanguineis viri cognita. Præcipit enim ecclesia sic peccantes in matrimonium ipsum, manere sine spe coniugij. Secundum. Interfectio vxoris, ea saltem, quæ præter iudicium legitimum fit: hanc enim punit ecclesia. Tertium. Homicidium clerici. Quartum. Solennis pœnitentia, aut potius peccata illa, propter quæ imponitur solennis pœnitentia, cùm illa imposita fuerit. Quintum. Si quis proprium filium susceperit ex fonte sacro, insidiàs matrimonio, vt scilicet priuetur vxor iure exigendi debitum: hunc enim iura iubent, in pœnam sine spe coniugij perpetuò manere, præter hoc, quòd propter ipsam cognationem non potest exigere debitum. Sextum. Raptus alienæ sponsę. Septimum. Scienter cum Moniali matrimonium celebratum. Hæc itaque peccata, quæ omnia in ipsum matrimonium committuntur, iura hac pœna puniunt, vt qui ea commiserint, deinceps non contrahant. Octauum deniq; est cognatio quædam spiritualis, quę contrahitur non ex baptismo vel cõfirmatione, in quibus est vera cognatio (vt dictum est superiùs) sed ex solo catechismo. Ex eo enim quòd ad catechismum aliquis tenetur, nonnulla cognatio oritur inter eos, inter quos ex baptismo & confirmatione diximus superius oriri: sed hæc non facit matrimonium nullum, vt Bonifacius octauus definit c. Quamuis, de cognatione spirituali lib. 6. Hęc igitur octo ex ecclesiæ prohibitione tantùm impediunt ne cõtrahatur matrimonium. Et hinc agnosci potest, quantum peccatum sit in his quæ proximè diximus. Prohibitionem enim ecclesiæ non est dubiũ in re hac tam graui ad mortale obligare. Verùm dispensat ecclesia in his, consulens infirmitati eorum, qui putant sibi necessarium esse contrahere. Immo meritò Caietanus, b. Thomam sequens, putat, quòd vbi propter hæc quæ diximus, nõ solet dispensatio peti ab ecclesia, sed sine illa matrimonium contrahi, visa est ipsa iam dispensasse. Itaque ex contraria consuetudine fieri poterit, vt prohibitiones hæ ad peccatum mortale nõ astringant. Tutius tamen est, & id omninò docendum, vt petatur dispensatio ecclesiæ, occultè quidem, & sine insinuatione personæ, vbi periculum esset infamiæ.

moniũ impedientia, sed non dirimentia.

Incestus cũ cõsanguinea.

Vxoricidiũ

Occisio clerici.

Solẽnis pœnitentia.

Susceptio filij ex sacro fonte in fraudẽ matrimon.

Raptꝰ alienæ sponsæ.

Scienter cũ Moniali cõtrahere.

Cognatio quædã spiritualis cõtrahitur ex catechismo.

Vltimò denique restant duo ex quatuor illis, quæ à principio

Quomodo

Votũ simplex castitatis & sponsalia matrimoniũ impediant.

diximus iure naturali impedire matrimonium. Hæc verò sunt votum simplex castitatis, aut religionis quod castitatem includit: & sponsalia de futuro cum alia contracta. Vtrunque enim horum obligat ad fidem seruãdam: Votum Deo, cui promissum est: sponsalia homini cui facta est promissio. Contrahens verò matrimonium contra hæc, aut non potest quod promisit implere: aut intentionem habet non implendi. In voto igitur castitatis (inquit Caietanus) si animo consummandi matrimonium contrahatur, manifesta est intentio non implendi: & ideo peccatum mortale. Si verò (inquit) cum intentione religionem ingrediendi contraheret, non facit contra votum, & ideo illi videtur quòd non peccet. Sed (vt ex supradictis patet) in hoc saltem contractu irritio quædam est sacramenti: nec certè apparet, qua de caussa licitè hac intentione contrahi possit matrimonium, maximè altero coniuge nescio. Nam quod de b. Alexio legitur, lex priuata est, & specialis Dei instinctus, atque ita dispensatio. Disputatur etiam, An si contrahatur matrimonium, eo vti possit is qui votum castitatis habet. Vbi non est dubitandum, eum teneri, quantum in ipso est, promisso & voto: ideoque peccat exigendo, quanquam reddere teneatur. Quod enim liber promisit, implere debet, saluo alterius iure: quanquam de hac re diuersas sententias referat Syluester: hoc tamen satis esse debet, quod reddere verè est, quocunque modo fiat, quando fit vt condescendatur infirmitati alterius: vel quando timetur ne alter labatur in adulterium. Ceterùm diximus etiam superiùs in his facile dispensandum esse per ecclesiam, vt auferantur pericula in vsu matrimonij. Notat etiam Caieta. diligenter hoc considerans, quòd, qui post votum simplex de ingrediendo religionem, contrahit, quanquam peccet contrahendo, nõ tamen peccat etiam exigendo, cùm nec peccaret contra votum, etiam si fornicaretur. Sponsalia verò de futuro non dubium est seruanda esse & obligare: ratum tamen est matrimonium contra illa, licet non sine graui peccato contrahatur. Quod verò disputatur, an per copulam carnalem sponsalia de futuro efficiantur de præsenti, ita vt dirimant Matrimonium postea contractum: ex intentione ipsorum pendet: si videlicet affectu coniugali consummauerint: quod ecclesia, cùm probatur hoc, iudicat: de quo inferiùs plura.

LECTIO DECIMA QVINTA.

De *bonis matrimonij.*

POST hæc de laude & bonis matrimonij meritò agendum est. Et huc etiam pertinet doctrina de actu atque vsu eius. Constat enim omne bonum & malum matrimonij ex actu eius pendere. De quibus vt ordine agatur, de bonis ipsius primò dicamus: quibus videlicet excusatur & contractus, & vsus eius. De his igitur Magist. sent. d. 31. & post illum reliqui. Tota autem hæc doctrina præcipuè sumpta est ex b. Augustino vt inferiùs ostendemus.

Primò igitur circa hoc est statuendum: errorem esse & scripturæ, & naturæ repugnantem, coniugium, siue maris & fœminæ congressum damnare. Hoc enim pertinet ad Manichæorum hæresin, quos & Paulus taxat, dum ait: Prohibētium nubere &c. Quin potius actus matrimonialis non solùm licitus & meritorius est (vtpote à natura ordinatus, & necessarius ad conseruationem eius) sed etiam ratione quadam præceptus à Deo creditur illis verbis, quæ in humanæ naturæ creatione dicta sunt: Crescite & multiplicamini &c. vt Mag. etiam sent. d. 26. docet. Quod tamen eo loco prudenter b. Tho. explicans, dicit præceptum hoc non esse alicui in speciali impositum: multo minus omnibus. Quare nec transgressor præcepti huius iudicādus est, qui quocunque tempore, ante Euangeliū etiam permanere cælebs elegisset quacunq; ex caussa: quāquam in populo illo Dei, propter propagationem necessariam, nulli permissum fuerit nō intendere generationi, tempore & ratione ad eam conuenienti: nisi fortè speciali aliqua diuina ordinatione. Sed hoc est præceptum speciei in cōmuni impositum: quo fit, vt ipsa semper multos ad hoc moueat & incitet: sicut (inquit b. Thom.) cetera officia vsui hominum necessaria non præcipiuntur alicui: sed Dei prouidentia, & propensione cuilibet à natura data consulitur conseruationi totius vniuersi. Itaque reuera verba illa: Crescite & multiplicamini (ad legem naturæ pertinentia) magis naturalem inclinationem à Deo insitam rebus, quàm præceptum aliquod ad peccatum astringens, significant. Hoc itaque

Cōgressus viri cū fœmina est naturalis, necessarius, & meritorius.

satis sit de actus matrimonialis naturali bono, & de primo illo crassissimo errore circa hoc reijciendo.

Est verò in altero extremo Pelagianorum error, nihil omnino mali in matrimonio & actu eius inuenientium. Cùm enim (inquiunt illi) & membra ipsa, & eorum motus à natura sint ad generationem necessaria, & in primo etiam statu iustitiæ originalis ita fuissent: neque enim generare potuissent homines sine his, sicut nec sine voluptate, quam natura actui illi tam necessario ad sui conseruationem coniunxit, sicut & ceteris omnibus necessarijs operationibus appposuit delectationes. Itaq; cũ omnia naturalia sint: malum aliquid in his posuisse, cõdemnatio est naturæ & auctoris eius, aiunt illi. Hinc ausi fuerunt etiam peccatum originale negare: Vnde (inquiunt) peccatũ oriri potest inter tanta naturæ bona & tam necessaria? Et catholicos reprehendunt ac insimulant erroris Manichæorum: quasi dicerent nuptias à Diabolo esse: & generationem hominis, immo & ipsum hominem genitum, partim Deo, partim Diabolo tribuerent. Et multa in hanc sententiam illi calumniantur: quæ b. Augustinus & refert diligenter, & efficacissimè confutat multis locis librorum suorum contra eos: integris scilicet libris contra Iulianum, duobus de nupt. & concupiscen. ad Valerium, lib. 2. cõtra Pelag. & Celest. de peccato originali: 3. & 4. libris contra duas epist. Pelagianorum, & alijs multis locis. Ex quibus omnibus certò etiam statuendũ est, in matrimonij actu necessariò post peccatum concupiscentiam immoderatam (quæ malum est, & non à Deo, sed ex peccato prouenit) interuenire: sine qua iam non potest esse generatio: quod satis ostendit ipsa naturalis verecundia: qua (inquit Augustinus) fit, vt, etsi coniugati glorientur in filijs, secreta tamen loca eligant: confitentes ipsam naturæ verecundiam. Et hoc ipsum confirmat prima illa parentum nostrorum post peccatum confusio & tectio, de qua scriptura apertè loquitur. Ostendit enim (vt Augustinus inquit) quòd ex peccato prouenerit in illis membris inobedientia & contra rationem repugnantia. Et hoc est quòd humana natura, rationalis scilicet, erubescit in pœnam illius culpæ, qua ratio ipsa Deo inobediens fuit. Iustũ enim erat, vt à subdito sibi corpore ratio hoc reciperet, quia ipsa superiori suo Deo ausa fuerat rebellare. Ex peccato itaq; secuta est in homine immoderata concupiscentia, quę & præueniat rationem, & sine eius imperio prorumpat, & difficulter contineri ac subiugari possit. Hæc inquam immoderata cõcupiscentia circa sensibilia omnia bona in carne nostra, hoc est,

1. de nupt. & concupiscen.

Lib. 1. de peccat. merit. & remiss.

ea parte

ea parte qua cũ ceteris animalibus conuenimus, est, de qua Paulus clamat: Video in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Et rursum: Non habitat in me, hoc est, in carne mea bonũ. Propter quod & clamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et de eadem Ioannes apertè: Omne (inquit) quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ: quæ nõ est ex patre, sed ex mundo. Vnde meritò Augustinus inquit: ergo malum aliquod est concupiscentia. Quidquid enim Deus fecit bonum est: & quidquid sine ipso factum est, malum & nihil est. Hæc itaque concupiscentia totum quidem occupat corpus, totã sensibilem partem nostram vitiat: sed præcipuè ac maximè eam partem & organa, per quæ consummatur generatio: in illis rebellio maior est, vt apertè ostenderetur ipsa generatione etiam traduci malum hoc & inordinationem: quæ adeò præualet, Deo ita ordinante, vt quanquam in baptizatis peccatum non sit, nec illos reos teneat (vt de baptismo loquentes superiùs diximus) operetur tamen & maneat ad exercitium quidem bonorum qui ei resistunt, & certè ad condemnationem illorum qui consentiunt. Vnde etiam Paulus iam iustificatus & gratia apostolica donatus, clamat: Ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Et rursum: Ego carnalis sum: venundatus sub peccato. Quod enim operor, non intelligo &c. Igitur sine hac cõcupiscentia, siue verecundãdo & turpi motu, à ratione videlicet exorbitante, matrimonialis actus post peccatũ non fit. Vnde vera & catholica doctrina (quã Aug. illis locis defendit) distinguit id, quod in nuptijs ex earũ natura est, generationẽ videlicet, quę & ante peccatũ fuisset: & id quod posteà ex peccato illi accesit, scilicet cõcupiscentiam. Primum est à Deo, & bonũ, propter quod & nuptiæ ipsę simpliciter bonæ sunt. Aliud verò, inordinatio scilicet, à peccato. Sicut (inquit ille) in ipso adulterio distinguendum est bonum naturæ à malo culpæ. Quòd enim nascatur homo ex adulterio, non est peccati adulterij, sed naturę bonæ: cuius bonum nec ipso peccato aufertur: Ita in matrimoniali coniunctione & genita prole, à natura est quòd generetur homo: ab inordinata verò cõcupiscentia (secundum quam generant & generantur filij huius sæculi, & non secundum quod renati sunt) est peccatum originale. Cùm igitur sine inordinata libidine matrimonialis actus nõ peragatur: meritò inter hæc duo extrema catholica doctrina incedens, inquirit, qua ratione ipse matrimonialis actus (qui tamen sine mala

ad Rom. 7.

1. Ioan. 2.

concupiscentia non sit) malus non sit: Hæc enim fuit b. Augustino caussa quærendi bona excusantia matrimonium.

ad 10. ad 16.

Augustitaque lib. 1. de nupt. & concup. tria bona matrimonij ex scriptura obseruat: fidem, prolem, & sacramentum. Fidem (inquit) quam sibi debent coniuges: qua fit, vt neuter alienum admittere possit, & sibi inuicem ad generationem ac ad infirmitatem excipiendam seruire tenentur. De hac fide etiam Christus Dominus & Paulus loquuntur: Christus quidem in Euangelio adulterium improbat, confirmans præceptum: non mœchaberis: Qui viderit mulierem ad concupiscendum &c. Paulus verò: Mulier, inquit, non habet potestatem sui corporis &c. Fides itaque est, quia nullum adulteriū. Prolem verò bonum matrimonij vocat, quia solùm illius caussa contrahere & vti matrimonio debent: ob quam etiam solam coniunctio maris & fœminæ est ordinata à natura. Quod Paulus insinuat, dum ait: Volo iuniores (de viduis loquens) nubere, filios procreare, matres familias esse. Igitur proles in intentione bonum est matrimonij, quòd libidinem inordinatam cohibet. Sacramentum demum ait bonum esse matrimonij, quia separari non potest, iuxta ea quæ superiùs satis ostensa sunt. Hæc itaque tria ita distinguere possumus, vt singulis suum tribuamus locum: vt proles sit bonū naturæ animalis, cōseruatio scilicet speciei, cuius cura in ceteris etiā animantibus est. Fides verò bonū rationalis naturæ, & quidem maximum: cùm fides (vt pulchrè lib. de bono cōiugali Augustinus inquit) in rebus etiam corporeis & abiectis magnum sit animi bonum, & ideo etiam saluti ipsi, atq; vitæ corporali præponenda. Etsi enim (inquit ille) exigua palea præ multo auro penè res nulla est, tamen fides in palea etiam seruata, nō ideo minus bonum est, quàm in auro. Solùm itaque fides mala est, quando ad peccandum adhibetur: quare nunc nec fides est. Sacramentum autem bonum est supra naturam ipsam rationalem, Christianæ scilicet religionis, quòd videlicet ex significatione vnionis Christi & ecclesiæ sanctitatem tribuit & gratiam matrimonio, vt suprà diximus. Quare nō solùm sacramentum essentialius est matrimonio ceteris bonis, vt Magister sent. inquit, & aperta ratio probat (nam nec adulteriū, nec sterilitas nullū efficiunt matrimoniū: cùm tamen vel solus defectus sacramenti & indissolubilitatis faciat, vt non sit verum coniugium) sed etiam excellētius ceteris bonis matrimonij: post quod fides: & vltimò proles: quanquam (vt b. Thom. eo loco inquit) fides & proles in intentione essentialia sint: primò quidem proles, deinde fides.

Tria sunt bona Matrimonij: Fides, Proles & Sacramentū.

Capite 4.

q. 1. art. 3.

Hæc

Hæc itaque tria bona dicuntur meritò excusare matrimonij contractum & vsum: non quidem sicut excusatur actus per se malus propter ignorantiam aut infirmitatem, quę est magis excusatio operantis: sed excusatur quòd alioqui peccatum esset, nisi bona hæc coniuncta haberet: quæ cùm habet, est actus bonus & laudabilis. Cùm enim (vt à principio diximus) à natura sit hic actus, non potest vniuersaliter malus esse: vt tamen sit bonus, necesse est vt & in materiam conuenientem, & ob debitum finem exerceatur. Materia quidem conueniens actui generationis coniuges sunt, qui sibi inuicem fidem debent ex legitimo contractu & consensu: cùm satis superiùs probatum sit, à natura esse vnius viri cum vna muliere coniunctionem. Finis verò is est, ad quem à natura ordinatur, proles scilicet. Hæc itaque duo matrimonialem actum bonum moraliter efficiunt: modò non desint etiam aliæ circumstantiæ omni actui bono necessariæ: vt scilicet loco, & tempori conueniat, & modus etiam non desit. Propriè tamen actus matrimonij bona sunt fides & proles. Sacramentum iam addit quidem etiam sanctitatem: sed requirit prius moralem bonitatem in actu. Nunquam enim significatio illa vnionis Christi & ecclesiæ sanctum efficit matrimonij actum sola, nisi adsit fides vel proles.

Tria hæc bona excusant matrimonij actum. *B. Thomæ q. 2. trib. art. d. 31.*

Hæc bona docet Augustinus suprà dicto lib. de nupt. & concupiscen. & de bono coniugali, nõ defuisse matrimonio illi inter beatam virginem & Ioseph, quod meritò ceteris præponendum est, & in exemplar omnibus huius status statuendum. Quare & illud verum matrimonium fuisse, confirmat ipsa doctrina Euangelica, quæ Ioseph virum Mariæ, & Mariam coniugem Ioseph nominat, ipsumque patrem Christi, non solùm communi illa hominum æstimatione, sed etiam iure hoc legitimi coniugij. Fuit itaque in eo fides, quia nullum adulterium: sacramentum, quia nulla dissolutio: non tamen vsus aut propositum eius: atque ideo nec intentio aut generandæ aut nutriendæ prolis: quæ tamen ex diuino illo & summo miraculo non defuit: non quidem vt fructus illius matrimonij, qui sine aliquo malo concupiscentiæ generari non poterat: sed datus à Deo tantæ illorum coniugum fidei & sanctitati. Vnde ille meritò infert verum matrimonium esse, & integrum quidem atque perfectum, vbi amborum est perpetuæ continentiæ propositum: immo tanto (inquit) melius, quãto sanctius. Integrum (inquit b. Thomas) atque perfectum perfectione essentiali, quanquam non perfectione actus proprij. Ex his itaq; sanam & catholicam doctrinã collige. Quòd videlicet vsus matrimonij, id est,

Capite 12. *De nupt. & concu. c. 10. & de bono coniug. cap. 3.*

d est, coniunctio coniugum, qui fide data legitimè sibi inui-
cem suorum corporum potestatem fecerunt, atque ita sibi inui-
cem sunt obstricti, intentione prolis generandæ (quę regenere-
tur Christo) conuenientium, cum ceteris mortalium actuũ cir-
cumstantijs bonus est & sanctus, quanquam non sine malo, non
quidem culpæ, sed pœnæ, hoc est, inordinatæ illius cõcupiscen-
tiæ, de qua diximus. Sed hoc malo vtuntur benè boni, sicut è
contrario mali etiam bonis malè vtuntur. Sunt itaque & bona &
mala, sunt boni & mali: hi & bonis malè vtuntur, diuitijs scili-
cet, sanitate, & ceteris: & malis quoque, per impatientiam diui-
na flagella non sustinentes. Illi verò & bonis & malis benè
vtuntur: per bona in Deum tendentes, & malis humiliter se sub-
mittentes. Inter hæc igitur concupiscentia est, qua benè vtun-
tur continentes quidem, qui eam reprimunt, & conuertunt in
exercitium virtutis: & coniugati etiam relaxantes eam, sub ho-
nestis tamen & debitis limitibus: prolis scilicet intentione, & fi-
dei vinculo. Hæc quidem in genere de bonis matrimonij, &
eorum necessitate sint dicta, ex doctrina certè Augusti. Inueniũ-
tur nonnunquam sententiæ quorundam patrum paulò duriores
in matrimonium: maximè b. Hieronymi in libris contra Ioui-
nianum, & alijs, quæ de matrimonio & virginitate scripsit: sicut
est illa: Si bonum est homini mulierem non tangere, ergo ma-
lum est tangere: & huiusmodi aliæ. Sed hæc dicta b. Augustinus
diligenter ad medium reduxit, hoc intendens in lib. de bono
cõiugali, & de S. virginitate vt scilicet ita virginitatem laudaret
cõtra Iouinianũ: vt matrimonium nõ reprehenderet. Sunt enim
duo hi extremi errores, vt ibi ille declarat. Et in hunc sensum
sunt verba illa Hieronymi, & aliorum patrum exponenda:
qualia sunt, malum, incommodum, molestum, deniq;
& pœnam esse mulieris vsum qualis nunc est. Et
hunc esse eorum sensum, satis patet
attentè legenti.

LECTIO

LECTIO DECIMA SEXTA.

De contractu & vsu matrimonij, intentione, & peccatis circa hæc.

EX quibus iam in speciali de contractu matrimonij, & de actu sequentia, quæ ex dictis inferuntur, sunt breuiter notanda.

De intentione contrahentiũ matrimonium.

Primum. Quod ad matrimonij cõtractum attinet, non est dubium intentionem contrariam bonis istis matrimonij peccatum esse & graue sacrilegium: sed & matrimonium ipsum nullum efficitur ex tali intentione: non minùs, quàm si in pactum deduceretur: quod supra dictum est. Itaque (vt Augustinus inquit) qui prolis etiam caussa cum aliqua contrahit, sed intentione eam, cùm meliorem inuenerit, dimittendi, non contrahit matrimonium: quia contra sacramenti indissolubilitatem agit: & iam (inquit Augustinus) adulter est: non cum altera quam cogitat ducere, sed cum illa quam iam habet, quæ non est eius. Similiter si solius delectationis caussa, intentione vitandæ prolis, aut non seruandi fidem. Hæc sunt grauissima peccata, & prima quidem in ipsum contractum matrimonij. Ceterùm (vt ex his quæ proximè diximus, patet) si intentio desit actus matrimonialis, vt in his qui perpetuò continere volunt, non est contra bonum prolis, sed est bonum aliud maius & superius prole: quare & matrimonium sanctius (sicut beatæ virginis) fide obsequiorum inuicem præstandorum à coniugibus, & naturali societate vtriusq; sexus, atque indiuisibilitate constans: vt Augustinus inquit lib. de bono coniugali, & alijs locis frequenter. *Capite 3.*

De contractu matrimonij ob voluptatẽ.

Secundum. Præposteram tamen & inordinatam horum bonorum, aut aliorum quæ matrimonio annexa sunt, intentionem constat peccatum esse, non tamen mortale, sed veniale tantùm. Primò enim, si priùs delectatio quæratur, & propter hanc contrahatur matrimonium, nõ tamen propterea aliquid contra generationem intendendo vel agẽdo, veniale est, sicut & intentio omnium quæ ad hanc pertinent: puta pulchritudinis, amoris carnalis, etiam si his addatur prætextus vitandi fornicationem. Nam apud Augustinum (qui efficaci certè ratione hoc conuincit) contractus matrimonij solùm absque vllo peccato fit, cùm

caussa

causſa generationis fit: de cõtractu loquimur, qui fit non intentione continentiæ, de qua proximè diximus, ſed cum propoſito vtendi matrimonio. Hic igitur contractus, ſicut & vſus ipſe matrimonij delectationis cauſſa, peccatum veniale ſemper eſt apud Auguſt. Vbi, quoniam multis æquo durius hoc videtur, nonnullis etiam falſum: eſt diligenter conſiderandum. Quamuis enim non de mortali, ſed veniali peccato quæſtio ſit: non tamen ob id paruipendenda eſt, ſicut nec negligenda, maximè in doctrina ſanctitatis matrimonialis ſtatus. Igitur qui vitandæ fornicationis cauſſa aut contrahit matrimonium, aut vtitur contracto: timens videlicet, conſcius infirmitatis ſuæ, incontinentiam, ne in alia grauiora peccata labatur: multis nõ videtur vlla ratione peccare, maximè (inquiunt) cùm ſecundarius finis matrimonij à Paulo etiam oſtenſus, præſertim poſt peccatum, ſit vitatio fornicationis: Vnuſquiſque (inquit) propter fornicationem ſuam vxorem habeat. Sed huic obſtat Auguſtini ratio. Cùm enim coniugium ex bonis illis ſit, quæ propter aliud, non propter ſe expetenda ſunt: à natura videlicet ordinatum ad conſeruationem duntaxat ſpeciei, quæ generatione fit (non eſt enim matrimonium ſicut vita aut ſapientia, quæ propter ſe amantur: ſed ſicut doctrina & cibus, quæ propter illa) vti verò re à natura ad aliquem finem inſtituta, nõ propter quod à natura inſtituta eſt, peccatum eſt (inquit Auguſtinus) quia manifeſta abuſio. Igitur matrimonio vltra generationis neceſsitatem & præter illam vti ob quamcunque aliam cauſſam, peccatum eſt: hoc verò peccatum non quidem mortale, ſed veniale eſt: quod (inquit Auguſtinus) Paulus ſecundum veniam concedit. Sic enim illum locum intelligit: Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium: vbi Auguſtinus, veniam, habet pro, indulgentiam. Vnde ille ait, peccatum eſſe illud cui venia conceditur. At verò contrahere matrimonium peccatum non eſt: nam eo loco ait ipſe Paulus: Si acceperis vxorem, non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccat. Igitur (inquit ille) ſecundum veniam concedit, propter vitandam fornicationem contrahere: cùm ſcilicet concupiſcentiæ libidinis & delectationi conſentitur, ſed in matrimonio. Itaque propter fornicationem vitandam contrahere, quod ex Paulo citabatur, finis eſt matrimonij, ſed venialis: quod (inquit Auguſtinus) non eſt nuptiarum malum, ſed propter nuptias accipit veniam. Cui rationi quid reſpõdeatur non videmus. Qui ob delectationem comedit, peccat veniaIiter, vt minimum: aliud quærens in cibo, quàm ad quod datus eſt: ex-

De vſu matrimonij ob ſolã fornicationem vitandam.

lib. de bono coiu. cap. 9.

est: excedit igitur, & rectæ rationis limitem transgreditur. Ita de matrimonio & vsu: atque eodem modo de ceteris omnibus alijs finibus matrimonij dicendum est. Vt si vel propter diuitias, vel amicitias affinitatis, aut alias causas contrahatur: si præponantur ista proli & ceteris bonis, inordinatio est. Si tamen hæc nonnihil moueant, sicut pulchritudo & reliqua omnia, ita vt non contrahendi omnino causa sint: sed tantùm hoc agant, vt potius cum hac quàm cum illa contrahatur: nullum peccatum est. Nec enim in Iacob reprehenditur quòd prætulerit Rachaëlem Liæ. Ducendæ vxoris causa venerat, idque sanctè, ob generationem & diuinam promissionem: interim tamen præferebat pulchriorem. Hæc itaque propria peccata sunt contrahentium matrimonia. *Nota distinctionẽ causæ contrahendi.*

Sunt verò nonnulla alia, quæ ex præcedentibus constare possunt. Collegit illa perspicuè Caietanus in summula, & ad septem capita reducit, quę certè expedit cognita esse ijs, quibus incumbit simpliciores docere de ratione contrahendi matrimonium: quæ tamen nos possumus breuiùs ad tria tantùm contrahere. Peccatur enim in contrahendo matrimonium primò, si contra impedimenta contrahatur, quæcunque illa sint, siue impedientia tantùm, siue dirimentia. Quantùm tamen & quomodo peccetur, dictum est. Secundò, ex intentione aut mala, aut contraria bonis matrimonij, aut peruersa & inordinata: de quibus quoque omnibus iam dictum est. Et hæc sunt peccata propriè in ipsum matrimonium. Peccatur denique tertiò, sicut in alijs sacramentis, si indignus se eis ingerat: vt si excõmunicatus, vel in peccato mortali contrahat. Requirit enim hoc cuiusłbet sacramenti sumptio (vt suprà dictum est) vt sanctum à sanctis & sanctè sumatur. *Trib⁹ modis peccant cõtrahẽtes matrimon. Primus. Secundus. Tertius.*

Iam de vsu ipso & actu matrimonij quid sentiendũ sit, ex his quæ diximus de cõtractu, magna ex parte intelligi potest. Quia tamẽ hic locus necessarius est, his præcipuè qui populũ instruunt, de eo agendum est: quem & Paulus ipse disertè tractauit: Vxori (inquiens) vir debitum reddat, & vxor viro. Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier: & mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt orationi vacetis: & iterum reuertimini in idipsum: ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Vbi notandum meritò est, quòd tantus Apostolus, qui raptus est etiam vsque ad tertium cœlum, non dedignatus fuerit ad hæc descendere, quæ non solùm hoc loco, sed alijs etiã locis docet, *1. Cor. 7.*

docet. Itaque hoc exemplo ecclesiasticos doctores satis admonet, non esse hæc omittenda, sed publicè in doctrina populi, & priuatim in iudicio confessionis diligenter tradenda ijs qui in hoc constituti sunt statu, necessario sanè Ecclesiæ, atque ideo meritò honorando in ea, & diligenter curādo: vt scilicet sanctè custodiatur. Est enim primus fons & origo propagationis pietatis Christianæ: qui, vt sanctè custoditus plurimum prodest: ita si secus quàm oportet seruetur, obest etiam non parum. De hoc igitur (vt in speciali dicamus) Caietanus in summula hoc loco quatuordecim capita colligit, ex quibus circa vsum matrimonij peccatur aut mortaliter, aut certè venialiter: de quibus ille satis perspicuè & modestè, vitatis extremis, locutus est. Posset itaque sufficere, si ad eum studiosos mitteremus: sed ne vel hoc desit isto loco, quo cetera (quantū necessaria putauimus) tradita sunt: dicamus etiam de hac re breuiter.

Illud igitur debet esse huius rei principium. Quòd actus matrimonij, vt sanctus sit & licitus omnino, non solùm cōuenientem materiam, sed etiam finem & ceteras circumstantias conuenientes requirit. Materiam itaque in matrimonij actu licitam & conuenientem constat esse propriam vxorem respectu viri: & proprium virum respectu vxoris. Licet enim vtrique alterius corpore vti, quòd suum est, iuxta verbum Apostoli Pauli: modò fiat cum circumstantijs debitis, ob quarum defectum nascitur proculdubio peccatum. Sicut distributio eleemosynæ, & ipsa oratio, & quicunque, quantumuis ex se sanctissimus actus, peccatum est, quando non habet debitas circumstantias. De his igitur nunc dicendum est,

Quo fine vtendum matrimonio.

Quia igitur prima circumstantia actuum finis est: hęc primò est consideranda: atque ita Caie. supradicto loco hoc ponit primum caput: de quo (quod ex supradictis sequitur) statuamus vt certum, Solo fine & intentione generationis, vt reddendi debitum, licitum esse actum matrimonialem. Probauimus superiùs, & quidem sufficienter ex Augustino, solùm generationis causa licitè contrahi matrimonium. Ex quo etiam probatur & vsum eius ob eam causam esse licitum. Sed quia post contractum matrimonij est vterque alteri obligatus: & præcipit Paulus: Nolite fraudare inuicem: etiam hic finis sufficiens est vt actus sit bonus: cùm scilicet solùm vt satisfiat consorti, matrimonio aliquis coniugatorum vtitur. Itaque relinquuntur hi duo fines post contractum matrimonium, ad quos vsus eius ordinatur. Qui verò re in aliquem finem ordinata vtitur extra limites eius,

abutitur

abutitur certè (vt Augustinus inquit) & peccat. Igitur si delectationis caussa fiat vsus matrimonij, peccatū est. Quantū verò sit, mortale, an veniale, disputatur quidē, & fortasse æquo scrupulosiùs, à nonnullis. Nobis videtur satis esse debere, quòd b. Thom. dist. 37. q. 2. art. 3. 4. sentent. docuit, ex Augustini etiam sententia, veniale tantùm peccatum esse, quando delectatio intra limites matrimonij quæritur, hoc est, cùm ex propria, & nō ex aliena. Legitur nonnunquam ardentiorem propriæ vxoris amorem adulterio conferri: & alij iudicant cogitandum esse quàm vehemens sit amor: alij an qui delectationem quærit, paratus sit etiam extra matrimonium illam quærere: Sed nos putamus non esse vlteriùs inquietandos coniugatorum animos: exhortandi sunt ad meliora, vt ad hoc tandem anhelent, vt sola generationis caussa conueniant: alia indulgenda sunt tanquam venia digna, vt ex Paulo August. intellexit. Ceterùm de alijs sinibus minùs proprijs & magis honestis non est omnino tacendum. Ob vitandam igitur fornicationem in se quidem, aut ob alia maiora peccata vitanda matrimonio vti extra generationis finem, veniale etiam esse peccatum conuincitur supradicta ratione: quia videlicet qui id agit, vritur re præter naturæ ordinē. Sed tamen tanto magis huic indulgendum, quanto honestiorem habet prætextum. Caussa verò sanitatis & valetudinis minùs est honesta, quàm vitatio fornicationis: sed tamen etiam huic indulgendum est magis, quàm cùm sola delectatio quæritur. Denique ita de ceteris omnibus finibus dicendum est. Semper peccatum cùm aliud quæritur quàm naturalis finis: nunquam tamen mortale, nisi finis ipse in se mortalis sit. Obseruandum tamen est quòd in redditione debiti (qui & ipse est sanctus matrimonij finis) contineatur quoque, quando condescenditur infirmitati alterius, vel timetur eius lapsus. Hæc enim omnia sancta sunt, & pertinent ad debitum matrimoniale. De fine quidem hæc sint dicta.

Finem sequitur modus: qui est etiam circumstantia necessaria humanorum actuum. Secundum itaque caput, vnde peccatur in vsu matrimonij, est, cùm modus naturalis nō seruatur. Ad quod vsque docendum Paulus etiam se demisit, coniugatos instruēs. Hæc est (ait) voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione, non in passione desiderij, sicut gentes quæ ignorant Deum. Et deinde subiungit. Non enim vocauit vos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed

De modo actus coniugalis.

1. Thess. 4.

Deū. Includit verò hoc caput multa, sicut multa etiã sunt minus naturales modi, quos corrupta libido adinuenit: de quibus tamen satis sit hoc dixisse: Quoties modus talis est, vt generatio sequi non possit, grauissimum peccatum mortale esse. Vbi etiam ille includitur, quem Paulus vitium gentium inter cetera nominat: Fœminæ (inquiens) eorum mutauerunt naturalem vsum in eum vsum qui est contra naturam. Non est opus multa de his dicere: quacunque ratione modus contrarius sit generationi, quocunque modo delectatio illa quæratur & cõsummetur, sic vt ex illo modo generatio sequi non possit: grauissimum est vitium contra naturam, de quo August. lib. de bono coniugali inquit. Turpior est vxor, si in se quam si in alia ea fieri permiserit. Ceterùm modi alij, quibus non impeditur generatio, etsi sint excessus, atque ideo peccata, inter illa tamen quæ per matrimonium veniam consequuntur, computanda sunt.

Rom. 1.

De loco & tempore vtendi matrimonio.

Sequuntur circumstantiæ loci & temporis, ex quibus fit sæpe vt illicitus sit actus matrimonij. In loco enim sacro non dubiũ est esse peccatum mortale, & sacrilegium. Locus etiam publicus, vtpote contra honestatem naturalem, illicitum facit actum matrimonij: sed de hoc non est opus, quare id peccatum sit, dicere: quòd ab ipsa abhorreat humana ratione: propter quod etiam Cynici philosophi, canini scilicet, appellati sunt. Tempora etiam sacra à Deo & ecclesia deputata ieiunijs & orationibus, reddunt etiam illicitum matrimonij actum: nec tamen ob id mortaliter peccari putant grauiores doctores: nec expedit circa hæc nimium restringere coniuges: nec tamen etiam hæc contemnenda sunt. Admonet serio Paulus, ad tempus vacandum orationi: ne tentet (inquit) vos Satanas propter incontinentiam vestram. Et Petrus docet coniuges sic se habere, vt non impediantur (inquit) orationes vestræ. Nullam itaque habere differentiam temporum, & maximè cùm accedendum est ad sacram communionem: est omnino reprehendendum, idque duplici potissimum nomine: & quòd periculum inde sequatur incidendi in grauiores tentationes diaboli: & quòd hoc in se inordinatum sit. Nec tamen iudicandum est mortale (inquit b. Thom.) etiam exigere debitum: nam reddere in his adeò non est peccatum, vt potius contrarium peccatum sit: de quo infe-

2. Petri 3.

De periculo abortus vel morbi

riùs quoque paucis dicemus.

Sunt etiam præter hæc & alia, propter quæ in matrimoniali vsu peccatum committitur. Primum. Propter periculum graue

&

& probabile abortus, aut infirmitatis vel prolis, vel ipsorum cõiugum. Circa quæ multa in quæstionem veniunt. Sed primò, ad prægnantem accedere non dubium est peccatum esse: quod b. Hierony. vt naturæ contrarium reprehendit: & August. inter nimios excessus computat. Sunt (inquit) adeò incontinentes, vt coniugibus nec grauibus parcant. Verùm extra periculum prolis non iudicatur mortale. Deinde de accedente ad menstruatam, nonnullum dubium est, quod b. Thom. non audet mortale dicere: quanquam fateatur & proli & coniugibus inde nonnullum imminere periculum. Nos putamus in hoc non facile esse indulgendum. In scriptura sacra hoc inter grauia peccata recensetur: ita Ezechiele propheta dicente. Homo qui ad mulierem menstruatam non accesserit, & vxorem proximi sui nõ violauerit &c. Vbi vides iuxta peccatum adulterij hoc recenseri. Et rursum alibi similiter, turpitudinem menstruatæ reuelare, inter grauia ponit. Quæ sanè videntur hoc peccatum pluris facere, quàm vt inter venialia computandum sit. Tertiò deniq; circa hoc caput de leproso, aut eo qui cum periculo lepræ aut infirmitatis alterius matrimonio vtitur, dubium mouetur. Vbi etsi canon iudicet teneri coniugem leproso reddere debitum: credit tamen b. Tho. id esse accipiendum, cùm sine periculo infectionis fieri potest: quare etiam iugem habitationem cum cõiuge leproso nõ præcipiunt iura: quòd in ea sit probabilius infectionis periculum. Igitur de vsu ipso magis videtur esse quæstio facti. Nam cùm probabili periculo infectionis nec licitè exigitur, nec certè reddere tenetur exactus: nec tamen reddendo peccare creditur: maximè quando alterius infirmitati condescendens id facit: alioqui in his casibus periculi & infirmitatis mortale est peccatum ex suo genere, si probabile periculum & grauis infirmitas timeatur.

ex actu coniugali.

Lib. de bono coniug. cap. 6.

De accedente ad menstruatam.

32. dist. 4. Cap. 18.

Cap. 22.

De coniug. leprosi c. quoniam.

Quintum similiter caput, vnde sit illicitus actus matrimonialis, est: si ante debitam solennitatem & benedictionem ecclesiæ fiat. Igitur si occultè cõtractum sit & sine legitimis probationibus: sicut ipse contractus, mortale peccatum est, naturæ repugnans matrimonij: ita vsus eius mortalis est. Ceterùm ante benedictiones ecclesiæ vel consummare, vel vti consummato, non est cur mortale peccatum iudicetur, quanquam christiana modestia, vt id obseruetur, requirat.

De actu matrimonij ante benedictionem ecclesiæ.

Vltimò tandem est aliud adhuc caput vnde illicitus etiam fit vsus coniugij, & maximè petitio debiti: ex eo scilicet, quòd amissum sit ius petendi. Vbi primò de voto castitatis dicendũ:

Certum est enim, quòd, si post votum castitatis quis contrahat (post votum, inquam, quātumcunque simplex: nam de solenni alia est ratio) vltra hoc quòd mortaliter peccat, vt suprà dictum est, tenetur non exigere debitum: quia tenetur quod promisit, quantum in se est, bona fide seruare: tenetur tamen reddere exigenti coniugi, atque eius infirmitati cōdescendere: nec enim eius voto alter est obligatus. Quando verò post contractum matrimonium vnus sine alterius consensu castitatem vouet: etsi multis videatur obligari eum, quantum in ipso est, seruare: atque ita non exigere: nobis tamen placet magis sententia beati Tho. qui hoc loco putat irritū esse tale votum, quod in prę-iudicium alterius factum est. Fieret enim hac ratione onerosum & difficile matrimonium: &, si Paulus iubet: Nolite fraudare inuicem, nisi ex cōsensu: multò iustius videtur posse dici: nolite ꝓmittere. Si enim vota vxoris de alijs rebꝰ rata nō sunt, nisi viro consentiente, multò minus de castitate: nec de muliere video dubitari posse. Ex quo sequitur, ꝙ nec de viro. Nā etsi in alijs rebus non sunt æquales, in hac tamen vna æquales sunt, Paulo dicente: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter & vir sui corporis potestatem nō habet &c. Quòd si hęc non sufficiunt, satis esse debet, quòd dispensari facilè per ecclesiam possit, cùm indiscretū sit hoc votum, & periculosum vtriq; coniugum. Secundò etiam iuxta hoc caput, de adulterio dicendum est. Cùm enim propter illud adulter dimitti possit ab altero, consequens est, quòd iam ius exigendi amiserit. Nec enim ei fides seruanda est, qui fidem alteri non seruauit. Verùm Caietanus prudenter considerat, quòd pœna adulteri sit ab altero infligenda: quo fit, vt non peccet qui adulter est siue sciente, siue ignorante altero coniuge debitum petens: nec tamen tenetur alter reddere. An verò debeat nō reddere: & quid tenea tur agere, siue vir siue mulier innocens, ad corrigendum adulterum: quando de adulterio diximus, superiùs explicatum est.

dist. 32. q. 2 ar. 4. ad 3.

An adulter petere possit debitum cōiugale.

Hæc igitur circa vsum matrimonij sufficere possunt: in quibus 14. illa impedimenta (quæ Caieta. diximus numerasse) continentur. Omisimus verò de industria quędam magis specialia, quæ facilè legi possunt. Verùm quia circa hæc omnia alia est ratio exigentis, alia reddentis: hoc nunc breuiter est notandum, quòd, quando venialiter tantùm peccat exigens, non est dubiū teneri alterum ad reddendū. Si verò mortaliter peccet qui exigit: dubium videri posset. Et quidem, quando mortale tantùm est ex parte exigētis (quia videlicet ille castitatis voto est astri-

Quomodo & quando petenti debitū negare liceat, oporteat, aut non.

ctus)

ctus)non dubium est obligari alterum ad reddendum, ne videlicet inde in grauiora labatur peccata. At verò quando ex natura sua ipse actus peccatum mortale est: vt in loco sacro, vel cum periculo abortus, vel ex modo innaturali: vtrinque mortale est, & in exigente, & in reddente. Ceterùm quando alter liber est à debito reddendi vel ob adulterium, vel ob lepram & infirmitatem: vtrumque illi permissum est, vt & nō reddat si nolit, & vt reddere possit, si condescendere velit infirmitati alterius: quāquam de probabili periculo grauioris infirmitatis dubiū meritò esse possit, iuxta ea quæ proximè diximus: quod tamen magis putamus relinquendum esse conscientiæ vniuscuiusque: sicut & multa alia circa hunc articulum: de quo hæc sufficiant.

LECTIO XVII.

De vera & propria matrimonij laude ac bonitate, & eius gradibus, ceterisque ad omnes alios actus matrimonij pertinentibus.

EX omnibus itaque, quæ, postquam cœpimus de bonis matrimonij agere, dicta sunt: satis intelligi potest, quodnam sit verum matrimonij bonum: quę illius laus vera & secundum sanam doctrinam, quæ est media inter duo illa extrema, Manichæorum, nuptias damnantium: & Pelagianorum, nihil in eis inuenientium vituperabile. & Iouinianorum (inter quos certè possunt & Lutherani, si tamen non grauiùs quàm illi errant, cō putari) æquantium nuptias cælibatui. Igitur Augustinus in libris de bono matrimonij, & de sancta virginitate, & duobus etiam de nupt. & cōcupis. ad Valerium, quatuor gradus sanctitatis in nuptijs distinguit: in quibus dilucidè certè explicatur, quidquid ad hanc doctrinam sanè intelligendam necessarium est. Primus gradus & summus atque perfectissimus est nuptiarum, vt institutæ erant ante peccatum. De quarum actu & fructu, quāuis diuersa sentiri possint, vt ipse Augustinus in principio libri de bono coniugali, & super Genesim ad literam, dicit: illud tamen certum est, in eis nullam inordinatam concupiscentiam, nullam libidinem fuisse futuram: sed mouenda erant membra ex ratio-

Quatuor gradus nuptiarum.

Primus.

nis imperio multò certè facilius & felicius, quàm nunc vel pò des vel manus.

Secundus. Secundus gradus est in nuptijs sanctorum, inter quas primæ sunt beatæ virginis: deinde perfectorum illorum Patriarcharũ, Abraham, Isaac & Iacob, & similium: quorũ cùm tota vita prophetica fuerit: similiter etiam ipsa matrimonia fuerunt prophetica. Hæ itaque sunt nuptiæ, in quibus omnimoda & integra seruatur aut virginitas, aut continentia, sola fide mutuorum obsequiorum, & societate vtriusque sexus, ac sacramento constãtes: vel in quibus vsus est matrimonij, nullo voluptatis aut delectationis amore, sed sola generationis, & obsequendi diuinis præceptis, maximè in propagando Dei populo, quando id carnaliter à Deo iubebatur, volũtate & studio, atque desiderio promissionis de saluatore Christo. Primæ fuerunt nuptiæ beatæ virginis, quas imitati sunt etiam nonnulli coniugati: vt Cecilia & Valerianus: sed & de quibusdam alijs in historijs fit mentio: nec dubitandum est fuisse plures alios, & esse quotidie coram Deo huius sanctitatis imitatores. Secundæ sunt nuptiæ illorum, quib⁹ Christus promissus fuit ex ipsorum semine nasciturus: & intentione conseruandi genus illud vnde nasciturus erat, & gentem, in qua Dei cultus & hæc expectatio seruabatur, contractæ. Tales fuerunt Patriarchæ illi, qui ad nuptias (inquit Augustinus) descendebant magis ex altiori perfectione, quàm ascendebant: sicut & nunc faciunt, qui timentes infirmitati suæ, & volentes vitare grauiora etiam peccata, incontinentiam suam matrimonio excipiunt. Illorum igitur patrum nuptias, quanquam generationi essent intentæ, audet Aug. æquare virginitati etiã sanctorum: vt Abrahæ nuptias virginitati Ioannis Baptistæ, & præferre etiam virginitati multorum Christianorum: quos ille putat facilius potuisse omnino abstinere à cõiugio, quàm possent sine vlla voluptatis immoderata relaxatione vti matrimonio, prout illi patres vsi sunt: ita enim inquit ille. Patrum illorum cõtinentia & castitas nulla ratione minor dicẽda est castitate virginum. Cùm enim castitas virtus sit: in animo, non in corpore collocanda est: atque ideo tanto maior, non quanto corpus incorruptius & à carnali actu magis alienum: sed quanto animus ab amore voluptatis & libidinis longiùs distat. Itaque illi multo libentiùs abstinuissent à coniugio, si tempore euangelicæ gratiæ vixissent (quando laudantur eunuchi propter regnum cælorum) quàm tunc matrimonio vsi sunt. Officio seruierunt in matrimonio, animo & desiderio coluerunt cælibatum & virgini-

ginitatem. In hoc gradu nullas nuptias putat Augustinus inueniri posse nunc, in quibus generationi & carnali actui vacetur. Nec enim (inquit ille) post euangelium nisi spiritualis esse potest intentio generationis, nec vllus pietate perfectus quærit habere filios, nisi spiritualiter. *Lib. de bono coniug. cap. 13.*

Tertius igitur gradus nuptiarum illarum est, in quibus post promulgatum iam euangelium generationi regenerandorum in Christo seruitur: & ita voluptas cohibetur, vt solùm, quantum generationi opus est, relaxetur. Et istæ patriarcharum nuptijs proximè accedunt, nec sunt aliæ mediæ. Sed quod attinet ad perfectionem sanctitatis, longè distant ab illis: quantum distat videlicet desiderium filiorum nunc à ministerio euangelij: & propagatio carnalis ab illa spirituali generatione, qua per euangelij doctrinam Christo generantur filij: de qua Paulus: In Christo Iesu per euangelium ego vos genui. Denique, quàtum desiderium filiorum carnalium à desiderio aduentus veri Messiæ & saluatoris. Et nec in istis Augusti. putat multos inueniri. Raros enim experientia ipsa testatur in matrimonio, qui non agnoscant, non semper se tenuisse medium. Hæc quidem, quæ de hoc gradu & proximo diximus, secundum communem rationem & humanæ vitæ legem dicta sunt. Ceterùm inueniri posset casus etiam nunc, quo non minus spiritualis esset generationis carnalis intentio, quàm Abrahæ. Quid enim si ad regnum aut magnam partem christiani populi reducendũ ad fidẽ, aut cõtinendum in pace ac iustis sanctisque legibus, matrimonium contrahere & generationi intendere opus esset: maximè si id ita pij omnes iudicarent? Quo casu non dubium, quin à proposito & voto etiam virginitatis sanctè descendere quis non solùm posset, sed etiam deberet: vbi iustissima esset dispensatio voti, etiam solemnis, castitatis. *Tertius gradus.*

Quartus gradus est nuptiarum, quæ delectationis caussa tantùm contrahuntur: non tamen quidquam agitur contra alia matrimonij bona. Diximus superiùs August. verum hoc matrimonium iudicare, vbi sola voluptas quæritur: seruata tamẽ sibi inuicem fide & perpetua indissolubilitate, nec impedita prole. Nec solùm matrimonium esse, sed & præferendum etiam multis, caussa generationis tantùm, sed non cũ propria conuenientibus. Hoc enim damnabile est, & mortale: illud verò veniale. Tantum enim valet (vt August. inquit) ordinatio creatoris in rebus concessis, vt melior sit, hoc est, tolerabilior frequens & magnus excessus in delectatione quærenda: modò in matrimo- *Quartus gradus. Lib. de bono coniug. cap. 5.*

nio:quàm paruus & rarus extra matrimonium. Nam illud (vt iam diximus)veniale tantùm est:hoc mortale. Quamdiu itaque intra limites matrimonij continetur delectatio, & appetitus eius:non est iniusta,nec contra Dei ordinationē voluntas. Porrò extra hos omnes gradus, & reuera extra matrimonium est delectationis appetitus, vitata, quantum in se est,generatione. Si enim hac intentione contrahatur(vt suprà diximus)nec matrimonium quidem est:sed ipsa fornicatione peior: horrendum scilicet vitium contra naturam. Nam & Augustinus dicit: Non video qualiter coniugium dici possit. Si verò contractum fuerit pura & integra intentione: quoties tamen hac ratione eo vtitur aut alter cōiugum,aut vterque, extra matrimonij limites egreditur,&(vt iam diximus)mortale peccatum est.

Lib. de bono coniug. cap.11.

Quomodo hæc proponenda populo.

Hæc itaque nobis sint satis de vsu, bonis & laude matrimonij. Circa quæ omnia diligenter curare debent, qui simplicioremdocent populum, scripturæ sacræ,& patrum testimonia ad manum habere,quibus & reprehendant vitia,& quod modestū est laudent: & ita in hoc dexterè versari, vt in neutram partem declinent. Commendanda semper est his qui in matrimonio sunt,honestas, castitas, & proponenda matrimonia sanctorum in exemplum: sicut quod in matrimonio Tobiæ & Annæ scriptura commendat,quod angelus ibi loquitur ad Tobiam: Qui ita matrimonia contrahunt, vt Deum à se & mente sua expellent,& libidini vacent:in hos diabolus potestatem &c. Et illud Pauli: Vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore,non in passione desiderij, sicut gentes quæ ignorant Deum:& cetera huiusmodi, quæ in scriptura non rarò de matrimonij ordinatione reperiuntur.

Nec est verò omittendum,multos adhuc alios esse actus matrimonij quasi secundarios. Cùm enim coniunctam habeat matrimonium indiuiduæ & perpetuæ vitæ consuetudinem vtriusque sexus, & multa sint officia coniugum in educanda & instituenda prole, in gubernanda & disponenda re familiari atque familia:non dubium est vtrumque coniugum teneri & secundū legis naturæ motum, & secundum etiam positiua iura, quædā obsequia & officia præstare alteri. De quibus etiam frequenter in Apostolica doctrina admonentur coniuges:quę loca ad manum habenda sunt,& frequenter inculcanda populo. Vt illud S. Petri: Similiter & mulieres subditæ sint viris, quarum non sit extrinsecus capillatura aut circumdatio auri,aut indumenti vestimentorum cultus. Paulus etiam ad Colos,3.& 1.ad Tim. 2. ac

1.Pet.3.

ad

ad Ephe.5.diligenter instruit, mulieres quidem de obedientia, viros de dilectione syncera, quam illis exhibere debent: Christum viris, ecclesiam mulieribus in exemplũ proponens. Cetertùm quia peccata circa hæc omnia communia sunt, quæ & in alijs rationibus vitæ inueniuntur: non est opus de singulis dicere: satis hic sit, de huiusmodi admonuisse, vt non negligantur. Nam quanquam communia sint omnia hæc peccata alijs: habent tamen in matrimonio grauius iudicium, ac reuera grauiora sunt, ac præterea multorum periculorum atque aliorum malorum causſæ. Satis itaque de his omnibus dictum sit.

LECTIO XVIII.

De quibusdam consequentibus & adiunctis matrimonio.

QVAE diximus pertinent ad substantiam, & cetera omnia essentialia matrimonij, vt cõtractus naturalis, & vt Sacramentum est: nec non ad vsum actusque eius. Sunt autem breuiter pauca explicanda, quæ consequuntur, & coniuncta sunt ipsi matrimonio: vt sunt sponsalia, siue promissio de futuro matrimonio contrahendo: bigamia, & ipsæ secundæ nuptiæ: de quibus nonnulla quæstio est. Ab his igitur duobus vltimis incipiamus.

Secundas nuptias licitas esse, & tertias etiam ac quartas, post mariti aut vxoris mortem: Magister sentent. scripturæ & patrũ auctoritatibus probat in fine distinctionis 42. & totius huius tractatus de matrimonio. Si autem (inquit Apostolus) mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera si fuerit cum alio viro. Non dicit de primo vel secundo, sed de viro. Res itaque manifesta est, & confirmata eo loco à Magistro auctoritatibus patrum. Illud duntaxat nonnihil dubitationis attulit, quòd antiqua Ecclesia auersata secundas nuptias, nonnihil illis detraxit. In Concilio enim Neocæsarienſi prohibentur clerici interesse conuiuijs secundarum nuptiarũ: quòd potius (inquit) illis pœnitentia sit iniungenda, qui sic contrahunt. Hinc etiam nec benedicuntur secundæ nuptiæ. Sed hæc omnia sana & ca-

Nec secundæ nuptiæ, nec tertiæ, nec quartæ sunt illicitæ.

Roman.7.

tholica doctrina eò docet pertinere, non vt illicitæ iudicentur, sed vt nonnihil intelligantur habere minoris laudis, & nonnihil quoque inordinatioris concupiscentiæ: non tamen quòd dicamus vel veniale peccatum esse, secundò contrahere: sed tantùm quòd habeat quandam speciem minoris boni, & quidem animi imperfecti, ac in affectu aut carnis, aut mũdi magis propensi. Possunt tamen frequenter fieri, etiam laudabiliter: nam & Paulus suadet eas infirmioribus: Volo (inquit) iuniores viduas nubere.

Bigamia est impedimentum ordinis.
1. Tim. 3.
Ad Titũ 1.
D. Tho. q. 3

Ex secundis nuptijs sequitur in clericis impedimentũ quoddam & quædam irregularitas, ob quam prohibentur ordinari bigami, dicente Paulo & ad Timotheũ, & ad Titum: Episcopũ, & Diaconum etiam debere esse vnius vxoris virum. De hac ergo Bigamia est proprius titulus in iure, & de ea agunt nostri dist. 27. Vbi primò quæritur, vnde nam hoc impedimentum sit ordini: cùm dixerimus nullum esse peccatum secũdas nuptias. In qua re moderni hæretici omnes post Lutherum, miro modo impatiẽtes ęstus libidinis, adeò licentiosi sunt, vt 3. & 4. & quoties placuerit, sacerdotibus nuptias permittant, eousque etiam progredientes, vt ferè simul plures habere vxores licere dicãt. Sic enim peruertunt loca hæc Pauli, vt vnius vxoris virum vocent eum, qui simul plures non habeat: quasi tunc in Ecclesia alijs licuerit plures habere vxores: quod quàm sit indignum, superiùs ostendimus. De his ergo omnibus duo notanda sunt. Primum, quod superiùs probauimus ex Latinorum & Græcorum patrum sensu: vnius vxoris virum dici, qui nec simul, nec succes-
1. Tim. 5. siuè plures vnquam habuit. Quod verba ipsa Pauli, nisi peruertantur, apertè significant. Et idem confirmat etiam (vltra ea quę ibi diximus) quod de viduis ipse Apostolus dicit: Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor. Si enim (vt Bucerus inquit) vnius vxoris vir est, qui nunquam simul plures habet: ergo vnius similiter viri vxor erit illa tantùm, quæ nũquam habuit simul plures: quo nihil potest manifestius turpe & impium dici: quasi verò aliquando licuerit mulieri plures simul habere viros: quod suprà ostendimus contra omnem naturam esse. Sed & asserere in primitiua illa ecclesia sub Apostolis post baptismum aliquos plures habuisse vxores licitè (vt etiam suprà diximus) error est (quanquam aliquorum catholicorum) contra legem apertè à Christo promulgatam illis locis Matthæi, Marci, & Lucæ, de quibus suprà, vbi de adulterio diximus. Nũ desunt plures ex catholicis, qui putẽt multis annis

annis etiam ante Christum, vsum illum, habendi plures vxores abolitum fuisse inter Iudæos: cùm etiam Romanis legibus nõ videatur fuisse licitus. Non legimus certè post Elcanam, patrẽ Samuelis, de alijs, quam de regibus, quòd plures habuerint vxores: vt notat Pighius. Sed nos putamus hæc tanquam incerta relinquẽda esse. Non omnia scripta sunt, etiam de illis, de quibus scriptura loquitur: vt August. probat. Et propterea tenendum est medium: vt, quid ante baptismum Iudæi egerint, non curemus: sed in Ecclesia semper sentiamus illicitum fuisse vni viro plures simul habere vxores: vt suprà diximus. Quod ideo nunc rursum repetimus, vt veram bigamiam illam esse, quam Paulus vocat, & quam hodie decernit ecclesia: apertè probaretur.

Secundum igitur de hoc sit: Bigamiam hanc duplici ratione impedimentum sacrorum ordinum definitam esse à Paulo. Priori, quæ apud patres præcipua est, ex significatione & mysterio sumpta. Habet enim secundum matrimonium, & ita bigamus, imperfectam significationem matrimonij Christi & ecclesiæ. Quoniam enim in hoc vnus tantùm sponsus vnius tantũ sponsæ est: plurium maritus non integrè & perfectè repræsentat Christum ecclesiæ sponsum. Et ideo (vt August. inquit) sacerdoti nouæ legis non conuenit plurium esse maritum: & vna mortua, alteram ducere. Secunda etiam ratio huc accedit, quòd speciem habeant alicuius incontinentiæ, secundæ nuptiæ: sicut diximus.

Ex quibus denique etiam tertium circa hoc notetur: Bigamiam impedimentum esse ordinum, ex illo verbo Pauli primò haberi: quod adeo venerati sunt antiqui omnes patres, & tanti fecerunt, vt & Anastasius & Celestinus pontifices, etiam dispensare dixerint esse illicitum: vt habetur titul. de bigamis, in decretalibus. De dispensatione tamen postea agetur. Sed an iuris diuini hoc impedimentum sit, an solùm humani: non est facilè præcipitanda sententia. Durandus Apostolicam ordinationem, & purè humanam putat. Sed profectò nihil est quo id probari possit: & multo est probabilius, illa quæ in Epistolis suis Apostoli scripserunt, tanquam communem legem eos à Christo accepisse, maximè vbi nõ explicant aliter. Dicit aliquando Paulus: Præcipio ego, non Dominus: Hic verò nihil horum, sed quasi rem certam, Episcopum dicit oportere esse vnius vxoris virum. Iuris quidem positiui id esse fatetur etiam b. Thom. sed non ideo sequitur iuris id esse humani. Itaque multo certè probabilius est, hanc legem diuinam esse: quanquam fieri possit, vt ex-

extensa sit nonnihil ex humana ratione & ordinatione prælatorum Ecclesiæ.

Quibus modis irregularitas bigamiæ incurratur.

Hæc igitur de ratione irregularitatis quæ est in bigamia: iam etiam quomodo incurratur, notandum est. Primo & manifestissimo modo incurritur bigamia (iuxta verbum Pauli) si quis legitimè duas habeat vxores vel simul, cùm licitum erat, vel successiuè. Secundò, si quis duas simul illegitimè, vel vnam legitimè, & alteram illegitimè, vt vxores tamen, habeat: cùm tamè, etiam si plures habeat concubinas, nõ efficiatur bigamus: quare etiam in hoc casu, quando alteram illegitimè habet, videbatur nulla esse bigamia: cùm verè non sit nisi vna vxor: sed iura meritò ita interpretata sunt. His duobus est etiam tertius modus annexus, quando scilicet mortua prima legitima, secundam illegitimam quidem, sed vt vxorem habet. Quartus est similis etiam proximis, quando post solenne votum castitatis de facto matrimonium quis contrahit: quod licet non sit verum matrimonium: si tamen bis contrahatur, vel cum vidua, etiam bigamum facit. Quintus modus est quando contrahitur etiam semel tãtùm matrimonium, sed cũ vidua aut corrupta. Quod etsi in ecclesia sumptum videatur ex lege, quæ virginem tantùm permittebat sacerdoti ducere, non viduam, vel repudiatam, vel meretricem: accesit tamen etiã ratio. Quoniam cùm viri caro fiat caro vxoris in matrimonio: & illa in plura diuiserit carnem suam: censetur etiam vir suam diuisisse carnem: quamuis ille, qui extra matrimonium pluribus cuiuscunque conditionis cõiungitur, non censeatur bigamus: quia ex matrimonio hæc bigamia nascitur, in quo vir contrahens mulieri coniungitur, & contrà, mulier viro: & ideo ex corruptione mulieris vir efficitur bigamus, non ex sua. Sextus deniq; modus est, quando post fornicationem vxoris, maritus siue sciens, siue insciis illi coniũgitur. De quibus omnibus, præterquã de primo, non est aperta auctoritas scripturæ: & crediderim in alijs apertiorem esse rationẽ. Nam quæ de cõtrahente cũ vidua, vel cognoscente adulteram dicũtur, videntur ab ipsis Apostolis fuisse profecta: quippe quę semper reperiuntur in antiqua Ecclesia. In alijs verò magis videntur sequentium pontificum definitiones iusta ratione factæ, in pœnam tentantium illegitima coniugia. Est etiam & hoc nõ omittendũ, quòd per matrimoniũ, nõ secuta copula, nõ causãtur bigamia. Nam vidua relicta antequam cognoscatur, si ducatur ab altero, nõ efficit illũ bigamũ. Nec ille quidem, qui mortua vxore, quam nõ cognouerat, cum secunda contrahit, bi-

Primus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

Quintus.

Sextus.

gamus

gamus est: sicut nec ille, qui priùs à se cognitam vxorem ducit. Necessarium est ad bigamiam, vt in plures per carnalem copulam diuiserit carnem, duobus modis iam explicatis.

Nec omittendum, quòd de bigamia inter Hieronymum & Augustinum discrimen fuerit: sed iam consensu Ecclesiæ definitum. Hierony. eum qui ante baptismum duas habuit: vel ante vnam, & alteram post: non putauit propterea non ordinandum: cùm baptismus auferat omnia quæ ipsum præcesserunt. Itaque non putauit aliquem puniendum esse in Ecclesia priuatione ordinis, propter id quod ante baptismum fuit commissum vel factum: vt si etiam cum vidua quis cõtraxisset. August. aliter sensit. Baptismus enim peccata aufert (inquit ille) nõ verò rationem Sacramenti mutat, de qua igitur in matrimonio bis contracto. Non enim propter peccatum, sed propter significationis defectum repellitur ab ordine bigamus. Quam sententiam ecclesia tota secuta est. Et hæc sunt dicta de ratione qua bigamia contrahitur. *In epistolã ad Titum.*

Restat iam, an dispensari possit ab Episcopo vel pontifice cũ bigamo, vt ordinetur? Vbi certum est id in ecclesia frequenter fieri: nec credendum est illam errare. Est tamen nonnulla differentia inter doctores. Quidam enim quia solùm humani iuris hoc impedimentum putant esse, pro libito dicunt dispensare posse pontificem. Sed neutrum certè rationabile est: neq; quòd sit iuris humani, vt diximus (sed diuini potius) neque quòd si esset, ideo pro libito posset dispensare pontifex. Patrum & Cõciliorum statuta, ac communes leges ecclesiæ non potest pontifex sine iusta causa auferre: nec certè vlla in re dispensare potest sine iusta causa: quod & nomen ipsum dispensationis, & ratio apertè ostendit. Quod donaui (inquit Paulus) si quid donaui, propter vos in persona Christi. Valere poterit dispensatio vel apud homines, vel vt verum ordinem bigamus cõsequatur, vel vt verus prælatus sit aut pastor qui ordinatur, vel cui confertur talis titulus: sed in conscientia coram Deo sine iusta causa nec ipse, nec dispensans tutus est. Potest ergo pontifex dispensare iusta de causa in vtilitatem Ecclesiæ: & inferiores etiam episcopi, quantum de iure vel consuetudine non est eis inhibitum: vnde in minoribus tantùm dispensant. *An cum bigamo dispẽsari possit, vt ordinetur? Durandus. 2. Cor. 2.*

De sponsalibus, à quibus sponsæ & sponsi dicuntur, quæ non aliud sunt, quàm promissio futurarum nuptiarum & matrimonij, agitur etiam à Magist. sentent. d. 27. vbi multa de illis b. Thom. & ceteri scholastici scribunt: & plura Iuristæ: de quibus *quæst. 2.*

non

non pauca apud Syluestrum in hoc verbo, Sponsalia. De illis igitur tria sunt breuiter explicanda: natura scilicet & obligatio eorum, personæ legitimæ ad ea contrahenda, & dissolutio illorum.

Sponsalia in conscientia sub mortali peccato obligãt.

Quod ad primũ attinet: cùm sponsalia non aliud sint, vt diximus, quàm promissio quædam, siue iurata, siue non, siue quacunque alia ratione confirmata: constat quòd obligent ad sui impletionem, etiam in conscientia coram Deo: neque dubium est, quin mortaliter peccetur in fidei illius violatione, quę de graui re proculdubio est, & magni momenti. Est enim contractus quidam consuetus inter homines, & frequenter vtilis ac necessarius. Hinc enim & in exteriori etiam Ecclesiæ iudicio tanquam res grauis pensatur: & similiter compelluntur ad hanc fidem obseruandam qui promiserunt. Nec de hoc aliud putamus esse dicendum. Nam quòd à nõnullis contractus hic, quia matrimonium præcedit, quasi probatio quædam eius dicitur, & ita vtilis, vt probatio religionis: nõ putamus ad rem magnopere pertinere. Certè ab hominibus hoc inuentum est gratia stabiliendæ alicuius amicitiæ. Et quia sub peccato obligat: & ex eo (vt diximus) impedimenta oriuntur matrimonij, non est cõsultum facilè hoc fœdus inire, quod sæpius, & multis de caussis dissolui cõtingit, nec rarò etiam cum peccato. Fortè olim, cùm inter homines constantior & syncerior erat fides, vtilius erat fœdus istud: iam certè rarò. Magis itaque putauerim ab ecclesia admitti quidem hunc contractum, quem nonnunquam placet hominibus inire: & de illo tradi ab ea leges iuri diuino & rationi humanæ conformes, quàm vt ab ecclesia quasi necessarius iudicetur, aut vtilis. Verũ est olim hoc vocabulo fuisse vsos patres, vt dicerent prius desponsari futuras vxores: & fortè ante Ecclesiæ benedictiones tunc non fiebat aliud: quod decretum illud Anacleti superiùs adductum habet: sed quod nunc ante benedictiones fit, verum est matrimonium, & non sponsio matrimonij futuri. Olim, cùm etiam maior esset pudicitiæ honestas, iudicabant expectandam esse sponsam & suspirandam, ne posteà contemneretur. Nunc verò propter impudicitiæ pericula, & propter impedimẽta ac alia incommoda rarò in his vtilitatem reperiri videmus.

Qui possint sponsalia cõtrahere.

Ad sponsalia contrahenda solùm legitimi sunt, qui matrimonium postea contrahere possunt. Omnia igitur impedimẽta matrimonij, etiam quæ solùm impediunt & non dirimunt: si in sponsalibus adsint, faciũt illa irrita esse. Non enim valet promissio

missio rei, quæ iure prohibetur impleri. In sola ætate est discrimen. Nam cùm ad matrimonia cõtrahenda ætas pubertatis requiratur, quatuordecim annorum in viro, duodecim in muliere: ad sponsalia sufficit ætas, in qua incipit vsus rationis, quando scilicet homo potest ab alijs capere rationem aliquam de prouidentia futurarum rerum. Hæc communiter reputatur ætas septennij tam in viro quàm in fœmina. Beatus Thomas hoc loco ex Philosopho 1. Ethicorum triplicem statũ hominis (quod attinet ad vsum rationis) ostẽdit. Primus, in quo omnino nullus est: quia videlicet nec per se homo potest capere quæ sunt rationis, nec ab alio discere, ante septennium. Secundus est in septennio, vt diximus. Tertius est, qui incipit in fine secundi septennij, decimo quarto scilicet anno, cùm per seipsum etiam homo considerare potest, maximè illa quæ pertinent ad seipsum: & sicut tunc potest homo se obligare ad Religionem, ita etiã ad matrimonium.

art. 2. *Triplex status hominis.*

Nunc de ratione, qua dirimi possunt huiusmodi sponsalia, non est multis agendum. Vniuersalis enim ratio in omni promissione est, eam tunc dissolui, cùm aliquid accidit, propter quod incipiat promissio inutilis esse, aut nociua, siue etiam impossibilis: aut certè, quòd si adfuisset quando promissio fiebat, meritò impediuisset ne fieret. Soluitur enim promissio consensu eius, cui facta est. Hinc igitur aliqui colligunt octo causas, propter quas sponsalia dissoluuntur: per ingressum religionis: per contractum de præsenti cum alia: per recessum alterius ad remotiores partes: per infirmitatem grauem & nimis debilitantem aut deformantem: sicut (inquit b. Thom.) epilepsia, & paralysis, aut oculorum priuatio, siue abscisio narium. Per affinitatem superuenientem: vt si sponsus cognoscat consanguineam sponsæ, vel ipsa cognoscatur à consanguineo eius. Sexta causa est propter fornicationem alterius eorum. Tunc enim iustè potest alter negare illi qui fornicatus est, fidem. Septimò ex mutuo amborum consensu nõ est dubium solui sine peccato: cùm solùm ibi agatur de soluendo promisso. Octauo denique, si etiam defectus ætatis sit, cùm ad eam peruentum fuerit, reclamari potest à quolibet eorum. Vnde & promissiones illæ parentum vel tutorum de pueris, non magis sunt validæ, quàm accedente eorum consensu, ab ipsis probentur. Addit his octo Petrus de Palude duas alias: ordinem scilicet sacrum, & longioris temporis lapsum. Addit etiam nonnullas alias Syluester: sed de his satis.

Decem causæ ob quas dissoluuntur sponsalia.

Non-

Nonnihil additur etiam inter annexa matrimonij de filijs legitimis & diuortio, vel potiùs de modo agendi ad diuortium, & teſtibus: de quibus & Magiſter ſententiarum loquitur diſt. 41. art. 3. & 5. vbi etiam b. Thom. & ceteri de his meminerũt. Sed reuera hęc magis exterioris fori materia eſt, & ad illius iudicium pertinet: vnde de his proprij ſunt tituli in decretalibus, qui filij ſint legitimi, &, de diuortijs, & iterum, qui matrimonium accuſare poſſunt. Interim verò nec hoc omittamus, quòd filij legitimi ſunt, qui ex legitimo matrimonio naſcuntur. Matrimonium verò legitimũ illud eſt, quod in facie Eccleſiæ cõtrahitur bona vtriuſque fide: cùm ſcilicet nullum putant eſſe impedimentum. Si enim alterum eorum defuerit, vel quia illi ambo, aut certè alter non ignorat impedimentum: vel clam contrahatur: illegitimi reputabũtur, ſi poſtea impedimentum inueniatur. Tantum nãque prodeſt in facie Eccleſiæ & publicè matrimonium contrahere, vt hoc faciat legitimos filios, etiam cùm deinceps matrimonium nullum eſſe oſtenditur.

Qui filij ſint legitimi.

De diuortijs.

De diuortijs verò hoc duntaxat à nobis dicendum eſt, quòd, cùm eccleſia aliquod impedimentum fuiſſe agnoſcit, diſſoluit matrimonia. Ad id verò probandum recipit teſtes, quos maximè putat id poſſe agnoſcere, & extra ſuſpicionem eſſe: vt conſanguineos. cùm agitur de conſanguinitate, & nonnunquã etiã extraneos. Et quia in his eccleſia decipi poteſt & falli, cùm pendeat ex probationibus humanis: admittit etiam, quoties de hoc probabiliter dubitatur, in quæſtionem rurſum deduci, vt matrimonium quod ſemel ſeparauerat, poſtea probet. Nec enim vult alicui pręiudicare. Igitur hæc ſatis de ſacramento matrimonij. Atque ita abſolutus eſt tractatus de ſeptem Sacramentis: in quo dum conati ſumus omnes errores, quibus nunc infeſtatur Eccleſia, perſequi, aut ſaltem de his admonere: multò longior euaſit, quàm putauimus. Vtinam quantum deſideramus, vel aliquid ſaltem vtilitatis adferat. Quæ reſtant de inſtituendis ſacerdotibus ſimplicioribus & parochis, ſperamus nos breuiter abſoluturos.

Finis primæ partis Tractatus de inſtitutione Sacerdotum.

SECVN-

TRACTATVS DE INSTITVTIONE SACERDOTVM.

DE PECCATORVM DISCRIMINE, ET RATIONE MEdendi vulneribus animæ, quatenus Parochis necessaria sunt.

LECTIO PRIMA.

De ratione & voluntate, primis actionum nostrarum principijs.

POST SACRAMENTA (VT ex his quę in principio huius laboris nostri, quem pro instituendis sacerdotibus, præcipuè parochis suscepimus, dicta sunt, patet) tria superſunt necessaria cognitu illis: discrimen peccatorum, leuiorum scilicet à grauioribus: ratio adhibendi medelam: & cõmunia quæ ad fidem & mores pertinent. Ex quibus quæ fidei sunt & ad omnes pertinent (& quæ idcirco per eos proponenda sunt omnibus) non est opus hic tradi: ex catechismis peti possunt, quantum sufficit sacerdotibus inferioribus: quibus in hac parte satis est, ab episcopis tradita retinere & docere. Episcoporum verò munus est aduigilare, & siue erroribus, siue peccatorum scandalis insurgentibus occurrere, & ad hoc agendum exhortari ac instruere inferiores ministros per frequentes literas, quos verbo non possunt. Post hæc igitur quæ ad fidem pertinent, reliqua omnia sunt morum, & simul in hac secunda parte tradenda. Omnia enim quæ ad mores pertinent, in doctrina quæ de discretione peccatorum, & de ratione illis medendi est, continentur: quæ sunt à nobis

Præter sacramentorum notitiam tria sunt parochis cognitu necessaria.

non perfectè & plenè, sed in vniuersali, & pro captu ac necessitate sacerdotum quos instituimus (quantum Deus dederit) explicanda.

Sacerdotes pleniorem notitiam peccatorũ debent habere quàm populus.

Vbi illud est ante omnia statuendũ: Sacerdotum esse de peccatis multo altius quàm priuati Christiani possint, iudicare: & tanquam ex altiori speculo profundiùs singula peruestigare, quæ ab inferioribus fiunt. His enim satis erit, si vt infirmi possint dolores ac vulnerum loca indicare: illis verò necesse est, vt tanquam spirituales medici sciant inquirere radices, & morborum causas. Ad quod probandum cùm & initio huius operis, & in sacramentis pœnitentiæ & ordinis explicandis patrum testimonia adduxerimus: nũc satis sit ad memoriam reuocare Chrysostomum in secundo libro de sacerdotio: vbi quanquã de episcopis præcipuè agat, de omnibus tamen spiritualibus iudicibus inquit, summa diligentia, & sexcentis (vt aiunt) oculis sacerdotem vti oportere, vt habitum peccatoris agnoscat. Et Innocentius tertius, conciliumque Lateranense in canone illo, Omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remiss. Sacerdos (ait) sit discretus & cautus, vt more periti medici &c. quę ibi legenda sunt. Sed & illius meminisse oportet, quòd in Leuitico à vino etiam & his quæ inebriare possunt, abstinere iubet Deus sacerdotes, quum ingressuri sunt tabernaculum testimonij: vt habeant (inquit) scientiam discernendi inter sacrum & prophanum, inter pollutum & mundum. Vbi satis ostenditur non sola lectione, sed oratione etiam, abstinentia & puritate vitæ quęrendam hanc scientiam discernendorum peccatorum, quæ multo altior est, quàm quæ necessaria erat veteris legis sacerdotibus. Hæc in principio hic dicta sint, vt tantus torpor, tantaque obliuio, quanta hodie dominatur in ecclesia, excutiatur à nobis. Hæc enim esse non potest sine magna pernitie salutis animarum, iuxta illud seruatoris: Si cæcus cæco &c. Si lumen quod in te est tenebræ &c. Vt itaque hæc, vt dignum est, à sacerdotibus cognosci possint: de caussis actuum nostrorum, eorumque natura & ratione sunt pauca præmittenda. Inter quæ primum sit de ipsis animæ nostræ potentijs & facultatibus, à quibus videlicet actus humani fiunt. Cõsideratio enim hęc potentiarum & virium animæ in hac materia, non nostra tãtùm & scholasticorum theologorum & philosophorum est, sed grauium illorum & antiquorum theologorum, Gregorij scilicet Nisseni in libro de homine, & Damasceni in 2. ortho. fidei & August. in libro de Trin. quãuis calumnientur hæretici quòd politicam tantùm & naturalem philosophiam

Leuit. 10.

Matth. 15.

Ibidem 6.

losophiam doceamus. Quid enim mirum, si docemus quæ necessariò præsupponit vera theologia, & ex quibus pendet vera cognitio nostri? Nisi putent gratiam naturam excludere, & ei contrariam esse. Reuera boni & mali mores, peccata & bona opera magna ex parte natura ipsa, & lumine illo vultus Dei, quod signatum esse super nos dicit psalmus, manifestantur, præter pauca illa, quæ propria sunt christianæ fidei. Ideoque naturæ ipsius, & virtũ eius (intellectus scilicet & appetitus, & reliquarum omnium) cognitio magnoperè conducit ad rectè iudicandum de bono & malo in moribus: quod cùm necessarium sit spiritualib⁹ iudicibus, sacramẽti scilicet pœnitẽtię ministris, necessarium inquam, vt non vulgariter, nec ex sententia plebis, sed ex vera ratione & fide, atque scriptura sacra iudicare possint: omnino credimus necessaria esse principia hęc doctrinæ moralis, quæ nos hic paucis, & sine vlla contentione, sed simpliciter, quantum ad nostri, & ad nostrorum operum cognitionem pertinet, conabimur tradere.

Suprema animæ potentia est ratio.

Prima igitur & suprema animæ nostræ potentia seu facultas est, quam rationem siue intellectum vocant, qua primò & maximè à ceteris animantibus distinguimur, & appropinquamus angelis atque ipsi Deo: quæ non aliud est, quàm lumen quoddam, quo illa à nobis cognosci & cogitari possunt, quæ sensus omnes & captum reliquorum omnium animalium excedunt. Sicut enim sensibus exterioribus, oculis, auribus, & ceteris occultioribus & interioribus, quamuis corporeis virtubus animæ, commoda & incommoda corporis, pulchritudinem & deformitatem, dulcedinem & amaritudinem, præsentia noscimus, præterita retinemus, futura cogitamus & nos & iumenta: sicut etiam interiori alia, sed corporea virtute quædam percipimus, quæ nullo exteriori sensu percipi possunt: vt amicitiam & odium, quæ experientia cognoscimus animalia etiam cogitare, sicut id quod vtile est & generationi & educationi prolis: ita etiam multo altiori, sed omnino incorporea atque spirituali virtute cogitamus & agnoscimus homines spiritualem honestatem & turpitudinem vitiorum ac virtutum. Inquirimus etiam occultas rerum omnium causas, & attingimus vsque ad dominum ipsum, & meditamur æternitatem ac cælestia: & in ipsis etiam rebus corporeis, non tantùm quæ naturæ quodam instinctu nobis imprimuntur, cogitamus aut retinemus, sicut cetera animalia, sed etiam inquirimus illa cũ nondum attigimus, & oblita rursum ad memoriam reuocamus, & ex illis

Comparatur ratio cum sensibus.

Diuisio intellectus. ratiocinamur comparantes & coniungentes alia alijs, vt Augustinus inquit 12. de Trinit. in prin. c. Hanc potentiam diuiserunt *Theoretic⁹ intellectus.* & philosophi & theologi in intellectum practicum, & speculatiuum. Speculatiuum vocantes illum, qui solùm contemplandis ac cognoscendis rebus intendit, quæ à nobis operandæ nō sunt. Ad quam partem animæ pertinent omnes naturales scientiæ de *Practicus intellectus.* cœlo & motibus, de Deo ipso & Angelis. Practicus est, qui rebus agendis à nobis tantùm intentus est: ad quem maximè pertinet pars illa moralis, quæ de virtutibus agit & vitijs, & ab Aristotele pluribus libris, atque à ceteris philosophis, & theologis etiam tractatur: & huius partis est totius vitæ nostræ gubernatio, & dispositio agendorum omnium. Non quòd diuersæ *q. 79. art. 11.* sint istæ potentiæ, sed eiusdem diuersi actus, vt ex ipso philosopho b. Thom. inquit in prima parte.

Ratio superior & inferior. Diuisit eodem modo atque ratione August. hanc partem 12. lib. de trin. in rationem superiorem & inferiorem: nō quòd sint diuersæ potentiæ, sed eiusdem diuersi actus. Quam distinctionem Augustinus (in seipsa quidem conuenientissimam) magno ingenio adinuenit, & mystico sensui atque morali illius loci, in quo de primo peccato, suggerente serpente, inuitante muliere, & consentiente viro, perpetrato loquitur scriptura, coaptauit.

Ratio superior. Est igitur apud illum superior ratio tanquam vir: supremum videlicet quod est in homine: ratio ipsa inspiciendis spiritualibus & æternis rationibus, & consulendis illis, & ex eis gubernandæ vitæ deducendis regulis intenta. Sunt enim æternæ quædam rationes, superiores quidem omni intellectu, communes tamen omnibus, quibus vita nostra directa errare non possit (de quibus Paulò inferiùs latius agemus) qualis hæc est, de qua dominus in euangelio: Quæcunque vultis vt faciant vo- *Ratio inferior.* bis homines &c. Ratio verò inferior est intenta rationibus temporalibus & corporeis: sicut cùm cogitat, quid quieti corporis & paci conducat, quid honestati & famæ. Hæc enim ad partem intellectiuam pertinent, sed tanto inferiora sunt spiritualibus illis & æternis, vt his intenta nostra ratio tantum distet à seipsa intenta illis, quantum mulier à viro in ipsa creatione: quæ quidem ad eandem pertinet naturam, & ex ipso viro desumpta est, illi tamen in gubernatione subdita: sic & inferior ratio ad ipsam pertinet naturam intellectus: sed quia inferius quid & ab eo deriuatum, illi subdita esse debet, vt ratio de temporalibus per rationem, quæ de spiritualibus & æternis

est, gu-

est, gubernetur. Hæc igitur de ista potentia intellectus sint nobis distincta.

Illam sequitur altera eidem coniuncta atque germana, quam rationalem appetitum seu voluntatem dicimus: quæ non aliud est, quam quædam inclinatio & propensio, qua prosequimur & tendimus interiori animo in bona atque conuenientia, quæ per rationem cognita sunt. Quod cùm experientia ipsa in nobis videamus (afficimur enim spiritualibus illis bonis, quæ per rationem agnoscimus) ratio etiam eius facile reddi potest. Cùm enim quamlibet formam naturalem consequatur inclinatio & propensio in ea, quæ sibi conuenientia sunt, vt grauitas lapidis & leuitas ignis: naturæ verò virtutem habentes cognoscendi induant quodammodo per cognitionem formas & naturas earum rerum quas cognoscunt: cognitionem etiam sequitur inclinatio conueniens illi, in ea scilicet quæ cognita sunt: quæ in brutis animalibus, & in nobis, quatenus cum illis conuenimus, & intenti sumus cognitioni sensuum, vocatur appetitus sensitiuus, sicut prior ille appetitus naturalis. Cognitionem etiam intellectiuam, necesse est, vt consequatur potentia & inclinatio, qua conuenientia naturæ bona amentur, & mala odio habeantur. Quare hæc virtus omnino spiritualis & incorporea est, sicut intellectus, & ad supremam hanc hominis partem pertinet, & vtraque simul vocatur ratio, cuius imperio cetera quæ in homine sunt, subdita esse debere dicimus. *De voluntate.*

In his itaque duabus potentijs est dignitas illa diuinæ imaginis, & regale atque diuinum prorsus imperium, de quibus dictum est: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram &c. vt præsit piscibus maris &c. Est tamen hoc loco diligenter annotandum, quis sit ordo & habitudo earum ad seinuicem. Habet enim se ratio vt consultrix, atque proponens voluntati ea in quæ tendere aut possit aut debeat: vnde nec effectiuè eadem mouet aut impellit, sed tantùm agit, sicut homo qui proponit aut suadet aliquid, qui non propterea in voluntatem ipsam operatur, aut in eam quidquam imprimit. Voluntas verò motrix est atque efficax caussa cogitationis ipsius, atque effectiuè operatur & mouet ipsum intellectum, sicut membra, aliasque animæ vires. Est enim ipsa verè in hoc animæ regno dominatrix, sine qua nulla operatio intellectus, sicut nec aliarũ virium illi subditarum efficax est. Nec tamen prætereundum, quòd hinc non sequitur vlla impossibilitas, aut circuitus repugnans, quo minus actus rationis & voluntatis fieri possint, vt *Cõparantur inter se intellectus & volũtas eorumq; operationes.*

videri poterat: cùm dictum sit, voluntatem non posse velle, quod ratio non proposuerit & cogitauerit: nec rationem cogitare posse, quod voluntas non velit. Est enim principium in cogitatione aliqua vel à Deo, vel ab Angelis, vel ab aliqua causa naturali immissa, quam in potestate voluntatis est aut continuare, aut reijcere: atque ita voluntaria est prior illa cogitatio, etsi non præcesserit voluntas: satis est quòd illa non repugnet, atque ita consentit.

LECTIO SECVNDA.

De *actibus rationis practicæ & voluntatis.*

TAM de actibus harum potentiarum, quatenus morali nostro proposito conueniunt, breuiter dicendum: quomodo videlicet ratio practica dirigat voluntatem, & quomodo ipsa prorumpat in actum, atque progrediatur in suis operationibus.

Quomodo intellectus & voluntas inchoent actiones & in eis progrediatur.

Illud ergo statuatur primum: voluntatem nostram (quæ in bonum, vt diximus, rationis tendit) duo respicere, scilicet finem, & media. Sic & intellectus ipse practicus, qui illam dirigit, vtrumque considerat: finem tanquam principium, media tanquam conclusiones inde deductas. Vnde principia hæc & fines, & actus circa ipsa, certa sunt, ac natura indita & rationi & voluntati: media verò & conclusiones nec certa & eadem sunt, nec in ipsa eodem modo & ratione feriuntur: sed varie atque diuersimodè. Cùm enim natura rationis & voluntatis nostræ mutabilis sit: non solùm in diuersa & contraria, sed nonnunquam in eadem obiecta contrario modo fertur: quod in Deo omnino non est, apud quem nulla est vicissitudinis obumbratio: sed nec in ipsis angelis est tanta mutabilitas, quanquam & ipsi non simul omnia agnoscant & velint. Quod ideo dicimus, vt in hoc principio mutabilitatem animæ nostræ in suis proprijs operibus agnoscamus, vnde non minima sunt circa mores in nobis pericula & incommoda. Cùm itaque mutabilis sit ratio & voluntas nostra: natura verò semper ita comparatum sit, vt motus omnis ab immobili aliquo & certo incipiat: indita sunt certa quædam principia rationi & voluntati nostræ atque fines,

à quibus

à quibus ad conclusiones & media progressus fiat.

In ratione itaque practica sunt quædam certa & immobilia principia, quæ August. in 2. lib. de lib. arb. vocat principia & lumina virtutum omnium: & in 12. de Trin. vt superiùs diximus rationes spirituales & æternas, ac immutabiles, sicut numerorum rationes. Itaque vt intellectu speculatiuo certa quædam principia natura indidit, quæ Philosophi vocârunt axiomata seu dignitates & maximas: vt, nihil simul esse & non esse: totum maius esse sua parte: quas nullus negare potest: ita & in intellectu practico sunt certa etiam principia, quæ non aliud sunt, quàm de finibus humanis certa quædam iudicia: vt beatitudinem esse appetendam: studendum sapientiæ: iustè viuendum: posthabenda esse deteriora melioribus: æterna & incorruptibilia meliora esse corruptibilibus & temporalibus: auertendum esse animum à corruptione. & transferendum esse ad incorruptionem. Eiusmodi iudicium intellectus practici d. Thom. ex Hieronymo & alijs antiquioribus synderesim vocat: alij apicem & sublime mentis, quod semper inuiolatum manet & incorruptum, quantumuis falsis opinionibus & peruersis affectibus sit homo corruptus. Et hæc est prior rationis nostræ practicæ operatio. *In 1. p. 79. ar. 13. Synderesis.*

Quia verò, vt dictum est, voluntas cognata est rationi, hunc rationis actum sequitur in voluntate similis alius actus: naturalis scilicet appetitus finis: velle esse beatum: velle iustè viuere: incorruptionem & æternitatem appetere. Omnia enim illa quæ ratio vt fines proponit voluntati, & vt certa bona, illa naturaliter appetit voluntas: & hic appetitus finis vocatus est voluntas, siue velle: communi videlicet nomine: sicut cùm in fine iam habito quieuerit, ille actus dicitur fruitio: & cùm in illum per media tendit, dicitur intentio. *Voluntas naturaliter appetit finem. Velle, intentio & fruitio actus voluntatis.*

Hi igitur sunt primi actus in humanæ vitæ progressu. Non quòd necessarium iudicemus explicitè & actu vel à ratione cogitari, appetendam esse beatitudinem, vel voluntatem ita eam velle: sed satis est, quidquid iudicat ratio appetendum, & quidquid voluntas appetit, vt indutum ratione beatitudinis, sapientiæ, vel iustitiæ &c. & appeti, & iudicari appetendum. Vnde in omnibus quæ volumus, sunt virtute hi finium appetitus: sicut in omnibus quibus intellectu speculatiuo assentimur, priora illa principia virtute continetur: videlicet nihil simul est & non est: cùm tamen illa actu cogitasse explicitè non sit opus, vt ipsa experientia docet.

Actiones rationis & voluntatis circa media ad finẽ.

Iam quales actiones rationis & voluntatis circa media sint, considerandum. Voluntas ergo efficaciter cupiens finem, mouet etiam rationem efficaci imperio suo ad consultandum: inquirendum scilicet, quibus medijs ad eum peruenire possit: & cùm plura occurrerint, vt inquiratur, quod eorum sit conuenientius: vbi cùm intellectus certum iudicium tulerit (quod est conclusio consilij, & cuiusdam practici discursus) hæc erit prima eius circa illa operatio, quam consilium vocarunt & Philosophi, & antiqui illi Theologi.

Cõcilium.

Electio.

Hanc verò sequitur in voluntate electio: cùm scilicet voluntas medium illud efficaciter vult, quod ratio conuenientius esse iudicauit. Quem actum & alijs nominibus nonnunquam vocarunt: consensum videlicet, vel vsum. Certum est tamen voluntatem post finem, quem naturaliter amat, in media tendere liberè & contingenter, iuxta rationis practicæ iudicium: atque ideo quandoque in electione medij peccatur à voluntate, & à ratione etiam erratur. Vnde dixerunt Philosophi (prout d. Thom. in 1.2. q. 12. & 14. & 77. de hoc loquens, dicit) syllogismum incontinentis siue peccantis, paralogismum esse: quòd videlicet cùm consultat, primò assumit, bona, conuenientia, & salubria esse appetenda, quasi maiorem quandam propositionem præmissam: deinde cùm assumit, non vera, sed apparentia: cogitat, malè quodammodo subsumens. Incontinens enim, cùm cogitare deberet fornicationem esse malam, & contra Dei legem, atque ideò in interitum ducere: cogitat è contrario, illam delectabilem & suauem esse, atq; ita iudicat fornicationem appetendam esse.

Consensus, vsus.

Quæ rerum cõsultatio & electio.

Meritò itaque Gregorius Nis. lib. 5. de homine, c. 4. & 5. & Damascenus cap. 27. lib. 2. de orth. fid. consentaneè etiam Philosopho, consilium & electionem non de fine, nec de necessarijs & impossibilibus, sed de medijs tantùm, quæ in nostra sunt potestate, & incertum exitum habent, esse dicunt: propter quod in his non solùm libertas, sed varietas magna est in nobis.

Quid voluntarium & violentum. ca. 3. lib. 5. ca. 24. 2.

Ex quibus omnibus iam vltimò ratio voluntarij ostenditur. Cùm enim voluntarium à voluntate propriè dicatur: voluntas verò internum principium sit operationum nostrarum cognitionem sequens: rectè Aristoteles in 3. ethi. & antiqui illi, Gregor. & Damascenus (quos beatus Thomas sequutus est in prima 2.) definierunt voluntarium esse, cuius principium est in ipso operante, sciente singula circa quæ est ipsa operatio: quod de circumstantijs dixerunt, de quibus postea. Nunc verò hanc voluntarij rationem ex oppositio, inuoluntario scilicet, ita explicant

plicant supradicti patres. Inuoluntarium enim illud dicitur, quod per violentiam fit, vel per ignorantiam. Violentum verò id dicimus, quod à principio externo est. Voluntarium ergo ab interno oportet esse. Ignorantia rursum opponitur scientiæ: scientia ergo in voluntario requiritur: voluntario igitur meritò opponitur violentia & ignorantia. Sed quoniam voluntati in proprio suo actu violentia inferri non potest (nec enim velle possumus, nisi volentes, & à propria voluntate acti) membra verò exteriora cogi possint à fortiori (sicuti cùm pedibus & manibus ligatur quis, vt non possit progredi & operari) fit, vt ipsis actibus voluntatis non inueniatur violentum. Ignorantia verò sæpe in eis inuenitur: cùm scilicet aliquid ideo volumus, quia ignoramus quid aut quale sit: vt cùm Iacob ignorauit Liam esse pro Rachel sibi suppositam. Illud tamen non est omittendum, quòd patres in brutis etiam voluntarium posuerunt (quod magis propriè spontaneum dici potest) & id quidem cõmuni quadam ratione, non vt à voluntate, virtute nobis propria, dicitur: propriè enim in his solùm est quæ voluntatem habent. Vnde non tantùm vt finis ipse & media, sed vt ordo etiam vnius ad alterum apprehendatur, ad perfectè voluntariũ requiritur: quod in ceteris animalibus non est, vt beatus Thomas hoc tractans, docet. Bruta enim magis à natura aguntur, & imaginatione aliqua subitò immissa feruntur, quàm iudicio & voluntate. Metus etiam (vt eisdem locis conclusum est) voluntarium non aufert: sed simpliciter, quod metu facimus, voluntarium est: vt cùm mercator iactum facit mercium in mare, imminente tempestate: quanquam dicatur secundum quid inuoluntarium: mallemus enim non incidisse in eam necessitatem: sed ex quo incidimus, absolutè volumus id facere quod illa postulat.

Voluntario opponitur violentia & ignorãtia.

q. 6. 1. 2.

Metus non facit inuoluntarium.

(.·.·.)

LECTIO

LECTIO TERTIA.

De reliquis omnibus potentijs humanorum actuum principijs, & præcipuè appetitiuis, & earum actibus.

DVAS prædictas potentias, & actiones earum expositisse sufficeret, si homines tantùm rationales essemus: sed quia communicamus etiam cum brutis animantibus in corpore & sensibus, eorúmque officijs: sunt in nobis aliæ operationes, & virtutes, illarum operationũ principia: de quibus etiam breuiter dicendum, quantum morali proposito conuenit. Igitur cum Gregor. Nissen. & Damascen. distinguamus præter has potentias (quæ sunt secundum essentiam suam rationales, hoc est, ipsa ratio, & appetitus eius) duplicis generis alias potentias: quædam enim sunt, (vt illi inquiunt) rationales: quæ scilicet rationem sequuntur, & ab ea persuadentur: quas mox explicabimus. Aliæ sunt irrationales omnino, quæ nec rationi obediunt, nec persuasibiles sunt: quales sunt (vt inquiunt illi) pulsatis illa virtus cordis & arteriarum, & nutritiua atque generatiua, ceteræque vegetatiuæ partes. Illæ verò quæ rationi participant & ei obediunt, quas rationales diximus, distinguuntur à sancto Tho. & à Philosopho primo politicorũ. Nã aliæ semper & omnino rationi parent: hęc est virtus motiua, quæ in membris corporis est: vt progressiua, quæ maximè in pedibus cernitur. Aliæ verò sunt quæ nonnunquam repugnant, & feruntur à se ipsis in sua propria bona: quare cùm à ratione ab eis auocantur, non mox illam sequuntur, quanquam tandem trahi possint: & hic est appetitus sensitiuus. Habet enim suum proprium motum in ea quæ sunt sensui delectabilia. Sed (vt experientia videmus) ira, quæ vnus horum motuum est mitigatur consideratione, sicut concupiscentia & huiusmodi alij appetitus. Dominatur ergo illis ratio, sed vt liberis, qui sibi dimissi feruntur in sua. Virtuti verò motiuæ & organis eius dominatur ratio vt seruis. Nunquam enim hæc mouentur sine ratione in homine, nisi vbi est defect⁹ aliquis naturę. Quare membra actuum humanorum non tam sunt principia, quàm instrumenta quædam: nec enim rationem aut voluntatem vel tantillum

L. 4. de homine. c. 8. De ort. fid. c. 12. lib 2. Quædã potentiæ animæ omnino non obediunt rationi. 2. p. q. 81. quædã potentiæ animæ omnino parent rationi, aliæ nonnunquam repugnãt. Appetitus sensitiuus. Rationis imperiũ in alias animæ vires.

tantillum mouent, sed mouentur ab eis ad exteriores operationes. At verò appetitus non solùm repugnat, sed impedit etiam & trahit rationem & voluntatem, vt experientia docet. Idque (vt b. Thomas dicit) multipliciter fit: primo, rationem distrahendo. Nimium enim alicui affectui appetitus intenta anima, minus efficax est ad rectè & secundum rationem iudicandum. Deinde & per apertam contrarietatem & repugnantiam. Dum enim iudicat appetitus sequendam delectationem aliquam, & nimium sibi complacet in ea: ratio non satis efficax est ad rectè circa hoc iudicandum. Demum & immutando corpus ipsum. Sunt enim hi affectus cum corporis immutatione: vt ira cum sanguinis accensione, & timor contrà. Mutato verò corpore, fit, vt longè aliter homo sentiat & iudicet: sicut famescens aliter iudicat, quam satur. Propter hæc igitur omnia dictum est: qualis quisque est, talis finis ei videtur. Hæc igitur appetitiua virtus est à nobis attentius consideranda, quæ in actionibus plurimum valet. Et eo magis, quo consuetudine facta est fortior, & quo magis sequuntur homines appetitum quàm rationem. Omittamus tamen hanc magis speculatiuam quæstionem: an hæc repugnantia sit naturalis, an solùm ex peccato in pœnam à Deo inflicta. Illud certum est, ablatum fuisse propter peccatum ab homine donum illud originalis iustitiæ, quo fiebat, vt hæc repugnantia auferretur: & rursus, hanc esse de qua Paulus inquit: Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem &c. Item: Video aliam legem &c. Appetitus igitur hic (quem sensualitatem vocant) est propensio sensitiuæ naturæ in bona delectabilia sensui: vt voluntas fertur in ea, quæ rationi conueniunt.

Appetitus sensitiuus nõ tantùm repugnat, sed etiam trahit rationem & voluntatẽ. 1.2.q.77. art.1.& 2.

Diuiditur verò à priscis illis theologis, atq; etiã philosophis, in cõcupiscibilem, & irascibilem. Quia enim natura, sicut dedit rebus omnibus, ad ea quæ sibi cõueniunt quærenda, inclinationem quandam: ita etiam dedit vt insurgerent in contraria & impedientia. Sicut lapis, quanta virtute descendit, tãta repellit omnia impedientia descensum. Ideo animalibus nõ solùm dedit in bona conuenientia sensibus inclinationem, quam dicimus concupiscibilẽ: sed etiam qua insurgerent in contraria & impedientia, quam vocârunt irascibilem, ex qua sunt pugnæ & contentiones propter delectationes in animalibus. Et quia hæc sæpe cõtraria sunt (quod enim fugit concupiscibilis, scilicet dolores, aggreditur irascibilis, quoniam insurgit in alterũ) duas dixerunt virtutes, & non vnam.

Duplex appetitus sensitiuus, scilicet cõcupiscendi & irascendi.

Actus verò earum, quas affectiones alij, alij passio-

De actib⁹

siue passionib⁹ vtriusq; appetitus sensitiui.

alij passiones dixerunt, sunt breuiter etiam à nobis cõsiderandi: quos etiam antiqui illi theologi Gregor. & Damasce. tradiderũt supradictis locis: & diligentissimè d. Tho. pluribus quæst. videlicet à 22. vsque ad 48. prima secundæ. Plurimum enim refert ad materiam moralium hos cognoscere: cùm (vt diximus) tantopere valeant affectus in hominibus. Nobis tamẽ in hoc principio satis sit breuissimè vel numerasse harũ potentiarum actus.

Act⁹ appetitus cõcupiscẽdi circa bonũ & malum.

Igitur virtus illa concupiscibilis duo respicit. Primò bonum quod prosequitur: deinde malum quod fugit. Circa bonum tres distinxerunt illius actus, amorem, desiderium, & gaudium: qui se habent in animali, sicut in re naturali respectu finis naturalis, primùm conuenientia ipsa rei naturalis cum fine, quæ est antequam incipiatur motus, & ex qua incipit: deinde motus ipse: tertiò denique quies. Sic in appetitu hoc animali, bono absolutè proposito concupiscibili, primò placet illi: hoc vocant amorem, secundò, si consideratur absens, appetitur desiderio: sed in iam adepto & acquisito conquiescit appetitus, quod est gaudiũ. Circa malum tres oppositos actus, qui ex his manifesti fiunt, posuerunt. Malum enim absolutè consideratum odio habetur, absens fugitur, præsens tristitiam efficit: atque ideo hos actus nominárunt, odium, fugam, & tristitiam.

Amor.
Desideriũ.
Gaudium.
Odium.
Fuga.
Tristitia.

Actus appetitus irascibilis circa bonũ & malũ difficile.

Irascibilis porrò, quæ propugnatrix est & vindex concupiscibilis, ab illa incipit, & in illam terminatur. Est tamen circa bonum & malum, sed difficile. Bonum igitur arduum illi propositum, si iudicetur possibile acquiri, speratur: quòd si è contrario impossibile credatur, desperamus de illo. Et hæc duo, spes & desperatio, sunt duo contrarij actus virtutis irascibilis circa bonum. Similiter & malum arduum aut timetur, cùm iudicatur non posse euadi: aut cùm speratur superari posse, audemus in illud insurgere. Sunt igitur timor & audacia duo irascibilis actus circa malum arduum: & hoc quidem cùm absens est. At verò cùm malum est præsens, si superari posse iudicatur, insurgit ira, quæ propriè etiam est irascibilis passio. Nam si superari non possit malum, succumbit appetitus per tristitiam, quæ non est irascibilis, sed concupiscibilis affectio. Circa bonum verò præsens cùm nulla sit difficultas, non operatur irascibilis, sed in eo quiescit concupiscibilis per gaudium. Si itaque hæc bene considerentur, apertè patet in tristitia & gaudio terminari omnes affectus appetitus, incipere verò ab amore. Ex eo enim quòd aliquod bonum amatur, desideratur absens: si sit difficultas, speratur, & in eam insurgitur ab irascibili: cùm verò acquisi-

Spes.
Desperatio
Timor.
Audacia.

tum

tum fuerit, sequitur gaudium: quòd si impossibile iudicatur, est desperatio: vel si tandem non obtineatur, sequitur tristitia. Ex quo etiam circa malum, qualis sit progressus ostenditur. Odio habetur malum absolutè consideratum: absens fugitur, & insurgimus per audaciam in illud, atque repellitur per iram si incederit, vel per tristitiam succumbimus illi.

LECTIO QVARTA.

De voluntario in omnibus humanis actibus, de habitibus, & prima diuisione humanorum actuum in bonos & malos.

IAM ex illis quę dicta sunt proximis lectionibus, inferamus quædam, quæ non parum adiuuant ad iudicium humanorum actuum, & cognitionem peccatorum.

Primò itaque ex dictis ostenditur, in quibus actibus hominum voluntarium inueniatur, & ad quos se extendat imperium rationis: hæc enim duo se inuicem consequuntur. Ibi enim solùm voluntarium est (quod à voluntate propriè dici superiùs ostendimus) vbi motus voluntati subest: quæ cùm ratione regatur, in eisdem etiam est imperium rationis.

De imperio rationis.

Imperium igitur hoc loco ordinationem quandam rationis non indicatiuam tantùm, sed imperatiuam & efficacem, mouentem videlicet ad exercitium actus, dicimus. Cùm autem etiam superiùs ostensum sit, ad voluntatem propriè pertinere, mouere effectiuè ad actus exercitium: satis ostenditur (vt b. Thom. colligit) imperare rationis quidem esse, sed virtute voluntatis efficacis. Ex quo proximè sequitur, ad omnes illas potentias, quas rationales diximus siue per essentiam, siue per participationem, extendi imperium rationis: & in illis omnibus voluntarium esse, ac in illis duntaxat. Imperatur igitur & est voluntarius primò actus ipse rationis, quoad exercitium quidem semper, vt cogitet videlicet aut non cogitet: quoad assensum verò similiter, vbi ratio non est conuincens. Vnde credimus nonnunquam ex imperio rationis. Imperatur deinde & actus ipsius voluntatis, quatenus & à ratione ordinari, & alio actu voluntatis appeti potest. Tertiò etiam actus appetitus

Imperium rationis ad quas potẽtias se extendat.

sensitiui

Vires animæ vegetatrices non subsunt imperio voluntatis.

sensitiui imperatur, quanquam (vt dictum est) ex se appetitus nonnunquam moueatur. Denique & exteriorum membrorum actus, quoad motum videlicet localem, & alios, in quibus sequuntur apprehensionem. Solæ igitur vegetatiuæ vires alienæ sunt à voluntate & eius imperio. Actus itaque illi qui imperantur, nō aliud, quod ad mores attinet, sunt, quàm ipsum imperiū. Itaque deambulatio voluntaria & imperium eius, seu voluntas ipsam volens, & ratio ordinans, ita se habent (vt beatus Thomas inquit art. 4. eiusdem quæstionis 17.) sicut actus primi mouentis, & instrumenti exterioris. Ipsa itaque sunt veluti materialia: formale verò, quod ex ratione & voluntate est.

De habitibus bonis & malis.

Infertur etiam ex eisdem, in omnibus his potentijs in quibus est voluntarium, esse habitus, quos, quātum huic proposito sufficit, vocamus dispositiones bonas vel malas, quibus potentiæ disponuntur ad suas operationes bene aut secus exercendas: sicut scientia in intellectu est quædam bona dispositio eius ad aliqua cognoscenda: & ignorantia mala. Temperantia est bona dispositio animi ad moderatè vtendum delectationibus: & è contrario, intemperantia mala dispositio illi opposita. Circa quos habitus hoc primò aduertendum: ita natura comparatum esse, vt virtutes illæ atque potentiæ, quæ ad diuersa obiecta & diuersimodè determinari possunt, beneq; & malè ad illa se habere: ex operationibus suis disponantur ad similes etiam operationes, quas dispositiones habitus vocamus. Nec enim in graui corpore aliquis habitus ad descendendum deorsum generatur, aut necessarius est: cùm ad hunc actum præcisè sit à natura determinatum. Sed nos (qui vel voluntate vel ratione in diuersa tendimus, & in eadem diuersimodè & variè, bene sanctè vel malè) cùm assuescimus bonis operibus, assequimur dispositiones ad similes actus facilè & promptè exercendos, quas virtutes etiam dicimus: sicut ex assuefactione malorum operum contrarios habitus paramus, quos vitia vocamus. Quod cùm experientia ipsa constet, non est opus pluribus probare: quod omnis etiam & philosophorum & scripturæ doctrina testatur: de quibus beat. Thomas q. 49. & pluribus sequentibus, prima secundæ. Nec species singulas eorum, siue bonorum siue malorum, opus est persequi: satis sit (quod ad sequentia opus erit) adnotasse, habitus, quanquam non sint caussa omnium actuum (cùm à quibusdam potius ipsi producantur) computandos tamen esse inter principia intrinseca humanarum operationum. In solis itaque illis virtutibus & potentijs eos

esse

esse constat, quæ rationi & voluntati parent: & ita principia sunt humanarum operationum. In potentijs itaque vegetatiuis non sunt habitus, sed in ratione ipsa, in voluntate, & in potentijs appetitiuis, & membris etiam ipsis, quibus vtitur ratio & voluntas: vsque adeo vt & animalia ipsa, quatenus ab humana ratione diriguntur, habitus quosdam habeant, quibus equus rectè aut secus mouetur in bello, & canis venationem sequitur &c. *In quibus animæ potentijs sint habitus.*

Tertiò ex eisdem sequitur, vnde & quomodo sumenda sit actuum humanorum prima distinctio, quæ proculdubio est in bonos, & in malos: quæ eodem modo in humanis actibus intelligenda est, quo in ceteris omnibus rebus. Bonitas enim rei propriè in integritate naturæ constituta est: malum verò in aliquo defectu. Cùm igitur actus humani à rationali virtute sint, deficientes ab ea mali meritò dicuntur: conformes autem illi, boni: vt beatus Thomas q. 18. 1. 2. explicat: de qua re nos paulò inferiùs plura. Nunc explicemus breuiter, quæ ex bonitate & malitia in humanis actibus consequantur: & proxima sunt his quæ diximus. Primum horum est rectitudo & peccatum: Secundum, laudabile & vituperabile: Tertium, meritum præmij vel pœnæ. Hæc tria infert beat. Thom. (attentè considerans) hoc ipso ordine ex bonitate & malitia q. 21. 1. 2. Horum ista est ratio & diuersitas. Bonum & malum priora sunt, & conueniunt actibus nostris absolutè consideratis in sua natura. Rectitudo & peccatum propriè inueniuntur in his, quæ ad finem ordinantur, vt in operibus artium. In eisdem rectum est, quod in finem tendit secundum propriam regulam & mensuram: & peccatum, quod præter illam. Et quia omnes actiones in finem aliquem ordinantur, vt visum est: regula verò ratio est: si secundum illam tendant in finem, rectæ: si secus, peccata sunt. Omne itaque peccatum malum, non verò omne malum peccatum est: sicut omne rectum bonum, non omne bonum est rectum. In actibus verò nostris omnino conuertuntur. Rursum, peccatum vel rectum, si in his accidat quæ potestatem suorum actuum non habent, aut non voluntariè operantur: nec culpabilia nec laudabilia sunt: sicut corruptio aliqua in generatione, aut defectus in motu. Vbi verò voluntarium est, ibi rectum, laudabile, & peccatum, & vituperabile. Et hæc duo proximè consequuntur pœna & præmium: atque ideo cum eis conuertuntur: omne laudabile dignũ est præmio, & contrà: omne vituperabile pœna, & contrà. Sed ratio hæc meriti alia est. Sumitur *De bonitate & malitia & merito actuũ humanorũ.* *In quibus rectitudo & peccatum.*

enim

enim ex ordine, quem actus habet ad bonum vel priuatum alterius vel commune totius vniuersi. Quia enim quidquid homines agimus boni, quantumuis priuati, non solùm nobis vtile est, sed vniuerso, cuius nos pars sumus: ideo dignum est præmio: & contrà de malo dicendum. Nec tantùm digna sunt præmio vel pœna: sed ab ipso etiam Deo auctore vniuersi ratio postulat, vt reddatur vicissitudo omni bene vel secus operanti. Nam in eius etiam laudem & gloriam bonum fit, sicut malum contra. Et cõfirmat hoc scriptura ecclesiast. vltimo. Cuncta quæ sunt adducet Deus ad iudicium &c: Quæ ideo dicta sunt, vt ostendamus hæc non aliena esse à theologo & christiano, quæ videlicet iuxta scripturam & fidem de actibus humanis dicimus, nec ab his discordare quæ scriptura & fides docent. Vbi multi errant, volentes in doctrina morum hæc omnia reijcere, cùm reuera gratia semper naturam supponat, maximeque in moralibus, & iuxta illam Deus suauiter quæ sunt fidei tradat.

LECTIO QVINTA.

De *bonitate & malitia actuum humanorum.*

CVM igitur prima distinctio actuum nostrorum (vnde cetera quæ diximus proueniunt) sit in bonos & malos: de horum ratione nunc breuiter dicemus. Primum hoc constituatur: Bonum & malum in actibus nostris inueniri, sicut in ceteris rebus omnibus: secundũ entitatem nempe & perfectionem propriæ naturæ, vt ait b. Tho. art. 1. q. 18. 1. 2. Quantum itaq; habet quilibet actus noster entitatis, tantum habet perfectionis & bonitatis: & quantum deficit à perfectione essendi, tantũ deficit à bonitate. Ex quo proximè sequitur, quòd etsi non desint species quædam humanorum actuum, quæ ex se indifferentes sunt, vt deambulatio per forum & per agrum: in indiuiduo tamen omnis actus à ratione & voluntate manans bonus est aut malus: quoniam nõ nisi ex aliquo recto fine procedit, quem necesse est bonum esse aut malum: quæ est efficacissima ratio d. Thom. art. 9. illius q. vt ambulatio per agrum sanctæ meditationis, sa-

nis, salutis, aut certè inhonestatis caussa. Ex eodem etiam infertur, non vnam esse bonitatem vel malitiam in nostris actibus, sed multiplicem. Quia enim propria actuum nostrorum natura & perfectio ex conformitate ad rationem est: quidquid in illis rationi vel cõsentaneum vel dissentaneum inuenitur, bonitatẽ facit vel malitiam. Igitur quia actus nostri primò ab obiecto illo circa quod fiunt, accipiunt speciem & entitatem: prima eorũ bonitas ex obiecto est, sicut & malitia, secundum quod obiectũ cõforme est vel disforme rectæ rationi. Et hæc est bonitas vel malitia ex genere siue specie propriè: vt rei alienæ acceptio ex genere est mala: eleemosynæ collatio bona est. Post istam verò bonitatem alia est ex circumstantijs: de qua vt agatur, pauca de circumstantijs dicenda sunt hoc loco, iuxta ea quæ & antiqui illi theologi, Greg. & Damas. vbi de voluntario & inuoluntario loquuntur, dixerunt, & philosophus 3. ethi. & b. Thom. q. 7. 1. 2.

Circumstantiam itaque ex metaphora rerum corporalium morales transtulerunt ad actus nostros: circumstantiam vocantes conditionem quandam actuum nostrorum, extra substantiã quidem & naturam eorum, sed ipsos attingẽtem, & ad eos pertinentem: sicut illa circumstare corpus dicuntur, quæ extra naturam ipsius sunt, & aut ipsum attingunt, aut illi appropinquãt. Vnde has circumstantias plurimum conferre ad laudem vel vituperium, & ita ad pœnam vel præmium humanorum actuum, constat: propter quod & Rhetores & morales de circumstantijs agunt: Nec minus hoc pertinet ad theologos & spirituales animarum iudices. Septem verò Cicero numerat circumstantias: Aristoteles 8. quanquam parum à prædictis diuersas. Earum igitur hæc est ratio, & numerus. Actum nostrum quædam respiciunt vt mensuræ, sicut locus & tempus. Et hæ sunt duæ circumstantiæ temporis & loci. Multum refert, an in loco sacro, an prophano inferatur violentia: in publico, an occulto. Multum etiam refert, quo tempore indulgeat quis voluptati, sacro, an prophano: abstinentiæ vel ieiunij, an alio. Alia conditio respicit actum nostrum vt ipsius qualitas, quæ est tertia circumstantia, quomodo. Non enim parum refert, eleemosynam dedisse hilariter & promptè, aut cum tristitia & minus libenter: orasse deuotè, aut non deuotè. Sunt rursus aliæ conditiones ex parte caussarum actus vel finis: qualis est circũstantia, cur. Aliud est enim ieiunare ob reuerentiam Christi crucifixi, aliud ex auaritia: dedisse eleemosynam ex vana gloria, aut ex pietate. Ex parte caussæ agentis est alia circumstantia, quis. Quis scilicet

De circũstantijs actuũ humanorum.

Numerus & ratio circũstantiarum.

Vbi.

Quando.

Quomodo.

Cur.

Quis.

set sit qui aliquid operatur: senex, an iuuenis, sacer, an profanus. Aliud est enim fornicari solutum à matrimonio, aliud laicum, aliud sacerdotem, aut in sacris cõstitutum. Ex parte etiam instrumenti sumitur alia, quibus auxilijs. An quis percutiat baculo, an gladio. Ex parte verò materiæ circa quam est actus, sumuntur duæ aliæ. Quid scilicet, & propter quid, quas Cicero pro vna posuit, & ferè idem sunt: vt an parum, an multum quis sit furatus: an parem percusserit, an maiorem, an inferiorem, an alienum. Itaque apertè constat hęc omnia pertinere ad rationẽ, & per ea actus nostros magis vel minus rectæ rationi conuenire, vel ab ea dissentire. Sumitur igitur ex eis secunda bonitas vel malitia actuum nostrorum. Atque inter illas præcipua est circũstantia finis: cur scilicet aliquid fiat. Placuit ita distinguere, vt post bonitatem quæ est ex obiecto: secunda sit, quæ est ex fine, tertia, quæ est ex reliquis circumstantijs loci vel temporis &c. Ita videlicet, vt eleemosynam conferre propter Deum pauperi, vbi, quando, & quomodo conuenit, bonum sit vndique: sed hoc ipsum facere non propter Deum, sed propter gloriam vanam, malum fit ex fine: facere verò propter Deum, sed non quando oportet, vel quomodo, est malum ex circumstantijs, bonum verò ex obiecto & fine.

Quib⁹ auxilijs siue instrumentis.

Quid, siue circa quid.

Prima bonitas et malitia actuũ ex obiecto, Secũda ex circũstantijs. Finis, præcipua circũstantia.

Vbi hoc vltimè annotandum, quòd ad bonitatem simpliciter actus (vt scilicet absolutè bonus dicatur) necessaria est obiecti, & finis, & omnium aliarum conditionũ bonitas: quarum si minima defuerit, actus simpliciter est malus: quod ratio ipsa in ceteris rebus omnibus ostendit: propter quã dixit Dionysius, bonum constare ex integra caussa: malum ex singulis defectibus: sicut reuera imperfectus est homo, qui quãuis homo, vel mancus vel cæcus est, vel aliquo alio vitio laborat. Ex his igitur & circumstantiæ, & bonitas quæ nostris actibus accidit, ostensæ sunt. Ex quibus considerandum (quod maximè nostro proposito conuenit) circumstantias aliquãdo mutare speciem actuũ, aliquando verò non, sed augere tantùm, vel diminuere eandem speciem. Primi exempla sunt circumstantiæ actuum, ex bono reddentes malum: vt eleemosyna propter vanam gloriam, aut ex tristitia & necessitate, vt Paulus ait. Hæ autem circumstantiæ istos actus efficiunt vel vanæ gloriæ, vel auaritiæ. Secundi verò exemplum sit, si parum vel multum quis furetur. Ex quibus exemplis colligenda certa ratio, propter quam circumstantiæ mutent, vel tantùm augeant, vel certè nihil omnino faciant ad actus nostros. Illæ enim quæ nouam conformitatem aut repugnan-

Circũstantiæ aliquãdo mutant speciẽ act⁹, aliquando verò tantũ augẽt aut minuunt.

gnantiam cùm ratione habent, nouam constituunt speciem: vt furatum fuisse in sacro loco, est, præter furtum sacrilegium: percusio patris est, vltra violentiam, etiam impietas. Quæ non habent nouam conuenientiam, vel disconuenientiam, sed augent priorem, etiam reddunt actum meliorem aut peiorem, sed in eadem specie: vt multum vel parum furatum fuisse. Quæ verò nihil horum habent, impertinentes & alienæ sunt: vt percussisse gladio, vel hasta: & huiusmodi alia. Ista huic loco sufficere debent, alibi plenius explicanda sunt.

LECTIO SEXTA.

De *ratione peccati, & de discrimine venialis ac mortalis.*

IAM conuenienti ordine agendum est de peccatis, de quibus præcipuè agitur in iudicio illo arcano confessionis. Vt autem ex dictis patet, sicut in bonis actibus humanis sunt duo: actus videlicet ipse, & habitus à quo emanat, quem vocamus virtutem: & tertium denique his duobus commune, bonitas quædam, qua ipse operans vel habens habitum bonus est: ita in actu malo, qui peccatum est, tria consideranda sunt: actus ipse rectitudine carens, quem vocamus peccatum: habitus illi conformis, siue aliqua animæ dispositio ad peccatum, quam vocamus vitium, virtuti videlicet oppositum: & malitia ipsa, qua malus verè est vtrumque habens. Cùm itaque hæc tria vocabula sint, peccatum, vitium, malitia: peccati nomine propriè accipimus actionem ipsam mali: quæ ita b. Thom. explicat: Ex quo & suprà dictis facilè patet ratio & definitio peccati. Est enim, iuxta Augustinum, peccatum actus quilibet contra legem æternam: dictum (inquit) factum, vel concupitum. Vbi est obseruandum, duo esse in peccato: primum, materiale ipsum, hoc est, actus aliquis, vel certè omissio actus voluntarij: peccatur enim nonnunquam sola omissione absque aliquo actu: Illud itaque sit materiale. Formale verò, quod complet rationem peccati, deordinatio illa est, & carentia debitæ rectitudinis. Cùm enim humani actus regula propriè sit ratio æternæ & diuinæ legi cõformis; actus ab hac discrepans caret proculdubio

Tria cõsideranda in actu bono, & malo.

1.2.q.17. *Quid peccatum.*

Quid materiale in peccato.

Quid formale.

rectitudine debita. Peccatū igitur meritò tantùm priuatio quę-dam dicitur, & nihil: ſicut cæcitas aut tenebræ, in quibus materiale quidem ſubiectum eſt lucis vel viſus, oculus videlicet aut aër: ſed formalis ratio tenebrarum in ſola negatione lucis eſt: quare reuera nihil eſt: Ita igitur peccatum. Et iuxta hæc duo etiā diſtinxerunt doctores duo in peccato meritò cōſideranda: conuerſionem ſcilicet ad aliquod bonum, quod omnis peccans quærit & amat: ex hac ſequitur obiectum peccati & ſpecies. Quærit enim adulter alienam &c. Aliud verò eſt auerſio à Deo & lege eius, quam non intendit neque aſpicit peccans. Quare Dionyſ. inquit. Nemo intendens ad malum, operatur. Nec tamen propterea minus imputatur ei. Et hæc ſufficiant de ratione peccati.

In omni peccato mortali eſt conuerſio ad bonum aliquod & auerſio à Deo.

Iam ad diuerſitates peccatorum tractandas accedamus: quæ cùm ſint multæ & variæ, vt apud beatū Thomam videre eſt: illa tamen omnium maxima eſt, & maximè neceſſaria ſpiritualibus iudicibus, qua in mortale, & veniale peccatum diuiditur: quę attentius nunc conſideranda.

Primò omiſsis nūc nominibus, de quibus poſtea, rem ipſam irrident hæretici, qui (quanquam vtcunque ſe purgent ab obiecta illis Stoicorum opinione, omnia peccata eſſe paria) dicunt tamen omne peccatum mortale eſſe, ſi verum eſt illud Pauli: Stipendium peccati mors: includentes etiam hic ipſum peccatum originis. In quibus multa ſunt & ſcripturæ, & rationi repugnantia, vt patebit.

De diſtinctione peccati venialis & mortalis.

Nos igitur illud primò ſtatuamus: ex ſcripturis & doctrina eccleſiæ manifeſtè oſtendi, quædam peccata eſſe leuia & minima, nec æterna pœna digna, aut à regno Dei excludentia: alia verò eſſe maxima & grauia: qualia qui agunt, regnum Dei nō poſſidebunt: atque ideo æterna damnatione digna. Scriptura quidé aperta eſt Pauli dicentis: Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio &c. quæ qui agunt, regnum Dei non conſequentur. Et rurſum: An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nec fornicarij &c. Et de grauioribus hæc ſufficiant. De minoribus verò locus ille ſufficit: Vnuſquiſque videat quomodo ſuperædificet: cùm priùs dixiſſet: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere &c. Nam alius (inquit) ſuperædificat lignū &c. quæ manifeſtè vocat opera quædam, digna quidem igne purgari, ſed quæ fundamentum non deſtruant: & ideo nec à ſalute excludant. Sic enim inquit: Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit. Vocat verò fundamentum

Galath. 5.

1. Cor. 6.

1. Cor. 3.

(vt

(vt Augustinus in libro de fide & operibus docuit) fidem per dilectionem operantem. Apud patres quoque omnes frequentissimè in vsu est, quædam peccata grauiora, quædam leuiora dicere: sicut Augustinus sæpe contra Pelagianos disputans, etiam ex verbis apostolorum asserit, sine peccato nullum hominem esse, vt Iohannes ait: Si dixerimus quia peccatum non habemus &c. sed sine crimine multos viuere ait, dicente Paulo de presbyteris & diaconis ordinandis: Si quis sine crimine est. Crimen (inquit Augustinus) peccatum graue est, accusatione & damnatione dignum. Ita tractatu 41. in Iohannem, vt Magister citat 42. dist. 2. Item 21. de ciuitate Dei c. 28. de peccatis quę eleemosynis & oratione remittuntur: & in enchiridio c. 64. vbi ex professo de hac distinctione peccatorum loquitur: de qua nos supra in sacramento pœnitentiæ, cùm de remissione peccati venialis ageremus, plura diximus, huic etiã loco cõuenientia. His scripturę & sanctorum auctoritatibus suffragatur quoque ratio, naturæ & fidei consentiens, quam habet diuus Thomas diligẽter in prima secundæ: de qua breuiter hęc annotanda sunt. 1. Ioan. 1. q. 72. art. 5. & q. 88. art. 3.

Primum. Mortale à veniali non distinguitur primò ex reatu pœnæ, quòd videlicet hoc sit dignum temporali, illud æterna: sed hæc distinctio consequitur eorum naturas, ex quibus primò distinguuntur. Secundum. Prima horum distinctio est ex diuersitate inordinationis, à qua (vt patet) peccata habẽt omnẽ malitiã, vt diximus. De ordinatio verò omnis, cùm sit contra ordinem aliquem, in quo necesse est esse principium siue finem, & medium, est proculdubio vel circa finem ipsum & principiũ ordinis, vel circa media, saluo ordine ad finẽ. Igitur sicut in corporea ęgritudine omnis deordinatio humorum, saluo principio vitæ, curabilis est: sed corruptio ipsius vitę, mors videlicet, irreparabilis: & sicut in intellectu speculatiuo, qui errat circa probabilia media, vel conclusiones quascunque, etiam necessarias, reparari potest & emẽdari, si principia scientiæ & ratiocinationis salua permaneant: ita in moralibus de quibus nunc agimus, si quis peccet contra fines ipsos ad quos reliqua omnia ordinãtur: quantum est ex ipso irreparabiliter peccat: vt videlicet si cõtra charitatem Dei, & obedientiam, vel proximi vtilitatem peccet, quantum in ipso est, incurabilis est: & hoc vocamus peccatum mortale: quod quia aufert gratiã & charitatem, cui primò & directè opponitur, ex se dignum est morte æterna. Si autem circa alia quis peccet & deordinetur, saluo tamen ordine charitatis: cùm contra illam non agat, sed præter illã tantùm, nõ est

dignus æterna separatione à Deo, nec inimicitia: quod vocamus peccatū veniale: vt otiosum aliquod verbū nulli nocēs, parū immoderatus vsus cibi: & huiusmodi. Hoc enim naturalis ratio habet (cui consonat proculdubio diuina lex) vt in omni amicitia quædā sint illi omnino contraria, quędā verò tantùm nonnihil retardantia affectū amicitiæ. Hæc igitur sunt peccata venialia. Quæ d. Thom. certissima ratione tantùm secundum quid dicit peccata, collata ad peccata mortalia, sunt quasi imperfectū quid in genere peccati. Ex quo respondetur etiam obiectioni hæreticorum ex illo verbo Pauli: Stipēdium peccati mors. Ibi enim de peccato mortali est sermo: quod ostendit alter locus: Ipse tamen sāluus erit. Et certè in Paulo peccatū non dicitur nisi mortale, vel caussaliter, vel formaliter. Secūdò etiā infert b. Tho. ex prædictis, in peccato veniali nō esse propriè & perfectè deordinationem vel maculam, sed secundum quid tantum: priuationem scilicet actualis splendoris, qui est in actu virtutis & deordinatione ab his, quæ quodam modo impertinentia sunt. Tertiò denique, nec peccatum veniale propriè esse contra legem aut præceptum, asserit. Quod quanquam nonnullis displiceat, rectè tamen consideratum, & rationi & patribus consentaneum est. Non est enim cōtra finem alicuius præcepti: finis enim omnium est charitas, vt Paulus ait: & ideo contra nullum præceptum est. Nam præceptum via quædam est: viæ verò propriè contrarium est, quod termino ipsius repugnat: vnde non facit contra dirigentem in via, qui etsi parum diuertit, non tamen in contrarium tendit: vt Augustinus in lib. de doctrina christiana, de exponente scripturam sacram alieno quidem sensu à circūstantia literę, sed vero, inquit. Igitur non negamus mendacium omne prohiberi aliquo præcepto: sed pręcepto ordinante charitatem Dei & proximi: contra quod non fit, si mendacium non fit contra charitatem Dei & proximi: sed est præter præceptū, & nonnulla declinatio à via, & retardatio. Et hæc de natura peccati venialis in genere nobis sint dicta: in qua errārunt hæretici præsentes pernicioſè ab ecclesię sensu recedentes, atque ideo reijcientes tam certam distinctionem: sed & nonnulli alij, inter quos Gerson, pietate quadam putantes se obsequium præstare Deo, cùm dicunt veniale peccatum ex se esse mortale, & ex se dignum æterna damnatione: & denique, non minus nos teneri Deo gratiarum actionem, quòd veniale non puniat æternaliter, quàm quòd remittat nobis mortale. Et hæc omnia pertinent ad errorem illum Stoicorum, omnia peccata æquantium.

Nam

2.2. q. 88. ar. 1. ad primum.

2. Cor. 3.

q. 89. ar. 1. 2.2.

1. Timot. 1.

Nam quid rationabilius, quàm fateri furtum tantum distare ab homicidio, quantum res furto ablata à vita? Quod negantes, Stoicos se fateri debent, & negare, quòd tantum distet mendacium nulli nocens, & quod multis prodest, ab ipso homicidio, quantum nullius nocumentum cum minima deordinatione, ab ipsa vitæ subtractione distat. Quod si quis cõsideret, facilè soluet eorum rationes. Nec enim rationabiliter dici potest, iustè priuari posse peccantem eo bono, contra cuius ordinem non facit cùm peccat. Vnde nec Deo propter peccatum veniale priuari quis iustè potest. Vbi non inquirimus quid vel omnipotentia, vel immensa eius bonitas possit: sed quid habeat ipsa natura peccati.

LECTIO SEPTIMA.

De eodem, & distinctione peccatorum venialium.

QVAE huc vsque diximus pertinent ad peccatum veniale minuendum. Vnde apparet quàm sit paruum peccatum comparatum mortali: distat enim ab eo quodammodo in infinitum. Est tamen ostendendum, quid in eo sit mali, & quòd meritò timendum, ac diligentissimè fugiendum sit.

Veniale peccatũ est dispositio ad mortale.

Est igitur peccatum veniale omne dispositio quædã, atq; ita appropinquatio ad mortale, vt de hoc meritò apud sapientem scriptum sit. Qui minima negligit, paulatim defluet. Dupliciter igitur (vt b. Thom. inquit) peccatum veniale ad mortale disponit. Vno quidem modo directè, sicut calefaciens disponit ad formam ignis: assuefaciendo videlicet alicui transgressioni hominem, atque ita ipsam ei connaturalem reddendo. Ex quo fiet tandem, vt vel consentiat in illam consensu deliberato, vnde mortaliter peccare potest: vt cùm frequenter venialiter quis appetiuit turpem delectationem, & assueuit negligentius se gerere: fiet aliquando vt pleno consensu illam delideret. Vel (vt magis placet b. Thomę eo loco) assuefactus mendacijs iocosis fieri potest, vt nonnunquam adeo eis delectetur, vt ipsa contra Dei præceptum aliquod, vel finem in eis constituens, committat. Itaque tunc peccatum veniale à mortali differt, sicut tepiditas

ar. 3. 88. q. 1. 2.

à calore. Aliter verò disponit, nó quidem directè & per se, sicut priora: sed solùm indirectè, sicut qui remouet prohibens descensum lapidis deorsum. Ex inordinatione enim aliqua fit, vt paulatim assuescat homo minus cogitare, & minus timere trãsgressiones: sicut euagatio maxima, & obliuio rerum diuinarũ facit, vt minus Deus timeatur, & ita vel aufert, vel minuit timorem, magnum peccati impedimentum.

Vnde extat frequens patrum admonitio de' cauendis etiam leuioribus peccatis: & cùm commissa fuerint, non negligendis ac pro nihilo ducẽdis. Augustinus locum illum exponens: Qui autem facit veritatem, venit ad lucem &c. ostendit quãti facienda sint leuiora pecccata, quæ non remittũtur nisi in dilectione & misericordia Dei ambulantibus, & propter illa veritatem cõfessionis coram Deo facientibus: etiam (inquit) si liberi sint à grandibus illis peccatis, quæ facinora dicuntur: homicidio videlicet, adulterio &c. Non enim (inquit) minus lædit sentina neglecta in naui, quàm magna tempestas: nec multitudo arenę, quamuis minutissima sint eius grana, minus demergit nauim, quàm alia quæuis pondera.

Aug. tract. super Ioannem.

Hæc itaque cùm satis exaggerent malum venialis peccati, sunt semper sobriè accipienda. Non est itaque ex eis colligendum, peccata venialia, quãtumuis multa & innumerabilia, mortali vni æquialere posse, vt nonnulli intellexerunt. Sed (vt b. Tho. art. 4. eiusdem q. dicit) peccatum quod per se veniale est, potest, dum nimium placet, mortale fieri: vel dum ad finem mortalem ordinatur, vt art. 5. Sed hoc tantùm ex illis verbis accipiatur, animam multis venialibus grauari, ne ita possit in Deum assurgere: quo fit, vt facilè superetur ingruente tẽtatore. Quare opus est frequenti conuersione in Deum, quærere remissionem venialium, de qua dictum est satis in sacramento pœnitentiæ. Hæc itaque (sicut proxima lectione diximus) de re ipsa, natura videlicet mortalis & venialis peccati, dicta sunt. Ceterùm nec nomina ipsa omittenda omnino sunt: quæ quamuis in vsu scripturæ non inueniantur, nec apud antiquiores patres, quantum recordari possumus: non tamen propterea reijcienda sunt, quibus posteriores explicârunt & aperuerunt magis hanc peccatorum diuersitatem. Inueniuntur igitur hæc vocabula apud Magistrum sententiarum dist. 42. secundi: & post illum apud reliquos omnes: item in Richardo & Hugone de sancto Victore & similibus cõtemporaneis ferè Magistri: nec certè sine aliqua auctoritate scripturę & patrum. Nam peccatum vocari mortale

De nominibus mortalis & venialis peccati.

tale, apertè consentit cum verbis Iacobi: Generat (inquit) mortem: & sapientis: Os quod mentitur, occidit animam. Et Paulus apertè dicit: Stipendium peccati mors. Et rursum: Prudentia carnis mors est. Et iterum de viduis: Vidua quæ in delitijs est, viuens mortua est. Et innumera sunt de hac re scripturæ testimonia. Veniale etiam ab Augustino dicitur libro de bono coniugali 6. 10. & 11. capitibus: quod Paulus secundum veniam concedit: vsus videlicet aut contractus matrimonij, non generationis causa, sed delectationis, intra limites tamen honestatis. Sic enim ille interpretatur (vt superiùs diximus in tractatu matrimonij) verbum illud: Hoc autem secundum indulgentiam dico: vbi Augustinus legit, secundum veniam. Vnde inquit ipse: Quis ambigat absurdissimè dici, non eos peccasse, quibus venia datur? Vnde venialem (inquit) habent culpam, excusante illam matrimonio: pulchrè illo loco ostendens, quantum diuina ordinatio in hoc posit, vt grauius (inquit) ille peccet, qui sola prolis causa, & quidem rarò, non tamen ad suam accedit (mortaliter scilicet) quàm qui ad suam sola delectatione & frequētiùs: hic enim duntaxat venialiter peccat. Itaque ex his Augustini verbis, immo & Pauli, peccatum veniale meritò dicitur, quod nō habet deordinationem à fine, nec illud sequitur æternæ pœnæ reatus. De quolibet eorum dixisset Paulus, se dare veniam. Hæc itaque de ratione peccati venialis in genere sint nobis dicta: ex quibus intelligi potest & mortale, de quo, vt notiore, non est opus plura dicere.

Iacobi 1. *Sapient. 8.* *Rom. 6.* *Ibidem 8.* *1. Tim. 5.*

Iam de ipso veniali peccato specialiùs agendum, vt agnosci posit & discerni à mortali. Hæc igitur sit prima distinctio venialis peccati. Aliud est ex obiecto suo & genere veniale: aliud ex imperfectione tantùm actus: quam dist. b. Thomas diligenter considerans explicauit in hac materia. Ex genere venialia sunt, quorum obiectum nō repugnat ordini in vltimum finem. Sicut enim superiùs explicauimus, natura, species siue genus actuum nostrorum ex obiecto sumitur: est enim hoc primum in humanis actibus. Peccatum igitur illud, cuius obiectum non est aliquid contrarium charitati Dei vel proximi: vt mendacium iocosum, siue officiosum, quod nullum lædit & alicui prodest, verbum ocioſum sine cuiusque detrimento, & huiusmodi alia, ex obiecto suo & natura solùm venialia sunt: sicut è contrario, homicidiū & adulteriū mortalia sunt ex suo genere, cùm eorum obiectum contrarium sit charitati Dei & proximi. Ex imperfectione verò actus solùm veniale est peccatum illud,

Peccatū est veniale vel ex genere & obiecto suo, vel ob imperfectionem actus. *1. 2. q. 88. art. 2.*

quo ferimur in illicita & mortalia obiecta, sed nõ pleno & integro rationis & voluntatis consensu. Nam cùm satis superiùs ostensum sit, actus nostros non esse vel laudabiles, vel vituperabiles, nisi quatenus voluntarij & in potestate nostra sunt: vbi non est perfecta voluntas, nõ potest esse perfectum peccatum, etiam si feramur in adulterium, vel homicidium. Ibi itaque est imperfectio actus, vbi imperfectio voluntatis. In his duobus ordinibus constituta sunt omnia venialia peccata: & est nobis de singulis in speciali dicendum.

LECTIO OCTAVA.

De peccato veniali appetitus sensitiui, & primis motibus.

VT, QVANTVM fieri potest, peccata venialia à mortalibus discernantur (quod certè in primis opus est in iudicio confessionis, vt alibi diximus) agamus primò de venialibus ex sola imperfectione actus: quoniam hæc consideratio habet simul coniunctam alterã, quæ est de principio, progressu, & consummatione peccatorum in nobis: quod in hoc principio putamus diligenter esse considerandum. Cùm enim hominum sit paulatim ab inferioribus & imperfectioribus ad perfectiora & superiora progredi: id & in bono, & in malo commune est hominibus. Ad peccata mortalia non subitò venitur, quæ sunt maxima: sed primò ad venialia & leuiora, deinde ad mortalia progredimur. Hoc igitur hic ante omnia considerandum: ex quo, quod iam quærimus de imperfectis actibus peccatorum, inueniri potest.

Tribus igitur modis docent patres peccatum siue tentationem in nobis esse: suggestione videlicet, delectatione, & consensu. Ita b. Gregorius in homilia de Euangelio illo: Ductus est Iesus. Qui reuera tres sunt gradus peccati: quibus videlicet ab infimo ad summum venitur: quos & b. Augustinus 12. de Trinitate, diuersis nonnihil verbis, sed eodem sensu annotauit. Ex quo etiam Magister sententiarum hos ipsos posuit, & sequuti sunt eum reliqui. Ostendit itaque diuus Augustinus tria illa, quæ in primorum parentum nostrorum peccato inuenta sunt,

dist. 24. 2.

Tria cõcurrunt ad peccatum.

sunt, historicè nimirum & iuxta literam: serpentem videlicet suggerentem, mulierem seductam, & virum consentientem, virum denique consummantem & perficientem, in quolibet peccato nostro inueniri: de qua expositione dicemus paulatim. Nunc satis sit dixisse, illa tria priora Gregorij istis conuenientissimè respondere, & ex istis nobis esse agnoscenda. Primò enim fuit suggestio, hoc est, propositio & persuasio ad peccandum: Nequaquam moriemini &c. Eritis sicut Dij &c. Quod certè primum est in peccato, cogitatio videlicet ipsius, & bonorum omnium apparentium, quæ in eo sunt. Hoc vocat Gregorius suggestionem, & constat à serpente factum: de quo nũc nobis agendum.

Principium peccati mala cogitatio.

Principium igitur peccandi constat cogitationem aliquam esse, qua incipit peccatum cogitari vt delectabile, vel vtile. Hanc cogitationem nonnunquam immittit diabolus: & hac ratione dicitur principium peccatorum: & hoc vel per seipsum, vel per alias causas. Potest ille memoriæ vel imaginationi nostræ formam aliquam repræsentare. Potest quoq; exterius (quod nonnunquam in sanctis curauit) inhonestam mulierem aut huiusmodi aliud obijcere. Insurgunt etiam cogitationes hæ nonnunquam vel ex naturali aliqua dispositione, aut ex culpa, cùm vel visu vel auditu hausimus, quod postea in imaginatione versatur: nõnunquã ex ipsa corruptione vel infirmitate naturæ nostræ. Vbi (vt admonent patres) magis considerandum quid cogitemus, quàm ex qua causa: etsi nonnunquam proderit aduertisse, an ex culpa aliqua nostra, an malitia dæmonis ortæ fuerint tales cogitationes malę. Illud tamen hic considerandum, in huiusmodi cogitationibus duntaxat, si nulla adsit appetitus delectatio aut propensio, nullum esse peccatũ. Vnde Gregorius Christum Dominum à diabolo tentatum fuisse suggestione tantùm, inquit. Audiuit illum proponentẽ sibi gulæ, ambitionis, & auaritiæ peccata, & illorum commoda: nec opus est credere id non cogitasse: at verò nullus in eo vel minimus appetitus ad ea excitatus est. Quanquam in nobis rarò hæc separari possint, vt sine affectu aliquo cogitemus. Suggestio igitur in nobis (quam Augustinus dicit serpentem facere) est, cùm nõ nuda cogitatio versatur, sed appetitus ipse sensitiuus in peccatum ipsum (quod circa bonum sensibile est) propensus, rationem pulsat. Itaque primi illi motus appetitus nostri in illicita & peccata, ante consensum quidem rationis exorti, sed ipsam allicientes, sunt suggestio ipsa serpentis: quam Augustinus intel-

Suggestio peccati.

intelligit(& meritò quidem)partem hanc noſtram ſenſitiuam, quam communem cum brutis habemus, in qua proculdubio regnat Sathan. Fatetur Paulus: Non habitat in carne mea bonũ. Serpẽtem intelligimus inimicum humano generi, cuius caput, hoc eſt, principium conterendum eſt. Vnde & Sathanas ipſe ſicut tunc ſerpentem induit, vt tentaret mulierem, ita nunc appetitum noſtrum, ex ſe & corruptione peccati in malum propenſum excitat & inflammat, non tantùm obijciens mala, ſed in ipſo appetitu per qualitates conuenientes, generans vel iræ, vel concupiſcentiæ motus. Et hoc eſt iam primum initiũ peccati: in illicitis videlicet primis noſtris motibus conſtitutum. Quare de illis nunc agendum. Primi igitur motus (quanquam non eodem modo ab omnibus accipiantur, ſed inter eos magis eſt diuerſitas de nomine) iuxta probabiliorem modum illi ſunt, qui in nobis deliberationem rationis præueniunt. Vnde ex ijs quæ ſuperiùs dicta ſunt de potentijs rationabilibus & irrationabilibus, facilè oſtendi poteſt, hos primos motus, hoc eſt, actus deliberationem rationis præcedentes, in tribus generibus potentiarum inueniri poſſe. De quibus ſigillatim dicendum, quomodo & quod peccatum in eis inueniatur.

De primis motibus.

Primò igitur ſupradicta cõſiderantibus occurrunt nobis motus potentiarum vegetatiuarum, quas ſuperiùs diximus rationi non parere: vt fames, vel quicunque alius appetitus ex ſola qualitate corporis proueniens & diſpoſitione, & nullam ſequens apprehenſionem ſeu cogitationem. Hos placet multis vocare motus primò primos, hoc eſt, maximè primos, & minus, immo prorſus non in poteſtate noſtra exiſtentes: in quibus, quantumuis in illicita aliqua ferantur, nullum eſt peccatum. Vt ſi quis in die ieiunij nimium fameſceret, aut appeteret cibum aliquem prohibitũ. Ita fuit fames in Chriſto ſine vllo proculdubio peccato. Huius ratio manifeſtiſsima eſt. Nam hi motus nullo modo ſunt rationi ſubditi, quare omnino extra volũtarij rationem ſunt. Nullum itaque in his peccatum, ſicut nec meritum. Poſt hos aſcendentes inueniemus motus appetitus ſenſitiui, ex apprehenſione ſenſibilium & corporalium bonorum emanantes: quales ſunt omnes paſsiones quas diximus, ſeu affectiones appetitus concupiſcibilis & iraſcibilis, deſiderium alicuius delectabilis, gaudium de illo præſenti, triſtitia de malo aliquo & nociuo. In his igitur, cùm ad illicita feruntur, peccata venialia eſſe, ſcripturæ & patribus eſt conſentaneum, vt b. Thom. poſt Magiſtrum quidem aſſerit, etiam ratione ipſi naturæ conſona id

di. 24. 2. q. 3. art. 1 & 2. & 1. 2. q. 74. art. 3.

pro-

probans. Et hos motus etiam multi vocant secundò primos. Primos, quia præueniunt rationem: sed non omnino primos, quia possunt à ratione cõprimi, vt suprà dictum est. Quòd igitur in eis peccata sint, potest illa sententia Pauli ostendi, qua ipse hos motus in illicita lamẽtabiliter in se agnoscit. Non quod volo bonum hoc ago, sed quod odio malum, illud facio &c. scilicet concupiscere. Itaque illud malum vocat, & imperfectionem quandam boni. Nam de eo intelligit d. August. quod ibidem ait: Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio &c. Vnde: Non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Et quanquam hæc de fomite & habituali inordinata concupiscentia, quæ manet post baptismum, intelligi possint: quæ peccatum & malum dicitur, vt alibi explicauimus, quia causa est peccati: tamen actus & motus illius in illicita, Paulus mala quædam defienda confitetur, pro quibus clamat: Infelix ego homo &c. & addit: Gratia Dei per Iesum Christum. Denique docet etiam hos motus mortificandos esse & comprimendos: Si spiritu (inquit) facta carnis mortificaueritis, viuetis &c. Et quanquam facta carnis de omnibus peccatis carnis intelligi possint, tamen & hos motus intelligendos esse ostendit illud quod dicit: Caro concupiscit aduersus spiritum &c. Meritò igitur Aug. dicit in his motibus nonnullum peccatum esse, quanquam minimum certè, & ideo veniale ex imperfectione actus, vt nunc agimus de veniali. Vbi hoc duntaxat difficultatem aliquam ingerit, & circa eam etiam diuersitas quædam est inter nos, sed magis de nomine: quomodo videlicet motus rationem præuenientes peccata esse possint, cùm in eis non sit voluntarium. Quare nonnulli putant, peccatum hoc veniale esse omissionem rationis non comprimentis hunc motum: sed (vt diximus) hęc nomina sunt. Apertè itaque dicendum, in his motibus esse peccata, quia, cùm à ratione comprimi possint, immo & caueri ne insurgant, si sigillatim singuli considerentur: in eis est aliquid voluntarij. Quia tamen non omnino rationi parent, & omnes simul cauere humana infirmitas non prævalet, sed fit, vt dum vni cauendo est intenta, insurgat alius, vt inquit b. Thom. non est in his perfectum voluntarium, sed imperfectum tantùm: atque ideo imperfectum etiam peccatum: veniale scilicet. Denique rectè dici potest, quòd, etsi cùm subitò ac primò insurgunt, non sint in potestate nostra: semper tamen in eorum continuatione aliquid voluntarij inuenitur. Satis itaque sit, hæc censenda esse peccata, sed non quæ per se damnare possint hominẽ: vt

Rom. 7.

Rom. 8.

aper-

apertè contra naturam ipsam humanam nonnulli doctores, & nostri temporis hæretici clamant, primos motus per se peccata mortalia esse: præterquam quòd gratis à Deo non imputentur fidelibus. Quid magis contra humanam naturam, quam fateri motum illum, cui sancti repugnant, cui nullo modo consentiunt, quem verè & efficaciter detestantur, vt ipsi fatentur: eos apud Dei iustitiam æternæ mortis reos facere?

Est etiam tertium genus primorum motuum in ipsa rationabili parte nostra: nec solùm in ratione inferiori, sed etiam in ipsa superiore ratione, quæ intenta est inspiciendis & consulendis æternis rationibus, vt suprà dictum est. Quia igitur hæc pars per participationem rationalis, sed essentialiter ipsa ratio est: videri poterat non esse in ea motus primos: sed si bene consideretur, sunt in ea motus præcedentes deliberationem. Potest enim etiam superiori rationi cogitanti de Deo & de rebus diuinis, occurrere subitus aliquis motus aut dubitationis, aut diffidentiæ. De quo videtur illud Psalmi posse intelligi: Qui saluum me fecit à pusillanimitate & cetera. Meritò igitur beatus Thomas inquit suprà dicta quæstione, quòd in ratione, vt directiua est, actionum nostrarum & inferiorum virtutum, non inueniuntur primi motus. Hoc enim non agit ratio nisi deliberando. Sed secundum quòd ipsa cognitiua est suorum propriorum obiectorum, potest subitum aliquid ei occurrere, quod cogitet, & in quod feratur appetitus etiam ipse rationalis subitò. Et hæc eadem ratione constat esse solùm venialia peccata, cùm sint circa illicita: vt (sicut diximus) motus infidelitatis, superbiæ, desperationis, & eiusmodi: qui quãquam nonnunquam possint tribui appetitui sensitiuo, sunt nihilominus sæpè solius rationis: semper tamen sunt non perfectè voluntarij, & ita ex hac imperfectione venialia tantùm peccata, de quibus nunc agimus.

Psal. 9. et 10.

Satis itaq; de his diximus.

LECTIO

LECTIO NONA.

De peccato delectationis in cogitatione peccati.

POST principium hoc de quo iã diximus, prĩ morum scilicet motuum, in quibus venialia tantùm peccata sunt: sequitur proximus huic gradus: cùm scilicet nõ solùm illecebra peccati mentem tangit, sed cùm iam sola cogitatione illicitarum rerum mens oblectatur ante consensum in actum ipsum: quod dicere possumus esse delectationem peccati. Hunc gradum August. in mystica illa expositione peccati primorum parentum significatum intelligit, cùm mulier vidit pomum quòd esset bonum &c. tulit atque comedit: intelligens videlicet hunc esse proximum gradum ad cõsummationem peccati, cùm post suggestionem serpentis incipit iam mens sola illicita cogitatione delectari: vnde ascenditur ad consensum in ipsum actum peccati. Non quòd semper necessarium sit hoc prius inueniri: sed certè frequenter. De quo illud certò constat, quòd non solùm peccatum committitur, cùm in actum ipsum consummatum peccati consentimus: sed etiam cùm negantes cõsensum actui, sola cogitatione delectamur consensu pleno rationis: quod peccatum August. in ratione esse dicit: quanquam & cogitatio ipsa, & delectatio in quibusdam peccatis ad inferiorem partem pertineat: in peccatis videlicet carnalibus, & in omnibus alijs quæ in rebus aut exterioribus, aut interioribus sensibus apprehensibilibus sita sunt: vt in fornicatione, homicidio, furto, & ceteris. Hæc enim omnia præsentia exterioribus sensibus cognoscuntur, absentia interioribus cogitantur, & vtroque modo ad appetitum sensitiuum pertinent. Ceterùm quia (sicut diximus) sunt etiam primi motus in ratione, possunt in ea quoque esse hæc cogitationis peccata: cùm videlicet de infidelitate, aut præsumptione, & fortè superbia cogitatur. Hæc enim nõ sensibus, sed sola ratione comprehenduntur: neque appetitus sensitiuus primò & propriè, sed voluntas delectatur illis. Omnia tamen, etiam carnalium cogitationum peccata rationi tribuit Aug. rationi (inquã) voluntati coniunctæ, quia ad eam pertinet motus inferiorum viriũ, sicut & suos ordinare & illicitos cõprimere, cùm

Peccata delectationis in cogitatione etiã ad rationẽ pertinent, sed inferiorẽ propriè.

cùm eos viderit insurrexisse. Cùm ergo id non facit, rectè tribuitur illis peccatum: sicut gubernatori submersio nauis, cùm omittit quæ ad eam conseruandam prouidenda erāt, vt b. Tho. explicat. Peccatum enim omne mortale (vt ibidem inquit) merito rationi tribuitur siue rationali appetitui: quoniam non nisi ex eius consensu inferiorum virium motus peccata sunt. Nec rationis tantùm vocat Augustinus, hoc peccatum, sed rationis inferioris. Cùm enim (vt ex superioribus patet) duo sint officia rationis nostræ: alterum versatur circa res corporeas, commoda videlicet vel incommoda corporis & sensuum cogitāda & prouidenda: alterum circa rationes illas æternas, & incommutabiles veritates (de quibus superiùs diximus) & inspiciendas & cōsulendas, & denique circa vitam ex eis gubernandā & dirigendam. Sic enim Aug. putat hęc optimè conuenire mysticę illi significationi primi peccati: vt videlicet per mulierem, intelligatur non caro, secūdum quam similes sumus alijs animalibus, sed pars quædam rationis à suprema illa quodammodo decisa, sicut mulier à viro: illa videlicet, quæ huic corporeæ vitæ administrandę dedita est. Hæc (inquit ille) adiutorium est superioris rationis, cui simile nō inuenitur in animalibus. Cùm itaq; hæc vocetur inferior ratio, ad eam pertinet iudiciū, non illud suprem um & vltimum, quo iudicamus de operibus nostris secundū leges æternas: sed infimum illud & generationis ordine primū iudicium, quo secundum leges ex corporibus sumptas iudicamus. Sunt itaq; in nobis quasi duo tribunalia: alterum, vbi ratio secundum commoda & incommoda corporum & sensuum iudicat de rebus: hoc est rationis inferioris: alterū, vbi secundum leges æternas iudicatur: & hoc est suprem um rationis superioris iudiciū. Ceterùm in omnibus ordinatis tribunalibus ad inferius pertinet, de minoribus, & primis ac quasi preambulis rerū iudicare. Ad suprem um pertinet vltima, & quasi omnium definitiua sentētia. Hæc verò duo de quib⁹ loquimur, scilicet delectatio cogitationis illicitæ, & actus ipse illicitus consummatus, sic natura ordinata sunt, vt illud minus sit, & prius generationis ordine oriatur: hoc verò suprem ū & vltimum, post quod nihil aliud deliberandum restat. Meritò igitur consensus in illicitam cogitationem inferiori rationi & tribunali: consensus verò in actum superiori tribuitur: quanquam (vt Augustinus inquit eo loco) totius hominis sit vtrumque peccatū. Et certè dici potest vtriusque rationis. Ex vtriusque enim officio est, illicitas cogitationes cohibere. Et quia illa infima sunt, proximè ad rationē infe-

9.74. ar. 5. 1.2. art. 4.

inferiorem pertinent, ſicut proximè tentatio ſerpentis mulierem tetigit, & prius illa delectata eſt, quàm conſummaretur totum illud peccatum. Hæc itaque dicta ſint de ordine huius progreſſus ex ſenſu b. Auguſtini: vt non tantùm ipſa vocabula, quibus ille loquitur, & ab illo alij mutuati ſunt agnoſcamus: ſed etiam pulchram quandam habeamus cognitionem noſtri. Iam reſtat vt quale & quantum peccatum ſit in illicitis cogitationibus, dicamus. Circa hoc igitur primò eſt ſtatuendum, ſolam delectationem voluntariam in illicita cogitatione, ſolam (inquam) ſine conſenſu in ipſum opus peccati, peccatum eſſe eiuſdem generis, cuius eſt actus ipſe de quo cogitatur: mortale videlicet, ſi actus mortalis: veniale, ſi venialis ſit actus. Hoc aſſeruit Aug. Non (inquit) negandum eſt eſſe peccatum, cùm mens ſola cogitatione oblectatur illicitis, non quidem decernens ea eſſe facienda, ſed tenens tantùm & voluens libenter, quæ ſtatim cùm animum attigerunt, reſpui debuerunt. Hoc itaq; dicit eſſe peccatum, ſed longè minus, quàm ſi opere ſtatuatur faciendum. Vbi quia, longè minus, dicit: non propter ea intelligit nō mortale. Nam eodem loco, poſtquam dixerat pro huiuſmodi cogitationibus tundendum eſſe pectus, veniam petendam, tandem inquit: totus homo damnabitur, niſi hoc peccatum ſolius cogitationis, quod ſine voluntate operandi, ſed cum voluntate talibus oblectandi admittitur, per gratiam meditatoris remittatur. Itaque apertè docet Aug. in ſola cogitatione delectari, mortale eſſe. Vbi certè ſubindicat rationem, quam b. Tho. poſtea latius explicauit. Delectari his cogitationibus non eſt aliud, quàm illis affici, & in eis ſibi placere: hoc autem nō eſt aliud quàm animū propenſum habere in illicita: Si igitur hoc voluntarium & deliberatum fuerit, cōſtat eſſe voluntarium affectū in illicita: quod Aug. indicat dum ait: cùm mens oblectatur in illicitis. Rurſum motus appetitus ſenſitiui in illicita & mortalia excuſantur ex rationis inconſideratione: cùm igitur iam ratio conſiderauerit, non habent vnde iā excuſentur. Hoc eſt enim quod Aug. etiam inquit: peccari, quia tenetur & voluitur libenter, quod ſtatim cū animū attigit, reſpui debuit. Itaque habendū eſt vt certiſsimum, omnem appetitum voluntarium, hoc eſt, omnem propēſionem & affectionem in illicita cum rationis conſenſu, illicitam eſſe ea ratione, qua ipſe actus illicitus eſt. Et quanquā hoc poſſet ſufficere, à poſterioribus tamen multa addita ſunt, quæ pertinent ad ſpecialem conſiderationem, qualis in materia morali neceſſaria eſt: de quibus pauca breuiter ſunt nobis annotanda. Duo igitur

Quantum peccatum ſit delectationis in ſola cogitatione illicita. 12. de Tri. cap. 12.

considerãda sunt, vt de his iudicari possit. Alterum ex parte voluntarij: alterum ex parte obiecti, quo in cogitatione delectamur. Circa primum igitur constat, tripliciter rationem & voluntatem se posse habere circa cogitationem illicitam. Primò, cùm plenè consentit illi, quod apertum est peccatum. Secundò, cùm illi etiam apertè contradicit: vbi etiam constat non solùm non esse peccatum, sed potius virtutem & meritum. Itaque hæc duo, tanquam extrema, certa sunt. Circa quæ hoc est aduertendum præcipuè, plenum rationis consensum aut dissensum prærequirere plenam etiam & integram aduertentiam: vt scilicet perfectè attendat & quid cogitet, & quid sit contra diuina præcepta. Si enim vel nõ aduertit se cogitare, vel si aduertit quid cogitet, non tamen satis aduertit an illud peccatum sit vel contra Dei preceptum, an non: quidquid ante hanc plenam considerationem fit, magis ad surreptionem pertinet, quam ad voluntatem. Consulit Deus infirmitati nostræ & tarditati, & quasdam quasi inducias concedit nobis, vt plenè aduertamus & peccatum, & periculum rei quam cogitamus: quæ nõ sunt inducíæ temporis: non est enim certum tempus definitum, intra quod aduertere debeamus: sed quamdiu in obliuione nostri, & eorum quæ cogitamus, sumus, tamdiu nobis non imputatur. Plenus ergo consensus vel dissensus sequitur plenam etiam considerationem: Hæc de duobus illis extremis.

Quãdo sit plenus rationis consensus aut dissensus.

De cõsensu vel dissensu rationis non pleno.

Est verò medius quidam gradus, in quo neq; apertè consentire deprehendimur, nec dissentire: sed vel tepiditate quadam & somno ita consideramus illicitas cogitationes, vt non satis efficaciter illis resistamus. Vbi sunt etiam multi gradus secundum quòd maior vel minor est tepiditas: & in his omnib⁹ nihil certi definiri potest. In vniuersali tamen illud hic obseruandum, non esse opus in his omnibus certũ aliquid definire. Id satis erit, vt cùm aduertimus nos considerasse, nec satis agnoscimus, an, vt opus erat, restiterimus, Deo relinquamus iudicium, & magis timeamus culpam, quàm securitatem nobis promittamus.

Est quædam negligentia parua, est alia maior: relinquamus ea Deo iudicanda: & in dubio nos ipsos tãquam peccatores agnoscamus. Excusant multa nonnulli: vt cùm quis securitate quadã ductus, cogitationem quã in se aduertit, negligit reprimere. Sed hic est ante oculos habendum, in scripturis sacris exhortari nos ad vigilem custodiam nostri, ad non dormitandum nec oscitandum inter insultus inimicorũ & tentationes. Omni custodia (inquit sapiens) serua cor tuũ &c. Et Dominus in euangelio: Vigi-

Prouer. 4. Luce 21.

hte omni tempore orantes. Iterum: Cauete ne grauentur corda vestra &c. Vnde obliuio custodiæ cordis reprehenditur. Ephraim (inquit Propheta Oseas) quasi columba seducta nō habens cor. Et Psalmista lamentatur: Cor meum dereliquit me &c. Non itaque parum timendum ab illis cogitationibus illicitis, quas ociosanter repellimus. Verum est tamen in his omnibus, multum referre, qualis sit cuiusque dispositio. Scriptum enim est meritò, Deum propitiari ignorantijs siue omissioni eorum qui toto corde quærunt illum. Quare longè aliter in his dubijs censendum est de eo, qui super custodiam sui vigilat, & alienus est à prauis affectibus: aliter de eo qui præceps in quæcunque illicita rapitur & ruit. Illud non omittendum, quòd in his motibus nonnunquam non statim appetitus paret rationi. Possunt itaq; perseuerare nonnunquam renitente etiam ratione: sed quando perseuerant postquā animaduersi sunt, nec cōstat contradixisse rationem: timendum est valde eam consensisse. Sed dubia omnia relinquantur iudicio Dei, & humili pœnitentia illorum à Deo postuletur venia.

Ibidem. *Osea. 7.* *2. para. 30.*

At verò circa obiectum hoc est considerandum, non semper delectationem consequentem cogitationem esse de ea re quæ cogitatur, sed nonnunquam de ipsa cogitatione. Constat enim cognitionem tantùm, etiam rerum malarum & alienarum ab affectu, nonnunquam delectare. Est enim cogitatio per se bona & delectabilis, etiam mali: sicut scientia mali est bona. Igitur si illicita cogitentur vt agnoscantur, & vt de illis vel ab alijs doceri, vel ipsi docere possimus, & in eorum cognitione, quia perspicua est, & quia inuenta sunt quæ quærebamus, delectemur: nullum peccatum est, nisi fortè curiositatis. Itaque cùm vel de cognitione occulti prius, vel de adinuentione aliqua subtiliori lætamur dumtaxat, non est propriè peccatum illius generis. Vt si quis adinueniat & excogitet nouas aliquas rationes inuadendi inimicum, aut surripiendi aliena, & hac inuentione delectetur. Si verò delectatio sit de re ipsa quam cogitamus: vt de adulterio, homicidio, & eiusmodi alijs: manifestus est consensus in illicita & complacentia voluntaria. Hoc verò quando dubium est, ex statu maximè & affectu proprio pensandum est. Qui nihil afficitur rebus quas cogitat, & tamen deditus est adinuentionibus: credi potest illum magis cognitione, quàm re cognita delectatum fuisse. Ceterùm qui (vt diximus) totus affectus est illicitis quę cogitātur, meritò timere debet. Circa obiectum etiam scrutātur nonnulli, qualiter illicitū esse debeat quod

De delectatione quæ ex cognitione pertingit.

cogitatur: an videlicet viduæ liceat cogitare de actibus matrimonij, aut marito in absentia vxoris. Illa enim licita sunt, nec dubium est sanctè viduam gaudere de generatione filiorum, & alijs ad matrimonium pertinentibus. Est tamen cõsiderandum, quòd in cogitationibus carnalibus delectari extra licitos ipsos actus, manifestè sit delectationem quærere vbi non licet. Nec enim licet extra actus ipsos matrimonij. Semper itaque hæc timenda sunt & fugienda, præcipuè his, qui rebus quæ cogitantur affecti sunt: Quorsum enim attinet, vt is qui cupit se de inimico vindicare, sic cogitet & delectetur: si licitum mihi esset, sic occiderem aut lederem inimicũ: aut si fornicarer, si esset licitum? In his itaq; omnibus melius putamus simpliciter sentire, quàm subtiliora quædam excogitare: maximè ex quibus vel laxentur habenæ, vel excusentur negligentiæ, quæ in his non sine periculo sunt. Putamus in his materijs quiescendum intra limites quos habemus à patribus. Si quis scrupulosius agere velit, is potius est continendus & exhortandus ad timorem, quàm permittendus. Hic itaque de quo loquuti sumus, secundus gradus est in progressu peccati: & in eo primùm inuenitur mortale, vt diximus.

Consensus in actum peccati cõsummat peccatum.

Est verò tertius gradus, in quo est consummatio peccati: consensus videlicet in opus ipsum: quem Augustinus dicit pertinere ad vitum ipsum, vt iam explicauimus. Nec hic pluribus opus est, quàm vt nouerimus, iuxta ea quę superiùs dicta sunt, propterea in consensu in actum peccatum consummari, quia quod attinet ad voluntarium, exterior operatio nihil malitiæ addit, nisi fortè per accidens: quia videlicet vel intenditur voluntas, vel extenditur, vel multiplicatur inter operandum. Neque consensus in actũ alterius generis peccatum est, quàm ipse actus. Quare id iam tantùm restat, vt de mortali & veniali peccato ex suo genere dicamus: quandoquidem de differentia, quæ est ex imperfectione actus, satis est dictum.

(.*.*.)

LECTIO

LECTIO DECIMA.

De differentia mortalis & venialis peccati ex obiecto, siue specie sua.

QVONIAM (vt ex superioribus patet) species actus humani propriè & primò ex obiecto est: illa est inter mortale & veniale peccatum differentia maxima, quæ est ex obiecto. Secundum illam enim distinguuntur specie: & sunt, hoc quidem ex specie sua veniale: illud verò mortale. Quod iam declarandum restat. Nam ea, de quibus hucusque loquuti sumus, mortalia & venialia, magis per accidens distinguũtur: vt motus primus in fornicationem, & consensus in delectationem de cogitatione eius, & consensus in actum.

Illud igitur hic statuendum vt certissimum fundamentum, quòd omne obiectum peccati, omne scilicet in quod peccando tendimus, sit aliquid alienum à recta ratione. Si enim rectè rationi esset conforme, non esset peccatum illud prosequi: quare dictum est in omni peccato deordinationem esse aliquã. Cùm ergo ita sit, duo tanquam regulæ & bases sunt nobis statuenda. Primum. Omne peccatum, quod fertur in obiectum suum contra charitatẽ Dei vel proximi, habet ex sua propria specie quòd sit mortale. Secundum. Illud quod fertur in suum obiectum non contra dilectionem Dei & proximi, sed vel tantillum illam remorans, solùm est veniale in sua specie. Quando itaque actus ex proprio obiecto habet quod repugnet charitati, est mortale ex genere: cùm verò non, est tantùm veniale, si aliqua ex parte repugnet rationi. Hæc est prædictorum ratio. Quia (vt dixi-mus ex Paulo) omnium præceptorum finis dilectio Dei & proximi est. Explicauimus hæc latius alibi ex ipsis Euangelij verbis hoc ostendentes, vbi apertè Christus docet, vnicum se præceptum tradere. Hoc est (inquit) præceptum meum, vt diligatis inuicem. Vbi apertè innuitur, quòd hoc seruato, omnia seruantur. Contra hoc igitur est omne peccatum. Et cùm duo præcepta explicasset de dilectione Dei & proximi, subiungit: In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetę &c. Ostendimus etiam natura ipsa satis constare, in omni amicitia quædam esse, propter quæ illa meritò solui debeat: & hæc sunt illi contraria,

Quomodo peccata venialia & mortalia discernẽda in genere.

1. Tim. 1.

Ioan. 15.

Math. 22.

traria. Alia verò, quę etsi nõnihil vultũ amici auertãt, nõ tamen sufficiunt vt amicitia omnino soluatur. Quod multo magis in illa supernaturali amicitia & Christiana, charitatis videlicet obseruãdum est: quæ certè cùm arctior sit & fortior ceteris, bonitatique diuinæ innitatur, non soluitur leuius. Hæc itaque consideratio, si intellectu ab omnibus tenebris alieno, & Luce veritatis illustrato attendatur, sufficeret ad discernendum mortale à veniali: vt videlicet iudicemus, an inordinatio quæ in peccato est, sit digna propter quã dissoluatur amicitia, & meritò possit amicus odio haberi: an verò minor. Verùm quia in speciali multa occurrunt, in quibus non certò hoc iudicari potest, maximè ab intellectu minus exercitato (nec enim parum est quod Paulus inquit, exercitatos habere sensus pro ipsa consuetudine ad discretionem boni & mali, maioris vel minoris) opus est in speciali alia addere, quibus hoc etiam magis explicetur.

Heb. 5.

Sit itaque hoc quod dictum est, veluti primum & cõmunius principium. Sub illo possumus tria specialia statuere ex breui tractatulo Richardi de Sancto Victore, de differentia peccati mortalis & venialis: qui (quamuis breuiter) quædam non parum considerate tradit: Mortale (inquit) peccatum non fit sine grandi corruptione sui, sine graui læsione proximi, vel sine magno contemptu Dei.

9. 27. art. 4. 1. 2.

Hoc commodius explicabitur supposita distinctione peccatorum, quam b. Thom. explicat. Sunt quędam peccata in Deum: alia in nosipsos: alia in proximos. Natura enim constat homines in Deum, tanquam primam caussam suam & supremum Dominum ordinari: deinde & ad seipsos, secundum quòd rationales sunt: denique ad proximos, secundum quòd sociales natura sumus. Omne itaque peccatum ab aliquo horum trium ordinum declinat. Sed quando mortale vel veniale sit, cogitandum est ex ipsa deordinatione: quanta videlicet illa sit. Parua itaque deordinatio venialis: magna verò mortalis iudicatur. Atque ita iuxta hanc triplicem deordinationem tria dixit Richardus, ex quibus tres possumus desumere regulas. Prima. Peccata quæ contra ordinem sunt in Deum, si quidem magnum habeant contemptum Dei, mortalia sunt: si verò leuem non quidem contemptum, sed vel oblitionem aliquam, vel minus dignam æstimationem, venialia erunt. Possumus exempli gratia dicere, quòd idololatria magnum Dei contemptum habet: mortale itaque est. Minus consideratum iuramentum, sed verum, præter cuiusque damnum, aliquid irreuerentiæ in Deum

Tres regulæ discernendi venialia à mortalib⁹.

Prima regula de peccatis in Deum.

continet,

continet, sed non magnum contemptum. Ita erit in multis alijs. Euagatio mentis in oratione, minor reuerentia in vsu Sacramẽtorum, & huiusmodi, non continent magnum Dei cõtemptum: Quare in hoc primo ordine mortalia non sunt ex suo genere.

Secũda regula de peccatis in nosipsos.

Secunda. Peccata quæ fiunt in nosipsos, hoc est, contra ordinem quem nobisipsis proximè & primò debemus, quæ sunt cùm grandi corruptione, hoc est, cum magna deordinatione à rectitudine rationis: mortalia sunt. Quæ verò non magnam deordinationem continent, venialia tantùm. Nonnullus excessus in cibo & potu, sed præter grauem infirmitatem, aut priuationem rationis, aut periculum alterius peccati: veniale est. At verò ebrietas, omnisq; excessus rationem absorbens, mortale est. Gula itaque, quæ tantùm significat vitiũ in sumptione cibi quocunque modo, non est ex suo genere mortalis: sed ebrietas, quæ significat excessum vsque ad priuationem rationis, mortalis est ex suo genere.

Tertia regula de peccatis in proximũ.

Tertia. Similiter & in his quæ circa proximum sunt, quæ grauem læsionem continent, ex se mortalia sunt: vt homicidium, furtum, & huiusmodi. Quæ verò leuem, leuiora proculdubio: vt leuis aliqua & momentanea ira, præter appetitum iniusti & grauis alicuius damni. Vnde ex suo genere ira non est mortalis. Hæc itaque specialia magis possunt nonnihil aperire viam grauiora à leuioribus discernendi: quæ quidem ex illo primo fundamento sequuntur. Ratio enim peccati mortalis in eo est, quòd sit contra charitatem Dei vel proximi: & hoc habet magnus contemptus Dei, grauis corruptio sui vel rationis, & magna læsio proximi.

Certior & facilior ratio discernẽdi venialе à mortali.

Quia tamen in multis non facilè iudicari potest, quid magnũ, quid paruum sit: nec sibi facilè quisquam credere potest: optima ratio mortalia à venialibus discernendi est, quam August. in Enchi. c. 78. ponit. Quæ (inquit) grauia, & quę leuia peccata sint, non humano, sed diuino pensandum est iudicio. Diuinum verò iudicium vocat, quod ex scripturis sumitur, & ex sensu Ecclesię. Ita ille iudicat eo capite & duobus sequentibus. Quædã (inquit) leuissima iudicarentur, nisi in scripturis ostenderẽtur grauiora: sicut de eo qui fratri suo dicit, Racha, vel fatue: & de eo fideli, qui cùm fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles. Hoc enim grauiter reprehendit Apostolus, & Ecclesia (inquit) grauiter hoc arguit. At verò vsus matrimonij vltra rationem generationis, vitandi fortè alterius peccati caussa: venia dicitur dignum à Paulo. Et contendere in iudicio, etiam apud fideles, à Paulo dicitur omnino esse delictum. Nec tamen (inquit) ecclesia

Math. 5.
1. Cor. 6.
1. Cor. 7.
1. Cor. 6.

hoc durè vel punit vel arguit. Itaque si hæc bene expendamus, docent nos grauitatem vel leuitatem peccatorum non ex ratiocinationibus nostris iudicare, neque ex sensu nostro: nam is facilè hallucinatur. Et materia morali nihil facilius, quàm in vtrãque partem dicere apparenter: maximè (inquit Augustinus) minus credendum est iudicio nostro, cùm in consuetudinem aliquam venerint peccata. Habet enim hoc ratio nostra, vt facilè seducatur: & ea quæ cõsueta sunt, vel non aspiciat: vel si aspexerit, dissimulet: & denique vel excusẽt vel laudet, quod in eis malum est. Vnde & illud est in scriptura: Dixerunt bonum malum, & malum bonum. Et rursus: Laudatur peccator in desiderijs &c. Quod malum August. eo loco, & in expositione 4. c. epistolæ ad Galatas, maximè deflendum & cauendum docet: vnde & citat eum locum. Doloris verba quæ dixerat in eo. cap. ad Gal. putamus hoc loco adferenda esse. Væ (inquit) peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus, vsitata verò, pro quibus abluendis sanguis filij Dei effusus est, quamuis tam mala, vt claudant nobis regnum cœlorum, sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla facere cogimur: atque ô vtinam domine, non omnia quę non poterimus prohibere, faciamus. Addit ille, an hæc verba immoderatus dolor extorserit, se non dicere: sed vtcunque sit, valde cauendum hoc malum, ex quo, vtinam non aperta experientia nos doceret, summa mala inuecta esse in Ecclesiam: & quod ille ibidem dicit, magno cum scandalo contigisse iam in populo Christiano: vt videlicet sint multa peccata, quæ quamuis grauia, quia tamen consueta sunt, nullus propterea audet vel excommunicare laicum, vel degradare clericum: Nec est opus exemplis hoc ostendere: vtinam non tam manifestum esset, vt posset non videri. Habeamus itaque illam certam regulam, vt in iudicio de peccatis primò scripturam consulamus. Si in ea aliquid graue dicitur, vel inter grauia computatur, omissa omni ratiocinatione talè æstimemus. Vt apud Ezechielem accessus ad mulierem menstruatam inter homicidia & periuria computatur. Vbi verò nihil certi in scriptura habetur, sensum Ecclesiæ & maiorum nostrorum quæramus: is præferatur omnibus argutijs & apparentiæ nostræ

Esaiæ 5.

De ecclesiasticis & ciuilibus legibus.

Huic considerationi coniuncta est etiam altera de humanis præceptis, siue Ecclesiasticis, siue politicis & sæcularibus: quæ videlicet sunt vel à legibus ecclesiasticis, vel Imperatorum & aliorum principum. Circa ista enim sunt peccata mortalia & venialia. Nec est facilis aut breuis opera de omnibus his dicere.

Illud

Illud tamen certum est habendū, ecclesiasticas & sæculares leges non humana aliqua auctoritate, sed iure ipso diuino obligare ad peccatum. Nam illud Pauli: Obedite præpositis vestris, & subiacete &c. Et quod Dominus ait: Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit: apertè hoc ostendunt de ecclesiasticis prælatis, qui ministri Christi sunt. Et rursum de sæcularibus potestatibus sunt apertissima testimonia. Omnis anima (inquit Paulus) potestatibus sublimioribus subdita sit: &, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Vnde ait: Subditi estote omni humanæ creaturæ &c. Quod itaque nonnulli humanis statutis detrahunt virtutem obligandi conscientiam, contrarium est fidei & scripturæ. Viderint illi quid præcipiant, subditorum est illis obedire, non contra Deum præcipientibus. Leges itaq; iustæ ad peccatum obligant. Non (vt Hæretici clamant) propter solum scandalum, vel contemptum, eorum transgressio est peccatum: sed solùm quia voluntaria est inobedientia: atque ideo sicut aliorum diuinorum præceptorum transgressio voluntaria, præter alium contemptum, vel scandalum, peccatum est iuxta quantitatem rei de qua agitur: ita in humanis præceptis. Nam de hoc meritò illud Pauli accipi potest: Ideoq; necessitati subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter cōscientiam. Et illud, de quo rursus admonet seruos: Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed Deo.. Vnde & alibi post eandem sententiam addidit: Sed in simplicitate cordis timentes Deum: quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus. Ex hoc proximū est, non obligare omnia ad peccatum mortale: sed quantum obligent, ex intentione legislatoris, & materiæ de qua præcepta sunt, sumendum est. Si de re parua præceptum fiat, & sub aliqua leui pœna, vel comminatione tantùm mandetur: erit transgressio mortalis. Si verò de re graui, maximè ad spirituale bonum, vel temporale aliquod magnū Reipub. pertinente: vel sub excōmunicatione, aut capitali pœna prohibeatur, iudicatur mortale. Sed in his omnibus sunt multa specialia, de quibus non facilè iudicandum: nec nostræ intendū rationi, sed potius Ecclesiæ aut maiorum sensui, qui non leuiter de his loquuti sunt: vt diximus superiùs de quibusdam. Est etiam in his humanis præceptis locus dispensationi, & interpretationi intentionis legis. Vbi hoc aduertendū est, Ecclesiastica præcepta æquitate quadā suauissimè posita esse à pijssima matre, quæ salutem quærit, & non perditionem filiorum: quare suauiter sunt etiam interpretanda. Itaque cùm

Hebr.13. *Luc.10.* *Roma.13.* *Roma.13.* *Ephes.6.* *Colos.3.* *De transgressione humanarū cōstitutionum.* *De dispensatione & interpretatione legis humanæ.*

vel adest rationalis causſa, vel putatur adesse, etiamsi fortè mi-nor sit, excusanda est transgressio à peccato: vt de omittente ie-iunium, aut obseruationem diei festi ex aliqua, quam putat ra-tionabilem causſam: quanquam in dubijs consulendus sit præ-latus, si fieri potest. De quibus omnibus alibi etiam diximus.

LECTIO VNDECIMA.

De eodem specialius.

Sacerdotē ad discer-nendū pec-cata opor-tet scire.

Scripturā.

EX his igitur quæ sunt dicta proxima lectio-ne, colligi potest, quanta, & quorum cogni-tio necessaria sit ad hoc iudicium peccato-rum habendum in speciali. Cōstat primò le-gis Dei & scripturæ sacræ cognitionem esse necessariam, quatenus concernit ea quæ ad mores pertinent: quorum omnium certum

Decalogus.

est decalogum epitomen esse & summā, in qua implicitè multa continentur, quæ explicantur alijs locis scripturæ. Ille igitur, ad quem pertinet integrum & absolutum iudicium de his, necesse est vt habeat scientiam scripturæ, eorum (vt diximus) quæ ad mores pertinent. Sed inferioribus sacerdotibus satis est com-munia cognouisse, & de obscurioribus dubitare posse, vt dictū est superius. Ideo illis sufficit decalogi cognitio specialior qui-dem & plenior quàm secularibus: vt intelligant quid præcipia-tur, quidue prohibeatur in eo, & quanti sit faciendum quod iu-betur aut prohibetur. Post hæc necessaria est cognitio etiam

Præcepta & cōstitu-tiones ec-clesiæ.

præceptorum Ecclesiæ, & aliarum communium legum & spe-cialium: vt constitutionum synodalium cuiusque diœcesis, & huiusmodi quę pertinent ad rempub. idque magis & minus pro tempore & loco.

Septē pec-cata capi-talia.

Ex præceptis igitur diuinis & humanis petenda est cognitio peccatorum & trāsgressionum. Itaque ex illis duobus sequitur, quòd etiam necessarium est scire singula genera siue species peccatorum: inter quæ illa vitia capitalia tanquam præcipua, & in quibus cetera contineantur, collocata sunt: quorum etiam sa-cerdotibus cognitio specialior necessaria est. Igitur, vt hæc tria

Præcepta sunt vel af-

coniungamus, obseruandum, omnia præcepta, quæ sunt de illis quæ Deo, & proximo, atque nobis debemus, esse vel affirma-

tiua,

tiua, vel negatiua. Affirmatiuis præcipiuntur nobis virtutum opera: negatiuis prohibentur vitiorum actus. Itaque id quod scriptum est: Declina à malo, & fac bonum: in his duobus generibus præceptorum videmus. Negatiua enim præcipiunt declinare à malo: & sunt quasi præparatio & dispositio ad affirmatiua. Prius enim fugienda sunt mala, quæ opposita sunt virtutibus: postea faciendum bonum, ad quod affirmatiua pertinent. Contra hæc duo genera præceptorum sunt peccata omnia: atq; ideo meritò diuiduntur in omissionis & commissionis. Peccata omissionis sunt contra præcepta affirmatiua: omissionis verò contra negatiua: quæ (vt b. Thom. inquit) magis materialiter distinguũtur, vt res videlicet quædam naturales, vel potius vt res, & negatio. Omissio enim tantùm negationem significat eius quod agendum erat. Sed nonnunquam ad eandem peccati speciem omissio & commissio pertinent, sicut b. Thom. ibidem inquit de omittente ieiunium ecclesiæ, & superfluè comedente: vtrunque est gulæ: sed illud est omissio, istud commissio. Si igitur præcepta, & eorum transgressiones rectè cõsiderentur possunt peccatorũ omnium species agnosci. Et circa singulas opus est attenta consideratione, vt quid mortale, quid veniale sit, agnosci possit. In qua consideratione consistit tota moralis materia: Cùm enim eadem sit ratio contrariorum, in enumeratione specierum peccati & cognitione earum necesse erit virtutes cõtrarias cognosci. Hoc certè necessarium est sacerdotibus, qui de peccatis iudicare debent. Sed quia nimium est longum hoc opus: & à multis qui summas scripserunt, latius explicatum, & quidem satis sufficienter, nos inpræsentiarum contenti sumus communia hæc, veluti principia quædam proposuisse, quę viam aperient illis legendis & intelligendis.

firmatiua, vel negatiua.

Peccatũ est vel omissionis vel cõmissionis.

1.2. q.72. art.6.

Igitur de his credimus ex methodo illa confessionis, cuius aliâs hic mentionem fecimus, & ex Caietani summa sufficientem haberi posse cognitionem. Occurrunt nonnunquam specialia quædam, propter quæ aut legendi sunt qui plura & latius tradiderunt, vt Syluester, & alij: aut consulendi peritiores. Sed quod attinet ad communia, cum istis quæ hîc tradita sunt, duo illi libri sufficere poterunt. Nos hoc loco, post omnia supradicta, vniuersalem quandam enumerationem virtutũ & vitiorum oppositorum duximus insinuandam, vt ex his capita ipsa rerum habeant, & ordinem doctrinæ, qui lecturi sunt alia. Itaque iuxta triplicem illum ordinem tria prima genera peccatorum distinguamus, videlicet:

In

In { Deum. / Proximum. / Nosipsos.

Peccata in Deum.

In Deum porrò ordinamur præceptis illis quæ ad religionem pertinent. Hæc enim vna virtus est, qua Deo reddimus cultum debitum: & in Decalogo quidem sunt tria prima præcepta, vbi reliqua omnia quæ ad fidem, spem, & charitatem pertinent, cõtinentur: quibus (vt Augustinus inquit in Enchiridio ad Laurentium) Deus præcipuè colitur.

Peccata igitur in Deum omnia sunt contra { fidem, / spem, / charitatem.

In quibus includi possunt cetera: sed possumus addere quartum genus eorũ, quę sunt contraria religioni: & in his omnibus sunt.

alia { omissionis / commissionis.

Contra fidem igitur primum infidelitas est, cuius multæ sunt species. Proximum, apostasia ab ipsa fide. Tertium negatio fidei. Quartum denique, blasphemia. Et hęc quidem commissionis peccata.

Omissione verò peccatur solo defectu circa illam: vt cùm aut non curamus cognoscere, aut confiteri fidem, cùm opus est.

Contra spem sunt { Præsumptio / & / Desperatio

Opposita vitia inter se, & vtrumque spei: alterum per excessum quodammodo, alterum per defectum.

Contra charitatem Dei sunt duo illa { Odium Dei / & / Acedia.

Tristitia videlicet de bonis illis, quæ nos circa Deum agere, postulat eius bonitas. Omissio etiam contra charitatem est, cùm negligimus diuinæ dilectioni vacare eo loco & tempore, quo recta ratio ad hoc ipsum obligat.

His proxima sunt, quæ sunt contraria specialiter religioni.

Per excessum quidem { Idololatria, cui cõiuncta sunt Diuinatio, & ceteræ magicæ obseruationes, in quibus est implicita dæmonum inuocatio.

Post

Post idololatriam omnis etiam superstitio, superfluitas videlicet & excessus in cultu Dei, & falsus atq; contrarius Deo cultus.

Reliqua sunt secundum defectum Religioni opposita.
- Periurium &
- Sacrilegium: vbi omnis irreuerentia Dei, rerumque diuinarum intelligitur.
- Transgressio votorum,
- Symonia
- Tentatio Dei.

Quibus vltimò adiungenda est Superbia, quæ in Deum similiter grauissimum peccatum est. Hæc quidem omnia sunt commissionis peccata circa religionem.

Ceterùm omissione peccari potest circa illam, cùm pro loco & tempore, quo necessarij sunt eius actus, omittuntur.

Sunt autem hi actus Religionis.
- Deuotio
- Oratio
- Adoratio
- Oblatio
- Sacrificium
- Dei laudatio.

Ad quos actus non est dubiũ teneri hominem pro loco & tempore. Et hæc ad tertium præceptum decalogi pertinent. In his vniuersa vel quàm plurima sunt eorum quæ ad religionem pertinent: in quibus multa sunt ex genere suo mortalia: quanquam quædam etiam aut non semper, aut non ita certò sunt mortalia: vt superfluus cultus Dei, & quædam quæ ad sacrilegium pertinere possunt.

Post hęc sequuntur ea quę sunt in proximum peccata. Contra charitatem quidem quam illi debemus. *Peccata cõtra proximum.*

Sint hęc commissionis peccata.
- Odium,
- Inuidia,
- Discordia,
- Contentio,
- Schisma,
- Rixa, Seditio,
- Bellaque iniusta: &
- Scandalum.

Omissio-

Omissionis verò peccata in vniuersum quidem, circa omnes videlicet proximos.

Omissio { Misericordiæ & Beneficentiæ, quarum actus sunt Eleemosyna & Correctio fraterna.

quæ omnibus proximis pro loco & tempore debentur ex charitate: & si quæ alia sunt, vt verè sunt omnia opera misericordiæ, quibus subuenitur vel corporis, vel animæ defectibus. Refert *Math.25.* Christus dominus in Euangelio plurima horum. Esuriui, & dedistis mihi manducare &c. quæ, quanti ab ipso fiant, ibi patet. De his verò quæ pertinent ad subueniendum animæ, est frequentior mentio in doctrina apostolica. Illa enim sunt quæ pertinent vel ad corrigendos, vel ad sustinendos peccantes, ad instruendos vel consolandos infirmos, denique ad orandum pro *Rom.15.* omnibus: de quibus frequenter loquitur Paulus. Debemus (inquit) nos firmiores imbecillitates infirmorũ sustinere. Et alibi: *1.Thess.5.* Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Et alibi rursum: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritum lenitatis. Sunt huiusmodi multa alia *Isb.29.* in apostolicis literis. Quorum omnium frequenter etiam Iob meminit, ostendens quàm sibi curæ fuerint: Oculus fui cæco, pes claudo, pater eram pauperum, cor viduæ consolatus sum, & benedictio perituri super me veniebat.

Contra iustitiam verò peccatur multipliciter in proximum: commissione quidem, homicidio, seu quacũque iniqua læsione corporis, & furto siue rapina: quæ prohibentur quinto & septimo præcepto. Et omnis iniquitas ac iniustitia commutationum, quæ est in emptione & venditione, & vsura, est peccatum in proximum: similiter quæ sunt damna iniusta in substantia proximi.

Sunt etiam contra iustitiam, quæ in iudicio iniustè fiunt: inter quæ primum est acceptio personarum, quæ in distributione bonorum communium est. Deinde omnis iniquitas aut iudicis, aut accusatoris, vel rei, aut testis, aut cuiuscunque alterius eorum qui in iudicio conueniunt: quæ similiter constat in damnum proximi fieri. Sunt quoque peccata alia extra iudicium.

Contra

Contra honorem aut famam proximi { Contumelia scilicet, Detractio, Susurratio, Derisio, & Maledictio.

Quæ omnia linguæ peccata damnum similiter inferunt proximo. Et obseruandum, hæc omnia, quæ contra iustitiam diximus esse peccata, obligare etiam ad compensationem illati damni, quam restitutionem vocant. Nec enim dubium est, reddendum esse proximo quod ab eo iniquè ablatum est. Vbi tamen sunt non pauca nec minima dubia, quæ ad iudicium etiam confessionis pertinent, quanquam in his meritò possint inferiores iudices ad superiorem, episcopum videlicet, referre quæ maioris momenti sunt, aut ex parte aliqua dubia. Communia tamen profectò opus est cognita esse. Itaque & hoc inter cetera, de quibus seorsim in specie agendum est, seponatur.

Sunt quoque speciales quædam virtutes iustitiæ partes: contra quas etiam omissione peccatur.

Videlicet { Pietas, qua parentibus obseruantiam, & superioribus omnibus debitum reddimus. Dulia etiam, qua honorem his quibus debetur, exhibemus. Obedientia, qua paremus superioribus. Gratia, qua benefactoribus rependimus beneficia.

Omissio igitur harum virtutum, cùm pro loco & tempore earum actus exercendi erant, peccatum est: maius vel minus graue vel leue iuxta materiam, & circumstantias alias: de quibus sigillatim postea dicendum.

Sunt quoque virtutes quædam aliæ iustitiæ proximæ, contra quas etiam peccata committuntur.

Nempe { Veritas, quia tales nos gerimus exterius, quales interius sumus Amicitia, & Liberalitas.

Itaque mendacium, simulatio, iactantia, & ironia (quæ genera sunt mendaciorum) peccata sunt veritati contraria. Quibus cõiuncta est etiam adulatio, quæ magis contra veritatem amicitiæ esse videtur. Auaritia etiam & prodigalitas liberalitati contraria sunt. Et hæc omnia proxima peccata similiter ex suo genere

non

non sunt mortalia, sed quandoque ex materia, vel alijs circumstantijs: vt mendacium, adulatio, prodigalitas, auaritia. Hæc igitur de peccatis in proximum.

Peccata in nosipsos. Vltimò denique numerantur peccata quæ sunt contra nos ipsos: ea videlicet, quæ nec proximè in Deum tendunt aut contra illum fiunt, nec alijs nocent: sunt tamen contra ea quæ decent rationalem naturam: atque ita temperantiæ & fortitudini sunt contraria, ceterisque virtutibus cognatis. Hæc primò quidem sunt gula & ebrietas, deinde luxuria & eius species, atque incõtinentiâ, quæ continentiæ, virtuti cuidam temperantiæ coniunctæ, opponitur: & ira ac crudelitas lenitati contrariæ. Immodestia similiter excessusque tum appetitus sciendi (quæ curiositas est) tum ornatus, incessus, atque gestuum etiam, iocorum atque ludorum. Hæc enim omnia intemperantiæ quædam sunt secundum excessum. Sunt etiam vitia his atque temperantiæ contraria per defectum: vt inhumanitas, in nimio defectu sumendi cibum: & ita in ceteris dici potest. Sequuntur post hæc fortitudini, & virtutibus illi coniunctis contraria secundum vtrumque extremum. Fortitudini quidem aduersatur timiditas seu timor, quem prohibet Christus: Nolite timere qui occidunt corpus &c. Intimiditas & audacia, illis contraria. Et post hæc, quæ magnanimitati opponuntur: præsumptio scilicet, ambitio, & inanis gloria: & pusillanimitas, quæ in altero extremo illis opposita est. Denique quæ magnificentiæ, patientiæ, perseuerantiæ opponuntur: scilicet parsificentia, impatientia, mollities, & pertinacia, quæ secundum duo posita extrema consequuntur. Et in his omnibus, sicut de peccatis, quæ sunt contra proximum, diximus, quædam ex genere suo tantùm venialia sunt, alia mortalia: de quibus etiam in specie agendum. Hæc igitur sunt ferè peccata omnia. Nam de prudentia non est opus specialiter dicere, eò quòd illa coniuncta sit ceteris virtutibus. Et quanquam sint quædam vitia illi opposita, facile tamen possunt inter reliqua, de quibus diximus, computari: vel certè conditiones illorum sunt, vt præcipitatio, inconsideratio, negligentia, & similia. Hæc igitur sunt à nobis in hoc principio proposita, vt nouerint, quos hic admonemus, hæc sibi specialiter esse agnoscenda. De quibus nos (vt diximus) putamus inter ceteros Caietanum, quãtum satis est, & qua opus est breuitate tradidisse: nec omittendus est vtilis libellus, qui methodus confessionis dicitur: quem ante paucos dies hic tradidimus.

DE

DE RATIONE MEDENDI PECCATIS, QVATENVS PERTINET AD SPIRITVALES IVDICES.

LECTIO PRIMA.

DIximvs in principio huius, quam nunc tractamus, partis, duo potissimùm esse necessaria spiritualibus iudicibus: cognitionē videlicet peccatorum, & cognitionem rationis medendi vulneribus animarum: vt ibi ex patrum doctrina ostendimus. De primo igitur cùm dictum sit in genere quidē quantum sufficit, & in specie ostensum quid sit reliquum: de secundo restat vt nunc agamus: quem locum, quia nunc nimium videmus neglectum, cupimus diligentius commendatum esse, atque pro nostra tenuitate conabimur illustrare ac docere.

Medicina adhibenda est propter præterita, & contra futura peccata.

Duplex igitur medicina adhibenda est animabus in sacramento pœnitentiæ. Prior, qua à peccatis commissis curentur. Altera, qua etiam præseruentur à futuris. Quæ ita coniunctæ sunt, vt reuera neutra sine altera aut sufficere possit, aut vix certe veraciter adhiberi. Qui baptizatur à mortuo (inquit sapiens) & iterum tāgit mortuum: quid prodest lauatio eius? Quo aperte ostenditur, frustrà commissa dimitti peccata, si iterum repetantur. Frustrà (inquam) quantum attinet ad fructum & salutem animæ: cùm (vt dictum est superiùs) periculosiùs rursus infirmetur anima. Et in euāgelio dominus non solùm recidiuum peccati peius & periculosius esse docet (Fiunt, inquiens, nouissima hominis illius peiora prioribus) sed etiam in specie tamē, & non secundum veritatem pœnitentiam frequenter agi, cùm futura non cauentur peccata: quamuis non negandum sit, posse etiam verè & integrè fieri ab eo qui rursum labitur, propter humani cordis labilitatem, vt suprà dictum est. Inuenit (inquit) domum illam vacantem, quamuis mundatam & ornatam. Quid

Ecclesia. 34

est vacantem: nisi ociosam, & non verè suæ saluti intentam? Sed quia de his plura diximus in tractatu de sacramento pœnitentiæ: satis sit hæc obiter admonuisse, & dist. hanc duplicis medicinæ annotasse. Hoc tamen circa illas est diligenter aduertendum, has adhiberi non in sola absolutione & administratione sacramenti: quanquam non sit dubium, ipsum optimam esse medicinam, vbi & passionis Christi meritum atque virtus applicatur animæ, & infunditur ei diuinæ gratiæ sanitas, ac robur cõfertur, vt merito secundũ quodammodo baptisma dici possit. At verò cùm sacramentum hoc medicinale sit, & ex illa pœnitentia, quam ante institutionem sacramenti, & ratio, & lex diuina docet, confectum: ex actibus videlicet pœnitentis, quasi exercitio quodam, siue sudore aut vomitu infirmi, vt suprà diximus ex b. Thoma: non rectè administratur hoc sacramentũ, nisi cùm debitè priùs præparatur pœnitens. Quare illud in hoc principio statuatur ad spiritualem medicum pertinere, vt agnoscat hanc præparationem pœnitentis, &, vt eam ipse pro parte sua, adhibitis spiritualibus medicinis, adiuuet: excitans videlicet pœnitentem ad dolorem peccati, & reliqua necessaria: de quibus dictum est suprà. Ne itaque tam absurdè errent sacerdotes, vt putent satis esse, quando sacramentum admouent pœnitenti, quasi medicinam infirmo. Priùs enim opus est vt agnoscant dispositum esse illum iuxta illa quæ superiùs ex Hieron. in illum Math. locum: Quæcunque solueritis super terram &c. exposuimus: & vt etiã ad ipsam præparationem infirmi cooperentur, iuxta illa quæ ex Chrysost. libris de sacerd. & ex Innocentio in cap. Omnis vtriusque sexus, adduximus. Colligamus igitur, ad sacerdotem in iudicio illo confessionis primò pertinere scientiam necessariæ pœnitentiæ & doloris, quę ad remissionem peccati requiruntur: alioquin cæcus cæco ducatũ præstabit, & margaritas ante porcos sparget, aut sanctum dabit canibus. Scientiam (dicimus) doloris & contritionis duplicem: alteram, quasi speculatiuam: qua primò sciat quid ad veritatem pœnitentiæ & contritionis requiratur, & quibus signis hęc cognosci possit, vt ex his (quantum fieri potest) intelligat, vera, an falsa: sufficiens, an imperfecta sit pœnitentia & contritio. Alteram, veluti practicam: qua scilicet possit ad pœnitentiam & contritionem excitare peccatorem. Hoc enim debet ante omnia agere, cùm viderit id deesse pœnitenti.

Notet sequẽtia qui audit cõfessiones.

Triplex scientia necessaria est audienti cõfessionẽ.

Ceterùm tertia etiam peritia est necessaria: qua videlicet sciat remedia adhibere periculo recidiui: idque pro qualitate peccatorum

torum & peccatoris. Hoc est enim quod Deus seuerissimè exigit, & cuius defectum acerrimè exprobrat in scripturis. Ad quod (vt cetera omittamus) locus ille Ieremiæ notandus est. Ita enim dominus mysticis verbis loquitur. Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei? Vbi aduerte, quòd etiam signa & vestigia peccatorū medicinæ huius spiritualis remedijs vult Deus deleri, quantum fieri potest. Quare (inquit) non est obducta cicatrix? Quamobrem eodem cap. aduersus sacerdotes & doctores clamat. Sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam eius, dicentes, pax, pax. Vnde inquit: Quomodo dicitis, sapientes nos sumus, & lex domini nobiscum est? Verè mendacium operatus est stylus mēdax Scribarū. Verbū enim domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis. Quæ omnia apertissimè competunt, & magis propriè ac verius dicuntur in nostros sacerdotes, qui rationem veræ pœnitentiæ ignorantes, nec scientes quibus admonitionibus ad eam exhortandi sint pœnitentes: denique, neque qualiter recidiuo occurrendum sit: ministros se exhibent absolutionis. Contra hos (inquam) tāto magis illa dicuntur, quàm contra illos sacerdotes legis veteris: quanto nostri verius quæ ad spiritualem animarum salutē pertinent, tractant, quàm illi. Nec Isaias hoc omisit, ex persona Dei inquiens. Dimittetur iniquitas Iacob: & hic est omnis fructus, vt auferatur peccatum eius: apertè ostendens duo hæc inspicienda esse: alterum vt remittatur peccatum præteritum: &, vt caueantur futura. Hic est enim fructus quem dicit: vt auferatur peccatum, futurum proculdubio. Nec enim aliud est reliquum, remissis præteritis. *Cap. 8.* *Cap. 27.*

Tria igitur hæc, quæ ad scientiam sacerdotis pertinent, annotentur diligenter. Ex quibus primum, quod videlicet pertinet ad cognoscendam veritatem & perfectionem contritionis, explicauimus pro captu nostro in sacramento pœnitentiæ. Restāt igitur duo: quomodo videlicet & ad contritionem excitandi sint pœnitentes, & qualiter contra futura peccata præmunienti sint: quæ duo simul hoc loco à nobis tractanda sunt. Et meritò quidem, quandoquidem simul coniuncta sunt, ita vt vix ab inuicem separari possint, vt satis in sacramento pœnitentiæ ostēdimus. Quanta est contritio, tantum opus est vt sit propositum vitandi futura: & quantum est hoc propositum, tanta est reuera contritio. Quis autem non intelligat, non esse verum propositum cauendi peccata, quòd non fecit hominem solicitum ad *Vera pœnitentia coniuncta habet solicitudinē de fugiendis futuris peccatis vitandis.*

ad quærenda oportuna remedia: maximè cùm periculum aut agnoscitur, aut certè facilè agnosci potest? Aut quomodo verè illum peccatorum pœnitet, qui, cùm nouerit facilè se lapsum, nõ cogitat quibus remedijs tanto periculo obuiandum sit, deniq; qui non suscipit illa à spirituali medico sibi imposita? Et idem de sacerdote ipso meritò iudicari potest. Nec enim curat verè à præteritis absoluere, qui de futuris cauendis non seriò admonet. Augustinus sanè non propositum tantùm cauendi futura peccata, sed vitæ mutationem necessariam putat: quæ non est aliud, quàm, vt statim remedia oportuna contra peccata adhibeantur. Si itaque ex his omnibus conclusum, non esse veram contritionem, nisi cùm necessaria remedia contra futura peccata suscipiuntur. Quare illa non tantùm contra futura peccata sunt, sed etiam vt præterita remittantur. Non igitur verè agit ad remissionem peccatorum præteritorum sacerdos, qui futuris remedia non adhibet: nec verè ad cõtritionem excitat, neq; ad remedia contra periculum futurorum: nisi simul etiam ad ea suscipienda peccatorem inducat. Igitur de his duobus nunc agendum.

LECTIO SECVNDA.

De origine & cauſsis peccatorum & de prima earum, ignorantia ſcilicet, in ſpeciali.

Tria diligẽter cognoſcenda ſunt animæ medico.

VT quæ proposita sunt conuenienter tradantur, cognoscẽda sunt primùm causſæ & origines peccatorum, deinde progressus, atque status ad quem peccatum peruenit: denique quod maxima ex parte ex his pendet, dispositio & status ipsius pœnitentis. Hæc enim tria, qui corporibus mederi vult, diligenter attendit. Vnde fit, vt eidem passioni nonnunquam contraria adhibeat remedia, intelligens ex contrarijs caussis eandem infirmitatem nonnunquam oriri. Aliter etiam eidem morbo, & ex eadem causſa habenti originem, medetur, cùm æger integris viribus & robusto corpore est: aliter cùm infirmo. Ita igitur & spiritualis medicus causſas & origines peccatorũ opus est vt attendat, vt illis remedia adhibeat: & quantum

tum etiam processerint peccata. Nec enim, etiam eiusdem speciei semper æqualia sunt peccata. Alia enim vsque ad consuetudinem, alia vsque ad inuerecundiam etiam & obstinationem peruenerunt. Et iuxta hæc maiori vel minori remedio opus habent. Denique aliter infirmus, qui fere in desperationem ex pusillanimitate labitur: aliter proteruus & obstinatus curandus est. Meritò itaque tria illa cogitanda sunt: sed primò de causis dicamus.

De causis peccatorũ.

Causſæ peccatorum colligendæ sunt ex his quæ superiùs de principijs humanorum actuum diximus. Cùm enim peccatum sit actus humanus deficiens & imperfectus, necesse est vt ex imperfectione causarum nascatur. Ad perfectionem enim affectus necessaria est perfectio causæ. Et vbi videmus imperfectum effectum, agnoscimus imperfectionem causæ fuisse: vt in arbore cuius folia marcescũt, aut fructus corrupti inueniuntur, agnoscimus in radice defectum esse. Cùm igitur superiùs tres causas actuum nostrorum internos nobis posuerimus: rationem scilicet, voluntatem, & appetitum (nam reliqua omnia & organa & facultates nostræ magis instrumenta sunt, quàm causæ peccatorum) imperfectio trium harum potentiarum, vel alicuius earum reddit imperfectum actum nostrum, atque ita peccatum. Malum enim ex singulis defectibus fit & sequitur, sicut ad bonum integritas omnium causarum requiritur. Ratio igitur, & voluntas, ac appetitus integra esse debent, vt rectè operemur: si quid eorum deficiat, imperfectum erit opus, atque peccatum: sicut in omni effectu plures habente causas, manifestũ est. Vt enim recta sit scriptura: & calamus, & manus, & ars necessaria sunt: quidquid defecerit horum, reddet opus imperfectum. Porrò sicut rationis perfectio est scientia & cognitio, ita defectus eius ignorantia. Et hæc non minima origo peccatorum est. Propterea (inquit Isaias) captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam: & multa alia, quę in hãc sententiam dicuntur pluribus alijs locis scripturę. Perfectio verò appetitus sensitiui humani in subiectione erga rationem rectam constituta est: imperfectio igitur eius, rebellio est contra rationem. Hanc infirmitatem vocamus, quando circa bonũ aliquod agendum appetitus rationi repugnat: Concupiscentiam verò, cùm in malum contra rationem tendit: de qua Paulus dixit, quòd caro concupiscit aduersus spiritum. Voluntatis verò perfectio in illius consistit in verum bonum propensione. Imperfectio verò & defectus in complacentia mali: quam malitiã dici-

Ignorãtia.

Cap. 5.

Infirmitas.

Concupiscentia.

Malitia.

dicimus. Hæ igitur sunt tres primæ causſæ & origines peccatorum: ignorantia rationis, infirmitas & concupiſcentia appetitus, & malitia voluntatis. De quibus b. Thom. diligenter ſcripſit, & opus eſt vt hoc loco de illis dicamus.

1.2.q.77.

Obſeruandum autem ante omnia, has tres cauſſas ad peccatum ita concurrere, vt quamuis nonnunquam, immo frequenter etiam aut duę, aut omnes ſimul concurrant: illa tamen cauſſa peccati dicitur, quę præcipua eſt, atque ita ſe habet, vt ſi deeſſet, non committeretur peccatum: quod apertè etiam experimur. Cùm enim quis ſic aliquid operatur, vt ſi agnoſceret peccatũ eſſe, non operaretur: etiam ſi ex aliqua paſſione & affectu id operetur, ignorantia tamen illius operationis cauſſa fuit. Cùm verò ex paſſione aliqua vehementi appetitu conſentit quis in peccatum, quod non ignorat peccatum eſſe: etſi reuera ignorantia aliqua ſit: vt oſtendemus inferiùs: prima tamen cauſſa paſſio illa eſt. Rurſus, qui nec ignorans, nec illectus paſſione, malum eligit: is errat quidem, ſed prima cauſſa malitia eſt.

De ignorãtia, quatenus eſt peccati cauſſa.

Prou. 17.

Dicendum igitur de ſingulis earum in hoc principio. De ignorantia igitur notandum, aliquam eſſe quæ per ſe ſola eſt cauſſa peccati. Et hæc (vt b. Thom. inquit) eſt, cùm omnino ignoratur peccatum eſſe quod agimus: vt cùm Iacob acceſsit ad Liam. Alia verò ignorantia coniuncta eſt omni peccato. Errant (inquit ſapiens) qui operantur malum. Nec enim dubium eſt, vt ex ſuperioribus patet, electionem non eſſe peruerſam, niſi precedente iudicio aliquo peruerſo, atque ita errore. Non quòd putemus, vt Socrates voluit, omnem virtutem cognitionem eſſe, & ita omne vitium ignorantiam. Eſt enim manifeſtum, multos contra id quod apertè ſciunt, in conſenſum trahi ex affectu aliquo. Sed non dubitamus, eum qui ſic conſenſit, vel obliuiſci, vel minus attentè cogitare id quod vel habitu, vel in vniuerſali cognoſcit: & hæc eſt ignorantia omni peccato coniuncta. De hac ergo duplici ignorantia agendum.

Primò de vtraq;, quomodo ſit cauſſa humani actus, dicemus. Cùm enim defectus tantùm ſit ignorantia, nõ eſt propriè cauſſa peccati directè agendo, ſed indirectè tantùm: ſicut defectus & abſentia gubernatoris eſt cauſſa ſubmerſionis nauis. Cùm enim, ſi ſcientia adeſſet, prohiberet peccatũ: defectus eius cauſſa eſt vt committatur peccatum: ſicut ait b. Thomas. Contingit verò hæc ignorantia dupliciter: vel ex intentione auertentis ſe ab inquiſitione & cognitione, vel certè à conſideratione eorũ

1.2.q.76. ar.1.

Duobus modis eſt quis ignorans.

quæ

quæ scire & considerare debet: vel præter intentionem, cùm quis nimium intentus his quæ magis placent, omittit vel scire, vel considerare quæ debet. De priori illud dictum est: Noluit intelligere, vt bene ageret. Et quod Isaias contra impios ait: Qui dicunt videntibus, nolite videre: & aspicientibus: nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores: cesset à facie nostra sanctus Israel. De posteriori verò illud psalmi intelligitur. Supercecidit ignis, & non viderunt solem, & oculos suos statuerunt declinare in terram: quamuis etiam ad priorem illã ignorantiam referri possit hoc, propter verbum statuerunt. *Esaiæ 30.*

De priori illa ignorantia, quæ sola est causſa peccati, quomodo ad illud se habeat, nunc explicandum. Hæc enim quandoq; excusat omnino à peccato: quandoque, si non omnino, saltem ex parte. Nonnunquam nihil minuit, sed auget etiam: idque secundum quòd variè se habet ignorantia ad voluntarium. Nam cùm (vt ex superioribus patet) peccatum omne volũtarium sit: ignorantia verò tollat volũtarium: necesse est vt peccatum auferat. Quando verò id fiat, ita explicauit Philosophus ipse, & antiqui illi, Gregorius & Damascenus, & b. Thomas quæst. suprà dicta. Triplicem enim distinguit ignorantiam, ex ordine quẽ habet ad voluntatem. Prima est, quã præcedentem vocant: quæ scilicet omnẽ voluntatem præcessit: hoc est, quã nulla ratione volumus. Altera verò huic opposita, ex qua etiã hæc agnosci potest, dicitur consequens voluntatẽ: quam volumus aliqua illarum rationum, quas proximè diximus: vt illa nimirum, de qua dictum est: Noluit intelligere vt bene ageret: vel altera, de qua diximus illud: Supercecidit ignis, & non viderunt solẽ. Tertia denique, quam concomitantem dixerunt, illa est, quæ etsi nõ sit voluntate concupita, tamen etiam si adesset oppositæ scientia, nõ impediret actum: vt in illo, qui sagittam iacit, putãs se feram occidere, & occidit inimicum: occisurus proculdubio libentius, si inimicum esse sciuisset. Hæc itaque ignorantia, teste Philosopho, & his quos citauimus, facit actum non esse voluntarium, hoc est, non adesse tunc voluntatem: nec enim velle possumus aliquid eo tempore, quo illud non agnoscimus: non tamen facit inuoluntarium, hoc est, quod repugnat voluntario. Rursum, quælibet harum est nonnunquam iuris, nonnunquam facti. Et quæ iuris est, quandoque diuini siue naturalis, quandoque humani siue positiui. Iuris quidem est, cùm ignoratur aliquid prohibitum esse: vt si quis putaret fornicationem *Quæst. 76.*

Ignorantia voluntatẽ omnino præcedens.

Ignorantia consequens voluntatẽ.

Ignorantia comitans voluntatẽ.

Ignorantia iuris diuini vel humani.

nem non esse peccatum, vel vsuram esse licitam: quorum vtrũque iuris naturalis est. Vel, vt de positiuo iure dicamus, sed diuino: si quis putaret confessionem peccatorum non esse necessariam, aut nunquam audisset prædicationem Euangelij. Iuris verò humani ignorantia est, si quis putaret non minus licere iudici sæculari in clericum animaduertere, quàm in laicum. Ignorantiæ verò facti apertissimum exemplum est in Iacob. De omnibus igitur certum est, ignorantiam præcedentem, quæ inuoluntaria est, excusare omnino à peccato: & illam vocant ignorantiam inuincibilem: quam scilicet diligentia nostra nõ possumus vincere: diligentia inquam humana, & qua prudentes solẽt in simili re vti: & propterea ipsa ignorantia nullum peccatum est, nec vllo modo voluntate appetita. Neque nunc opus est quæstionem illam anxiè tractare, an possit licitè ignorari lex diuina: vel, an sine culpa ignoretur aliquando. Sunt qui putent ius diuinum nunquam sine culpa ignorari: adeo, vt sentiant nullum excusari à fidei Christianæ susceptione, etiam si nõ audierit Euangelium. Sed non est opus anxiè hæc disputare: melius est diuino iudicio hoc relinquere, de quo nihil certum nobis in scriptura est proditum. Satis est, ea quæ ignorantur absque dolo & fraude, & absq; negligentia manifesta discendi & sciendi quę necessaria sunt, excusare à peccato. Nam illud, quod apud Ezechielem dicitur de eo qui posuit iniquitates in corde suo, & iuit ad interrogandum prophetam: Ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum: & decipiam prophetã illum: iuxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas prophetæ erit: ad fraudem, vel apertam negligentiam pertinet: cùm scilicet voluntariè ignorat, & quærit quod sibi gratum, non autem quod verum est, dici. Nam quod quidam putârunt, vt excusetur quis ignorantiam iuris diuini, necesse esse, vt priùs per veram pœnitentiam in Deum cõuertatur: ne videlicet propter peccata sua permittat illum Deus decipi: durius est, quàm vt omnibus imponi debeat. Exhortandi quidem ad id omnes, qui de re maximi momenti dubij sunt, & doceri cupiunt. Verùm qui bona fide de his quæ occurrunt dubijs, consulit quos meritò iudicat sapientes, nec aliud agit, credi potest satisfeciſſe, ita, vt si quid errauerit, inuincibilis reputetur ignorantia & inuoluntaria: Hæc igitur de prima ignorantia.

Ignorantia facti.

Quæ ignorãtia excusat à peccato.

Ezech. 12.

Ignorantia voluntaria nõ excusat à peccato.

De secunda verò, quæ scilicet voluntaria est, eadem ratione patet quòd non excusat à peccato: immo accusat potius, quando ex malitia aliquis non vult scire quæ oportet. De qua illud Pauli:

li: Ignorans ignorabitur. Nonnunquam verò quando ex negligentia est, excusat ex parte & leuius reddit peccatum. Vnde ipse Paulus inquit: Fui blasphemus & persequutor, sed misericordiam consequutus sum: quia ignorans feci: ostendens videlicet ignorantiam aliquid excusasse.

Ignorantia comitans neque accusat, neque excusat.

Tertia demum illa neque accusat, neque excusat: quia nec voluntaria est, nec inuoluntaria. Occisio itaque inimici, dum putatur occidi fera, tunc non fuit peccatum: quia non voluntaria: erit tamen peccatum, cùm placuerit. Hæc igitur de ignorantia, qua omnino ignoratur peccatum esse quod agitur. Alia verò ignorantia, quæ in omni peccato inuenitur, quæ cæcitas mentis siue hebetudo sensus in scriptura & patribus vocatur, illa est, qua principium aliquod non cogitatur, quod rectè expensum à peccato auerteret: vt quàm sit ingratum Deo, quàm nobis noxium peccatum, quanta pœna dignum: & similia. Ista nõ est dubium vel non cogitari à peccante, quod cæcitatem dicere possumus: vel si cogitantur, non satis ex hebetudine quadam & crassitie, penetrantur & expenduntur. Hæc enim cæcitas & hebetudo (vt docet b. Thom.) contrariantur dono illi spiritus sancti, quod intellectus dicitur: nec dubium est eas peccatorum esse causas, & augeri peccatis ipsis. Quo enim magis peccatur, hoc magis obtenebratur animus, & ineptior fit ad spiritualia ac diuina capienda: contra quod promittitur per Isaiam prophetã: Erunt omnes docibiles Dei, siue θεοδίδακτοι. Est enim proprium gratiæ nouæ legis, efficere hominem facilem ad capienda & penetranda diuina. Nos (inquit Paulus) omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur: cùm eodem loco de Iudæis dicat, quòd obtusi sunt sensus eorum. Vnde meritò inter causas peccati maximas hæc ignorantia numeranda est. Et agnoscendum, quàm longè sint à gratiæ Christi statu, qui ad fidei mysteria cogitanda & intelligenda tam crassi & somnolenti ac tardi sunt, vt illa magis quasi figmenta quædam & somnia, aut reuera quasi non intelligibilia considerent. Quod malum non tam naturali defectui ingenij, quàm illorum culpæ certè tribuendum est: cui diligenter remedia adhibere debet spiritualis medicus: de quibus postea. Hæc verò dicta sunt, vt etiam quid de peccato ignorantię in arcano illo confessionis iudicio censendum sit, sciant quos hic instruimus.

De ignorãtia omni peccato cõiuncta.

2.2.q.16.

2.Cor.3.

LECTIO TERTIA.

De *infirmitate.*

Explicatur animæ infirmitas. 9.77.ar.3.

SECVNDA, quæ ponitur cauſſa peccati, infirmitas eſt: paſsio ſcilicet aliqua appetitus ſenſitiui: quam meritò infirmitatem vocamus (vt inquit b. Thomas) quoniam eſt inordinatio quędam partium hominis, qua impeditur in operationibus rationis: ſicut infirmitas corporis dicitur: cùm ex membrorum aut humorum inordinatione ac diſproportione impeditur corpus in ſuis operationibus: ne ſcilicet rectè ambulare, aut digerere, aut huiuſmodi aliquid facere poſsit. Ita ira tanquam febris quædam eſt & ſanguinis accenſio, qua turbatur rationis iudicium. Turbatus eſt (inquit Dauid) à furore oculus meus. Ita concupiſcentia carnis, & quidquid aliud eſt. Quomodo verò paſsio ſit principium humani actus, & qualiter ipſam rationem mouere, ac vita voluntatem trahere in conſenſum poſsit, ſatis ſuperiùs explicatum eſt: iuxta ea quæ beatus Thomas duobus primis articulis illius quæſtionis docet. Paſsio enim ſiue affectio cauſſa eſt peccati, quando immutando corpus vehementer diſtrahit à rationis conſideratione, vel certè facit delectabile & bonum apparere, quod illi affectui conforme eſt. Hinc fit, vt ventre pleno, videatur facile ieiunium: at verò exhauſto, aliter. De quo eſt illud Philoſophi: Qualis vnuſquiſque eſt, talis finis videtur ei: talia ſcilicet iudicat ſibi expedire. Nihil ergo hic aliud dicendum eſt: quàm vt notetur, paſsionem hanc & infirmitatem frequenter excuſare & minuere peccatum: non vt auferat ſui generis malitiam (nã fornicatio & adulterium ex graui paſsione, mortalia etiam ſunt: ſicut & homicidium) ſed excuſare dicitur, quòd leuius faciat, & magis dignum miſericordia. Vnde etiam legimus frequenter in Pſalmis, ad miſericordiam implorandam allegari infirmitatem. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: & ſimilia. Quod ideo fit, quia infirmitas hæc minuit voluntarium, ſicut & rationis conſiderationem. Quo enim maior eſt paſsio, eo minus cogitatur peccatum, & voluntas magis trahitur. Quare meritò b. Tho. ſupradicto loco, hoc dixit verum eſſe de paſsione præcedente deliberationem: hanc enim manifeſtum eſt impedire ipſam rationem deli-

Quomodo infirmitas partim excuſet peccatum.

Quæ paſsio minuat, & quæ augeat voluntarium.

deliberantem. Quæ verò sequitur deliberationem, non impedit iudicium rationis, nec voluntatem: sed potius sequitur illam, & auget etiam. Quo enim magis in actu aliquo delectamur, quo plures & fortiores passiones voluntati coniunguntur, eò magis illam tenent, & grauius peccatur: quod & in bono, & in malo certum est. Passio enim sequens in actu virtutis deliberationem auget, etiam eam virtutem: sed quæ præuenit, minuit.

Iuxta causſam hanc, infirmitatem scilicet, notandæ sunt multæ aliæ causſæ peccatorum, quas scriptura nominat: quæ omnes ex passionibus istis appetitus sunt. Constituit igitur b. Augusti nus amorem sui inordinatum primam causſam peccati: qui (vt inquit ille) cùm vsque ad contemptum Dei pertingit, ædificat Babylonis ciuitatem: quod b. Thomas explicans eadem quæstione docet omnem passionem appetitus nostri nõ esse aliud, quàm quòd bonum aliquod sensibile amamus nobis. Omnia nãque quæ affectu nostro corporeo, & nondum sanato per gratiam volumus, propter nos volumus. Si itaque nos non amaremus inordinatè, nihil aliud inordinatè cuperemus: quod satis d. Paulus indicat, cùm, priusquã diceret de multis nouissimorũ temporum peccatis, præmisit. Erunt homines seipsos amantes &c. Amor verò hic sui propriè intelligitur inordinatus ille affectus, quo nos iuxta corpus tãtùm considerãtes, amamus corpori bona, omissa & neglecta anima. Iste est enim amor ille de quo in Euangelio dicitur: Qui amat animam suam &c. Ibi nãq; anima pro vita animali accipitur, non pro rationali parte, qua iumentis præstamus: Qui sic se amat, odit: sicut iuxta literam nos habemus, intelligitur illud: Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Nec tamen solus hic amor corporalis appellandus est amor sui. Est enim infirmitas hæc & sui amor latior: & in Philosophis illis, qui nouerant corpus & corporea omnia contemnere: atque in spiritualibus viris, qui in scientia scripturæ & rerum diuinarum intelligentia sibijpsis placent, & quę sua sunt quærunt, locum habet. Itaque amor sui est omnis complacẽtia in nobis, aliena à vero & Christiano affectu, quo soli Deo, eius videlicet gloriæ, atque proximorum vtilitati cupimus viuere. Et meritò dicimus hunc amorem sui primam esse febrim naturæ humanæ, quæ ex Adã ægro nascitur, & à qua vix ex toto liberamur. Cui Augustinus oppositi suprà dicto libro amorem Dei vsque ad contemptum nostri. Hic igitur primus morbus est causſa peccati appetitus.

Lib. 14. de ciuita. Dei. De amore sui qui etiã infirmitas animi est et prima causſa peccati. 77. art. 4. 2. Tim. 3.

Ioan. 12.

Hunc

De concupiscētia carnis ac oculorū, & superbia vitæ.

1.Ioan.2.

Hunc sequuntur tria alia, quæ scriptura notat vt omnium peccatorum causſas, dicente Ioanne: Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Quæ (vt b. Thomas explicat) continent bona omnia appetitus sensitiui. Delectationes corporeas in concupiscentia carnis intelligimus: diuitiarum verò & habendi appetitum, in concupiscentia oculorum: vel vniuersalius, vt d. Augustinus sumit, curiositatem omnem, & quidquid ad satiandum appetitum cognoscendi pertinet: in superbia vitæ, excellentiæ & boni ardui appetitum intelligimus. Quæ tria, si bene pensentur, proximè ex præcedenti morbo oriuntur, & sunt magis speciales morbi, etiam cùm nondum illis consensimus, aut non plenè. Etsi itaque vnus vno, alius alio istorum morborum magis laboret: non est tamen qui non agnoscat se infirmum: immo vix est, qui non tangatur omnibus. Sed conandum est, vt quisque noscat quo grauiùs laboret. De quibus beatus Augustinus diligentiùs, ex scriptura sacra colligens eorum pericula, & ipsorum remedia, & quantam habeant ad exhortandos nos ad Deum, efficaciam: scripsit in libro de vera religione.

Peccata ipsa sunt morbi & aliorū peccatorū causſæ.

Hos morbos sequuntur alij maiores morbi: peccata scilicet ipsa: quæ causſæ sunt aliorum peccatorum. Causſæ inquam, vt b. Thom. explicat, non solùm, quia amissa gratia per vnum peccatum, in alia necesse est incidere: sed etiam, quia nonnunquam amissa aut verecundia, aut timore, faciliùs in alia peccata incidunt qui semel peccauerunt. Sed & hoc habent grauiora quædam peccata, vt nonnunquam fines sint aliorum peccatorum: & propter illa consummata vel consummanda, multa alia peccata committuntur. Inter hæc verò peccata, quæ etiam aliorum sunt causſæ, numeratur primò superbia, quam scriptura dicit

Eccles. 10. cap. 29. Superbia initiū omnis peccati.

initium esse omnis peccati. Quod iuxta Augustin. quidem libro de natura & gratia, de superbia propriè dicta intelligi debet, propter primum peccatum angeli, & hominis etiam, quæ fuerunt initia omnium peccatorum. Addit etiam b. Thom. in

1. Tim. 6. Auaritia omniū malorū radix.

omni peccato esse quandam voluntatem non subijciendi se, aut non parendi legi, quæ superbia quædam est: cùm tamen b. Augustin. suprà dicto loco, cùm infirmitate vel ignorantia peccatur, nullo modo putet superbiam esse. Computatur etiam inter hæc auaritia, quam Paulus ipse radicem omnium malorum vocat. Quod de auaritia proprij nominis (vt b. Thom. illa q. exponit) est intelligendum: quia materiam præbet multis peccatis.

catis. Diuitiæ enim sunt velut fomentum peccatorum omnium. Denique ad istam etiam pertinent septem illa capitalia vitia, quæ à d. Gregorio & Cassiano (quamuis ille octo numeret) explicantur. Dicuntur enim capitalia, quòd quasi duces sint, vnde multa alia oriuntur: id quod d. Gregorius 30. lib. moralium, ex diligenti consideratione & experientia affectuum humanorum docet: quæ scilicet vitia ex quolibet eorum consequantur secundum communem experientiam, quæ ratione etiam non caret. De quibus quidem diligenter sigillatim b. Thom. Et pertinet certè ad hanc materiam moralem & cognitionem peccatorum, hæc cognoscere: quæ nos superiùs inter genera peccatorum numerauimus. Nunc satis sit agnouisse, quòd septem illa peccata tendunt in ea, quæ maximam habent vim & efficaciam mouendi affectus humanos. Habent enim non minimam rationem beatitudinis, quæ ratio est appetendi omnia quæ appetimus. Atque ideo, cùm tam efficacia sint, ad multa etiam alia peccata mouent. Inanis gloria & auaritia tendunt in hæc duo, gloriam scilicet & sufficientiam: quæ maximè in beatitudine inueniuntur: Gula & luxuria in delectationem: quæ maxima est etiam beatitudinis pars. Et quidem ideo hæc peccata sunt, quia in eis non quæritur vera gloria, aut sufficientia, aut delectatio: sed solùm apparentia eorum. Reliqua verò tria capitalia peccata fugiunt mala his contraria: ira videlicet, inuidia, & acedia: atque ideo etiam efficacissimè mouent: sed quę ex eis oriantur peccata, ostendit (vt diximus) Gregorius. Satis sit hoc loco admonuisse, quòd ad spiritualem iudicem, & eum qui cupit animarum mederi vulneribus, non solùm pertineat, nosse peccata singula, sed etiam radices & causas, ex quibus oriuntur: vt videlicet dignè mederi possit peccatorum vulneribus. Hæc itaque sufficiant de secunda peccatorum causa.

Septem capitalia peccata.

LECTIO

LECTIO QVARTA.

De vltima peccatorum origine, malitia scilicet.

§. 78. VLTIMA tandem peccatorum causſa, & quidem ceteris grauior, meritò ponitur malitia: quæ (vt b. Thom. ait) defectus quidam est voluntatis, quæ (vt superiùs ostensum est) præcipua causſa est omnium humanorum actuũ. Sicut igitur deficiẽte à suo ordine ratione, fit ignorantia, ex qua committuntur peccata: & deficiente à perfecta subiectione & obedientia erga rationem appetitu nostro, nascitur infirmitas, ex qua (vt declaratum est) non pauca peccata proueniunt: ita voluntatem contingit à suo proprio ordine, quem habet ad bonum rationi consentaneum, deficere: non quòd malum sub propria ratione mali eligat: sed quia, dum nimium peccato alicui inhæret, conuertitur quodãmodo illi in naturam: quo fit, vt non ex ignorantia, non ex vehementi aliqua passione mali alicuius: sed affectu ipsius peccati quo ducitur, præueniat omnem passionem, & ipsum peccatum appetat ac velit: & hoc dicimus ex certa malitia peccare. Quod non potest melius cognosci, quàm ex duobus alijs membris. Cùm enim nec ob ignorantiam, nec ob passionem, sed integra ratione & sana eligit ipsum peccatum committere: ex certa malitia peccat, siue ex electione. Est quidẽ in omni peccato, maximè mortali, electio & malitia: sed hæ in alijs præueniũtur à passione vel ignorãtia. Quando verò nihil eorum, sed ipsa peccati malitia delectat ex ea peccatur, & ipsa est origo peccati: tunc ex electione peccari dicimus. Et hic est proculdubio magnus gradus & profectus, vel potius defectus peccati, cùm ad peccandum ex certa malitia peruenitur. Et quanquam hoc nõ mutet speciem peccati, est tamen conditio non parum aggrauans ipsum peccatum: quam sanè meritò inquirere debet spiritualis iudex, quia longè alia & efficacior medicina his peccatis est necessaria.

Quid ex malitia peccare.

Duobus modis peccatur ex malitia, vide-

Dupliciter verò contingit ex certa malitia peccare. Primò (quod apertũ est & communius) cùm ex cõsuetudine generatus fuerit habitus peccati. Fit enim peccatum per consuetudinẽ & habitum connaturale, ita vt ipsum solum per se delectet: atq;

tunc

tunc multum detractum est integritati mentis humanæ. Nam primò incipit homo, superatus aliquo affectu, inuitus quodãmodo trahi ad consensum peccati: quare etiã displicet, nec sine tristitia & anxietate aut committi, aut priùs cõmissum relinquit peccantem. Postea verò paulatim ipsa frequentatione fit, vt incipiat minus displicere, minus sentiri: & tandem conuersum in naturam, per seipsum delectat. Itaque sic peccantes similes sunt his, qui captiuitatem ipsam, aut infirmitatem, quasi naturale bonum cœperunt amare. Peccatur etiam ex certa malitia, præter consuetudinem & habitum (vt b. Tho. pręd. q. ait) ex vehemẽti aliqua tẽtatione, aut certè (vt ille inquit) ex nimia corruptione & procliui in vitium aliquod natura. Nec enim dubium est, ex libertate voluntatis in malum, fieri posse, vt ipsum à principio eligatur: quanquam hoc rariùs. Est enim naturale homini, paulatim & per incrementa quædã tendere in malum vel in bonũ. Cùm igitur audierit sacerdos consuetudinem peccandi, opus est vt de certa malitia aduertat diligenter: aut etiam vbi perceperit vehementem aliquam inclinationem in peccatum.

licet, ex cõsuetudine, et prauitate naturæ.

Ex his etiam intelligi potest quod attinet ad præsentem locum: quale sit augmentum: & quibus gradibus crescat affectus mali in nobis. Ex priori enim peccato sequitur secundũ: atque ita ex pluribus consuetudo & habitus: & hinc certa malitia. In qua sunt etiam gradus, quos possumus nunc tres numerare. Primus, de quo iam loquuti sumus, cùm ex inclinatione quadam & cõnaturalitate peccatur. Secũdus, hoc altior, cùm ad hoc peruenitur vt cõtemnatur lex ipsa, & ex contemptu eius peccetur: nõ ex alia videlicet passione, aut affectu, quã vt legi nõ sit subditus. Huc enim pertinet quod scriptũ est: Impius, cùm venerit in profundũ malorũ, cõtemnit: & hoc exponit b. Tho. esse peccare ex contẽptu: quod nõ est dubiũ esse ex certa malitia, & insigni quidẽ. Certiùs verò, supra hunc etiam, gradus est, cùm iã contradicitur ipsi spiritui sancto, & reijciuntur ac contemnãtur ea, per quæ retrahitur animus à peccato. Hoc enim speciali ratione docet b. Tho. meritò dici peccatum in spiritũ sanctũ: quod certè summũ est, & iustè irremissibile dicitur. Consistit enim in contemptu eorum, per quæ fit remissio. Itaque si quis nolit audire sacras conciones, aut legere sacram scripturam, ne ita à peccato retrahatur: non est dubium quin ex summa malitia peccet, & in spiritum sanctum. Nec desunt huius exempla in scriptura. Iob inquit de his qui dixerunt Deo: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Et Isaias de eis-

Incremẽta peccati.

Tres gradꝰ malitiæ.

Prouer. 18.

1.2.q.86. ar. 2.

eisdem dicit: Filij nolentes audire legem, qui dicunt videntibus, nolite videre, nolite nobis loqui quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, cessetsanctus Israel à facie nostra. Huius quidem peccati colligit b. Thom. sex species: quæ omnes in eo cõstitutæ sunt, vt ex intentione abijciatur id, per quod à peccato reuocamur. Hæc itaque est omnium maxima malitia. Sunt quoque alia peccati augmenta. Nonnunquam enim ex affectu peccati fit, vt incipiat displicere lex ipsa Dei, & fides: ita vt cuperemus eam non esse. His certè proxima est ipsa infidelitas: & ideo non minoris sunt periculi, nec minus fugienda, quam quæ iam diximus: in quæ nonnunquam ex illis labimur: ex consuetudine videlicet peccandi & contemptu in infidelitatem. Satis sit de his nunc monuisse sacerdotes, vt non negligenter hoc aduertant, sed considerent quàm altas radices peccatum egerit in corde, & quos protulerit fructus, vt inde intelligant, qualia sint adhibenda remedia.

1.2.q.14.

Peccatũ ex malitia est ceteris grauius.

Non est etiam circa peccatum ex malitia omittendum, quare hic modus peccandi grauior sit duobus prioribus. Quod beatus Thomas quæstione illa septuagesima octaua articulo vltimo diligenter explicat. Habet enim hoc peccatum maiorem rationem volũtarij: cùm nihil sit rationem ipsam impediens, atq; ita nec voluntatem à sequenda recta ratione retrahens. Deinde, quòd diuturnior sit hic affectus, & diutius adhæreat voluntati. Neque enim habet, per quod ab illo retrahatur. Passiones & affectus appetitus sensitiui citò transeunt: & cùm transierint, incipit displicere peccatum: vt homicidium commissum ex ira, & similia. Malitia verò illa voluntatis, maximè quæ ex habitu est, magis hæret. Denique, cùm in peccato ex certa malitia inordinatio sit tota in rationali appetitu: pessimè ille dispositus est ad finem: minus verò malè in peccatis ex passione, vel ignorantia. Certum igitur est, hoc esse multo grauius, & ideo maioribus egere remedijs.

1.2.

Hæc itaque sint dicta de tribus his radicibus præcipuis, & causis peccatorum: quas nosse, & circa quodque peccatum aduertisse, valde conducit. Non est tamen omittendum, quin de earum ad inuicem comparatione aliquid dicamus: vt inde melius, quomodo peccatis medendum sit, cognoscatur. Diuus Augustus. quidẽ (vt hoc priùs dicamus) quanquam obiter, & absque diligentioris inquisitionis præiudicio, has tres causas ad duas reduxit: Peccatur (inquiens) & Dei mandatum præteritur vel quia bonum latet & non cognoscitur, vel quia non delectat.

2. lib. de pec. mer. et remiss. cap. 17.

Itaque

Itaque cùm sint duæ præcipuæ causſæ actuum nostrorum, ratio & voluntas: defectus earum Aug. considerasse videtur: cùm tribuit rationi quidem ignorantiam, voluntati delectationem vel defectum eius: quia (inquit) non delectat: vel certè coniungit appetitum voluntati: ad vtrumque enim pertinet delectatio: ita vt meritò possimus dicere, peccatum omne vel à cognitione deficiente aut errante, vel à delectatione aliqua ortum habere. Immo reuera vtrumque esse in peccato, meritò dicendum est. Meritò igitur, qui consulere vult animabus, considerabit, vbi prius incipiat defectus & peccatum: an in ratione minus cogitante, an in affectu vel voluntate minus sequente rationem. De hoc igitur breuiter sequentia putamus annotanda esse. Primum hoc sit. Ordine generationis & temporis, principium peccatorum omnium in hominibus communiter, & secundum ea, quæ frequenter contingunt, est ex appetitus sensitiui inordinatione: quáquam fieri possit, vt aliter eueniat: sed hoc est rarum, & ideo ab arte alienum. Istud satis ostendit experientia & ratio, quæ ab illa sumitur. Viuimus enim omnes prius animali vita sine vllo rationis vsu (de quo illud: Viuebam aliquādo sine lege: Augustinus intelligit) & eo tempore, vt Paulus ipse inquit, peccatum in nobis mortuum est (quia videlicet non agnoscimus ipsum) & tamen sunt in nobis passiones illæ & affectus delectationum, & aliarum rerum ex natura ipsa sensibili, quales videmus in alijs animalibus: nondum tamen tam validi & fortes, propter virium & ætatis debilitatem: accedit tamen ex corruptione ipsa, quæ in nobis maior est, amplior etiam inordinatio in his motibus: vnde fit, vt verum sit illud: Sensus & cogitatio hominis prona sunt in malum ab adolescentia sua. Cùm itaque affectus isti nobis semper noti sint, ac congeniti semper nobiscum adoleuerint, & ratio longo post tempore (septimo videlicet, vt Aristot. putauit, anno: & reuera aliquando tardius, atque raro certè ante) incipiat paulatim & valde debiliter ac imperfectè ad considerationem honesti aperire oculos: fit, vt inter ipsa sua initia opprimatur, & à fortiori consuetudine corporalium affectuum trahatur in cōsensum, & obscuretur nimium: maximè si his accedat prava consuetudo eorum inter quos viuitur, si accedant inhonesta verba & exempla: ex quibus fit, vt meritò scriptum sit illud: Omnis caro corruperat viam suam: quod vtinam ipsa experientia non doceat nos. Ex his enim factum est, vt, quanquam in ceteris omnibus rebus, etiam animalibus, malum, & quod contra naturam cuiusque est, rarius inueniatur: in nostra tamen natura

Vnde principii peccati in nobis cōmuniter.

Roman. 7.

Gene. 8.

tura malum sit in pluribus, & plures contra naturam vitam instituant, quàm secundum illam: nimirum paucis transeuntibus à corporalibus delectationibus & bonis, inter quę ab infantia nutriti sunt, ad gustum spiritualium delectationum, & sensum huiusmodi bonorum. Itaq;, quod apertè intuemur, viuitur ab hominibus integræ rationis, quasi in infantia quadam & pueritia, à
3. Cor. 14. qua nos deterret Apostolus dicens: Nolite pueri esse sensibus, sed malitia paruuli estote. Cõtrà, videmus paruulos ætate & sensibus, sed malitia nõ paruulos: idque propter tantam corruptionem naturæ & consuetudinis humanæ. Inter quæ etiam, quod spiritualibus iudicibus valdè considerandum est, frequenter fit, vt quanquam ratio, & naturale illud lumen diuini vultus, quod signatum est super nos, satis indicent in primordijs illis rationis, mala, & ab eis deterreant: tamen praua cõsuetudine & propria, & eorũ inter quos viuitur, fit, vt multa nec reputentur quidem peccata, vel certè cum timore aliquo & conscientiæ dubio taceantur in salubri illo confessionis iudicio: maximè in inhonestatis peccatis, & prima illa verecunda ætate. Quare in his opus est prudentissima attentione, ne aut indicentur pueris, quę non nôrunt, mala: aut certè relinquatur illis virus aliquod absconditum in viscerum recessibus. Scripsit quædam ad hoc pertinentia Gerson in tract. de arte audiendi confessiones, & in alijs locis de puerorum disciplina. Itaque sufficiat hæc annotasse, in quibus exordia rationis nostræ, & peccatorum satis ostenduntur.

Apparet intiũ boni & mali magis à voluntate quàm ratione esse.

Secundum hìc annotãdum, est istud. Post hos affectus & passiones, quid prius corrumpatur, ratio ipsa & cognitio, an voluntas: non satis notum est: & fieri potest vt quandoq; vnum, quãdoque alterum prius corrumpatur: magis tamen probabile credimus, potius ex voluntatis corruptione & defectu prius peccata esse, quàm ex rationis corruptione: quod nouisse, etiam conducet ad adhibenda remedia. Vt enim ex superioribus patet, etsi necesse sit cognitionem præcedere, vt sequatur affectus: tamen nulla cognitio satis efficax est ad mouendum, nulla diu occupat animum, nisi adsit efficacia voluntatis. Putamus itaque iudicij illius peruersi, quod in ratione est cũ peccatur, radicem esse ex voluntatis defectu: quia aut iam cœpit sibi placere in malis, aut certè erga bona cœpit tepidior esse. Quare primum omniũ fontem malorum & bonorũ putamus esse voluntatem, quæ in scriptura sacra meritò cor dicitur, ex quo manat motus & influxus vitæ in membra: sic à voluntate: de qua verbum illud meritò intelli-

intelligemus: Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit. Si voluntati bene fuerit consultum, si illa sit sana: nulla cogitatio aut rationis defectus nocere poterit: quanquam reuera hæc duo coniunctissima sint. Quod cùm multis scripturæ auctoritatibus doceri possit, nō tamen opus est pluribus hoc agere: satis sit istud breuiter admonuisse hoc loco. De causis igitur peccatorum interioribus hæc dixisse sufficiat. *Prou. 4.*

Tribuuntur etiam exteriores caussæ peccato: de quibus superiùs nonnihil diximus inter caussas humanorū actuum. Sunt autem hæ caussæ, homo & Angelus malus: qui non aliter sunt caussę, quàm suggerendo & proponendo bonum aliquod, quod ratio sequatur: vel ad illud prosequendum persuadendo: quæ omnia exteriora sunt: quanquam (vt patet) etiam hæc moueant corpus ipsum & alterent: sicut in ira vel timore contingit. Vbi etiam diabolum posse nonnihil amplius, constat. Potest enim corpus ipsum alterare & maiores accendere passiones: voluntatem verò ne attingere quidem potest.

Inter has caussas externas peccati ponitur excæcatio & obduratio: quæ duo scriptura Deo tribuit. Ego indurabo cor Pharaonis, & excæcabo cor populi huius, & aures eius aggrauabo. Non quòd Deus sit caussa peccati (absit hoc) à quo nihil inordinatum: non quòd Deus aliquando moueat, multo minus cogat ad consensum peccati: vt hæretici stultissimè dicunt. Sed (vt b. Thom. proprio loco explicat) quandoque non dat homini gratiam, qua ratio illuminetur ad non consentiendum peccato, & emolliatur voluntas vel ad amandum bonum, vel ad odiendum peccatum. Hæc enim duo, rationis lumen, & voluntatis suauitas ac complacentia in bono, diuinæ gratiæ sunt opera: & quibus dantur, gratis ac misericorditer dantur: quare nulli debentur: quibus subtrahuntur, iustè subtrahuntur: vt verum sit illud: Cuius vult miseretur: & quem vult, indurat. Et rursum: Miserebor, cui misertus fuero: & misericordiam præstabo, cui voluero, aut in quem mihi placuerit. Et illud etiam: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Quæ ideo hic notanda sunt, vt agnoscamus cæcitatis & malitiæ nostræ caussas in nobis esse: sed remedia & medicinas ex gratia à Deo: atque ideo ab illo primò esse requirenda: à quo opus est vt incipiat sanitas omnis & medela: de qua lectione proxima dicemus.

De excæcatione & obduratione.

Exo. 7. & 9. Esaiæ 6. 1. 2.

Rom. 9. & Exod. 33. Ibidem.

LECTIO QVINTA.

De medijs, & ratione medendi animarum vulneribus in speciali.

De canonibus pœnitentialibus & publica pœnitentia.

DE causis itaque & origine peccatorum dictum est: iam de curatione dicendum. Circa quam, iuxta ea quæ superiùs, cùm de satisfactione & pœnitentia ageremus, dicta sunt, aduertendum est, quòd ecclesiæ antiquæ consuetudo fuit, vt cuilibet lethali peccato certa destinarentur tempora pœnitentiæ, ante quam peractam non concedebatur communio vel sacrificij, vel sumptionis Eucharistiæ, ei qui id genus peccati commisisset. Tempora verò hæc statuebantur ex Episcoporum iudicio & arbitrio. Et frequenter quidem in concilijs aut vniuersalibus, aut prouincialibus, cõmuni omnium iudicio hæc tempora præfiniebantur. Vnde orti sunt canones pœnitentiales in diuersis concilijs æditi: quorum plurimos colligit Rabanus in lib. quem vocat pœnitentiarum. Sunt etiam antiquorum de his nonnulli tractatus. Greg. Neocæsarienſis & Petrus Alexandrinus episcopi scripserunt canones, circa eos potissimum, qui fidem negârunt. Scribit etiam de his Nicephorus in fragmento quodam de facultate ligandi atque soluendi: vbi dicit, nulla ratione sacerdotem aliquem hac potestate bene fungi posse, qui vigorem canonum, & suam cuique peccato mulctam imponendam ignorauerit: particeps enim fiet peccati, quod sine illa censura canonica remiserit. Huius verò consuetudinis, & canonum pœnitentialium August. in Enchi. c. 65. hanc reddit causſam, vt ecclesiæ, quæ interiorem & veram cordis pœnitentiam non potest videre: illo testimonio perseuerantiæ in pœnitentia (inquit ille) satisfieret: apud quam (Ecclesiam scilicet) est potestas ligandi atque soluendi. Vbi aduertendum est, quòd, quanquam tempora illa pœnitentiæ multi putent ad peccata publica, quæ scandalo fuissent Ecclesiæ, referenda: pro illis enim (vt superiùs diximus) solemnes illæ pœnitentiæ indicebãtur ab Episcopis sub iudicio totius ecclesiæ: & certum est in illis seruata esse tempora illa: si tamen rigor ille & seueritas antiquæ ecclesiæ consideretur, videbimus etiam ob occulta nonnunquam peccata, quæ videlicet ad secretum iudicium sacerdotum referebãtur, iniun-

cta fuisse

cta fuisse tempora illa pœnitentiæ. Nam (vt superiùs ex Origene ostendimus, & nonnullis alijs antiquitatis testimonijs) quandoque occulta ipsa ad iudicium publicum ecclesię deferebantur ex concilio spiritualis iudicis. Sic enim parati erant, qui veram pœnitentiam agebant, nihil recusare: tanta etiam erat antiquæ illius ecclesiæ innocentia & charitas, vt vno pœnitente aut paucis, omnes compaterentur & condolerent: quare non recusabant publicè se ostendere peccatores, etiam illi, quorum peccata non fuerunt manifesta. Itaque illud certissimum est; tempora illa pœnitentiæ seruari nõ potuisse, nisi manifestum id esset ceteris. Nec enim participabant (vt diximus) Sacramentis intra illa tempora. Vnde certum etiam est, nõ semper pro peccatis, præcipuè occultis, imposita esse tanta pœnitentiæ tempora: sed in occultis hoc fiebat nõ sine multo cõsilio, iuxta qualitatem personarum: vt videlicet quod prodesse poterat saluti animæ pœnitentis, & aliorum ædificationi, fieret: non verò illa ratione ipsi, vel alijs fieret infamia, aut vituperium, aut scandalum. Hinc factum est, vt posterioribus temporibus tantus ille rigor remissus fuerit: & non dubitamus hoc magna ex parte factum esse iustis & necessarijs de caussis. Tunc enim, cùm inter infideles ecclesia agebat, præcipuè curabatur, ne vita fidelium scandalo esset infidelibus. Quare oportuit seueriſsimè puniri peccata, maximè quia tunc Ecclesia habebat disciplinam suam separatam omnino à sæcularium legum & iudicum punitione. Nunc verò, quãdo etiam ipsæ leges & principes ad Ecclesiam pertinent, quanquam sint alia iudicia, satis tamen putãdum est, si in sæcularibus iudicijs crimina puniantur (crimina, inquam, subditorũ) auctoritate & seueritate illarum legum. Hinc putamus factum esse (vt superiùs diximus) quòd solemnes illæ pœnitentiæ cessauerint, & tandem omnes canones pœnitentiales cõmissi sint arbitrio sacerdotum: in grauioribus quidem Episcoporum, in alijs etiam inferiorum sacerdotum. Sed in hoc negotio debet quilibet episcopus constituere, quæ oportuna saluti animarum: quod fieri solet in synodalibus constitutionibus: quas proculdubio oportet esse cognitas omnibus inferioribus sacerdotibus. Canones verò illos pœnitentiales antiquos non ita omnes tenentur scire: cùm iam illa tempora pœnitentiæ sint arbitraria: quanquam profuerit non parum illa saltem vidisse: vt antiqua illa ecclesiæ seueritas, si non omnino seruari, saltem cogitari possit, & secundum aliquam proportionem obseruari. Neque enim in illis temporibus pœnitentiæ cogitandum est, solùm curatum fuisse

vt perseuerantia illa esset testimonium verę pœnitentiæ coram ecclesia: quod quidem verum est, vt Augustinus dicit: verùm etiam vt illis longioribus temporibus mala cõsuetudo peccandi, si introducta esset, vt pronitas ad similia peccata, aut facilitas peccandi, & similia, quæ ex peccato relinquuntur, curarentur. Nec illius solùm, cui satisfactiones imponebantur, bono & saluti: sed totius etiam populi ædificationi voluit ecclesia consulere: vt hoc exemplo viderent omnes, quanti peccata fiant in ecclesia, & quàm dura sit pro illis suscipienda pœnitentia: atque ita ab eis deterreretur populus, & ad Dei timorem excitaretur. Apertè enim videmus, quantum horum obliteratio in Ecclesia detraxerit dignæ æstimationi peccatorum, & timori Dei: quapropter cuperent multi illa pœnitentiæ publicæ tempora restitui. Verùm plena illa ab omni consuetudine & reliquijs peccatorum liberatio pœnitentis præcipuè quærenda est: & ideo illi, hoc est, eius viribus & captui cõmensuranda sunt omnia. Quare, quod attinet ad restituendos canones illos pœnitentiales, nõ putamus facilè esse definiendum. In peccatis sanè publicis videretur conducibile fore ecclesię, si seruarentur: sed quando illa in exteriori iudicio, vel sæculari vel ecclesiastico, aliter puniuntur: videbitur non admodum necessarium: interim tamen non dubitamus populum magis ædificari satisfactionibus, quæ voluntariè suscipiuntur: ædificari (inquam) ad timorem Dei & pœnitentiam: quàm deterrentur à peccatis, pœnis quę infliguntur in iudicijs. Quare in Concilio grauissimo episcoporum, & doctorum virorum atque timentium Deum, esset hoc maturius consultandum. Nunc sufficere debet, admonuisse de necessitate huius sequestrationis pœnitentium à Sacramentorum participatione, modò satisfactionibus condignis interim præparentur: hæ enim sunt fructus digni pœnitentiæ, quos petit Dominus. Testantur etiam hoc ipsum verba canonum, in quibus frequenter dicitur, tempora illa suscipienda esse, vt sic postea purificatus à peccatis animus, dignè possit ad Sacramenta accedere. In qua ratione multa certè sunt comprehensa nobis imitanda, & huic, de quo nunc agimus, proposito conuenientia: de quibus mox plura: interim de temporibus pœnitentiæ, & canonibus pœnitentialibus sufficiat hæc annotasse.

De tribus operib⁹ satisfactorijs.

Nunc quod genus remediorum & medicinarum esse debeat, aut quibus potissimũ exercitijs vacârint, qui tempora illa pœnitentiæ suscipiant: est breuiter quoque ex superioribus indicandum. Collegerunt etiã posteriores, vt de satisfactione diximus,

tria sa-

tria satisfactoria opera: ieiunium videlicet, orationem, & eleemosynam: in quibus meritò omnia cõprehenduntur, quę pertinent ad medelam animarum. In ieiunio enim, quidquid ad castigationem corpoream & afflictionem carnis pertinet, intelligimus: vigilias scilicet, vestitus & dormitionis austeritatem ac duritiem, & quidquid ad hoc pertinet. In eleemosynis autem opera pietatis in proximum, siue spiritualia siue corporalia sint, intelliguntur: ministrare infirmis, laborare in exhortandis peccatoribus ad pœnitentiam, & in docendis ijs quę necessaria sunt ad salutem, & huiusmodi alia plurima. Denique in orationibus omnia spiritualia exercitia, meditationum, lectionum, & quidquid pertinet ad animum in Deum eleuandum, includimus. Itaque satis patet, nullum esse reliquum genus medicinæ spiritualis, quod in his non sit comprehensum. Et constat in antiqua Ecclesia sic pœnitentibus iniunctos esse singulis hebdomadibus dies aliquot ieiunij: & (vt Tertullianus inquit in libro de pœnitentia) etiam de qualitate cibi & somni, de cilitio & cinere, gemitibus & deiectione vultus præcipiebat disciplina illa pœnitentiæ. Hæc itaque proposita sint de antiqua illa ratione & cura, quę in Ecclesia adhibebatur vulneribus animarum sanãdis.

Ex his igitur colligamus primùm duo, non tam asserentes quidquam, quàm proponentes quod salubrius & consultius videtur. Primum: Antiquæ illi consuetudini Ecclesiæ valde esse conforme, & certè saluti animarum non parum conferre, vt nullus post peccatum mortale ad participationem Sacramenti altaris admittatur, nisi post aliquot dies pœnitentiæ & satisfactionis. Constat enim in antiqua Ecclesia impositum esse tempus illud ob vnum tantùm peccatum mortale: & illo tempore non solùm à communione sequestratos fuisse pœnitentes, sed etiam ab oblatione & cõmunibus orationibus, ferè sicut nunc sunt excommunicati, præterquam quòd ad doctrinam audiendam admittebantur. Videtur etiam absolutio ipsa eis negata. Non enim imponebantur eis manus ante completum tempus pœnitentiæ: cùm scilicet admittendi erant ad communionem: quamuis fortè impositio illa manuum magis ad externam absolutionem coram Ecclesia, quasi ab excommunicatione, referri posit, quàm ad absolutionem à peccatis coram Deo. Deinde, quàm est consentaneum rationi, vt, qui diuinam prouocauit iram, & peccando Dei contempsit gratiam, non statim se ingerat, sed in timore & verecundia expectet, & magis desiderio Christum sumat? Et quantam gratiam diuinam humi-

litas hæc conferet animæ? Et quàm hoc ad timenda & cauenda peccata oportunum? Quòd itaque vtile hoc sit, & plurimùm ad Deum placandum conducat: non potest in dubium verti: & etiam quòd conforme sit sensui antiquæ Ecclesiæ. Id tantùm in dubium verti potest. An præsentium temporũ moribus ita conueniat. Vbi primò fatemur, quòd pro peccato mortali solius fortè cogitationis aut voluntatis, maximè in his qui vitam in Dei timore ducunt, non semper necessariò hoc obseruare expedit, maximè vbi loci, temporis, & personæ circumstantiæ aliud poscunt: vt si pius sacerdos aut laicus, instante tempore quo similes consueuerunt aut celebrare, aut participes fieri altaris, occurrat aliquod peccatum: immo etiam si esset peccatum cõpleti operis præter scandalum aut certam malitiam: talem, qui alioqui vitam agit absque grauioribus peccatis, nõ putamus necessariò diutius arcendum esse à communione, aut differendam illi absolutionem, cùm veræ pœnitentiæ ostendit signa: tamen etiam his esse omnino hoc consulendum, vt vel ante sacram communionem, vel si circumstantiæ aliud exigant, post illam dies aliquot deflendo lapsui mortali, & agendæ pœnitentiæ pro illo, deputent, loco annorum quos Ecclesia antiqua taxabat. Nec dubitamus eum quem descripsimus, libenter hoc acceptaturũ: omnem scilicet qui in Dei timore & obedientia mandatorum eius absque frequentibus lethalibus culpis vitam agit. Alioqui, qui hoc aut non suscipit, aut graue putat, eo ipso ostendit quàm longè absit à vero timore Dei. Non est opus multis exemplis scripturæ hoc confirmare. Certè Dauid pro vno peccato, Lauabo (ait) per singulas noctes lectum meum &c. & peccatum meum coram me est semper. Item, Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: & similia multa dicit, etiam postquã audierat remissum esse
Numer. 12. sibi peccatũ. Maria soror Moysi pro murmure in fratrem, etiam à lepra curata, septẽ diebus manere iubetur extra castra, remissa iam culpa. Si pater eius (inquit scriptura) spuisset in faciem eius, nonne debuisset septem dierũ rubore perfundi? Quibus verbis quid aliud indicatur, quàm nõ facile, nec statim post peccatũ ad participationem sacramenti altaris accurrendũ esse? Et hæc quidem diximus de vno dumtaxat aut altero peccato mortali.

Alterũ verò, de his qui multis peccatis & frequentibus transgressionibus assueuerũt, vitam sine Dei timore in licentiosa libertate agentes, est diligentius annotandum. De his enim dicimus, multo esse certius, nulla ratione eos admittendos esse ad communionem, nisi transactis non paucis diebus pœnitentiæ.

Vbi

Vbi fatemur non paruam esse difficultatem, non propter rationem aliquam, sed propter consuetudinem, & summam certè incuriam curandi animarum salutem: qua factum est, vt vix sit inter sacerdotes, qui de hoc cogitet: & rarior inter pœnitentes, qui sibi patiatur hoc imponi. Videtur itaque aut desperandum esse de plurimis pœnitentium, aut condescendendum huic cõsuetudini. Vbi non possumus aliud respõdere, quàm in hac tanti momenti re ad antiquã Ecclesiam nobis esse confugiendum, & illius auctoritate resistendum facilitati horum temporum. Itaque hominem post integrum annum, ne dicam post multos etiam exactos in peccandi consuetudine, in obliuione mandatorum Dei, & sine aliquo eius timore: aut certè in quo, etsi Dei timor & cura seruandi diuina mandata fuerit ex parte: prævaluit tamen frequentia peccandi & consuetudo: mox post vix enarrata peccata, & leui susceptа satisfactione, ad altare permittere, non videmus qua ratione fieri possit: nisi fortè vera ostenderetur pœnitentia, & omitti non posset: & tunc, quod prius fieri non potuit, post cõmunionem impleretur: ita videlicet vt post frequentia peccata nullus sine condigno pœnitentiæ tempore facilè dimittatur. Primùm constat Ecclesiam totam quadragesimam cum magna austeritate ieiuniorum, orationum, & piorũ operum frequentia olim seruasse, vt ita accederent præparati ad mysteria redemptionis nostræ, & ad cõmunionem Sacramenti in Paschate, etiam illi, qui in Ecclesia sine grauioribus peccatis vixerant. Quàm ergo alienum est ab hac disciplina, omnibus his omissis, heri in peccatis, & hodie in altari esse? Ratio etiam ipsa, quare non immeritò ECCLESIA hoc agebat, manifesta est, & ex superioribus in hac materia satis patet. Quomodo enim verum propositum cauendi peccata illum habere credendum est, qui cõsueuit facilè labi, tamen neque cogitat, neq; oblata suscipit oportuna remedia? Hæc itaque de illo maximè vera sunt, qui multorum temporum experientia didicit, facilè se relapsum in peccata. Et quidem multis horum differre etiã ipsam absolutionem oportet. De quibus proxima lectione plura.

(.˙.)

LECTIO

LECTIO SEXTA.

De eadem re.

VIA diximus obseruanda esse tempora pœnitentiæ, iam quid in illis imponendum sit pœnitentibus, quid cum eis agendum est diligentius considerandũ. Idque iuxta illa quæ dicta sunt de peccatorum causis & origine.

Cõfessarius exploret confitentis dolorem.

Igitur primò omnium sacerdotis est, considerare pœnitudinem & dolorem cõfitentis, quantus & quàm verus sit. Et cùm apertè (quantum constare potest) viderit defectum, minus erit illi negotij. Quando autem aduertit non veram pœnitentiam, nec sensum peccati in confitente, omnibus modis laborare debet ad exhortandum ipsum ad veram pœnitentiam: nec alia ratione potest sine graui peccato absoluere. Ad hoc igitur agendum, is qui audiendis confessionibus vacat (maximè rudium) debet paratos habere sacræ scripturæ locos, quibus efficaciter ad verum Dei timorem & compunctionem peccatorum mouere possit peccatorem, iuxta captum illius. Et debet profectò spiritualis animarum medicus ex lectione scripturæ & patrum habere nõ pauca recondita in memoria, & piè meditata, quibus primò seipsum, deinde alios ad veram cõpunctionem & detestationem peccati moueat. Habet Chrysostomus non paucas homilias de pœnitentia, ex quibus multa in hunc vsum sumi possint. Methodus etiam cõfessionis, quam nos ante paucos menses curauimus imprimi, habet multas obseruatione certè dignas considerationes. Primò, cùm methodum tradit detestandi omne peccatum in generali, & deinde singula in speciali: in quo argumento putamus non minima commendatione dignum esse librum illũ. Diximus etiam nos nonnulla superiùs, cùm circa sacramentum pœnitentiæ de veritate & perfectione contritionis ageremus. Satis itaque sit, vt sciat spiritualis quilibet medicus hanc artem sibi & cognitam esse debere, & ante omnia ad manum esse habendam. Sed his proximum est, vt satis agnoscenti animæ suæ infirmitatem, medicinæ adhibeantur contra recidiuum: idque secundum qualitatem pœnitentis, & pericula occurrentia. Primò certum est, relinquendum esse statum peccati, & personam omnem cuius commercium sine peccato, vel scandalo, aut animæ periculo nõ est. Deinde societatem ipsam & amicitiam, siue aliorum consuetudinem,

De remedijs adhibẽdis cõtra peccata futura.

tudinem, qua constat experientia ad peccandum induci hominem. Denique occasiones, colloquia, congressus, & reliqua omnia, quæ meritò is qui salutis suæ curam gerit, timere potest & debet: quæ omnia reuera pertinent ad declinandum à malo. At verò ne scopis tantùm mundata & ornata sit cõscientia, sed vacans: & ne solùm declinetur à malo, verùm fiat etiam bonum: addenda sunt pia & Christiana studia ac exercitia, quibus animus verè ad pietatem excitetur, & proficiat atque confirmetur in ea. Habet etiam prædicta methodus & vniuersorum peccatorum in genere, & singulorum in specie non pauca, nec leui consideratione digna remedia, quæ etiam cupimus perspecta esse spiritualibus medicis, sicut etiam antiquiores illi, Caesianus in collatione de octo capitalibus vitijs & remedijs eorum, & Grego. in omnibus suis moralibus, multa de his docẽt: summa quoque illa virtutum & vitiorum ad hanc rem non est parum vtilis, his præcipuè, qui res potius quàm verba, & timorem Dei quàm eloquentiam quærunt. Sed quibus aut Gregor. aut Caesianus, aut alij maiores libri non sunt ad manum, aut nõ sunt ad captum illorum scripti, cupimus librum illum commendatum esse. Sed iam circa hæc duo, compunctionem videlicet excitandam, & adhibenda remedia, in speciali pauca tradamus.

Ignorantes instruendi sunt de peccatis.

Primò igitur illud est apertius & reuera minus operosum, vt, cùm ex plena ignorantia, iuris scilicet humani vel diuini (eorum, inquam, quæ concernunt salutem animæ & statum cuiusque) peccatum est: adhibeatur vera doctrina: ita vt, omissa anxia inquisitione, an excusauerit illa ignorantia, an non (rarò enim in his excusat) immo cùm nõnulla etiam excusatio locũ habere videtur, satius est se coram Deo agnoscere reũ ignorantiæ eorum quæ ad se pertinebant: omisso inquam hoc, doceatur peccator à spirituali iudice, quid circa statum suum, artem, aut conditionem, aut ingenium, aut denique opera quibus occupatur, sit legi Dei contrarium, & quid licitum: ita vt certa certò noscat, & dubia etiam vt dubia saltem & minus tuta agnoscat & vitet: nonnunquam etiam ad doctiores remitti potest pœnitens, aut cum eius consensu, quando opus est, ad illos recurrat spiritualis iudex. Quare duo sunt ex vtriusque parte cauenda nimium indigna hoc iudicio. Primum, ne confessarius nimium suo sensui ac iudicio innitatur & inhæreat, & ne sensus eius à communi sit alienus: pœnitenti verò vitanda est importuna illa inquisitio & curiositas, qua quidam nunquam sibi satisfieri sinunt in vnam aut in alteram partem.

Omnia

Omnia itaque hoc loco cum Dei timore agenda sunt: nec tam argutijs & nouis adinuentionibus, quàm planæ, graui, atq; certæ doctrinæ inhærendum. Reuera nimis molestum est, cùm tuta & certa pœnitentes sequi recusant, cùm ad doctiores appellãt, maximè vbi agitur de iactura tantùm rei temporalis, vel voluntatis & desiderij proprij, aut certè quæruntur difficultates & pericula, & timent vbi non est timendum. De quibus quanquam sint diuersæ doctorum sententiæ, ad quid teneatur proprius parochus, vel is qui non est proprius pastor, ante vel post audita peccata, cùm pœnitens alterius & non confessoris sententiam sequi vult, quid etiam in diuersitate opinionum fieri debeat: nos tamẽ putamus pœnitentem hæc nimium curantem, minus curare salutem suam & minus de ea solicitum esse: atq; ideo meritò spiritualis iudex hunc admonitũ potest tanquam minus dispositum dimittere, iuxta illud: Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam. Et ipse meritò timere debet illud quod suprà diximus: In iniquitate interrogantis erit iniquitas respondentis &c. Hæc itaque de perfecta & plena illa ignorantia.

De curãda rerũ spiritualiũ obliuione & incogitantia.

Est porrò altera, quam in omni peccato esse diximus, quæ potius incõsideratio & inaduertentia est, aut minor attentio spiritualium rerum. Hanc efficiunt nonnunquam passiones, cùm vim rationis hebetant ac turbant: & peccata consummata eam augent. Hanc putamus valde attendendam esse spirituali medico, & ei curandæ esse adhibenda remedia. Est hæc ferè in omnibus maxima omnium peccatorum causa, hebetudo scilicet sensus, æternarum rerum obliuio, qua fit, vt aut non considerentur, aut tam parum attentè, & tam inefficaciter ac negligenter, vt quasi somniare dicas hominem: atque hinc est, vt non moueant animum, neque excitent aut desiderium, aut timorem: ideoque etiam si proponantur à confessore, non excitant compunctionem. Huiusmodi hominum sunt multi gradus. Alij enim omnino ita stupidi sunt & inepti, vt nec sentiant. Nec desunt qui putent multos excusari ob naturalem ruditatem intellectus, aut defectum exercitij: vt rudes illi & agrestes homines inter bestias vitam agentes, qui nec legere, nec cogitare quidquam nouerũt plus quàm iumenta ipsa: quod sanè in baptizatis, & spiritus sancti donis illustratis nequaquam putamus sine graui eorum culpa & immunditia animæ inueniri posse. Ponam (inquit Isaias) vniuersos filios tuos doctos à Deo: de Christianis omnibus loquens. Et Ioannes: Vnctio eius docet vos de omnibus. Vnde, iuxta scripturam, b. Tho. optimè colligit, iustos omnes & dono

Isaiæ 54.

1. Ioan. 2.

dono intellectus illustrari, quo penetrare possint diuina, & scientia sapientiæ atque cõsilij, quibus instinctu quodam spiritussancti, & quasi propensione quadam naturali, & similitudine atque coniunctione animæ cum spiritualibus, rectè de his sentire & iudicare possint. Propterea putamus ab huius morbi curatione spiritualem medicum oportere incipere. Curatio verò eius consistit in lectione, in auditu mysteriorum fidei, in attenta eorum cogitatione, in humili ad Deũ oratione pro illuminatione cordis. De his igitur non pauca præscribenda sunt his qui spiritualiter sanari cupiunt: & eo magis, quo minus reperti fuerint rerum fidei ignari.

De curãdis affectibus.

Quando etiam ex infirmitate vel malitia peccatum est, considerandum quanta sit hæc ignorantia, & illi primò omnium medendum: quanquam habeant hæ peculiares suas medicinas. Passiones enim & delectationes carnis curãtur afflictionibus contrarijs: Castigo corpus meum, ait Paulus. Aliarum rerũ affectus habent alia remedia: de quibus in methodo, & summa vitiorum ac virtutum: sed certè aut potissima, aut prima remedia sumuntur ex consideratione rationis circa spiritualia, præcipuè æterna bona aut mala. Ita enim docuimus passiones mitigari ratione, quod est, consideratione attenta. Malitia autem illa voluntatis vel parua vel magna, qua peccata placent nonnunquam propter se, cùm non aliud sit quàm interioris gustus corruptio, propriè curatur contrarijs: & quibus, nisi considerationibus? Gustate & videte, quoniam suauis est dominus. Ergo amaris considerationibus, timoris scilicet, humor ille quo peccata sapiunt, purgabitur: dulcioribus verò reficietur animus. Itaque si bene consideremus, plurima remedia posita sunt in consideratione & attentione animi circa diuina: & certè sine illa pauca putamus inueniri posse efficacia. Videãt itaque spirituales medici quid agant, cùm externa quædam & quasi corporalia exercitia tantùm iniungunt, etiam si præcipiant orationes vocales: & nihil de interna consideratione, vbi vera pietas est, aut docent, aut admonent, aut imponunt infirmis. De his enim meritò illud Pauli intelligitur. Exerce teipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia. Ex his igitur omnibus colligentes, sic putamus spirituali medico agendum esse, siue vt ad veram pœnitentiam hortetur, siue contra futura peccata adhibeat remedia. Primò exhortabitur ad timorẽ Dei, adhibitis considerationibus diuinæ iustitiæ & seueritatis contra peccata in angelis, in primis parentibus, in diluuio, & ciuita-

De curãda malitia voluntatis.

Instructio eorum qui confessiones audiũt.

tum

tum immundarum ſubuerſione, in tanta ſtrage filiorum Iſrael propter peccata, in deſerto: & maximè ex conſideratione diuini iudicij & damnationis æternæ, & multitudine pereuntium, cuius ſunt tot teſtimonia ſcripturæ: & denique (quod ſupremum omnium eſt) ex ipſa proprij filij paſsione & morte, in quibus propter ſcelus populi ſui percuſsit eum: vbi ſimul eſt & ſummæ iuſtitiæ, & ſummæ miſericordiæ exemplum, quo & excitatur timor, & temperatur. Secundò, quoniam opus eſt vt timor iſte altas radices agat in corde, & totum poſsideat hominem: præſcribet confeſſor vacationem quandam & ceſſationem ab his quæ animum auertunt: ſtatuet dies aliquot hebdomadæ, & loca ad quæ confugiat, & quibus ſolitarius ſedeat ab omni tumultu ſemotus corpore & animo: tunc ſuppeditabit conſiderationes, quibus exerceatur his diebus: aut minus exercitatis oſtendet quod legant, aut quod audiant, & ad quorum colloquia ac collationes accedant: ita denique, vt cuique præcipiat id genus conſiderationis & eum modum, quo putabit eum ædificandum & fructum cõſecuturum: cetera quoque exercitia magis excitent ad hæc, quàm abſtrahant. Vt ſi iubeat conciones audire aut alia diuina officia, vt in eis quietius cogitentur diuina. Denique ipſa ieiunia & miſericordię opera ad hoc ipſum ordinentur, vt mens facilius & capiat & cogitet diuina, ad quod excitetur per illa. Et quanquam debeat etiam de his præſcribere, quantum ad ſubijciendam ſpiritui & domandam carnem ac comprimendas eius nimias vires, viderit eſſe neceſſariũ pro qualitate perſonæ & peccatorum, in quæ agnoſcit eũ eſſe lapſum: & adhibere etiam contra hæc, quę ad ocium fugiendum pertinent: putamus tamen in his obſeruandum, ne quædam arida & ſine deuotione mentisq; exercitijs ieiunia imponantur. Hic cogitandum illud Pauli: corporalis exercitatio ad modicũ vtilis eſt, pietas ad omnia. Tertiò denique, non poſtremo loco, ſed in principio horum omnium, & inter ipſa ac in medio eſt pœnitenti ſedulò orandum pro illuminatione mentis, pro vera pœnitentia & conuerſione: vt docuimus in tractatu de pœnitentia. Nã hæc omnia ad orationem pertinent: vacatio ſcilicet à temporalibus & curis atq; negocijs ſæculi, conſideratio ſpiritualium rerum atque myſteriorum fidei, & ſupplex petitio pro cõſequenda Dei gratia: in quibus coaptandis & moderandis captui pœnitentium, magna eſt conſtituta pars huius ſpiritualis artis medendi animabus.

Hæc itaq; rudibus & minus exercitatis rudius quidẽ & paulatim perſuadenda & explicãda ſunt: ad quod maximè, quod in

lege

lege veteri scriptum est, conducet. Nam si temporalia illa beneficia & præcepta adeo cogitare præcipiebantur & memoria tenere, vt scriptum sit: Meditaberis sedens in domo tua, ambulãs in itinere, dormiens & consurgens: & multa in hanc sententiam: quanto magis fidei Christianæ mysteria nulla ratione sunt obliuioni tradenda? Nam horum obliuio omnia secum adfert mala & incommoda, facitque ex Christiano carnalem hominem & amicum huius mundi, ac omnino à spiritualibus alienum, & (quod omnium pessimum est) inter hæc mala securum, & nihili facientem quæ ad salutem animæ pertinent, quo statu nihil periculosius cogitari potest. Deut. 6.

Ita igitur hæc agenda sunt, vt his qui assueti sunt peccatis & ab his alieni, priusquam absoluantur, maximè cùm non satis dispositi apparent, imponantur paulatim, ita vt non per vnam tantùm, sed plures etiam hebdomadas his teneantur exercitijs. His verò qui omnino ab his alieni sunt, vel minus assueti peccatis, minora atque breuiora: ita demum, vt & isti & illi, & denique omnes ex hac spiritualis medicinæ officina habeant, vnde quotidie proficiant, & cautiores magisque armati cõtra peccata recedant: quod spiritualis etiam medicus assidua oratione, & in se & in alijs conabitur efficere, vt dignè fungi possit suo officio.

Det Christus Dominus omnibus spiritum suum, quo hæc omnia facillima efficiuntur, & sine quo difficillima ac impossibilia sunt. De quibus non sine timore hęc tam pauca diximus, cùm in vtramq; partem videamus illa imperfecta esse. Nam spiritualibus & feruentibus non sufficient: tepidis verò nimia videbuntur. Sed nobis satis est vtcunq; hæc subindicasse, magisterio spiritus sancti cetera relinquimus.

(.·.·.)

DE

DE VITA SACERDOTVM.

LECTIO PRIMA.



ULTIMO iam dicendum est, iuxta ea quæ in principio huius tractatus præmisimus, de vita sacerdotali: idque iuxta ea quæ illo loco distinximus. Duo itaque in sacerdotibus cõsiderantur. Primò ordo ipse, propter quem non est dubium ipsos ad non pauca obligari: deinde cura animarum, quæ non semper ordini coniuncta est: propter quam etiam cõstat ad quædam eos astringi, qui illam suscipiunt. Iuxta hæc igitur primò dicendum, ad quid ex ordine sacerdotij, vel quocunque alio sacro teneantur, qui illum susceperunt: primò ex iure ipso diuino, deinde ex speciali voto, vel ecclesiæ ordinatione atque humano iure: demum & circa curam animarum eadem sunt dicenda: ad quid videlicet propter illam astringantur diuino vel humano iure.

Capita eorũ quæ deinceps explicanda sunt.

Dicturi igitur de sanctitate, ad quam sacri ordines omnes quidem, sed maximè sacerdotalis, astringunt: illud primò omnium præmittendum est: quòd, sicut sacerdotes sub episcopis esse diximus, & sub illis Diaconos: ita omnes hos ministros Ecclesiæ supra ceteros omnes gradus: non tantùm videlicet populum ipsum, sed etiam monachos, constitutos esse: ideoque ad maiorem sanctitatem, quàm ceteros omnes astrictos esse, certò tenendũ est: idque quasi fundamentum collocandum in hac doctrina, & certè in cordibus eorũ quos instituimus. Primò enim omnium (vt suprà diximus) agnoscendus est proprius locus & gradus, vt deinde seruari possit & custodiri. Quòd igitur sacri omnes ordines in altiori constituant loco, atque ita ad maiorem obligent sanctitatem, quàm ipsa etiam professio monastica excepto ordine, ostendit primò Dionysius 6. cap. Eccleiast. hierarch: ibi enim, sicut tres actus hierarchicos, hoc est, sacræ & ecclesiasticæ potestatis, purgare scilicet, illuminare, & perficere, obseruat: ita illos tribus distribuit ordinibus. Primùm ministris, secũdum sacerdo-

Gradus sacerdotis sublimior est monachatu.

sacerdotibus, tertium episcopis. Sub quibus rursus tres etiam ordines ponit quasi susceptiuos illarum operationum: purgandorum scilicet infidelium & extraneorũ: illuminandorum, vbi collocat primùm populum: denique perficiendorum, quos dicit monachos. Hunc itaq; sublimiorem ordinem constituit inter susceptiuos actionum ecclesiasticarum: sed infra illos qui operantur. Vnde ait: Initiandorum omnium sublimior est monachorum ordo. At verò eos in dedicatione neutrum genu ponere dicit, nec euangelia capiti imposita habere: quòd eorum non sit alios ex officio adducere. Itaque etsi non faciat eos assecias diaconorum & presbyterorum, sed pontificum duntaxat, quibus debent proximi esse: dum tamen inter initiandos collocat, satis ostẽdit inferiores esse ministris omnibus. Hoc ipsum etiam, quanquã longo post tempore, Rabanus lib. 1. de institutione clericorum docuit, cùm inter tres ordines ecclesiæ primũ laicorum, secundum monachorũm, tertium clericorum omniũ ponit. Vbi posset fortè videri alicui, etiam inferiores ordines monachatu digniores esse: sed quia in illis non est perpetua obligatio ad tractanda ministeria ecclesiastica, meritò de illis non agimus. Sacros verò omnes non dubitandum est maiorem sanctimoniam requirere. Quod eò dicimus, vt incipiant sacerdotes & ministri ecclesię cogitare, ad quantam sanctitatem sint astricti, nec facilè sibi blandiantur de habitu aut conuersatione sæculari, multò minus de consuetudine aliqua aut vulgi æstimatione. Aduertant se per sacros ordines constitutos esse ministros Christi, & dispensatores gratiæ, atque ita quædã instrumenta ipsius: vnde fit, vt iniuriam magnam irrogent ipsi, & ministeria eius prophanent ac conculcent, non solùm cùm ea sordidis animis contrectant (quod superiùs diximus esse mortale sacrilegium) sed etiam cùm viuunt indignè Christo, cui consecrati sunt & dedicati. Hinc b. Thomas hoc ipsum tractans 2. 2. q. 184. ar. 8. graiius (inquit) peccat clericus in sacris cõstitutus, & agens aliquid cõtrarium sanctitati, quàm monachus. Certè, si rectè hoc pensetur, omne eorum peccatum mortale sacrilegium meritò iudicari potest. Est enim prophanatio sacri illius instrumenti Christi, & sanè vsus illius omnino cõtrarius est illi, ad quod cõsecratũ est: quod non ita æquè & vniuersaliter de monacho dici potest. Si dignè pensetur, quantum sit esse ministrum Christi, & vas ad omne opus bonũ paratum: apparebit quãto maioris sanctitatis sit hic gradus, quàm quiuis alius in ecclesia. Hoc igitur in communi sit dictum: nunc ad specialia.

Cap. 2.

Peccata sacerdotum sunt grauia rapeccatis monachorum.

Igitur primò omnium, quales ministri ecclesiæ esse debeant, Paulus docet, cùm & Timotheo & Tito præscribit rationem ordinandi illos in Ecclesia: Timotheo itaque sic scribit: Oportet episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum &c. Et: Diaconos similiter (inquit) pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes &c. Et rursum ad Titum de episcopis eadem ferè repetit. Oportet enim (inquit) episcopum esse sine crimine, tanquam Dei dispensatorem &c. quæ apud illum leguntur. Vbi de episcopis & diaconibus loquens, manifestè sacros omnes gradus instruit. Hæc itaque loca Pauli sunt primò ante oculos habenda: & certè omnia ferè, quæ in illis epistolis ad discipulos scribit. Instruunt enim illæ propriè omnes ministros ecclesiæ, & ostendunt ad quid natura ipsa sacrorum ordinum & ius diuinum eos astringat: ex quibus multa deinde exponentes & explicantes addiderunt patres: & inter cetera illorum scripta, pastoralis ille liber Gregorij meritò commendandus est: Epistola etiam Hieronymi ad Nepotianum, de vita clericorum, est meritò habenda ante oculos: Multa etiam in antiquis concilijs tradita sunt: ex quibus nõ pauca collegit Gratianus à dist. 40. vsque ad 50. omnia in horum locorum Pauli expositionem. Multis etiam præcedentibus distinctionibus ex cõcilijs & patribus non pauca collegit. Et inter reliquas dist. 23. habet pulchrum locum Isidori de vita cleri. Ex ijsdem etiam postea partim collecta, partim statuta sunt, quę titulo de vita & honestate clericorum, in iure canonico habentur. Vbi si positiua aliqua inueniuntur statuta, nõ aliud sunt, quàm explicatio quædam, aut determinatio eorum quæ diuini sunt iuris.

1. Tim. 3.

Tit. 1.

e. His igitur.

Vt igitur ad specialia accedamus, vniuersa illa quæ ad mores, vitam, atque actiones ministrorum ecclesiæ vel diuino, vel humano iure pertinent, ad tria capita reduci possunt. Primũ, quod pertinet ad pietatem & religionem, quibus immediatè Deus colitur, & ipsi mens humana coniungitur: quod meritò peculiariter ministris Dei tribuendum est: vt videlicet insigniter & eminenter religiosi sint & cultores Dei, ipsiúque magis vniantur. Ad hoc pertinent exercitia omnia, sacræ lectiones, meditationes, & orationes: quibus quàm frequenter Paulus dicit exercendos esse ministros Christi? Quamobrem etiam ab alijs omnibus iubet eos abstinere: Nemo (inquit) militans Deo implicat se negotijs sæcularibus: ostendens continuò, quis debeat esse sco-

De pietate & religione ministrorũ Christi.

se scopus totius vitæ ministrorum, cùm dicit: Vt ei placeat, cui se probauit. Hoc igitur sit primum caput. Secundũ caput est eorum quæ pertinent ad temperantiam, quę maximè in abstinentia cibi & potus, & in castitate sita est: quæ sunt maxima & precipua ornamenta ministrorum Christi: Sobrium (inquit Paulus) pudicum, non vinolentũ. Pertinent etiam huc, quæ ad modestiam, & mortificationem affectuum omnium ac sensuum spectant. Vnde ait: Modestum, non bilinguem, non litigiosum. Et Paulus frequentissimè ad ista omnia hortatur, etiam exemplo suo: Castigo (inquit) corpus meum, & in seruitutem redigo. Quæ omnia propinqua sunt religioni & pietati, maximeque ad illam disponunt. Tertium denique caput sit eorum, quę pertinent ad moderationem appetitus habendi, contra auaritiam scilicet & cupiditatem: vbi liberalitas comprehenditur & eleemosyna. De quibus inquit Paulus: Non cupidum: Et rursum: Non turpis lucri cupidum, hospitalem, benignum, iustum, &c. Hæc enim moderatio quantum euangelica doctrina commendetur, & quàm sit necessaria ministris Christi: innumeris locis ostenditur. Ipse dominus dicit: Nolite portare aurum neq; argentum &c. Quod Paulus exponens, ait, maximè ministris: Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus: & cetera quæ ad hanc confirmandam sententiam grauissimè ibi dicit. Est (inquit) quæstus magnus, pietas cum sufficientia: & multa alia. De his itaque tribus capitibus dicendum est ordine, vt ita ab hoc vltimo incipientes, ad duo priora progrediamur.

De temperãtia, constantia & modestia ministrorũ ecclesiæ.

De vitãda auaritia et moderãda cupiditate.

Math. 10. 1. Timot. 6.

LECTIO SECVNDA.

De *moderato appetitu habendi.*

INTER illa igitur, quæ ad vitam & mores sacerdotum ac ministrorum omnium Ecclesiæ pertinent, meritò primum est, quod ad auaritiam reprimendam traditur. Vnde & Hieronymus in Epistola illa vitam clericorũ instituens, hinc incepit: & ex nomine ipso clerici ratione sumpta: Nominis (inquit) sui definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Et mox nomen clerici à sorte dictum significans, quia vel ipsi de sorte

Domini sunt,vel Dominus pars eorum : adeo vrget hoc argumentum , vt ferè videatur illis tanquam necessariam imponere paupertatem,& rerum omnium renunciationem: Qui dominũ (inquit) possidet, nihil extra Dominum habere potest:quod si quippiam habuerit præter Dominum,pars eius non erit Dominus.Et rursum: Si autem ego pars Domini sum,& altaris oblatione sustentor, habens alimentum & vestitum : his contentus ero, & nudus nudam crucem sequar.Et mox: Obsecro te (inquit)ne officium clericatus genus antiquæ militiæ putes,id est, ne lucra sæculi in Christi quæras militia.Ex quibus satis ostenditur,quòd Hieronymus si non paupertatem tanquam necessariam docet, tamen lucra & diuitias ex militia Christi quærere, omnino dãnat.Nonnulli(inquit)sunt ditiores monachi, quàm fuerunt ante sæculares,& clerici , qui possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallaci diabolo non possederant.Multa sunt in illa Epist Hieron.de hac re,& frequentiùs in hoc argumento versatur.Clericum(inquit)negociatorem,& ex inope diuitem,quasi quandam pestem fuge.Deinde:Gloria Episcopi est,pauperum opibus prouidere:ignominia sacerdotum,proprijs studere diuitijs.Et ibidem contra pompam vestiũ ac ædificiorum splendorem,etiam in ipsis templis,ita loquitur, vt hæc cum ceteris,quæ in lege veteri permissa erant,proijciẽda dicat.Hæc itaque Hieron. De qua re vt nos ordine aliquid dicamus,& totam hanc materiam , post illa quæ superiùs, cùm de sacramento ordinis ageremus,circa simoniam dicta sunt , à principio totam repetentes, videamus quomodo circa hanc rẽ primùm Christus & Apostoli,deinde primitiua ecclesia & eorum discipuli se gesserint: tum , quid deinceps sequentibus temporibus actum & statutum sit in cõcilijs: vt denique ex his quasi ex veris fundamentis , quid nunc sentiendum sit, intueri possimus.

Illud certò cõstat,Christum & operibus , & verbis adeo omnem auaritiam & immoderatum appetitum habendi impugnasse,vt ipse extremam paupertatem (quæ videlicet necessaria ipsa parcissimè sumit , & cetera omnia & affectu & effectu contemnit & relinquit) amplexus sit , & his, qui magisterio ipsius adhærere vellent , eandem suaserit. Ita enim respicienti com-
Matth.8. modum,atque ideo volenti ipsum sequi,respondit: Vulpes foueas habent &c. & filius hominis non habet vbi caput suum re-
Matth.19. clinet.Et alteri diuiti adolescenti:Vade(inquit)& vende omnia quæ habes,& da pauperibus,& veni,sequere me.Sic tandem Petrus

trus etiam pro omnibus Apostolis respondit: Ecce nos reliquimus omnia &c. Quod responsum (vt alibi diximus) iuxta patrum & Ecclesiæ sensum apertè ostendit, non tantùm quarundam rerum, & earum quæ possidebant ad tempus dumtaxat desertionem, sed perpetuam abrenunciationem rerum temporalium certissimo proposito firmatam. Mittamus nunc quę deinde Apostolis inquit Christus, euntibus ad prædicandum: Nolite portare aurum &c. & quòd quidquam accipere prohibuerit pro spiritualibus ministerijs: de quibus superiùs, cùm de simonia ageremus, sumus loquuti. Satis sit ex his habere, quale circa hoc fuerit Christi & Apostolorum institutum: quibus satis etiam ostenditur, quòd hæc præsagiebant, quàm esset auaritia & cupiditas habendi futura damnosa ecclesiæ & inimica Christo.

Christiani et præcipuè clerici in prima & antiqua ecclesia in communi vixerunt. Actorũ 4.

Hoc institutum Apostolorum constat imitatos fuisse fideles omnes primùm conuersos ad Christum, & totam Ecclesiam illam Ierosolymitanam sub Apostolorum disciplina: Quotquot (inquit Lucas) erant possessores agrorum, vendentes adferebãt precia eorum, & ponebant ante pedes Apostolorum, nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat. Omittamus nunc specialem rationem Ierosolymitanæ illius ecclesiæ: quare scilicet à spiritu sancto hoc illi persuasum fuerit propter imminentem desolationem à Romanis: constat hoc etiam in ceteris ecclesijs gentium vel omnino, vel magna ex parte esse seruatum: offerentibus videlicet magna liberalitate christianis bona sua ecclesijs, & ministris atque supremis dispensatoribus earum, in communes vsus ista dispensantibus. Ex quo (vt minimum) constat certò, à ministris ecclesiæ hanc communitatem longo tempore seruatam fuisse. Est in epist. 5. Clemen. certum testimonium huius: Communis (inquit) vita omnibus necessaria est: maximè his qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumque discipulorum imitari volunt. Et multò apertius Vrbanus ille d. Ceciliæ Magister, decimus quintus (vt puto) à Petro, hoc ostendit in Epistola de hac re scripta ad omnes Episcopos: in qua etiam successum & originem opum ac diuitiarum Ecclesiæ manifestat, & qualem earum deceat esse vsum. Principio igitur ita inquit: Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter Christianos viguit, & adhuc gratia Dei viget, & maximè inter eos, qui ad sortem domini sunt electi, id est, clericos. Vbi, citatis multis ex illo 4. cap. de venditione possessionum agrorum, dicit, quòd,

videntes deinde pontifices & reliqui fideles, maiorem vtilitatẽ futuram ecclesiæ, si agros & possessiones quas ante vendebant, traderent ecclesijs quibus præsidebant Episcopi, eo quòd hac ratione & præsentibus & futuris prouideretur communem vitam agentibus: cæperunt agros tradere matricibus ecclesijs, & ex eorum sumptibus viuere: quorum omnium dispensatores (ait) debent esse Episcopi, & in ditione sua tenere: ex quibus debent omnibus communem vitam degere volentibus, cuncta necessaria ministrare prout melius poterint: vt nemo in eis egens inueniatur: nec debent (inquit) in alios vsus conuerti, quàm ecclesiasticos, & prædictorum fratrum, vel indigentium: quia vota sunt fidelium, & precia peccatorum, ac patrimonia pauperum, domino ad prædictum opus explendum tradita. Et constat deinceps ex tota historia antiquitatis, etiam antequam decimæ alicubi exigerentur aut soluerentur, Ecclesias fuisse diuites ex oblationibus fidelium, & has diuitias in communi positas, tanquam loculos Christi dispensatas fuisse ab episcopis. Testatur hoc Chrysostomus, vt de ecclesia græca aliquid dicamus, homilia 67. in Matthæum: qui locus, quoniã & hoc quod agimus apertissimè docet, & exemplum pulcherrimum ostendit dispensandorum bonorum Ecclesiæ, & certè liberalitatem, quam à cunctis Christianis sancti pontifices exigebant: notandus est. Vt inhumanitatem (inquit) eorum videas (loquitur verò de diuitibus, qui quotidie permittebant pauperes famescere) vnius diuitis, nec valde locupletis, hæc Ecclesia fructus colligens, cogita tecum quot viduis, quot virginibus quotidie succurrit. Vbi numerum earum dicit in catalogo descriptũ, ad tria milia peruenisse. Et præterea (inquit) auxiliatur multis laborantibus in hospitali, aduenis, leprosis, & his qui quotidie ad petendum accedunt, & omnibus ministris Ecclesiæ. Hoc itaque longo tempore obseruatum est. Collegit etiam multa de hoc vsu & tempore Gratianus 12. q. 1. in priore eius parte: in qua testimonia attulit prohibentium proprietatem clericis. Et cùm in ecclesia perseuerabat prior illa simplicitas & ardor fidei, felicissimè magna ex parte hac ratione viuebatur: quanquam non defuerint etiam tunc reprehensibiles dispensatores, etiam Cypriani tempore, vt apparet ex epistola, quam August. cõtra Donatistas quoque citat, in qua ille negociationibus & lucris intentos episcopos arguit. Quorum etiam occasione, vt constat, in antiquis concilijs multa constituta sunt ad reprimendam auaritiam, & conseruandam fidelem dispensationem bonorũ eccle-

siæ,

fiæ. Atque tũc etiam exortus est error ille manichæus maximè, & aliorum quoque hæreticorum damnantium omnes habentes proprium: sicut vtentes nuptijs: quod in concilio Gangrensi, propinquo Nicæno, damnatum est. Vnde postea tandem eò ventum est, vt permitterentur episcopis & ceteris ministris illa bona, quæ ipsis aliunde quàm ex ecclesia vel eius intuitu accederent: de ecclesiæ verò bonis quatuor portiones iuberentur fieri, ita vt quarta pars pauperibus, quarta ministris, quarta fabricæ, & quarta episcopo cederet: quod à Gelasio statutum reperimus in epistola ad vniuersos episcopos per Lucaniam & Brutios, quam Gratianus citat cum plurimis eiusdem pontificis & aliorum testimonijs, capite quarto, & nonnullis sequentibus, 12. quæst. 2. Hęc itaque ex antiquitate. Nunc autem, cùm ad hoc nostro tempore ventum sit, vt videatur portio cuique ministrorum iam deputata: quomodo circa eam se habere debeat, est diligentiùs considerandum.

Bona ecclesiæ diuisa in quatuor portiones.

LECTIO TERTIA.

Quomodo circa bona Ecclesiastica habere se debeant ministri ecclesiæ, & de reliquis contra auaritiam.

IGITVR in hac, quę hodie est, bonorum ecclesię diuisione & distributione, quomodo se gerere debeãt, quibus hæc bona contingũt, disputatur quidem à multis theologis & Iuristis, & multa ac varia ab eis traduntur: an possint scilicet donare ex illis, vel ditare suos, vel alienis testamento aut alia ratione post mortem relinquere. De quibus multa refert Syluester in verbo, Clericus 4. præcipuè ex canonibus, & doctoribus eos interpretantibus. Nos verò sequemur b. Thomam qui q. 186. 2. 2. art. 6. & 7. hanc rem rationabiliùs & distinctiùs explicat, idq; ex proprijs principijs, quæ certè ex his quæ dicta sunt hoc loco, sunt nobis sumenda. Primò omnium constat ex decursu totius Ecclesiæ ab Apostolis, & ipso iure diuino, bona omnium Ecclesiarum, cùm Christi sint, meritò etiam pauperum esse, neque vlla ratione aut potestate humana fieri posse, vt licitè in alios vsus, quàm ecclesiasticos & pauperum expendi possint.

Ministri ecclesiæ non sunt astricti ad paupertatem. Timoth. 6.

Hoc confirmant omnia quæ superiùs diximus: & contrarium credimus errorem esse grauissimum, saltem contra bonos mores & iustitiam: & quidni etiam contra scripturam? quamuis Paulus dicat esse errorem hominum mente corruptorum, æstimare quæstũ pietatem esse. Hoc itaque constituto, illud etiã certũ est: nec episcopos, nec sacerdotes, aut alios Ecclesiæ ministros astringi ad paupertatem aut renunciationem temporalium bonorum. Possunt propria possidere, cùm nullo voto ad contrariũ se astrinxerint, vt b. Tho. suprà dicto loco docet. Hęc apertè probat cõcilij Agathẽsis auctoritas, quã Gratianus citat 12. q. 1. cap. Episcopi: quo loco habentur etiam multæ alię definitiones pontificum & conciliorum, permittentium illis tanquam propria, quæ ex hæreditate aut donatione cõsanguineorũ aut amicorum habent, possidere. Nec (inquit b. Thomas) ad contrariũ obligat eos quæcunque status perfectio ad quam tenentur. Nam in non proprietate aut carentia bonorum temporalium perfectio Christiana non est posita: sed potest inter magnas diuitias perfecta charitas haberi: sicut fuit in Abrahã. Repugnat quidem perfectioni cupiditas habendi, sollicitudo nimia à diuinis & spiritualibus abstrahens. Et ita intelligit eodem loco b. Thom. quod ex Hieron. superiùs citauimus: quòd, qui aliud possidere vult quàm Deum, cum Deo partem non habet &c. Itaq; nec illa verba Christi: Nolite portare aurum &c. (vt ibidem ex auctoritate patrum & sanctorum exemplis ostendit) vlla ratione obligant prædicatores, aut reliquos ministros ad paupertatem: sed vel temporale fuit illud præceptum, pro eo scilicet tẽpore quo Christus erat præsens: vel permissio tantùm est & facultas recipiendi temporalia: vel certè spiritualiter accipienda sunt. De bonis igitur proprijs, quæ proueniunt non ex ecclesia, nec ex ministerijs ecclesiasticis, non est alia ratio in ecclesiæ ministris, quàm in alijs. De reliquis iam agamus.

Distinctio bonorum ecclesiasticorum.

Sunt autem reliqua omnia bona vel commissa solùm dispensationi ministri, vel deputata duntaxat in eius vsus. De primis igitur, cùm scilicet bona siue annui census Ecclesiæ nõ sunt distincti in quatuor illas partes, de quibus diximus: sed omnia simul perueniunt ad manus vel Episcopi, vel alterius ministri: constat eum ad quem sic perueniunt, administratorem & dispensatorem tãtùm esse: quare (sicut b. Thomas suprà dicto loco inquit) tenetur bona fide dispensare. Atque ideo si tantùm in minimo deficiat vel sibi tribuendo, vel alijs detrahendo: potest sine peccato fieri: quia minimus defectus in huiusmodi non

tol-

tollit bonam fidem. Ceterùm si notabiliter multum excedat regulas iustę dispensationis, secundum rationem illam eorum de quibus prouidere tenetur ecclesiæ: certum est eum grauiter peccare, & ad restitutionem teneri quatenus possibile fuerit. Et huc pertinere puto, quod Canonistæ (vt apud Syluestrum est videre) asserunt ministrum illum, qui cum beneficio administrationem habet bonorum ecclesiæ, non posse de illis aut eorum fructibus vel donare, vel legare, nisi in recompensationem necessariorum obsequiorum, vel ob aliam honestam caussam. Primò enim videntur nonnunquam bona quæ administrat clericus, & coniuncta sunt beneficio, siue illorum fructus, deputata esse quasi in stipendium illius officij, & non quasi illi cum alijs communia, dispensanda ab eo: vbi, cùm nihil certum est, ipsa consuetudo antiqua, quando desunt instrumenta, declarare potest, quomodo ipsi commissa & credita sint. Vtcunque sit, de his quæ ipsi tanquam stipendia deputata sunt, sentit b. Thomas eodem modo illum disponere posse, quo de proprijs bonis disponit. Quare (inquit) peccare potest vel ex immoderato affectu, vel ex vsu: cùm videlicet plura retinet sibi, & pauciora alijs tribuit quàm charitatis ratio exigat. Vbi non pauca sunt considerauda. Primò, quòd multis videatur propter distributionem illam in quatuor portiones iam factam, ministros Ecclesię de illis bonis quæ ipsis pro portione obueniunt, disponere posse tanquam de proprijs. Hoc certè non satis constat: neque apparet in bonis & censibus Ecclesiarum, quomodo fuerit quarta pars relicta pauperibus, etiam si fortè inueniantur hospitales domus ex aliquorum ministrorum misericordia ædificatæ cum sumptibus & redditibus in pauperum vsus. Neque satis apparet distributionem illam iuxta antiquam Ecclesiæ regulam esse factam. Non enim volebant antiqua iura minus dari pauperibus ex redditibus Ecclesiæ, quàm ipsis Episcopis. Nec (vt Gregorius inquit apud Gratianum suprà dicto loco) diuisio illa de antiquis tantùm, sed de omnibus etiam quæ ad ecclesiam quacunq; ratione veniũt, fieri præcipitur. Quare nulla ratione videtur satisfactũ pauperibꝰ, nisi cùm reliquę omnes partes oneratæ manent eleemosyna necessaria, vt minimũ, iuxta necessitatem pauperum & propriam facienda. Fatetur b. Thomas suprà dicto loco, quòd, etsi de his quę deputata sunt vsui ministri, possit sibi subtrahere, & suis consanguineis dare: non tamen ita, vt eos ditiores faciat. Hoc enim (vt ex fundamento priùs posito patet) alienum est à natura bonorum Ecclesiasticorum.

Nota.

Diuisio bonorũ ecclesiæ in quatuor portiones non excusat omnino.

1 2.q.2.ca. Cognouimus.

Cõtra illos qui ex bonis ecclesiæ amicos ditant.

Addit etiam eodem loco, propter beati Hieronymi auctoritatem in epistola ad Damasum, & propter locum Pauli ad Timot. 5. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, ne grauetur ecclesia: non posse ministrum, qui patrimonialia bona habet, ex redditibus Ecclesiæ viuere in necessitate vel captiuorum vel pauperum. Vbi verò nulla esset necessitas, posset etiam patrimonium habens, ex ecclesiæ bonis viuere. Vbi etiam illud d. Hieronymi locum habet in Epistola ad Nepotianum: Accepisse quod pauperibus erogandum erat, & esurientibus plurimis vel cautum esse, vel timidum, aut, quod apertissimi sceleris est, inde aliquid subtrahere: omnem prædonum crudelitatem superat. Denique asserit eodem loco b. Thomas nec thesaurizare Ecclesiæ ipsi, nec eius facultates augere posse quempiã, quando sunt qui egent. Ex quibus omnibus, quæ suprà dictis respondent, ostenditur satis, etiam facta quacunque diuisione, & applicatis quocũque modo fructibus ecclesiarum ministris: non posse licitè ex eis aliud quæri, quàm sustentationem, honestam quidem pro qualitate ministri & ministerij. Nam Paulus duplici honore dicit dignos esse presbyteros qui benè præsunt, maximè qui laborãt in verbo. Quando verò peccatũ mortale vel veniale sit in hoc excessu, nõ est difficile ex supradictis videre. Si enim excessus in his aut defectus peccatum est, & cõtra naturam ipsorum bonorũ Ecclesiæ & ministeriorum Christi: notabilis & magnus excessus vel defectus graue peccatum erit: atque ita mortale. Rursum, an ad restitutionem hoc peccatum obliget: ita videlicet, vt vel qui dant, de suo restituant Ecclesiæ: vel etiam cùm id non possunt, qui receperunt, teneantur restituere: maior est quæstio, & maxima certè, si, quàm multos tãgat, & ad quot se extendat, cogitetur. In portione igitur diuisa & deputata ministro ad suos vsus, credi posset nulla restitutione opus esse, cùm ipsius illa sit. Et hoc beatus Thomas suprà dicto loco videtur dicere. Probat tamen eodem loco Caietanus, redditus manifestè excedentes honestam ministri sustentationem, ipsi datos esse tanquam dispensandos in pauperes: quod vera ratio habet: alioqui irrationabiliter illi deputarentur. Probat rursus idem quæstione 87. 2. 2. decimas ipsas non posse conuenienter exigi, nisi dispensandas in pauperes: cùm nulla ratio patiatur, vt ditiores sint ministri noui testamenti, quàm fuerint veteris, & tamen his, cùm essent duodecima pars populi, decima tantùm dabatur: nostri verò nunc vix sunt centesima pars populi; qua ergo ratione tantum eis dandum est,

Quibus & quando nõ liceat viuere ex bonis ecclesiæ.

Contra eos qui ecclesiæ thesauri. Zant.

De restitutione bonorum ecclesiæ.

De bonis eccles. aperte exceden tibus honestam sustentationem.

est, quantum illis: nisi vt dispensent in pauperes? Igitur non facilè in amplis & abundantibus redditibus putent ministri ecclesiæ, se posse tanquam de proprijs agere: neque qui ab eis recipiunt, securos se iudicent. Non immeritò Hieronymus tam multa dixit contra ministros ditari volentes: non sine ratione antiqua ecclesia suis vsa est bonis, tanquam pauperum & christianorum omnium egentium, atque ita illis communibus.

Hæc itaque dicta sint etiam de his, qui in ecclesia vno contenti beneficio, vna dignitate, aut ministerio, fructibus ei deputatis vtuntur. Nunc ex his, quid de pluralitate beneficiorum sentiendum sit, manifestum est. De qua re, quãquam multæ sint Iuristarum quæstiones, præcipuè de dispensatione in pluralitate beneficiorum, illud tamen certò constare debet, quòd in diuino iudicio nulla excusatio prætendi potest in plurimorum beneficiorum retentione: si ad luxum & abundantiam eis vtatur qui illa possidet: cùm nec fructibus vnius ad hoc vti possit: multò minus si ad suos ditandos, & alia superflua aut ædificia, aut ornamenta augenda vtatur. Cùm verò ad honestatem vel vno, vel pluribus beneficijs quis vtitur: siquidem sine damno ecclesiæ, immo cùm eius vtilitate id fiat: non solùm videlicet sine scandalo populi, sed etiam cum ædificatione: sanctè dispensatur in pluribus. In quibus tamen dispensationibus considerandum est, nonnunquam dispensantes rectè agere, neque tamen eos cum quibus dispensatur, tutos esse: cùm videlicet nimia improbitate & auaritia exigunt, quod ecclesia, vt eorum opera (quæ ipsi fortè necessaria est) vtatur, concedit. Attendat itaque quilibet, quantum seruiat ecclesiæ, quàm illi vtile sit quòd vnum vel duo habeat beneficia: & nullus sibi blandiatur aut de nobilitate, aut de eruditione, si hæc ecclesiæ parum prosint aut seruiant. Hæc itaque ostendunt, quàm sit ministris ecclesiæ reprimenda auaritia. Et hæc quidem omnia iure ipso diuino constant, vt patet. Iam verò, quæ iure positiuo superaddita sunt, quanquam ex ipso iure diuino dependentia, explicemus.

De pluralitate beneficiorũ.

Quæ sint clericis iure prohibita ad vitandã auaritiam, vel ob indignitatẽ.

Multa itaque prohibent iura & antiqua concilia clericis hac ratione, qua tenentur fugere auaritiam. Primùm, sæcularia negotia exercere: quod Paulus rectè tanquam ex ipso iure diuino prohibet. Nemo (inquit) militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus: vt ei placeat, cui se probauit. Vnde & in decret. est hic titulus, Clerici vel monachi sæcularibus se negotijs nõ immiscecant.

2. Tim. 2.

miſceant. Conſtat itaque hoc nomine prohiberi clericis officiũ mercatorum, & eorum qui emptioni aut venditioni ad augendam ſubſtantiam inſiſtunt. Secundò etiam, officium procuratorum & aduocatorum in ſæcularibus cauſsis, niſi fortè pro defenſione pupillorum & viduarum: & denique adminiſtrationes temporalium reipublicæ officiorum: vt iudicem eſſe aut præpoſitum, miniſtrum, notarium, aut ſimile quippiam adminiſtrare. De quo etiam Hieronymus ſuprà dicta epiſtola: Procuratores & diſpenſatores (inquit) domorum alienarum atque villarum, quomodo poſſunt eſſe clerici, qui proprias iubentur facultates contemnere? Tantùm itaque aliquod artificium manuale vel agriculturam honeſtè exercere, permittitur clericis, ſine tamen iactura eccleſiaſtici miniſterij. Prohibentur etiam quædam alia officia, non ab auaritiam tantùm, ſed ob indignitatem eorum, quia non conueniunt dignitati clericali: vt tabernariorum, macellariorum, de quo Clemens 5. de vita & honeſt. cler. clem. prima, vbi per ſe & publicè hæc exercere prohibentur: & multò magis quæ his indigniora ſunt: vt Silueſter notat in verbo, Cler. 3. vbi de his latiùs. Officium etiam hiſtrionis eadem ratione illis prohibetur. Cùm hæc itaque omnia iuris poſitiui ſint meritò quàm grauiter peccetur contra hæc omnia, dubitatur. Certè iura ipſa grauiſsimè prohibent: ſub excommunicatione videlicet, aut amiſsione priuilegij clericalis. Quare Silueſter non dubitat contra ea mortaliter peccari: maximè (vt Caiet. inquit) poſt admonitionem & contumaciam. Igitur circa hæc grauiter & notabiliter delinquere, meritò mortale creditur: ſed in minimo contra horum aliquid agere, maximè cùm finis præcepti non omittitur: cùm nec ex nimia cupiditate, nec cum magna clericalis dignitatis irreuerentia fit: non eſt iudicandum mortale, præcipuè vbi prælati diſsimulant. De qua re inferiùs plura.

LECTIO

LECTIO QVARTA.

De his quæ ad temperantiam ministrorum ecclesiæ pertinent, & ceteris quæ ad pietatem ac religionem.

POST hæc meritò secundum locum tenent, quæ ad temperantiam omnem, tam scilicet quæ delectationes cibi & potus, quàm etiam quę veneream voluptatem moderatur: & deniq;, quæ in externis omnibus verbis, operibus, gestibus, ac ornatu modum statuit, pertinent. Hæc enim quantum deceat ac ornet sacerdotes, & ceteros ecclesię ministros, ex locis Pauli superiùs allegatis satis constat, & ex natura huius virtutis, cui meritò nitor quidam & splendor atque pulchritudo animi tribuitur: quaque etiam docet scriptura Deum vnicè delectari, iuxta id quod mysticè in psalmo dicitur. Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filię regum in honore tuo. Deniq; vitia contraria obtundunt ac obscurant aciem mentis, & ineptam reddũt ad diuinarum rerum speculationem: cui debent potissimum ministri ecclesiæ vacare. Igitur post contemptum terrenorum, vel eorum moderatum affectum, ad seipsos opus est vt se conuertant ministri ecclesiæ: & corpori suo dominentur, vt cum Paulo dicant: Castigo corpus meum & in seruitutem redigo: ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Necessaria certè est temperantia christianis omnibus: quibus inquit Christus: Cauete ne grauentur corda vestra crapula aut ebrietate. Et rursum: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes &c. Sed ministris ecclesiæ dicitur à Paulo: In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate: quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati &c.

Temperantia est ornamentum cleri.

Luc. 21.

Luc. 12.

2. Cor. 6.

Vt igitur de singulis breuiter aliquid dicamus. Primò castitatis, ita ministris ecclesiæ ex natura ipsorum ordinum conuenit vt (sicut superiùs ostendimus) sanctissimè ecclesia statuerit, etiã ex apostolorum traditione, nemini esse dandos sacros ordines, nisi cui cælibatus placeret, & qui ad illum voto se vellet astringere. Itaque iam ex proprio voto & ecclesiæ statuto coniuncta est ordinibus sacris, castitas, non quæcunque, sed illa quæ superero.

De castitate ministrorũ ecclesiæ.

pererogationis est: perfecta scilicet abdicatio totius venereæ delectationis: de qua non est opus multa dicere. Multa exigit ad sui custodiam hæc virtus, nec potest negligentia & in ocio seruari. Hæc igitur ad eam seruandam patres & concilia non tam superaddiderunt, quàm declarârunt ex natura ipsa necessaria esse ad illam custodiendam.

De interdicta cohabitatione mulierum.

Primò cohabitatio mulierum prohibetur, dicente d. Hieronymo in suprà dicta epistola. Nunquid tu aut Samsone fortior, aut Salomone sapientior eris: qui tamen deiecti sunt per mulieres? Habetur titulus quidam in iure, de cohabitatione clericorum & mulierum: vbi conciliorum & pontificum multis decretis cohabitatio hęc prohibetur, in quibusdam mitius, in alijs seuerius: pro qualitate videlicet temporum, locorum, & morũ, & secundum alias causas occurrentes: ceterùm omnia in hoc vno conueniunt, grauissimum periculum ex cohabitatione mulierum impendere. Quidam canones prohibent extraneas tantùm mulieres, & concedunt matrem, amitam, aut sororem: alij omnes prohibent: nonnulli solas suspectas. Ex quibus omnibus satis patet, quàm sit periculosa hæc cohabitatio. Et quidem (vt Siluester ait in verbo, Clericus 2. §. 4.) habitatio cũ suspecta proculdubio peccatum est, etiam mortale: aut etiam cũ periculo aut scandalo cohabitare: quæ quanta sint, iudicandum est ex circumstantijs, & iuxta has maius aut minus peccatũ censebitur. Prohibetur etiam hac ratione frequentatio monasteriorum monialium, & dulces literæ, ac colloquia secreta cum mulieribus, & in infirmitate pati sibi à muliere ministrari. Quę omnia, & similia multa, omnia scilicet quæ carnalem amorem excitare vel augere solent, b. Hieron. suprà dicta epistola ad Nepotianum, quàm sint periculosa, ostendit, & ab his deterret ecclesiæ ministros. Videant igitur nunc, quàm sit temerarium tam facilè sibi hæc omnia permittere. Excusari quidẽ possunt prælatorũ connuentia & permissione, qui bona fide hæc agũt: sed pericula quanta sint, ipsa experientia ostendit. Caussantur multi necessitates vitæ, & alia. Legant tractatum d. Cypriani (si tamen eius est) de singularitate clericorum. Vidi Ioannis Matthęi episcopi Veronensius vnius nostrorum temporũ veri episcopi constitutionem, meo iudicio multa prudentia & æquitate moderatam. Statuit ille, vt nulla omnino domi haberetur mulier sine sua in scriptis habita facultate: quia intẽtionis (inquit) nostræ est, optimè & diligentissimè priùs inuestigare quæ sit mulier illa, cuius vitæ, famæ & opinionis.

De concubinatu.

De concubinatu ve-

rò

rò non est opus multa dicere: certum est enim nihil magis Dei iram prouocare, & scandalizare populum, quàm hoc malum: de cuius emendatione & punitione oportebat certè magis seriò cogitare: &, si non secundum seueritatem antiquorum canonum, saltem quod ad emendationem veram sufficeret, adhibere remedium: aliàs certum est nulla ratione excusari eos, aut prælatos.

De temperantia cibi & potus.

His proxima sunt quæ ad temperantiam cibi & potus pertinent. Ebrietas igitur & commessatio, quæ omnibus prohibentur, multò magis clericis: luxuriam accendunt, ac sensum hebetant. Pinguis sensus, inquit d. Hieronymus (vt Græcus quidam eleganter ait) non gignit mentem tenuem. Quare (inquit ibidem) tantum tibi ieiuniorum modum impone, quantum potes ferre. Ad hæc vitia cauenda, concilia & patres prohibent clericis quæ sequuntur. Compotationibus interesse, contendere, aut seinuicem inuitare aut prouocare poculis, plausus & risus inconditos, inanes fabulas referre aut cantare in conuiuijs, tabernas ingredi, nisi in via, necessitatis videlicet caussa: immo nec cõuiuia, publica maximè & prophana eis licita sunt: sed permittuntur honesta & ecclesiastica. Ordinauit is de quo diximus, Veronensis episcopus, vt non nisi tria fercula apponerentur in conuiuijs. Adeo quoque sollicitus fuit vt canonicè & absque scandalo viuerent clerici, vt deputauerit etiam honestas domos in ciuitate sita, ad quas clerici venientes diuerterent. Hæc itaq; prohibentur clericis circa gulam. Contra quam etiam mandatur eis, vt non nisi benedictione & gratiarum actione præmissa comedant, nec sine sacra lectione. De quibus omnibus dist. 44. plura decreta citauit Gratianus. Quamuis igitur circa hæc dubitari possit, quantum peccatum sit singulorum trãsgressio: non tamen est opus, vt de singulis specialius aliquid dicamus. Certum enim est maiorem hic esse prælatorum culpam, cùm non curant hæc seruari: quàm subditorum, qui bona fide, aut quia non sunt consueta, illa omittunt, maximè cessante scandalo & periculo. Quare inter illa omnia, non videmus quomodo ingressus tabernarum & compotationes non sint grauia & subditis & prelatis. Reliqua, maximè cùm præter inobedientiam & scandalum magis negligentia quadam fiunt, non possumus damnare grauioris peccati in subditis: sed nescimus quomodo prælati excusari possint, si illa omnino negligantur.

Quæ prohibita & præcepta clericis circa cibum et potum.

De modestia et honestate vestium.

Tertio loco dicamus quædam de his quæ ad modestiã & honestatem vestium ac ornatus pertinent. De quibus conuenienti

etiam

etiam ratione multa clericis præcipiũtur: quę videre licet apud Siluestrum in verbo, Clericus 2. §. 3. Igitur prohibẽtur comam vel barbam nutrire: præcipiuntur coronam manifestè gestare. Circa sæculares etiam vestes multa prohibita sunt: vt diuersi siue varij coloris vestes ferre, & multa alia vestimentorum genera, quæ omniho sæcularia sunt: de quibus etiam omnibus disputat Siluester suprà dicto loco ex alijs, quid mortale, quid veniale sit: maximè de corona, quæ ordini præcipuè videtur annexa. De quibus non est opus plura dicere, quàm vt intentio & consuetudo, & cetera considerentur, & maximè finis: an videlicet ex contemptu aut omissione honestatis aut grauitatis clericalis breuioribus aut sæcularibus vestibus clericus vtatur: an potiùs ex quadam consuetudine & bona fide. Necesse tamen est, vt semper vigilet prælatorum cura.

De religione & pietate clericorum.

Restat vltimò, vt de his quæ ad cultum Dei pertinent & pietatem, admoneamus. Ad quæ reuera tantò magis astricti sunt sacerdotes & ministri ecclesiæ, quanto finis magis obligat quam medium. Ad hoc enim ordinantur præcipuè, vt medij sint inter Deum & homines, vt Paulus ait, vt offerant dona & sacrificia pro peccatis. Administrant quidem illi diuina hominibus: sed vt hæc vtilia illis sint, vt dignè ea suscipiant priùs, oratione obtinere debent apud Deum. Nec tantùm pro populo, vt Paulus inquit, sed etiam pro seipsis orare debent, qui circumdati sunt infirmitate. Itaque hoc ex natura ipsa ordinum, atque ideo ex iure diuino est, vt ad assiduè orandum & contemplandum & meditandum cælestia ac diuina, & ad cetera pietatis exercitia, quæ ad hæc ordinantur, vt ad lectionem, vigilias, & similia teneãtur: idque duplici ratione. Primò ex debito quo obligati sunt ecclesiæ & populo: de quo verbum illud Pauli intellexerunt patres: Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes &c. pro omnibus hominibus, pro regibus &c. quod de publicis ecclesiæ orationibus constat esse intelligendum: cùm ibi postea de priuatis subiungat: Volo viros orare in omni loco: similiter & mulieres. Et Aug. epistola ad Paulinum episcopum, de orationibus, quæ in ecclesia sub ipso fiunt sacrificio, intelligit: in quibus quatuor illa orationum genera ostendit inueniri. Tenentur etiam secũdo ad prædicta, propter se. Nec enim sanctitas illa vitæ, castitas & puritas ad quam tenentur, sine assidua oratione, meditatione, vigilijs, & lachrymis obtinetur. Omnibus dicit Christus: oportet semper orare. Et Paulus: Sine intermissione orate. Quanto igitur magis his qui coniunctiores illi

Heb. 5.

Ibidem.

1. Tim. 2.

Epist. 59.

Luc. 18.

1. Thess. 5.

illi sunt, & qui ab Ecclesia vniuersa ac populo legati missi sunt ad Deum? Cùm enim non possint omnes propter vitæ præsentis necessitates, & impedimenta carnis aut semper aut assiduè vt oportet orare: naturali ratione & diuina dispensatione factum est, vt aliqui deputarentur ad hoc pro omnibus agẽdum, & ideo communibus stipendijs alerentur. Vt igitur in speciali dicamus, tenentur primùm ad persoluendas horas illas canonicas septem, quas ecclesia iam constituit. Nam fatemur fuisse circa hanc rem diuersam consuetudinem, de qua superiùs nonnihil diximus, cùm de sacramento ordinis ageremus. Et primò quidem in ecclesia, communi scilicet conuentu, certis horis ministri congregati orabant: postea, facta non parua mutatione, statutæ sunt tanquam quotidianũ pensum horæ septem canonicæ: ad quas vel simul, vel priuatim legendas obligantur omnes sacris initiati, & monachi professi ac deputati ad sacros ordines.

De lectione horarũ canonicarum.

De illis horis igitur sunt nonnulla dubia, de quibus consulantur summistæ, & præcipuè Syluester & Caietanus in titulo, Horæ canonicæ: quę tamen nec magna sunt, nec difficilia. Primùm constat illos teneri ad persoluendas horas studiosè & deuotè: sicut Innoc. 3 in concilio generali non tam reuera statuit, quàm declarat: vt habetur in cap. dolentes, de celeb. missarum. Obligantur enim ex proposito & intentione nõ auertere cogitationem à diuino officio, nec circa alia vagari: sed ad ipsum persoluendum accedere intentione satisfaciendi ecclesiæ, & Deum orandi. Quo facto satisfaciunt, si attenti sunt vel ad integrã prolationem verborum, vel ad sensum, vel, quod multo melius est, ad finem, Christum scilicet crucifixum, diuinã bonitatem eius, beneficia, cœlestem beatitudinem, & quidquid demum affectũ nostrum excitat in Deum: vel si ex intentione non auertat cogitationem ab aliquo horum: in qua re non oportet pios anxios esse. Qui bona fide se tanquam ministros ecclesiæ gerentes, ita vt nunquam intenderint oppositum, officium persoluunt, satisfaciunt: nisi aut nolint attenti esse, aut inter persoluendum ita irreuerenter se gerant, aut alijs rebus, vel externis occupationibus intenti sint, vt manifesta & aperta sit negligentia.

De deuotione & attentione in lectione horarum.

Nunc ad quod officiũ teneantur sub peccato mortali, & quibus horis persoluere debeant, & quæ sint iustæ caussæ sine peccato omittendi officiũ: facile est intelligere, præcipuè simpliciter & syncerè incedentibus. In his enim satis est, non dolosè vel fraudulenter hęc omittere, sed velle satisfacere pro more bonorum & piorum ministrorum ecclesiæ suæ, & inter quos viuunt.

De omissione horarũ canonicarum.

Nec illud opus est anxiè tractare, an omittens officium diuinum, teneatur idcirco ad restitutionem fructuum quos percipit ex Ecclesia. Hæc magis videtur esse pœna, quæ iustè à prælatis imponi potest, quàm vt quis ad eam per se teneatur.

Lectio horarum non excusat clericos ab aliis exercitijs pietatis.

Illud verò hoc loco putamus attentius considerãdum, an persoluto hoc officio diuino, ita satisfaciant ministri Ecclesiæ illi obligationi qua tenentur ad orationem, & alia pietatis exercitia, vt tuta conscientia possint reliquum temporis alijs impendere. Vbi opus est certè prudenti consideratione, vt in neutram partem declinemus. Illud constat: posse impleri præcepta ecclesiæ, etiam quæ sunt determinationes iuris diuini, nec tamen impleri ipsum ius diuinum: sicut patet in illo qui semel tantùm & cibis permissis vescitur in die ieiunij, tamen vsque ad crapulam vel ebrietatem. Itaque ne putent ministri ecclesiæ, verbali illa pronunciatione psalmorum & precum satisfeciisse se obligationi illi, qua ex iure diuino pro suis & populi necessitatibus orare tenentur. Certè vita ministrorum ecclesiæ dignè transigi non potest, sine assiduitate spiritualium meditationũ. Hierony. in Epistola illa ita dicit: Diuinas scripturas sæpius lege: immo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Hæc ille dicit, vt discat minister quod docturus sit. Paulus quoque ipse, qui tam frequenter discipulos ad lectionem & meditationem exhortatur: Attende (inquit Timothee) lectioni, & exhortationi, & doctrinæ. Hæc meditare, in his esto: attende tibi & doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens, teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt. Itaque non ad alios tantùm docendos, sed ad se etiam saluandum putat hæc necessaria. Vnde eodem loco dicit: Exerce teipsum ad pietatem: quo exercitio & lectionem & meditationem, & orationem etiam complexus est. Nec tamen possumus certi aliquid hic præscribere: satis sit hoc admonuisse, & nunc in fine, quod à principio diximus, repetere. Cogitent seriò ministri Ecclesiæ, se propter sacros ordines ad maiorem vitæ sanctimoniam, & puritatem animæ, quod ad interiora & essentialia attinet, astrictos esse, quàm sint monachi ex professione sua. Non putent sibi vitam transigendam (si dignè, & vt decet ministros Christi, viuere volũt) in iocis, ludis, & otio. Hæc omnibus nocent & prohibentur: nisi modestè (vt ethnici etiam senserunt) tanquam condimentum quoddam & sal aliarum virtutum operibus adhibeantur. Nos putamus nõ tutò viuere ministrum Ecclesiæ, nisi, quatenus illi vacat per alia sibi, & his cum quibus habitat, necessaria opera, lectioni scripturæ sacræ pro

1. Tim. 4.

captu

captu ingenij sui & pro morũ instructione, aut aliorum ad pietatem instruentium librorum assiduè vacet: ita vt (sicut Paulus ait) in illis sit & permaneat: reliqua omnia quasi prætereat aut percurrat. Lectioni huic coniuncta esse debet oratio & meditatio. Hæc sunt quæ vitia carnis comprimunt, mundana desideria mitigant, animum formant ad diuina: ad quæ ritè tractanda & peragenda putamus adolescentibus & minus exercitatis instructione opus esse, & conuersatione virorum spiritualium. Hæc itaque ad meliora exhortãtes proponimus, relinquentes quemlibet suo sensui. Atque ita satis sit dictum de his, ad quæ ministratione sacrorum ordinum obligantur.

LECTIO QVINTA.

De *his, ad quæ ex officio curæ animarum tenentur sacerdotes.*

DIXIMVS hucusque, qualem vitam requirãt sacri ordines omnes, quanquam omnia magis sacerdotibus conueniant: restat vt dicamus, ad quid teneantur ex pastoris officio & susceptæ animarum curæ, non quidem supremi illi Episcopi, sed inferiores sacerdotes, quos hic conamur instituere.

Constat enim officium pastorale & animarum curam multa exigere vltra ea, ad quæ ordinum sacrorum sanctitas adstringit. ex istis enim tenentur ministri, vt erga se & erga Deum rectè sint ordinati & benè se habeant: ex officio autem pastorali, ad ea curanda quæ proximorum sunt, tenentur.

Ex scriptura itaque constat, multa pastoribus præcipi. Vt verò de inferioribus sacerdotibus dicamus, illud debet esse principium, quod initio huius tractatus, & eorum quæ proximè de moribus tradidimus, dictum est: sacerdotes videlicet non simpliciter habere curam animarum. Hoc enim diximus esse Episcoporum duntaxat, qui simpliciter pastores sunt & Episcopi ecclesiarum, ac Apostolorum successores. Sacerdotes verò inferiores, sicut secundum ordinem suum sub ipsis sunt, & in eorum auxilium, prout ipsi disponunt, assumpti: ita in susceptæ animarum cura sub Episcopis locum tenent: & prout ab ipsis susceperunt, tenentur curam animarum gerere.

Itaque primò omnium opus est vt gradum suum agnoscant, & illum diligenter teneant: vnde etiam sibi multum intelligant detractum oneris in cura animarum. Nec enim tenentur aut scire, aut exequi omnia quæ ad animarum salutem necessaria sunt: sed ea solùm, quæ hic gradus ipsorum requirit. Quæ verò ista sint vt agnoscatur, aduertendum secundò est, quòd cura animarum inter episcopum & parochum partita est, sicut effectus inter causam primam ac supremam, & proximam. Sunt episcopi primi & præcipui totius diœcesis pastores: Parochi verò proximi & immediati ipsis ouibus. Sicut itaque secunda causa nihil agere potest, quod non magis fiat à prima: sed prima quædam operatur sine secunda: ita in hoc negotio, totum quod ad curam animarum pertinet, episcopi est. Nihil sine eius auctoritate, atq; sine eius (vt ita dicamus) influxu, sicut prima causa influit in omnes effectus, parochi operari possunt: Episcopi verò multa per seipsos sine parochis possunt. Sunt itaque parochi proximi quidem, & ita propinqui populo ac singulis animabus, vt nihil medium sit inter populum ac parochum. Quare huius est, quæ saluti populi necessaria sunt, præstare, quantum ipsi ab episcopo traditum est: vt videlicet ea sciat, quæ episcopus ei tradiderit: ea faciat, quæ iusserit: pro suo captu & viribus. Quæ verò maiora sunt & excedunt illa quæ episcopus tradidit, aut quæ ipse per se non potest, satis est vt ad episcopum referat: ita videlicet, vt nihil desit eorum quæ animabus necessaria sunt, faciente parocho illa ad quæ doctrina & virtus eius sufficit, & maiora referente ad episcopum, & episcopo illa supplente. Hic est pulcherrimus ordo sacri illius principatus & Ecclesiasticæ hierarchiæ, quam Dionysius Areopagita à similitudine ordinatiss. angelicę hierarchiæ contemplatus est esse deriuatam. Atque ideo ille sacerdotibus tribuit illuminare & docere tantùm minora, & mediocribus conuenientia: Episcopis verò perficere & consummare instructos à sacerdotibus. Hoc rursùm, si bene cõsideretur, ostendit, quanta debeat esse coniunctio parochorum cum Episcopis, quàm subordinati ac subiecti illis esse debeant, & quantam necessitudinem ac arctam familiaritatem inter eos esse oporteat. Certè Episcopis nulli debẽt esse propinquiores quàm parochi: nimirũ sicut pastores deputati singulis gregibus pascendis, pastori illi qui omnem curã gerit. Nec est certè quidquam, quod magis excusẽt parochũ à prẽstando aliquid ouibus, quàm quòd id nõ acceperit ab Episcopo: neque quod hunc magis accusẽt, quàm quòd non tradiderit diligenter parochis quod illis cõuenit,

Comparatio Episcopi & Parochi in animarum cura.

Notẽt Episcopi.

nit, quòd illos nõ agnouerit, & apud se frequentes habuerit, & intellexerit statũ ouium, & consuluerit illis quantum opus est.

Hoc itaque constituto, vt quæ sint propria parochi dicamus: ad quæ scilicet sit obligatus: tanquam primum omnium constituatur, residẽtia in propria parochia. Hoc enim primũ omnium est, sine quo nihil pastoralis officij potest fieri. Christus enim mercenarij, & non veri pastoris esse dicit, dimittere oues, & fugere. Quia mercenarius (ait) est, & non pertinet ad eum de ouibus. Quanquam igitur de residentia vel episcoporum vel parochorum voluerint aliqui dubitare: tamen syncere & coram Deo consideranti, ac secundum lumen naturale rationis hoc expendenti, manifesta est b. Thom. sententia, doctrina atque exemplis patrum confirmata, quam 2.2. asserit: præsentiam scilicet pastoris necessariam esse propter actus ipsos pastorales: atque ita ad eam teneri pastorem, vt nisi propter vtilitatem Ecclesiæ & ouium, abesse non debeat. Abest verò propter vtilitatem, cùm vel se conseruat saluti ouium: cùm videlicet eius tantũ persona quæritur à persecutoribus, aut cùm recedit, vt apud superiores, siue alios, bonum ouium curet. Ad tempus itaque ob aliquã harum causarum licita est absentia pastorum. Perpetuam autem, vel ad longum tempus, sine vera vtilitate ecclesiæ, certum est non carere graui peccato. Non est opus magis specialia hic tradere, quę canonistæ ex iuribus particularibus collegerunt: quæ legi possunt apud Syluestrum in verbo, Residentia. Illud nunc sufficere debet, quòd per præsentiam vel absentiam pastor semper quærere debeat vtilitatem ouiũ: quod cùm agit, etiam corpore absens præsens est: & cùm hoc omittit, etiam corpore præsens absens est. Quare illud: Dimittit oues & fugit: ad negligentiam & oblitionem, qua vtilitas ouium non quæritur nec curatur, refertur à doctoribus. Vnde nec per alium pastoris officium rectè exerceri potest. Nec est opus hoc loco credere, absentes pastores ad restituendos fructus esse obligatos: sed satis est agnoscere, quantum sit peccatum: cõtra quod terribiliter per Zachariam clamatur: Væ pastor, & idolum derelinquens gregem. Debet itaque pastor residere & præsens adesse regulariter, vt reliqua, quæ sui officij sunt, exequatur: de quibus iam dicendum.

Ante omnia debet Parochus residere in sua parochia. Ioãnis 10.

q. 85. art. 5.

Notẽt hæc, quibus est cõmissa cura animarum. Zachariæ 11.

Multa profectò ad officium pastorum pertinent: & ea ex vero pastorum exemplari Christo, qui inquit: Ego sum pastor bonus: & ex sacra primùm scriptura petenda: deinde ex antiquæ Ecclesiæ ac patrum canonibus & exemplis: & demum ex experientia vigilantium ac diligentium pastorum. Nam, vt verum

Vnde petere debeat pastor instructionẽ.

Ioan.10. dicamus, specialia ista & singularia aliena sunt ab arte, nec possunt cuncta plenè doceri ab aliquo. Sed qui huic muneri satisfacere cupiunt, primò humili & assidua oratione à Deo impetrare conabuntur, vt suggerat illis quod saluti ouium cõducit. Deinde amor ipse ouium, & desiderium salutis earum, & quotidiana experientia plurima subministrabunt. Demum legendi sunt etiam qui de his scripti sunt libri, & consulendi peritiores. His enim rationibus putamus posse eum, qui cupit verum agere pastorem, sufficienter instrui. Quæ verò nos aduertere potuimus, tribus capitibus comprehenduntur. Primum est de cognitione ouium: quæ quàm exacta requiratur à pastore, verbum illud Christi ostendit: Agnosco oues meas. Et rursum, quod de bono pastore ait. Vocat eas nominatim. De quo etiam illud Prouerb. dictum est: Diligenter cognosce vultum pecoris tui. Et constat hoc esse principium omnium actuum pastoris: Nam circa illas oues, quas nõ cognoscit, nihil potest efficere. Includit verò hęc cognitio non pauca: de quibus postea. Reliqua duo capita sunt, custodia ouium à lupis, & malis, & periculis omnibus: & pastus ipse, quod est, ea exhibere & præstare, quæ conducibilia sunt ouium saluti. De primo conqueritur Dominus per Ezechielem prophetam terribiliter: quod videlicet nõ sit, qui custodiat gregem, atque ideo discerpatur & dispergatur, erroribus videlicet & peccatis, non existente aliquo qui defendat. Conqueritur deinde eodem loco de pastoribus, qui seipsos, & non gregem pascunt: hoc est, suam, non gregis quærunt vtilitatem. His itaque tribus, cognitione scilicet ouium, custodia, & pastu (quæ sunt præseruatio à malis, & exhibitio vtiliũ saluti ouium) videmus cuncta pastoris opera includi, de quibus nonnihil in speciali dicendum est.

Quæ ad officiũ pastoris pertinẽt ad tria capita reuocantur.

Ioan.10.

Prou.27.

(∴)

LECTIO

LECTIO SEXTA.

De cognitione & cura ouium in speciali.



OGNITIO ouium, quæ principium reliquorum actuum pastoris est, multa requirit, & sine magna vigilantia haberi non potest. Primò igitur opus est, numerum & nomina ipsa, ac personas, quarum pastor est, & quatũ rationem Deo reddere debet, quantum fieri potest, ipsi cognita est. Vocat (inquit Christus) eas nominatim. Qui igitur diligenter considerant, putant primò omnium debere parochũ in libro, quem apud se habeat, descriptos habere omnes sibi subditos, secundum nomina, statum & conditionem singulorũ: id quod vel per domos, vel per familias, vel per vicos, aut status & officia, siue quacunque alia ratione, prout melius iudicabitur, facere poterit, vt videlicet & morientium, & nascentium, & aliunde accedentiũ rationem habeat: atque ita, quantum vel augeatur, vel minuatur grex ipsi cõmissus intelligat. Ad quam diligentiam cõscribendi catalogum multa alia pertinent. Nam in Ecclesia expedit omnino scribi numerum & nomina baptizatorum omnium, & ipsos suscipientium: similiter confirmatorum, & eos tenentium: quod etiam in matrimonio deinde necessarium est, vt ex supradictis patet. Et ad perspicuam notitiam omnium habendam, singulis etiam annis eorum qui (in quadragesima scilicet) ad confessionem & sacram communionem accedunt, & eorum qui id non faciunt, numerus & nomina cognoscenda sunt. Igitur in his omnibus, in quibus est prima pastorum cura constituta, vigilantissimos esse oportet, tanquam in ea re, cuius primò requirenda est ratio. Nec opus est hoc aliter probari, quàm vt testimonio cõscientiæ cuiusque relinquatur. Sunt quibus videtur hoc nimis durũ maximè in latissima aliqua & magna parochia. Nobis certè videtur id tanto magis necessarium, quanto latior fuerit: saltem vt id faciat pastor, quod ad cognoscendos subditos suos & ante oculos habendos, bona fide putat sibi sufficere. Ad hanc cognitionem pertinet, quidquid per diligentem cõsiderationem externæ cõuersationis subditorũ intelligi potest de moribus, ingenio, & statu: tam in his quæ ad corpus & cõditionem corporis, quàm quę

Pastoris est singulas oues cognoscere, quãtum fieri potest.

ad animam pertinent. Primò igitur peccata publica & peccatores publicos oportet Parocho esse cognitos & numeratos. Post hæc, scandala & occasiones publicas peccatorum: ex consuetudine videlicet compotationum aut conuiuiorum, aut aleæ, aut chorearum, aut tabernarum, aut inhonestorũ locorum, perspectas habere opus est. Cognoscendi sunt etiam excommunicati, deinde mores & ingenia cuiuslibet non sunt ignoranda, sicut diximus: quæ colligi possunt ex manifesta & publica conuersatione: qui nimirum deuotius & frequentius ad Ecclesiam conueniant, qui negligentius aut tardius, qui verecundi, qui duri & præfracti, qui insolentes & superbi, qui infirmi & abiecti, & denique multa huiusmodi necesse est parochum cognoscere, vt intelligat contra quæ vitia sibi sit vigilandum, & quid potissimum docendum iuxta captum & necessitatem suorum. Sciat etiam qui dociles & audiendi ac retinendi pietatis dogmata auidi, qui hebetiores & obtusi sint. Denique circa ipsa etiam priuata peccata, vel occasiones, diligentem eum esse oportet, & talem se exhibere exemplo & admonitionibus, vt ad illum libẽter referant subditi quidquid huiusmodi est, vt ipse prudenter & cum vera charitate remedia adhibeat. Neq; illa quæ ad corpora subditorum pertinent, sunt ei ignoranda: qui videlicet sint pauperes, qui orphani, quæ viduę, qui destituti auxilio, qui inimicitias foueant (quanquam etiam hoc ad animam pertineat) qui patiantur calumniam aut iniquitatem ab alijs.

De Parochi diligẽtia circa extraneos.

Circa extraneos & aliũde accedentes multa est opus diligentia, vt cuius fidei, aut cuiusmodi morum sint, agnoscatur. An qui cum mulieribus accedunt, coniugati sint, nec ne: an alibi infames aut excommunicati &c. Quare meritò curãdum esset, nec sine testimonio Episcoporum aut Parochorum huiusmodi admitterentur. Nam & peregrinantes ipsi vel religionis, vel alia causa, nõ aliter recipiendi essent. Patet itaque ex his omnibus, quàm latè pateat hæc cognitio ouium, & quàm multa includat. Nec tamen omnia hic explicata sunt: occurrunt passim plura.

Pastoris est tollere ac auertere scãdala & pericula &c.

Secundum verò requisitũ ad officium pastorum (quod diximus esse custodiã & præseruationem à malis ac periculis) quàm multa comprehendat, intelliget, qui prius cognouerit, quot & quanta sint mala ac pericula. Ad eam igitur primò pertinet publicorum peccatorum & scandalorum publica reprehẽsio: & efficax per se & per superiores, quãtum in ipso est, emendatio atque extirpatio scandalorum. Et primò, eorum quæ circa doctrinam inueniũtur. Vbi innumera sunt. Cùm scilicet falsi doctores

insur-

insurgunt: & libri contrariam doctrinam fieri ac bonis moribus continentes, sparguntur in vulgus. Deniq; quidquid mores populi, & iuuentutis præcipuè corrumpere potest, diligenter est tollendum & anteuertendum per parochos, cùm possunt: aut referendum ad superiorem, cùm non possunt. Hic vigilandum de institutione adolescentiæ in literis & moribus: vt magistri non sani, non probatis moribus, reijciantur: libri item inhonesti, quibus in primis corrumpitur adolescentia, summa diligentia extirpandi sunt. Deinde ad maiores ascendendum, & auferendæ inueteratæ consuetudines peccatorum: & illæ, quæ coniunctum habent periculum peccati. Vbi de ratione conueniendi in tabernis, de compotationibus, choreis, & conuiuijs publicis nuptiarum, & similibus: de consuetudine vestium, & cõgressu ac familiaritate virorum & mulierum, multa cauere & emendare debet pastorum diligentia, idque assiduis & serijs admonitionibus, & frequenter recurrendo ad superiores. Vbi considerandum est illud prophetæ: Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se nõ custodierit, veneritque gladius, & tulerit ex eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est: sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Vbi satis ostenditur, quãta oratione, & quàm seria conuersione mentis ad Deum, ac scripturæ sacræ attenta lectione, ad hæc ritè præstanda opus sit. Et tu (inquit) filij hominis, speculatorem dedi te domui Israël: audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. In auertendis itaque malis & cauendis scandalis populi, indefessa esse debet pastorum vigilãtia. Opus est enim vt in hac caussa se tanquam murum opponat pro domo Israel, etiam apud potentes & sublimes sęculi. Qua in re habemus exempla vigilantium & prudentium pastorum: qui cùm hoc nõ possent præstare, vt subditos suos auerterent à peccatis, tentatis omnibus: tandem maluerunt cedere, quàm vires fine fructu laborare. Multa hic opus est prudentia & circumspectione his qui imparientius sustinent mala. Videndum ne sibi tantum consulant. Et, si inter malos non desint multi, quibus consulendum sit, qui alioquin periclitabuntur: non est æquum vt deserantur. Denique non est susceptæ animarũ cura, nisi cum Episcopi consensu, neque est cum detrimento Ecclesiæ deserẽda: quanquam parochis (qui, vt diximus, non plenè curam animarum habent) permittant iura religionis ingressum.

Cura reprimẽdi scholas, & tollẽdi malas cõsuetudines ad pastorem pertinet.

Ezech. 33.

Vltimum denique caput eorum quæ ad pastoris officium requiruntur, quòd ad pascendas oues pertinet, duas cõtinet partes.

Prima quidem est, quæ pertinet ad pascendas & curandas animas. Secunda verò, quæ ad curanda corpora: nam hæc etiam ex charitate Christiana diligenda sunt, & ideo nõ sunt aliena à pastorum cura. Ex his partibus cognosci potest, quàm multa etiam hoc caput complectatur. Animæ igitur pastus in doctrina, in sacramentorum exhibitione, & exemplo vitę magna ex parte cõstitutus esse videtur. Quod ergo ad doctrinam attinet in parocho, necesse est, vt si non vberior & plenior, certè frequentior sit: vt videlicet & publicè, & priuatim: omnes simul, & vnumquemque seorsim de necessarijs doceat: & diligenter, cognita necessitate, inquirat & discat ea, de quibus opus est admonere, & admonendi rationem: & quod didicerit, sedulo ac magno affectu exequatur. Proponatur itaq; hìc ob oculos in exemplum Apostolus Paulus, cuius verba, quæ ex bono conscientiæ testimonio, attestante etiam vita loquebatur Ephesijs, quia digna sunt attenta consideratione & efficacia ad admonendũ, hìc proponimus. Vocauit itaque (vt d. Lucas scribit) maiores natu ecclesię Ephesinę, & ita eos alloquitur: Vos scitis à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscũ per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni humilitate & lachrymis, & tentationibus quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum quomodo nihil subtraxerim vobis vtilium, quo minus annunciarem vobis & docerem vos publicè, & per domos. Et tãdem ait: Vigilate, in memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non cessaui cum lachrymis monere vnumquemque vestrũm. Meritò igitur dicit illis: Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annunciarem omne consilium Dei vobis. Aduertant hunc locum pastores: & quisque pro gradu suo sciat se tunc mundum esse à sanguine animarum, quando veraciter dicere poterit, quod Paulus dixit.

Quæ pertineant ad pastũ animarum.

Actor. 20.

Igitur ad curam doctrinæ pertinet, vt omnes pro diuersitate status & conditionis, & ingenij, & occurrentium rerum necessitate doctrinam habeant. In doctrina itaque primus est catechismus, quo prima rudimenta fidei & pietatis christianæ pueris ac rudibus diligenter explicantur. Docet antiquę ecclesiæ consuetudo in his tradendis & exigẽdis ab adultis & ante baptismum, quàm sit hæc doctrina necessaria. Et certè illa prophetæ lamentatio: Paruuli petierunt panem, & nõ erat qui frangeret eis: meritò locum habet, cùm hic catechismus omittitur in Ecclesia.

De doctrina populi.

Instruendi sunt igitur & parentes, & domini, & mariti, de cura in-

ra inferiorum & subditorum circa hæc præcipuè, vt catholicam doctrinam curent mente & opere tenere. Filij, serui, & inferiores omnes admonendi sunt, ad obedientiam maioribus præstandam. Coniugati, vel volentes contrahere, docendi sunt de sacramento matrimonij & legitimo vsu eius. Itaque opus est, vt nulli desit necessaria doctrina: siue diues sit siue pauper, siue infirmus siue sanus, siue tristis & desolatus, siue in prosperitate seu in lætitia vitam agat. Omnes enim noti esse debent parocho, & omnes priuatim ac publicè instruendi. Nam ad hoc pertinet, quod per Ezechielem dominus de diuersitate remediorum adhibendorum ouibus dicit, dum primò sic queritur: Quod infirmum erat non consolidastis, quod ægrotum non sanastis, quod confractum non alligastis, quod abiectum non reduxistis, quod perierat nō quæsistis. Et deinde promittit se hæc omnia facturum per bonos pastores. Vbi nihil aliud hæc omnia significāt, quàm diuersas esse necessitates animarū ac infirmitates, & diuersa eis adhibenda esse remedia. Hæc quidem debet pastor habere parata, & possunt ad manum haberi multa ex tertia parte pastoralis Gregorij: in qua ille, vt pastor diligens, collegit omnes ferè christiani populi secundum varia ingenia & status diuersitates: & quid singulis proponendum sit, docet. Vbi etiam aperit viam, vt ex scriptura multa alia mediocri diligētia colligi possint. Post illa quæ ad diuersos pertinent, etiam illa quæ communia sunt omnibus, & necessaria, non sunt omittenda. Immo & prius, & frequentius quàm alia tradenda. De timore videlicet Dei, & custodia mandatorum eius: de frequentandis sacramentis, pœnitentiæ maximè & eucharistiæ: de operibus pietatis, & eleemosynis: de modestia vestium, & ceterorum sumptuum. Ita enim in his omnibus modum seruare debent christiani, vt superfit quod in eleemosynas indigentium & pia opera expendant. Contra iram quoque, cōtumelias, detractiones, & reliqua vitia laborandum est: & contra illa præcipuè, in quæ procliuiores nouit suos subditos. Inter quæ etiam præcipuè contra frequentiam iurandi clamādum est, vt Chrysost. in homilijs: quas certè multum profuerit Parochis esse cognitas. Sūt enim plenæ doctrina necessaria populo, & pastorali solicitudine. Docere etiam debet de orādo frequenter, & cōueniendo in Ecclesiam ad doctrinam, sacrificium, & orationes: de quibus instruendi sunt, quomodo circa hæc se habere debeant. Si horum aliquid defuerit populo, valde sunt pastores accusandi. Ceterùm multa quoque alia ad hæc pertinent, quæ ipsa docebit experientia. Cap. 34.

Sacra-

De sacramentorum administratione.

Sacramentorum etiam participatio, quæ ad pastum pertinet ouium, diligenter est obseruanda a Parocho: ne videlicet vllus sine baptismo discedat per eius negligentiam. Quare & obstetrices, & omnes docere debet, quando baptisare debeant, & qua intentione, & quibus verbis: & ipse diligenter accurrere, cùm ad id vocatur. Ipsius est etiam curare, ne confessio aut communio alicui vel indigenti, vel petenti desit. Quare vt hoc fiat, eius est impedimenta omnia auferre, & facilè alijs confitendi facultatem concedere, aut aduocare ipse alios, quibus quandoq; multi libentius, apertius & plenius cõfiterentur: modo illi tales sint, quibus credi possit instructio & medela animarum: & hoc maximè circa infirmos curabit, ne desint eis hæc sacramenta simul & extrema vnctio: & vt dignè præparati illa suscipiant. Ob hoc igitur sunt frequentius visitandi, consolandi, instruendi de omnibus necessarijs: & adiuuandi etiam ad testamenta cõdenda, & ad facienda cetera quæ ad salutem necessaria sunt & expedientia.

Vita pastoris sit exẽplo alijs.

Exemplum etiam vitæ maximè curandum pastori. Vt videlicet pietas, religio, honestas, moderatio omniũ, & cetera ad quæ alios hortatur, in ipso splendeant. Vitanda quoque illi suspecta omnia loca, negocia, familiaritates &c. frequentanda verò sunt omnia illis contraria, & in primis ecclesia, in qua assiduus esse debet. Est in nonnullis locis sancta institutio, vt Parochi domum habeant coniunctam Ecclesiæ: quod vbi non est, sit saltem propinqua.

Pastoris etiam est corporali necessitati subditorũ succurrere.

Pastus etiam corporũ, subuentio videlicet necessitatum omnium quæ ad corpus pertinent, non dubium est quin curandus sit à pastoribus, & per eos, quantum fieri potest, subueniendum omnibus, ex proprijs quidem cùm possunt. Nam (vt dicit Gregorius) qui non dat ouibus substantiam suam, quomodo proilis dabit animam suam? Et cùm ex proprijs non possunt, admonere debent populum ac subditos, & superiores: ita videlicet, ne virginibus, pauperibus, orphanis, viduis, & infirmis sit ipsa ne-

Pastoris est pro se & populo orare.

cessitas occasio alicuius peccati, aut ne in illa deficiant. Inter hęc omnia nihil putamus magis esse necessarium pastori, quàm assiduam pro se, & pro suis orationem ac sacrificij oblationem: vt superiùs etiam diximus de omnibus ministris, & de parochis. Debent enim hi præcipuè memores esse, quòd ex officio parochi sit, aduocatum esse apud Deum: & quòd in agendo aduocatum debeat populo, quidquid commodè pro fragilitate humana præstare potest: vt, si non semper, quantum tamen patitur infirmitas huius vitæ, sæpe celebret, oretque pro populo, etiam si per alios

per alios hoc posit præstare. Quare non est, cur specialia stipendia ob specialia sacrificia, quæ à morientibus vel viuentibus solui solent, ille suscipiat. Nam quod in tali caussa præstare potest, ex officio vt parochus facere tenetur: quanquam quod secundum consuetudinem fit bona fide, non sit reprehendendum à priuatis. Ceterùm prælatorum est videre, quid expediat ædificationi Ecclesiæ.

Etiam materialis tẽpli, ornamẽtorũ &c. cura ad pastorẽ pertinet.

Vltimò tandem & temporalium bonorum Ecclesiæ, & fabricæ, ac munditiæ externæ altarium & ornamentorum, & eorum præcipuè vasorum, quæ ad asseruanda atque ministranda sacramenta necessaria sunt: cura pertinet ad parochum: vt (quantum ipsi de iure & consuetudine permittitur, & facultates Ecclesiæ patiuntur) hæc munda, ornata & nitida sint: & quod præstare non potest, ad superiores referat. Nec sunt ista contemnenda. Nam quamuis fateamur templa esse propter homines & viuẽtium templorũ primò habendam esse rationem: tamen per hæc consulitur & bene fit vtrisq; tẽplis. Nam munditia & decor externus, excitat etiam reuerentiam & deuotionem: & negligentia circa cultum externum sacratissimæ Eucharistiæ, maxima præcipuè, & qualis in multis apparet templis, testis est negligẽtiæ & irreuerentiæ animæ erga Deum: nec omnino sine culpa & quidem non minima, ac frequenter mortali atque grauissima, cùm in sacrario tanta immunditia & fragmẽtorum ipsius eucharistiæ neglectus ita inueniuntur, vt nullum non moueant. Hęc igitur de altera parte huius nostri laboris, quem ad instituẽdos simpliciores parochos suscepimus: atque ita de vniuerso opere dicta sufficiant.

FINIS.

Index

RERVM ET MATERIARVM HVIVS OPERIS INDEX.

A.

de Absolutione ab excommunicatione 224
in Absolutione quę verba rectè aut secus addantur 166
de Absolutione a minori excommunicatione 227
Ad absolutionem quid requiratur 170
Absolutionis forma mutationem patitur 166
Absolutionis a peccatis & ab excommunicatione collatio & forma. 225
Absolutionis verborum efficacia, significatio & veritas 166. 167
in Actu bono & malo tria consideranda & quę 346
Actum fidei subsequitur metus pœnæ, maximus ad pœnitentiã stimulus 116
Actus virtute includunt pœnitentiam venialium peccatorum & qui 151
Actuum humanorum circumstantiæ, & earum numerus 345
Actuum humanorum bonitas malitia, & quæ 544. 545
Actuum pœnitentis efficacitas 166
Actuum religionis diuisiones 111
Adulteram occidere, vtrùm liceat 318
Adulterium solum non dirimit matrimonium 305
Adulter an petere possit debitum coniugale 330
Adultis baptismum suscipientibus quæ dispositio sit necessaria ad percipiendum eius effectum 34
de Affectibus curandis 374
Affinitas etiam habet lineas & gradus, & de eo regula notanda 308
Affinitas etiam est impedimentum dirimens matrimonium 308
Affinitas quid? 308

Affinitas quomodo contrahatur 309
Ambrosij Catharini doctrina noua de paruulis sine baptismo morientibus cauenda 41
Amicos ditare ex bonis Ecclesie an liceat 381
Amor & velle, eorumque quantitas in quo sunt 144
de Amore sui, qui etiam infirmitas animi est. 366
Anabaptistarum erroris circa baptismum confutatio 38
Anima in quolibet peccato mortali à deo auertitur ad creaturam cui affectu & amore adheret, quando scilicet & quamdiu 99
Anima illustratur conuertendo se ad deum, & econtra 99.100
Animarum curam appetere, presumptuosum & periculosum est 8
ad Animarum pastum quæ pertineant 389
Animę medico tria cognoscenda diligenter 362
Animæ vegetatiuæ vires non subsunt imperio voluntatis 343
Animæ infirmitas explicatur 365
Animæ suprema potentia est ratio 338
A patrum auctoritate argumentari licet 56
Apostoli, quam rationem & ordinem secuti sint in colendo deum & cognoscendis ac annunciandis fidei mysterijs 17
Apostolica traditio de matrimonio notanda 273
Apparentia miraculosa specierum in eucharistia 78
Appetitus sensitiui actus qui 342
Appetitus sensitiuus quotuplex 342
Aqua lustralis benedicitur 89
Auaritia omnium malorum radix 366
de Auaritia vitanda & moderanda cupiditate 409
Auctoris arbitrium de ministris adstãtibus sacerdoti celebranti 91
Auctoris iudicium de libris de pœnitẽtia, qui diui Ambrosij dicuntur 158
Auctoris scopus atque consilium 4
Auctoris sententia de ordinibus 260

B.

in Baptizatis, quo sensu concupiscentia vocetur peccatum 31
Baptizatus omnis, siue infans siue adultus confirmari potest 49
Baptismi tres effectus & qui 29

Baptismi character nunquam deletur 35
circa Baptismi primum effectum. Lutheri error 30
Baptismi virtus multo maior, quàm olim circumcisionis 53
Baptismi materia forma, & definitio 27
Baptismi cæremoniæ quare sint institutæ 42
Baptismi tanta necessitas, vt etiam Christianorum infantes sine illo in fide parentum non saluentur 40
Baptismi singulæ ceremoniæ veterum testimonio confirmantur 43
Baptismi & confirmationis distinctio ab effectu 48
de Baptismi ministro & eo qui baptizatur 28
Baptismo verè iustificamur 31
Baptismo paruuli regenerantur sine proprio actu fidei 39
sine Baptismo morientes damnantur, etsi paruuli 41
in Baptismo, sponsionem nostro nomine factam probare aut rescindere non est nobis liberum 42
Baptismum suscipientibus quæ dispositio sit necessaria ad percipiendum effectum eius 44
ad Baptismum paruulorum quid requiratur 28
Baptismum suscipiendo deus colitur 30
Baptismi suscipiendi propositum, an & quando sufficiat 36
Baptismus fictè susceptus, remota fictione operatur 34
Baptismus cur non sit iterandus 35
Baptismus quatuor modis sine fructu & indignè percipitur 34
Baptismus quando cum conditione repetendus 35
Baptismus Ioannis longe alius fuit quam Christi 33
Baptismus sanguinis etiam paruulis ad salutem sufficit 41
Baptismus triplex 36
Baptismus est necessarius tanquam remedium, & non solùm quia præceptus 35
Baptismus non est tantùm signum remissionis peccatorum sed, &c. 32
Beneficia quædam an dari possunt pro pecunia 270
de Beneficiorum pluralitate 382
Berengarius primus veritatem corporis Christi in Eucharistia negans damnatus 56
Bigamia est impedimentum ordinis 333
Bigamiæ irregularitas, quibus modis incurratur 334
cum Bigamo an dispensari potest vt ordinetur 335
Bona Ecclesiæ diuisa in quatuor portiones, & quas 381

de Bonis ecclesiæ apertè excedentibus honestam sustentationem 381
Bonorum ecclesiasticorum diuisio non omnino excusat. 381

C.

Caluini error circa baptismum puerorum 38
Caluini falsa sententia de impositione manus 46
Caluino respondetur, ad suam de confirmationis sacramento obiectionem 45
de Castitate ministrorum ecclesiæ 378
Casus episcopis reseruati, qui 173
Casus quibus excommunicatis liceat communicare 222
Casus, quibus confessio reuelari possit 194
Casus perplexus in matrimonio 280
Catholici magis quàm Lutherani illustrant Dei gloriam in materia iustificationis 132
Cæremoniæ etsi ad baptismi integritatem non sint necessariæ, seruandæ tamen sunt ob Apostolicam traditionem. fol. 42
Cæremoniæ & ritus confirmationis 49
Cęremoniæ singulæ baptismi veterum testimonio confirmantur 43
Cęremoniæ baptismi quare sint institutæ 42
Celebratio paschæ potissima est inter omnes figuras veteris legis sacramentum Eucharistiæ adumbrantes 50
Cælibatus non est germanis institutus à Gregorio VII. 297
Characterē in impositione manus imprimi probabile est 261
Christiani vt minimum semel in anno tenentur communicare 73
Christiani & præcipuè clerici in prima & antiqua ecclesia in cōmuni vixerunt 379
Christianis non solùm quæ scripta sunt, sed etiam quæ ex sacris scripturis necessariò sequuntur, credenda sunt 77
Christi fideles quare ab altera specie abstinent 76
Christi præsentia in eucharistia probabilibus rationibus ostenditur 59
Christi sermo est operatorius 60
Christum Deo patri offerre quid sit 67
Christum hominibus offerri volunt hæretici, non deo Patri 67
Christus sub qualibet specie est, & quomodo 62

Christus voluit nós confiteri peccata nostra sacerdoti, & cur. 163
Christus non cõtentus Apostolos suos exemplis & verbis docuisse, dedit illis etiam spiritum sanctum &c. 16
Christus ex summo erga nos amore seipsum nobis reliquit. 59
Christus ad quid iam offertur 67
Christus quomodo excipiat causſam fornicationis 317
Christus manducatur in Eucharistia, sed non propriè 70
Circumstantiæ variantes speciem peccati quæ 187
Circumstantiæ circa actus matrimonij variæ, & quæ 329. 330
Circumstantiæ aliquando mutant speciem actus, aliquando verò tantùm augent aut minuunt 145
Clauium Ecclesiæ definitio secundum M.Sentent. & quotuplices sunt 215.216
Cleri insigne ornamentum est temperantia 378
Clericis quæ sint iure prohibita ad vitandam auaritiam, vel ob indignitatem 382
Clericis interdicta cohabitatio mulierum 383
de Clericorum concubinatu, temperantia cibi & potus, modestia & honestate vestium &c. 384
de Cognatione spirituali sequente matrimonium 311
Cognatio quædam spiritualis contrahitur ex catechismo. 323
Cognatio legalis oritur ex optione legitima 312
Cognatio spiritualis quomodo & inter quos contrahatur. 310
Cognatio spiritualis triplex, & quæ 310
Cognationes impedientes & dirimẽtes matrimoniũ quę 306
Cognationis linea quid, & quotuplex 306
de Cognationis dispensatione 311
Cognationis spiritualis impedimentum præcedens matrimonium, quousque extendatur 311
Communicandum sæpè, idque cum consilio confessoris 73
pro Communicantibus frequenter documentum saluberrimum 74
Communicare tenemur tempore necessitatis 73
Communicare tenẽtur Christiani vt minimũ semel in anno 73
Communicârunt etiã olim laici sub vtraque specie 76
Concilia à mille annis celebrata agnoscũt sacrificium 65

de Concupiscentia carnis,ac oculorum,& superbia vitæ 368
Confessarius explorare debet confitentis dolorem 373
Confessio & satisfactio duplex 194
Confessio quid interdum in scriptura significet 153
Confessio sacramentalis Apostolorum tempore vsitata fuit, & etiam in veteri lege quædam confessio fuit necessaria 155 156
Confessio sacramentalis præcedere debet sumptionem sacramenti Eucharistiæ 82
Confessio informis est & ficta ob defectum contritionis 177
Confessio peccatorum frequens 167
Confessio indocto sacerdoti facta,an sit irrita 174
Confessio peccatorum cui facienda 170
Confessio peccatorum quo tempore facienda 169
Confessio quibus casibus reuelari possit 194
Confessio pluribus vel publicè facta est sacramentalis 192
in Confessione mendacium vitandum 192
de Confessione per interpretem, nuncium,vel literas 193
Confessionem audienti quotuplex scientia est necessaria 361
Confessionem audientium instructio 374
Contra confessionem obiectio, eiusque refutatio ex Chrysostomo 160
Confessiones audienti quid notandum 361
Confessionis necessitas à quo instituta 154
Confessionis conditiones,quot,quæ & quales sint 175. 176. 177
Confessionis secreti quanta obligatio 194
Confessor scire debet pertinentia ad matrimonium 272
Confirmatio imprimit characterem,atque ideo repetenda non est 48
ad Confirmationem accedere debent adulti,& qua animi præparatione 49
Confirmationem esse veræ nouæ legis sacramentum docetur varijs testimonijs 44
Confirmationis minister solus episcopus est 48
Confirmationis sacramentum quanta reuerentia episcopus cõferre debeat 49
Confirmationis institutio 46
Confirmationis ritus & cæremoniæ 49
Confirmationis sacramentum,nunc manus impositionis,nunc chrismatis appellatur 46

Confirmationis sacramentum qua ratione sit dignius baptismo 47
Confirmationis materia, forma, operatio, & effectus 47
de Confirmationis sacramento, patrum testimonia 45
Confirmationis significatio mystica 48
Confirmationis quanta sit necessitas 49
Congressus viri cum fœmina est naturalis, necessarius, & meritorius 324
Coniuges quando possunt esse certi de veritate sui matrimonij 279
Coniugium infidelium quale sit 314
Coniunx innocens, potest adulterum dimittere, sed non temerè 315
Consanguinitas quid 306
Conscientia quanta diligentia examinanda 190
Conscientiæ puritas, necessaria ad audiendas confessiones. 175
Consecrationis calicis verba, exponuntur 53
Consensus in matrimonio necessariò debet per signa exteriora exprimi 280
Consensus in actum peccati consummat peccatum 354
Consideratio mystica, efficacissima, & saluberrima circa eucharistiam 79
Consilium saluberrimum de matrimonio, & populo sæpè prædicandum 277
de Constitutionum humanarum transgressione 347
Consuetudo probata non temerè est mutanda 87
Conuersionem in eucharistia, solus Deus operatur, eamque solus intelligit 60
Conuerso licet cum vxore adhuc infideli manere 313
Continentia ministrorum ecclesiæ tempore Apostolorum fuit in vsu 292
Continentia & vita cælebs Ecclesiæ ministris conuenit. 291
Continentiæ voti etiam Græca antiquissima concilia meminerunt & puniunt votifragos 292
Continentiæ donum amitti & iterum recuperari potest. 303
de Continentiæ voto antiquissima testimonia 300
Continentiæ commendatio 289
Contractus matrimonij debet esse publicus 321

Contritio pœnitentiæ sacramenti pars 166
ad Contritionem perfectam quid requiratur 137.138
Contritionem de peccatis magis peccatorem efficere, erroneũ est 104
Contritionis dolor an sit perfectus, ex quibus æstimandum 184
Contritionis defectus non faciens absolutionem irritam, duplex 183
de Contritionis defectu, propositiones tres, cum responsione argumentorum econtrario 183
Corpus Christi quando desinat esse in sacramento Eucharistiæ 65
Corpus Christi non est in Eucharistia localiter, nec passibiliter, nec sensibiliter 62
Corpus & sanguis Christi post consecrationem non minus realiter sunt sub speciebus quàm antea panis & vinum. 62
ad Cultum pertinentia magis ex traditione & spiritus sancti illustratione quàm ex scriptura petenda sunt 17
Cultus externi magis necessarij sunt paruulis & infirmis quàm perfectis 14.15
Cultus ecclesiæ christianæ eius statui debent respondere 13
Cultus verus & certus Dei est in ecclesia Christi 12
Cultus exteriores in noua lege minimè sunt negligendi. 14
Cultus verus Dei & Ecclesia vera separari nequeunt 12
Cultus septem exteriores & proprij nouæ legis à quo instituti 20
Cultus externos in noua lege conueniebat esse paucos, faciles, magnæque virtutis 15
Cura repurgandi scholas & tollendi malas consuetudines ad pastorem pertinet 389

D.

Debitum coniugale, quomodo & quando petenti negare liceat, oporteat, aut non 330
Defunctis, quibus operibus subueniatur 213
Dei gratiæ infusio prior est & caussa motus liberi arbitrij atq; iustificationis 123
Dei veram dilectionem aut actum ex illa prodeuntem non esse sine explicata pœnitentia verisimile est 105

Dei verbum latiùs patet quàm scriptura 16
de Delectatione quæ ex cognitione percipitur 354
Deus non semper in sacramento pœnitentiæ supplet defectum pœnitentis 184
Deus non tantùm perfectam pœnitentiam, sed etiam primos & imperfectos motus eius gratis in nobis operatur.
Deus respicit bona opera peccatoris ante iustificationem tanquam sua dona 120
Deus qualiter super omnia amandus 143
Deus intensiue magis diligendus quauis alia re 141
De dispensatione & interpretatione legis humanæ 357
Distinctio bonorum ecclesiasticorum 380
Distinctio caussæ contrahendi matrimonium notanda 328
Diuisio intellectus & rationis 338
Diuisio bonorum ecclesiasticorum non omnino excusat 381
De diuortijs 336
Diuortium propter quæ fieri potest 315
Doctrinæ catholicæ summa de confessione sacramentali 154
Documentum saluberrimum pro ijs qui frequenter communicant 74
Dogmatum multorum fidei apud antiquos rara est mentio, & quare 274
Donum gratiæ remissionis peccatorum quantum 147

E.

Ecclesia vniuersalis sola quædam potest mutare 87
in Ecclesia, quid nomen clauium significet 214
in Ecclesia nullus habet potestatem, nisi ei à præposito ecclesiæ traditur 257
Ecclesia Latina in sacra Eucharistia azymo pane vtitur, Græca fermentato 87
Ecclesia quid sit, & quę eius signa 19
Ecclesia non est crudelis dum excommunicat 219
Ecclesiæ ministri non sunt astricti ad paupertatem 380
Ecclesiæ bona diuisa in quatuor portiones, & quas. 380
Ecclesię præcepta & constitutiones, & earum distinctiones. 357.358

ad Ecclesiæ sensum in omni dubio necessariò est confugiendum 56
Ecclesiæ consuetudo seruanda de immergendo aut aspergendo illo qui baptizatur 28
Ecclesiæ christianæ status & dignitas, & cum quo conferatur 13
Ecclesiæ statui conuenit internos cultus primos & præcipuos esse 14
Ecclesiæ relictam esse libertatem circa cultus exteriores quomodo intelligendum sit 18
Ecclesiæ status etsi perfectus sit, sunt tamen in ea paruuli. 13.14
Ecclesiæ ministri an populi testimonio atque suffragio sint eligendi 264
Ecclesiæ ministros continentia decet 291
Ecclesiæ caput vnum est 252
de Ecclesiasticis legibus & ciuilibus 356
Ecclesiasticorum bonorum distinctio 380
Effectus proprius sacramenti matrimonij 312
Episcopi & parochi comparatio in animarum cura 386
Episcopi functiones quæ sint 250
Episcoporum, sacerdotum, & diaconorum distinctio 248
Episcoporum oculi qui dicantur 248
ad Episcopum pertinet prædicandi officium tanquam maximum, propriè, & principaliter 251
Episcopus potest in sua ecclesia ordinare nouas cæremonias ad reuerentiam sacramentorum, & populi deuotionem. 86
Episcopus solus, est confirmationis minister 48
Episcopus ordinari non potest, qui non est priùs sacerdos. 260
Erasmus & iuristæ quidam de præcepto confessionis aliter sentientes reprehenduntur 163
Errores hæreticorum circa pœnitentiam 96
Errores impedientes matrimonium, idque nullum reddentes, qui 280
Erroneum est veram pœnitentiam esse non deinceps peccare 104
Erroneum magis est quod contritio de peccatis magis peccatorem efficiat 104
in Eucharistia manducatur Christus, sed non propriè 70

in Eucharistia aqua vino miscenda est 87
Eucharistia verum lignum vitæ 79
in Eucharistia quatuor sunt considerandа & quæ 79
Eucharistia sacra vnit nos Christo & ecclesiæ 79
Eucharistia sacra commissa peccata tollit, & à futuris præseruat 80
Eucharistia sacra rectè circumfertur 73
Eucharistia ad quanta bona conducat 73
Eucharistia eleuabatur tempore Apostolorum 77
Eucharistia si consecrata vel seruata fuisset tempore tridui sepulturę Christi, quid? &c. 62
in Eucharistia, forma consecrationis panis, & sanguinis. 52
in Eucharistia verum esse corpus Christi testantur varij. 54. 55
Eucharistia est excellentissimum sacramentum 50
Eucharistia non est danda paruulis baptizatis 39
Eucharistia sacra non nisi à ieiunis est sumenda, excepto casu infirmitatis 88
in Eucharistia accidentia vim substantiæ habent 64
Eucharistia maximum sacrificium est, & peccata expiat. 65
Eucharistia est verum & propriè dictum sacrificium 65
Eucharistiæ & aliorum ciborum differentia 79
Eucharistiæ virtute cetera sacramenta gratiam conferunt. 80
Eucharistiæ minister solus sacerdos est 84
Eucharistiæ sumptionem debet præcedere sacramentalis confessio 82
Eucharistiæ fructus sæpè populo est prædicandus 81
Eucharistiæ fructum vtrum peccata venialia impediant. 83
Eucharistiæ sacræ fructus omnes reducuntur ad promotionem in omne bonum, & ad liberationem ab omni malo 78
in Eucharistiæ adoratione nullum idololatriæ periculum. 77
Eucharistiæ non sunt paruuli capaces 72
Eucharistiæ sacramentum voto susceptum operatur 70
Eucharistiæ sacramentum est ex sua natura & ex præcepto ecclesiæ necessarium ad conseruandam & augendam gratiam

tiam 72
in Eucharistiæ sacramento, qui dubia vtitur materia grauiter peccat 51
Eucharistiæ sacræ sacramentalis perceptio non est absolutè ad salutem omnibus necessaria 71
Eucharistiæ manducatio duplex 70
Eucharistiæ sacramentum perfectiùs nobis vnitur quàm alia 70
Eucharistiæ materia quæ 51
Eucharistiæ sacramentum quantum à ceteris differat 51
Eucharistiæ sacramenti institutio 50
Eucharistiæ sacramenti varia nomina 50
Eucharistiam sacram sumpturus debet esse immunis ab omni peccato mortali 81
Eucharistiam sacram sumens, & sibi de peccato mortali conscius, grauissimum sacrilegium committit 81
Ad Eucharistiam accedere melius est, quàm abstinere. 74
de Execratione & obduratione 370
Excommunicandi potestatem quis habeat 224
in Excommunicando quæ seruanda 221
Excommunicari quis debet tantùm propter mortale peccatum 220
Excommunicatio minor quando incurratur 226
Excommunicatio quid sit & quotuplex 217
de Excommunicatione Lutheranorum sententia & eiusdem confutatio 218
Excommunicationis casus quatenus noti esse debeant confessori 226
de Excommunicationis casibus 226
de Excommunicationis sententia iniusta propositiones tres, & quæ 221
Excommunicatis quibus casibus liceat communicare 222
Excommunicato quibus interdictum sit, & sub quo peccato. 221
Excommunicatos, quomodo & sub quo peccato debeant vitare fideles 222
Excommunicatus quibus bonis priuetur 218
Excommunicatus qua communione priuetur 217
Excommunicatus generaliter & non denuntiatus, efficaciter absoluit 174

Excommunicatus neminem potest absoluere, et si tentet, irrita est absolutio 173

F.

Fornicationis causſam quomodo Christus excipiat 317
Fructus pœnitentiæ sunt etiam iustitiæ & legis Dei opera. 120

G.

Gradus sacerdotis sublimior est monachatu 375
Gradus malitiæ tres & qui 368
Gradus nuptiarum quatuor, & qui 331
de Graduum distantia in linea collaterali matrimonium impediente propositiones, quot & quæ 306.307.308
Græcorum & Bohemorum error, dicentium paruulis esse necessariam Eucharistiam, confutatur 71
Gratiæ diuinę operatio quomodo distinguitur à bonis operibus 117
Grauitas furti, iniuriæ &c. 187.188

H.

de Habitibus bonis & malis 343
Habitus in quibus animæ potentijs sint 344
Hæretici quoque ordinant 262
Hæretici non possunt credere verum corpus Christi esse in Eucharistia, & quare 59
Hæretici satisfactionem reprehendunt 198
Hæretici peruertunt ea quæ negare non possunt 65
Hæretici impiè calumniantur missas priuatas 90
Hęretici iniquè calumniantur catholicam doctrinam de pœnitentia 95
Hæretici noui antiquis peiores 294
Hæretici quid reprehendant in catholicis de matrimonio. 272
Hęreticorum sententia de canonibus pœnitentialibus confutatur 199
ad Hæreticorum calumnias contra ordines responsio 254. 255
Hęreticorum calumniæ de matrimonio, & ad eaſdem responsio 275

Hæreticorum oppositio contra legem cælibatus, & ad eandem responsio 294.296
cum Homine in extremis constituto quomodo agendum 109
Hominis status triplex 336
Hostiam sacram seruare consuetum fuit ante mille ducentos annos 76
Hostiam vnam contrahere possunt plures sacerdotes 84

I.

Ignorantes instruendi sunt de peccatis 373
Indulgentiæ quibus argumentis confirmentur & probentur. 227 228.229.230
Indulgentiæ ob quam causam concedi possunt 137
Indulgentiæ etiam defunctis prosunt 239
Indulgentiarum primus hostis Io. Vvicleph 229
Indulgentiarum dispensator quis sit 231.236
de Indulgentiarum valore quæstiones 233
Indulgentiarum anni & dies quomodo sint intelligendi 235
Indulgentiarum qui sint capaces 237
per Indulgentias quæ pœnæ & satisfactiones relaxentur, 235
Indulgentias negare quàm erroneum sit 231
Infideli volente cohabitare, non potest fidelis aliud matrimonium contrahere, secus si cohabitare nolit 313
Infirmi quomodo monendi sunt ad suscipiendum extremam vnctionem 243
Infirmitas animæ explicatur 365
Infirmitas quomodo partim excusat peccatum 365
Initium boni & mali apparet magis esse à voluntate quàm ratione 369
Imperfectio doloris certè cognosci potest, sed non perfectio. 184
Instructio eorum qui confessiones audiunt 374
Intellectus & voluntas, eorumque operationes inter se comparantur 339
Intellectus & voluntas inchoant actiones, & in eis progrediũtur, & quomodo 339
Intellectus diuisio 338
Inuoluntarium non facit metus 341
Iurisdictio necessaria est ad absoluendum à peccatis, præter potestatem ordinis, & quare 170

Iustificatio impij quid sit, & quid iustificationis nomen significet 121.122.125
Iustificatio impij subitò fit 122
Iustificatio non tribuitur nostris meritis, sed fidei quæ per dilectionem operatur 131.132
ad Iustificationem necessaria est diuinæ gratiæ infusio 122
ad Iustificationem adulti necessaria est detestatio peccati. 124
ad Iustificationem impij quatuor concurrunt, & quæ. 122
Iustificationis consummatio quæ sit 125
Iustificationis gratia populo commendanda 147
Iustificationis promissio, & non iustificatio fide accepta-tur 130
an Iustificentur homines sola fide, & sine operibus 129
Iustitia humana in quo constituta 129
Iustitia hominis iusti potest ferre iudicium 127
Iustitia inhærens 127
de Iustitiæ Christi imputatione 128
ex Iustitię imputatione quę inconuenientia sequantur 128

L.

Laici etiam olim sub vtraque specie communicârunt 76
Lectio horarum non excusat clericos ab alijs exercitijs pietatis 385
de Legibus ecclesiasticis & ciuilibus 356
de Legis humanæ dispensatione & interpretatione 357
Legitimi filij qui sint 336
Libelli repudij causa 319
de Libello repudij 318
Liberi arbitrij motus necessarius est ad iustificationem adulti conuertentis se ad Deum 124
Liberi arbitrij motus in iustificatione sunt effectus gratiæ, &c. 123
Ligamen præcedens matrimonium dirimit sequens 306
In Linea recta de numero graduum consanguinitatis regula 306
Lutheranorum error circa primum effectum baptismi. 30
Lutheranorum sententia de iustitia hominis 125

de Ma-

M.

de Malitia voluntatis curanda 374
Malitiæ gradus tres & qui 368
Manichęorum & Pelagianorum errores circa baptiſmum paruulorum 37
Marito non licet ad aliam accedere etſi vxor conſentiat. 320
Matrimonia clandeſtina, ab eccleſia decerni nulla, optant multi. 322
Matrimonij impedimenta duodecim, & quę 283
Matrimonij deſcriptio cum aſſertione quòd ſit verè ſacramentum 272
Matrimonij bona quæ 274
Matrimonij ſacramenti materia quæ 284
Matrimonij alia tria impedimenta, & quæ 303. 304
per Matrimonij ſacramentum vtrùm gratia conferatur contrahentibus, duabus propoſitionibus ſoluitur 276
Matrimonij vſus, laudes, & bona quomodo populo proponenda 332
de Matrimonij vſu ob ſolam fornicationem euitandam. 317
de Matrimonij contractu ob voluptatem 327
Matrimonij vinculum non poteſt diſſolui, niſi per mortem alterius 316
Matrimonij vinculum ſupernaturale eſt, & ex cauſſa ſupernaturali 275
Matrimonij contractus debet eſſe publicus 321
de Matrimonij contractu conditionato 282
Matrimonij forma 280
Matrimonij bona, tria ſunt, & quæ 326
Matrimonij ſacramentum non habet miniſtrum proprium. 312
Matrimonij effectus proprius 312
de Matrimonio conſilium ſaluberrimum & populo ſæpè prędicandum 277
in Matrimonio gradus triplex 312
Matrimonio quo fine vtendum 328
de Matrimonio fidelium non conſummato 314
Matrimonium poſſunt contrahere filij etiam inuitis parentibus, etſi peccent 281

Matrimonium contrahere quædam impedimenta impediunt, alia contractum dirimunt 283
Matrimonium etiam à seruis contrahi potest 281
Matrimonium quomodo sit sacramentum nouę legis 278
Matrimonium quæ vota impediant contrahendum, & contractum dirimant 288
Matrimonium infidelium an sit sacramentum 277
ad Matrimonium pertinentia etiam confessor scire debet. 272
an Matrimonium sit quando quis sciens cum impotente contrahit 286
ad Matrimonium quid requiratur 279
Matrimonium alijs sacramentis posterius est dignitate & necessitate 272
Matrimonium à quo & quando iustitutum 278
an Matrimonium impediant vis & metus 281
Matrimonium non consummatum soluitur per ingressum religionis 314
Matrimonium impediunt septem peccata, sed non dirimunt, & quæ 323
Matrimonium occultè contrahere licet nonnunquam 322
Matrimonium contrahendum impedit ecclesiæ vel iudicis interdictum, sed non dirimit contractum 322
Matrimonium contrahentes tribus modis peccant, & quibus 328
Matrimonium non possunt contrahere qui vsu rationis sunt destituti 280
Matrimonium impediunt, idque nullum reddunt errores, & qui 280
Matrimonium clandestinum, eiusque vsus peccatum mortale est 321
Matrimonium non dirimit adulterium solum 305
Matrimonium Christiani cum hęretico vel apostata est ratum 304
Matrimonium impediunt votum simplex castitatis & sponsalia, & quomodo 323
Matrimonium impedit publicè honestatis iustitia, & quomodo. 309
Matrimonium impedit & dirimit cognatio naturalis, spiritualis, & legalis 306
Matrimonij precedens ligamen, dirimit sequens 306

de Ma-

de Matrimonium contrahentium intentione 327
Medicina adhibenda est propter præterita & contra futura peccata 361
Medico animę tria diligenter cognoscenda 362
Metus non facit inuoluntarium 341
Minister celebrans debet vtramque speciem sumere 75
Minister sacerdotis celebrantis qualis esse debeat 91
Ministri ecclesię eximia sanctitate & doctrina clari ferè omnes vixerunt cælibes 291
Ministri ecclesię quę notare debeant in exigendis temporalibus 269
Ministri ecclesię non sunt astricti ad paupertatem 380
Ministris ecclesię debetur sustentatio, maximè prędicatoribus 267
de Ministrorum ecclesię castitate 383
de Ministrorum Christi pietate & religione 377
Ministros ecclesiæ continentia decet 291
Missa quæ vna omnibus prodest, quare toties repetatur. 69
in Missa quando aliquid iterandum, & quando non, &c. 92
Missa latina lingua rectè celebratur 91
in Missa recte & inuocantur beati & oratur pro defunctis. 91
Missæ sacrificium ex opere operato gratiam impetrat. 68
Missę sacrificio deuotè astare meliùs est quàm vt pro se celebretur curare 69
Missæ sacrificium nihil derogat sacrificio Christi 66
Missę sacrificium non typicum est, sed verum, incruentum tamen 66
Missæ sacrificium à quo institutum 65
Missæ omnes ritus ab ecclesia præscriptos seruare quàm necessarium sit 92
in Missæ sacrificio hoc ipsum in altari offertur, quod in cruce oblatum est 67
Missæ sacrificium prodest illis qui ei fide & charitate vniuntur 68
Missæ sacrificij fructus & valor 67
Missas priuatas impiè calumniantur hæretici. 90

Necta-

N.

Nectarius dicitur confessionem abrogasse 160
Nuptiæ plures non sunt illicitæ 333
Nuptiarum gradus quatuor, & qui 331
Nuptias celebrare quibus diebus anni non liceat 322

O.

de Obliuione & incogitantia rerum spiritualium curanda. 373
Occcidere adulteram vtrùm liceat 318
Opera bona peccatoris ante iustificationem respicit Deus tanquam sua dona 120
Opera quibus defunctis subuenitur 213
Opera præcedentia iustificationem an bona sint an mala, & an eam mereantur 118.120
Opera bona in peccato facta post pœnitentiam meritoria non fiunt, non tamen sunt inutilia 110
Opera alterius quomodo & ad quid prosint, vel non prosint. 211
de Operibus tribus satisfactorijs 371
Oratio & oblatio malorum ministrorum quomodo Deo grata 85
de Ordinandorum dispositione 263
de Ordinandorum examinatione quædam notanda 263
Ordinari in peccato mortali sacrilegium est 263
Ordinati habentes beneficium, & monachi quæ notare debeant 267
Ordinatus per saltum est verè ordinatus 260
in Ordine Episcoporum diuersi sunt gradus dignitatis & qui. 252
Ordinem impedit bigamia 333
Ordines etsi plures sint vnum tamen est sacramentum ordinis 258
Ordines ecclesiastici inferiores qui 249
Ordines ecclesiastici supremi, qui sint 247
Ordinis capaces qui sint, & qui non 262
per Ordinis sacramentum gratia confertur 258
Ordinis potestas visibili signo traditur 257
Ordinis sacramentum characterem imprimit 258
Ordinis sacramenti forma, & materia quę 260

Ordinis sacramenti minister quis 262
Ordinum ecclesiasticorum inferiorum officia, & quæ 253.254
Ordinum minorum ministri qui 262
Ordo sacer matrimonium impedit cõtrahendũ, & dirimit contractum. Non item ordo non sacer 287
Ordo est verum sacramentum 256
Ordo superior quomodo non presupponat inferiorem 260
Ordo episcoporum ab ordine sacerdotum diuersus est 251

P.

Papa preuilegium concedit audiendi quoslibet vel confitendi cuiuis 172
an Papa dispensare potest in voto solemni 289
Papæ nihil reseruatur nisi propter excommunicationem 173
de Parochi diligentia circa extraneos 388
Parochis tria sunt cognitu necessaria preter sacramẽtorum notitiam 337
Parochus ante omnia debet residere in sua paræcia 387
Paschæ celebratio potissima est inter omnes figuras veteris legis sacramentum eucharistię adumbrantes 50
Pastor vnde debeat instructionem petere 387
ad Pastoris officium pertinentia, ad tria capita reuocantur 387
ad Pastorem pertinet cura repurgandi scholas & tollendas malas consuetudines 389
ad Pastorem etiam pertinet materialis templi, ornamentorum vasorum, &c. cura 391
Pastoris etiam est corporali necessitati subditorum succurrere 390
Pastoris est singulas oues cognoscere, quantum fieri potest 388
Pastoris vita, aliis sit exemplo 390
Pastoris est pro se & pro populo orare 390
Pastoris est tollere ac auertere scandala & pericula 388
Patres aliquãdo prudenter quædam certa fidei mysteria noluerunt aperte scribere 58
Patres legendo tria sunt obseruanda 57
Pauli locus de iustificatione exponitur 130
Peccandi & pœnitendi cõsuetudo quàm periculosa, & quomodo populus ab ea deterrendus 113
Peccantis post pœnitentiam maior est ingratitudo, quàm qui primò peccat. 112
Peccantis iterum post pœnitentiam ingratitudo non est speciale peccatum 113

Peccat grauiùs cui sæpiùs aut plura peccata priùs remissa sunt 112
Peccata per pœnitentiam remissa quomodo redeant & non redeant per subsequens peccatum 111.112
Peccata septem matrimonium impedientia sed non dirimentia, quæ 323
Peccata nostra non possumus perfectè nostris viribus compensare & expiare 94
Peccata venialia & mortalia quomodo discernēda in genere 355
Peccata venialia à mortalibus discernuntur tribus regulis, & quibus 355.356
Propter peccata præterita & contra futura est adhibenda medicina 361
Peccata sacerdotum sunt grauiora peccatis monachorum 37
Peccata ipsa sunt morbi, & aliorum peccatorum causæ 366
Peccata capitalia septem & quare sic vocentur 367
Peccata remittuntur adeo recipiente peccatorem in gratiā suam sine omni diuinæ voluntatis mutatione 103
Peccata remisit Christus etsi sine sacramento, non tamen sine pœnitentia 104
Peccata quando remittuntur non tantùm teguntur sed verè delentur 102
Peccata remissa non omnino redeunt 112
Peccata quatuor singularis ingratitudinis quæ 113
Peccata quomodo nobis remittantur 148
Peccata singula quatenus detestanda 136
Peccata venialia & eorū pœnitentia nō sunt parui facienda 152
Peccata venialia quomodo & qua ratione remitti dicantur 152
Peccata delectationis in cogitatione etiam ad rationem pertinent, sed inferiorem propriè 350
Peccata reseruata quomodo confitenda 189
Peccata confitendi varia ratio 154
Peccati incrementa quæ 368
Peccati mortalis & venialis nomina 348
Peccati mortalis & venialis distinctio 346
Peccati principium in nobis vnde 369
ex Peccati malitia quid? &c. 367
Peccati remissio quid propriè sit 101
Peccati remissio aufert maculam animę &c. 101
Peccati grauitas quanta 147
Peccati principium est mala cogitatio 350

Peccati definitio secundum B. Augustt. 346
Peccati dolor duplex & qui 13
ad Peccati venialis remissionem quid requiratur 152
Peccati suggestio 350
in Peccato omni mortali est conuersio ad bonum aliquod & auersio à deo 346
Peccato remisso per pœnitentiam nihil vetat sæpe restare pœnam temporalem 109
Peccator non dicitur quis à pœna peccati quæ bona & à deo est 101
Peccator ante iustificationem iram magis meretur quàm misericordiam 120
Peccatoris voluntas ante iustificationem semper deo displicet 120
Peccatorum causſæ quæ & quæ à peccato excusent, & quæ non 363 364.365
Peccatorum distinctiones 358.359.360
Peccatorum pœnitere (vt oportet) est actus quodammodo Iustitiæ vindicatiuæ 94
de Peccatorum remissione non debemus esse securi 133
Peccatorum mortalium species, Numerus & circumstantiæ cõfitendæ 186
Peccatorum confitendorum casus 169
Peccatum nulli deus remittit sine eius conuersione & mutatione 103
Peccatum consummat consensus in actum peccati 354
Peccatum ex malitia est ceteris grauius 368
Peccatum nulli adulto etiam in baptismo remittitur sine pœnitentia 104
Peccatum mortale non remittitur sine pœnitentia 103
Peccatum remittere non est idem quod nolle ipsum punire aut imputare 102
Peccatum & rectitudo in quibus inueniuntur 344
Peccatum manet post actum peccati in anima cum auersione & macula contracta 101
Peccatum consequuntur mala velut effectus quidam 100
Peccatum non posse committi post pœnitentiam, siue charitatem amitti, erroneum est 106
Peccatum nullum est quod in hac vita per pœnitentiam deleri non possit 106
Peccatum veniale gratis à deo remittitur 150

Peccatum veniale quibus non remittatur 151
Peccatum delectationis in sola cogitatione illicita quantum sit 353
Peccatum quomodo sit veniale 349
ad Peccatum tria concurrunt, & quæ 349
Peccatum veniale est dispositio ad mortale 348
Peccatur ex malitia duobus modis & quibus 367.368
pro Pecunia.obsequio,& adulatione,spiritualia non possunt dari nec recipi 271
Philippi Melancthonis & Caluini errores circa baptismum 32
Pœnæ quæ par indulgentias relaxantur 235
Pœnitendi facultas non subtrahitur obstinatis, sed gratia qua pœniteant aut pœnitere velint 108
Pœnitendi facultas an nunquam homini in hac vita subtrahatur 108
Pœnitendi gratia oratione à deo petenda 146
Pœnitens debet reformare affectus suos & quomodo 148
Pœnitentia virtus,ad sacramentum pœnitentiæ necessaria, tanquam materia 93
Pœnitentia est necessaria velut medicina, eamque naturalis ratio dictat 93
de pœnitentia,scripta veterum 95
Pœnitentia triplex & quæ 96
Pœnitentia tantùm pro peccatis nostra voluntate commissis agenda 96
de Pœnitentia publica & canonibus pœnitentialibus 370
Pœnitentia Dei donum est 95
de Pœnitentia catholicam doctrinam iniquè calumniantur hæretici 95
Pœnitentia nõ potest perfectè à charitate aut qualibet alia virtute produci sed iuuari 94
Pœnitentia vera coniunctã habet solicitudinem de futuris peccatis vitandis 362
Pœnitentia vera agi quidem potest in vltimo vitæ articulo, sed admodum difficulter 109
Pœnitentia actualis an sit necessaria, an verò implicita sufficiat? 104
in Pœnitentia fidei actus omnium primus 115
Pœnitentia ex gratia & libero arbitrio pendet 107
Pœnitentia vera & charitas non est otiosa sed necessariò fructus profert 143

Pœnitentia animi & amor dei debent omnes alios voluntatis affectus excedere 143
Pœnitentia necessaria est peccanti mortaliter tanquam remedium, quibus casibus, quando, & quorum 133.134.135.136
in Pœnitentia quid requiratur 140.141.143.145
Pœnitentia sufficiens ad remissionem peccati quæ 137
sine Pœnitentia qui confitetur, an satisfaciat precepto ecclesiæ de confitendo 184
Pœnitenti, à timore pœnæ progrediendum est ad spem, & hæc quoque metu temperanda est 116
Pœnitentiæ nomen quid significet 93
Pœnitentiæ virtutis testimonia vtriusque legis 93
Pœnitentiæ virtutis partes tres, quę, & cuius virtute confirmentur 97
Pœnitentiæ diuisio 97
Pœnitentiæ virtutes hęretici inter se discordes falsò constituunt 98
Pœnitentiæ sacramenti sola susceptio non sufficit ad remissionem peccati 130
Pœnitentiæ sacramenti forma, quæ sit 166
Pœnitentiæ sacramentum quæ constituant 164
Pœnitentiæ actus seu gradus, quot sint, & quomodo in nobis non semper oriuntur ex eodem principio 115.116.117
Pœnitentiæ secundæ non esse locum erroneum est 106
Pœnitentiæ actus, neque omnes simul neque explicitè semper concurrunt 115
Pœnitentiæ fructus sunt etiam iustitiæ & legis dei opera 120
Pœnitentiæ primum initium est gratia dei cõuertentis cor peccatoris ad se 114
Pœnitentiæ & iustificationis donum, maximi faciendum, & quare 146
Pœnitentiæ excessus & charitatis ex presenti voluntatis statu metiendus est 144
Pœnitentiæ veritas & integritas exploranda ex operibus 149
Pœnitentiæ veræ indicium 149
Pœnitentiæ sacramenti materia, quę sit 165
Pœnitentiæ sacramenti institutio 164
Per pœnitentiam restitui merita ante peccatum cõparata & per peccatum amissa verisimile est 110
Pœnitentiæ virtutis definitio 94
circa Pœnitentiam errores hæreticorum 96

Pœnitentiam veram esse non deinceps peccare erroneum est 104
Per pœnitentiam, quæ virtutes per peccatum amissæ restituantur, & quæ non 110
Pœnitentiam agere possumus de omni peccato quamdiu hęc vita durat 107
Per pœnitentiam resurgens, non semper maiorem aut tantam gratiam recuperat quantam amiserat 111
Pœnitere(vt portet) peccatorum, est actus quodammodo Iustitiæ vindicatiuæ 94
de Populi doctrina 389
Potentia suprema animæ est ratio 338
Potentiæ animę rationi obedientes & repugnantes quę 341. 342
Precium nullum temporale accipere licet pro administratione spiritualium 267
Prælatus concedit subditis vt alteri confiteantur 172
Propositiones de distantia graduum in linea collaterali impediente matrimonium 307.308
Propositiones tres de defectu contritionis cum responsione argumentorum econtrario 182.183
de Purgatorij pœna 209
Purgatorij confirmationes quæ 204.205.207
de Purgatorio aduersariorum obiectio, & ad eandem responsio 208

R.

Ratio cum sensibus comparatur 338
Ratio est suprema potentia animæ 338
Ratio facilior & certior discernendi peccatum veniale à mortali 356
Rationis diuisio 338
Rationis consensus aut dissensus quando sit plenus 353
Rationis imperium ad quas potentias se extendat 343
de Rationis consensu vel dissensu non pleno 353
Rationis imperium in alias animæ vires 341
Reatus hærer in anima post actũ peccati sicut macula, ob quam deo displicet 99
Reatus pœnę etiam consequitur peccatum 100
Reatus culpę alius à reatu pœnę 101
Regula de numero graduum consanguinitatis in recta linea 306

Religio & dei cultus, inter illa ad quæ iure naturali sumus obligati, primum locum tenet 10
de Religione & pietate ministrorum Christi 3
Religionis actuum, diuisiones 11.12
de Remedijs adhibendis contra peccata futura 373
de Restitutione bonorum Ecclesiæ 381
Ritus absoluendi, qui 168
Ritus omnes missæ ab Ecclesia præscriptos seruare, quàm necessarium sit 92

S.

Sacerdos debet scire scripturam ad discernendum peccata 357
Sacerdos debet iudicare de examinatione conscientiæ & dolore confitentis 190
Sacerdos etiam non curatus tenetur celebrare, & quando 86
Sacerdos solus est minister sacramenti eucharistiæ 84
Sacerdos, licet impius excommunicatus & degradatus, tamen verè potest consecrare 85
Sacerdos, habet auctoritatem absoluendi, quinque modis 171
Sacerdos non nisi subditum absoluere potest & quare 171
Sacerdos, quare debeat secreta seruare 193
Sacerdos sine conditione absolutè absoluit 183
Sacerdos animarum curam gerens quæ scire debeat 6
Sacerdotem, quid in speciali oporteat scire 5
Sacerdotes plures vnam possunt contrahere hostiam 84
Sacerdotes à quibus instituí debent 6
Sacerdotes simplices, quem gradum & quam potestatem habeant in Ecclesia 5
Sacerdotes inferiores non debent perfectè scire ea quæ illis necessaria sunt 6
Sacerdotes non possunt solo priuato studio quę necessaria sunt discere 3
Sacerdoti celebranti, duo vt minimum deberent adesse ministri 91
Sacerdoti non licet celebrare sine respondente ministro, nec vlla contraria consuetudo excusat 90
Sacerdoti vni & eidem omnia mortalia peccata confitenda 185
Sacerdoti quanta & quarum rerum scientia sit necessaria 4
Sacerdoti quàm necessaria sit propriæ infirmitatis & imperfectionis cognitio 9
Sacerdotibus tria sunt necessaria, & quę 7

Sacerdotes pleniorem notitiam peccatorū debent habere quàm populus 337
in Sacerdotij executione, quanta mundicia & puritas vitæ necessaria 8
Sacerdotis inferioris absolutio à peccatis reseruatis inefficax est 178
Sacerdotis gradus sublimior est monachatu 375
Sacerdotum peccata sunt grauiora peccatis monachorum 37
Sacramenta vera, verus cultus, vera doctrina non sunt notę indicantes ecclesiam sed per hanc illa cognoscuntur 18
Sacramenta nouæ legis ex se, siue ex opere operato gratiam cōferunt &c. 24.25
Sacramenta ad dei cultum pertinent 19
Sacramenta, qua ratione sint cultus Dei 20
Sacramenta à quo instituta 21
Sacramenta, quomodo sint causſa gratiæ 25
Sacramenti nomen quid propriè significet 21
Sacramenti prima definitio 21
in Sacramentis singulis, quæ summatim consideranda 24
de Sacramento confirmationis, testimonia patrum 45
in Sacramento vnoquoque considerandum quis sit sacramenti capax 23.24
in Sacramento quolibet necessarius est legitimus minister 23
in Sacramento quolibet necessario est res sensibilis & verbum, hoc est materia & forma 22.23
Sacramentorum ministri in ecclesia necessarij 246
ad Sacramentorum gratiam cōsequendam necessaria est in adultis propria dispositio & actus liberi arbitrij 26
Sacramentorum ordo & necessitas 22
in Sacramentorum formis mutare verba quàm periculosum & graue peccatum 23
in Sacramentorum formis quanta sit necessitas verborum, quātamque mutationem patiantur 23
Sacramentorum gratia multo copiosior est, quàm gratia virtutum & donorum spiritus sancti 25
Sacramentorum fides non ex sola scriptura sed ex doctrina Ecclesiæ petenda 22
Sacrificium agnoscunt concilia ante mille annos celebrata 65
Sacrificium missæ etsi idem sit est tamen alia & alia oblatio 67
Sacris initiari volenti, triplex intentio non recta, & quæ 7.8
Sacris initiari volenti, recta intentio est necessaria 7

Satisfactio ad integritatem pœnitentiæ requiritur 165
Satisfactio, ob tres causas est necessaria, & quas 197
Satisfactio & confessio duplex 194
de Satisfactione propositiones duæ & quæ 200
Satisfactiones quæ par indulgentias relaxantur 235
de Satisfactionis seueritate olim seruata 198
de Satisfactiones persolutione propositiones quatuor, & quæ 202
de Satisfactionis omissione, fructu, vtilitate & operibus 200. 201
Scandalum quod ex peccato nascitur 188
Scripturæ, quę errores circa pœnitentiam confirmare videntur, exponuntur 108
Scripturam transferri in linguam vulgarem non expedit populo 91
Sententia B. Clementis grauissima, de cœlibatu 296
Sententia dicentium peccata dimissa redire 111
Sententia, eorum, qui dicunt per sacramentum pœnitentiæ sine perfecta contritione peccata remitti, explicatur reprehenditurque 179
Sententia eorum qui dicunt ex confessione informi & absolutione perfici sacramentum, neque repetendam talem confessionem 178
Sententia eorum qui dicunt confessionem informem repetendam esse & quare 178
Sententia periculosa eorum qui pœnitendi rationem faciliorem docent 142
Sententiæ hæreticorum de potestate ligandi & soluendi, confutatio 156
Sententiæ diuersæ de pœnitentię dolore 139.140
Simonia quando dicatur hæresis 268
Simonia mentalis non obligat ad pœnas in iure præscriptas 271
Simonia peccatum maximè ex intentione pensandum 268
Simonia quotuplex 269
Simoniaca intentio, quæ sit & quæ non 268
Simoniacè datum vel receptum retineri non potest 271
Simoniacè obtinentibus beneficia, quæ notanda 271
Simoniacorum pœna 271
Simoniæ definitio 268
Speciei vtriusque sumptio non est accedentibus necessaria 75

Spiritualia non possunt dari nec recipi, pro pecunia, obsequio, nec adulatione 271
Spiritualia de facto vendi possunt & quę non 270
Sponsalia dissoluuntur ob decem causas 336
Sponsalia in conscientia sub mortali peccato, obligant 335
Sponsalia qui possint contrahere 335
Statui nouę legis magis cõueniunt dulces exhortationes, quàm durę comminationes, & precepta 15
Status Ecclesiæ Christianæ non requirit vt omnia necessariò ex præscripto fiant 17
Status hominis triplex 336
Subdiaconatus nunc sacer dicitur, olim non & quomodo 260
Substantia panis tota transit in totam substantiã corporis Christi, absque omni corporis Christi mutatione 60
Substantia tota in totam conuertitur in eucharistia 60
Suffragia quibus & quantum valeant 213
Suffragia quorum, alijs prosint 212
Summa doctrinæ de integritate confessionis 185
Superbia initium omnis peccati 366

T.

de Temperantia, continentia, & modestia, ministrorum Ecclesiæ 384
Temperantia est insigne ornamentum cleri 385
Tonsura prima non est sacramentum 260
de Tonsura, vestibus sacris, & diuinis officijs 265. 266
Transsubstantiatio firma fide credenda est 60
in Transubstantiatione accidentia manent & quare 64
in Transubstantiatione omnis curiositas & nouitas fugienda 61
de Transubstantiationis mysterio propriè & cautè loquendum 63

V.

de Verbo dei non scripto, & traditionibus 16
Verbum dei latius patet quàm scriptura 16
Veterum scripta de pœnitentia 95
Vires animæ vegetatiuæ non subsunt imperio rationis 343
Vita pastoris alijs sit exemplo 390
Vitam cœlibem olim agebãt etiam inutili ad sacerdotium rapti 296
Vnctio extrema quibus neganda 245
Vnctio extrema quare sic vocetur 240

de Vn-

de Vnctione Episcoporum & sacerdotum in ordinatione 261
ad Vnctionem extremã suscipiendam quomodo monendi sunt infirmi 243
Vnctionis extremæ materia & forma quę 240
Vnctionis extremę oleum, necessariò ab Episcopo debet esse consecratum 224
Vnctionis extremæ sacramentum quomodo suscipere possunt inutili 242
Vnctionis extremę quis sit capax 224
Vnctionis extremæ sacramentum à quo institutum 241
de Vnctionis extremæ necessitate 245
Vnctionis extremæ minister, quis sit 244
Vnctionis extremæ effectus qui 242.243
Vnctionis extremæ sacramentum vnum est 242
Voluntarij & violenti differentia 340
Voluntario quæ opponantur 41
Voluntarium, quæ passio minuat, & quæ augeat 365
Voluntas naturaliter appetit finem 340
Voluntas & intellectus, eorumque operationes inter se comparantur 339
de Voluntatis malitia curanda 374
Voluntatis actus, qui 340
Voluntatis imperio non subsunt vires animæ vegetatrices 343
quæ Vota matrimonium contrahendum impediunt & contractum dirimunt 288
de Voto continentiæ antiquissima testimonia 300
in Voto solemni an papa dispensare potest 289
Votum quotuplex 288
Votum simplex castitatis & sponsalia impediunt matrimonium & quomodo 323
de Vxorum pluralitate 319

FINIS.

FINIS.

SOTO
Instrucion
de Sacerd.s

50
16

10391